image
not
available

Digitized by Google

E 208
IC

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIB. DOM.
LAVAL. S. J.

Digitized by Google

Ex Libris J. D. Platford

IG 203/9

Digitized by Google

Digitized by Google

DIPLOMATUM

BELGICORUM

NOVA COLLECTIO

SIVE

SUPPLEMENTUM

AD OPERA DIPLOMATICA

AUBERTI MIRÆI.

Digitized by Google

Digitized by Google

DIPLOMATUM
BELGICORUM
NOVA COLLECTIO
SIVE
SUPPLEMENTUM
AD OPERA DIPLOMATICA
AUBERTI MIRÆI,

CATHEDRALIS ECCLESIÆ
ANTVERPIENSIS QUONDAM DECANI.

IN QUO

Continentur Chartæ Fundationum ac Donationum piarum, Teſtamenta, Privilegia, & alia Antiquitatis Monimenta, à Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, Principibuſque Belgii edita, & ex ipſis Tabularum publicarum fontibus eruta; unà cum Indice Topographico locupletiore.

TOMUS QUARTUS.

Curâ & Studio

JOANNIS FRANCISCI FOPPENS,

Bruxellenſis S. T. L. Metropolitanæ ac Primatialis Eccleſiæ Sancti Rumoldi Mechliniæ Canonici Graduati & Archidiaconi.



BRUXELLIS;
Apud PETRUM FOPPENS, Typographum, ſub ſigno S. Spiritûs.
M. D. C. C. XLVIII.

Cum Approbatione & Privilegio.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

QUam gratum Reipublicæ Litterariæ laborem exhibeant ii, qui Veterum Scriptorum Monumenta diuturnis tenebris obvoluta in lucem emittunt, nec fuſiori opus eſt exponere Præfatione, ſed neque neceſſarium: cum id experientiâ & uſu potiùs, quam oratione comprobetur. Et ſane, ad elucidandas Hiſtorias Antiquitateſque prophanas, quin imo ad componenda quæ inter Supremos Principes hodiedum vigent diſſidia: quid utilius, quam Imperatorum, Regum ac Principum Reſcripta pervolvere, Teſtamenta, Donationes, Tranſactiones, vetereſque Pacis ac Fœderum Tractatus in medium proferre? Præſenti, quod decurrit, Seculo, atque etiam ſuperiore, Virorum in omni Scientiarum genere excellentium ingenia, plures imprimis protulerunt Scriptores, qui indefeſſo ſtudio Tabularia perſcrutati ſunt, Actaque & Pacta publica, in Archivis ceu tenebris latitantia, recollegerunt. Quos inter recenſeri præ reliquis merentur *Petrus Lambecius*, *Melchior Goldaſtus*, & *Guilielmus Leibnitius*, Germani, *Franciſcus Leonard*, Gallus, *Thomas Rymerus*, Anglus, *Leo ab Aitzema*, Batavus, *Samuel Guichenonus*, Burgundus, *Andreas Quercetanus* Turonenſ. *Joannes Du-Montius*, aliique: qui, quoad Orbis ſtabit, continuatis Encomiis celebrabuntur. Neque ulla clareſcit hodie Europæ regio, cujus Diplomata nova & vetera, Acta publica, Privilegia ſingularia, typis non prodierint; per laborioſos ſingulis in partibus Archivorum perſcrutatores, in unum Corpus collecta. Utilitatem verò, ne dicam abſolutam neceſſitatem talium Collectionum unuſquiſque haud difficulter fatebitur, ſi modo ſibi ob oculos ponat præſentium temporum calamitates, viciſſitudines rerum, cauſataque per *Martem* ac *Vulcanum* diſpendia: quibus integras ſubinde urbes vaſtari conſpicimus. Noviſſima, triſtiſſimaque *Bergizomenſis* oppidi apud Belgas cataſtrophe exemplo ſufficiet. His porro lugendis caſibus, integra non raro diſſipantur Archiva; ipſique Tituli ſummè neceſſarii, tali fato, æternæ traduntur oblivioni: quos aliàs publici Typi ſubſidium ab omni interitu vindicaſſet.

Verum-enim-vero, uti *Reſpublica Civilis* ejuſmodi Actis & Pactis, velut totidem *Juris Publici* fontibus, firmatur, fovetur, illuſtratur; ſic etiam *Reſpublica Chriſtiana*. Hæc non in ſolo Verbo Dei ſacriſve Codicibus fundatur:

Digitized by Google

ſed & in Traditione continuatâ, Conciliorum Authoritate, SS. Patrum elucubrationibus, ſummorumque Pontificum Deciſionibus ſolidatur. Ipſa quoque inviolata Traditio, conſtans ſacrorum Rituum uſus, nec non antiqua Eccleſiæ Diſciplina (tametſi diverſis ſubinde temporibus lociſque variata) quantùm luminis ab ipſis Diplomatibus ſacris accipiant, nemo non videt. Quantùm Hiſtoria Eccleſiaſtica per Romanorum Pontificum Reſcripta, per Epiſcoporum Litteras, per Regum ac Principum Fundationes pias illuſtretur, verumque diſcernatur à falſo; unuſquiſque ſacrarum rerum peritus facilè intelligit. Hinc inter fideles priſcorum Seculorum religioſa morum ſimplicitas, Depoſiti Fidei firma cuſtodia; inde Principum humilitas, avita Pietas, ac zelus pro Domo Dei, quæ eſt Eccleſia, pro Monaſteriis ædificandis ſeu exornandis, pro erigendis Hoſpiciis pauperum, qui membra ſunt Chriſti, ac templa Dei viventia: hæc inquam, miſericordiæ opera, Documentis Autenticis ſic patefacta, omnibus eluceſcunt.

Infinitus eſſem, ſi Scriptores recenſerem, qui ſtudium omne ſuum eruendis Antiquitatum ſacrarum theſauris abſconditis, ſuoſque labores ſudores & vigilias ditandæ per ejuſmodi Cymelia Eccleſiæ conſecrarunt. Produxit à ſeculo Italia *Leonem Allatium*, *Ferdinandum Ugellum*, *Ant. Muratorium*, *Juſtum Fontaninum*, *Antonium Mongitorium*, *Laurentium Zaccanium*, &c. Dedit Gallia *Jacobum Sirmondum*, *Philippum Labbæum*, *Petrum Franc. Chiffletium*, Societatis Jeſu præſtantes Theologos, *Jo. Bapt. Cotelerium*, Doctorem Sorbonicum, & *Stephanum Baluſium*, Jurium Doctorem, *Joannem Mabillonium*, *Lucam Dacherium*, *Theod. Ruinartum*, *Bernardum Monfalconium*, *Edmundum Martenium*, *Urſinum Durandum*, Congregationis Benedictinæ Monachos eruditiſſimos. Protulit Germania *Lucam Holſtenium*, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectum, *Jacobum Gretzerum* S. J. *Bernardum Pezium*, Benedictinum, *Joannem Piſtorium*, *Marquardum Freherum*, *Jo. Burch. Menckenium*, *Joan. Georg. Eckhardum*, *Henr. Meibomium*, *Jo. Fabricium*, *Grævium*, *Ludowigium*, & alios.

Horum omnium una fuit cura atque ſollicitudo, ut Chartas fide dignas, tametſi detritas, aut cum blattis tineiſque luctantes, (anilibus quorumdam Veterum fabulis repudiatis,) in medium proferrent, hiſque Scriptis Eccleſiam illuſtrarent. Hujuſmodi voluptate recreatus olim Summus Pontifex Alexander VII. aſſerebat, eos *utiliorem præſtare operam Reipublicæ Litterariæ, qui eruendis è ſinu Bibliothecarum veterum lucubrationibus incumbunt, quam qui novos cudunt libros: libri enim novi, ſi quid boni continent, ab antiquis mutuari ſolent.* Laudabatque in primis, ac *ſibi præ omnibus placere* dicebat *Virorum illuſtrium Epiſtolas, & ea quæ pertinent ad antiquam Eccleſiæ diſciplinam: nam hæc ſingularia ſunt, & Hiſtoria Epiſtolaris omnium certiſſima eſt.*

Tanti Pontificis effatum non ad ſolos Italos, Gallos, Germanos, ſed ad ipſos quoque Belgas ſeſe extendit. Nec opus eſt recenſendis Extraneis immorari, ubi Belgium noſtrum plures ejuſdem ſtudii Viros produxit, ſupra memoratis Authoribus ſane non impares.

Fuit enim-vero *Henricus Caniſius*, gente Noviomagus, J. U. D. qui Lectiones Antiquas, ſeu Veterum Scriptorum Monumenta, quæ hactenus Germanicis in Bibliothecis latuerant, emiſit in lucem Ingolſtadii, ineunte Seculo præcedente: cui & ſubſidiariam operam contulit *Petrus Stevartius*, Leodius, Doctor Theologus Ingolſtadienſis, dein Vicarius Major Epiſcopatûs Leo-

dienſis. Nec multò poſt, *Aubertus Miræus* Bruxellenſis, Eccleſiæ Antverpienſis Decanus, non indecoro veterum Monumentorum pulvere ſordidus, totas Bibliothecas & abſtruſiſſima Archiva viſitando exhauſit; ut inde Codicem Donationum Piarum, Fundationes ac Diplomata Belgica, Notitiam Eccleſiarum noſtratium, cæteraque Opuſcula ſua eruęret: quibus typo vulgatis, eaſdem Bibliothecas poſtliminiò replevit. Neque minore zelo, præclara duo Belgii lumina, *Chriſtianus Lupus*, Iprenſis, Auguſtinianæ familiæ Doctor Theologus, & *Emanuel Schelſtratius*, Antverpienſis Eccleſiæ in patriâ Urbe Canonicus & Cantor; iſte in Athenæo Lovanienſi, hic in alma Urbe Bibliothecæ Vaticanæ præfectus, aurea venerandæ Antiquitatis Monumenta, plurium Conciliorum atque SS. Canonum evulgatione, exhibuerunt: quæ Urbis & Orbis applauſum promeruêre. Sed neque debito elogio fraudandi ſunt celeberrimi Antverpienſis Muſæi Hagiographi, Societatis Jeſu Theologi: *Bollandus*, *Henſchenius*, *Papebrochius*, *Sollerius*, &c. qui evulgandis Sanctorum Actis jam à Seculo inſudarunt; eumque in finem peragratis univerſis penè Catholici Orbis regionibus, Latina & Græca, aliarumque gentium antiqua Documenta undique collegerunt. Quorum ſucceſſores, in eodem ſtadio litterario hodieque currunt, Actis SS. Menſis Septembris incumbentes; ſummo (uti patet) Eccleſiæ Catholicæ incremento. Quanto autem in precio ſint ſacra iſta molimina apud SS. Dominum *Benedictum* Papam XIV. vel inde conſtat, quod laudatiſſimum Opus ſuum de SS. Canonizatione ac Beatificatione evulgatum, præfatorum Hagiographorum Actis authoritateque vel maximè ſtabiliverit. Quod ipſum noviſſimè idem SS. Pater, ſingulari Brevi Antverpiam ad eos tranſmiſſo, denuo teſtari dignatus eſt.

Porro *Analectorum Belgicorum* Collectores præterire neutiquam poſſumus. Præter poſteriores *Antonium Matthæum*, J. C. Ultrajectinum, & *Gerardum Dumbarium* J. U. Tranſiſalanum, egregiam ſane Antiquitati operam navarunt *Molanus*, *Haræus*, *Raißius*, *Grammayus*, *Boſſchartius*, *Reviuſque*, Patriarum Antiquitatum peritiſſimi: & qui horum veſtigiis inſiſtentes, nominari ſe haud ſuſtinent, quamdiu hac aurâ fruuntur. Tantorum Virorum in eodem Litteraturæ genere æmulus, aſt meritis impar, dum primùm novæ Diplomatum Belgicorum *Auberti Miræi* Editioni adornandæ incubuiſſem Lovanii, eique Supplementum Diplomaticum ſuperaddidiſſem, placuit Eruditis Viris hocce conſilium meum. Neque infauſto labore id actitatum: ſiquidem priora duo Volumina avidè exceperunt: atque ut in eodem ſtudio progrederer, ſtimulos addiderunt: operam ac plura Diplomata ex Archivis ſuis lubentur ſubminiſtrarunt; ut inde Anno 1734 Volumen tertium exurrexerit.

Porro in Actis Eruditorum, quæ Lipſiæ in Saxonia quotannis publicantur, ſeu potius Supplementorum Tomo IV. (ann. 1742. Lipſiæ edito) extat pag. 229. eorumdem Eruditorum Judicium, de his quæ præcedente Tomo III. continentur. Viri illi, toto orbe clariſſimi, imprimis hujuſmodi Operum Diplomaticorum utilitatem commendarunt, ſummamque Ampliſſ. *Auberti Miræi* diligentiam condignis laudibus extulerunt: qui primus hoſce ſacræ prophanæque Hiſtoriæ fontes aperuit, iiſque Belgicam noſtram illuſtravit. Quibus dum Ego, plurimorum Diplomatum Supplementa Tomis II. & III. adjeci, hos quoque labores meos utilitati publicæ impenſos, ſuo calculo probare dignati ſunt iidem celeberrimi Cenſores Lipſienſes, ſimulque ad ulte-

riorem Collectionem calcar addiderunt. Habes proinde, Lector benevole, hunc Tomum IV. multis novis acceſſionibus locupletatum, utilitati publicæ, & tuo imprimis uſui (ſi modo labores mei accepti fuerint) conſecratum. Si quid autem forſitan præter mentem irrepſerit, quod quempiam offendat, aut Sedis Apoſtolicæ Judicio diſpliceat (cui quivis Scriptor Catholicus ſenſa ſua tenetur ſubmittere) id-ipſum ex nunc à Me improbatum, aut revocatum velim.

Errores quoque, quos admittere potui, non ſciens volenſque, ſed ab aliis non rectè inſtructus, de rebus utcumque à nobis remotis, emendare, nemo me paratior erit. Exemplo ſit notatio adjecta Capiti centeſimo undecimo Partis primæ, ſeu pag. 166. de Viſitatione Monaſterii Aureæ-Vallis, quam his verbis intellige: *Huic Viſitationi A. D. Stephanus Henrion Abbas Aureæ-Vallis, omneſque Monachi ſexaginta ſeptem ſubmiſerunt ſe, ex quibus decem dein apoſtatæ, cum aliis duobus, qui ante quàm juxta ordinem profeſſionis Monaſticæ, in ſcrutinio ſiſtere ſe tenebantur, nihil proteſtantes aut Viſitationi Viſitatorique ſe opponentes, quinto poſt cæptam Viſitationem die, qui fuit menſis Septembris dies vigeſimus primus, cum tribus fratribus Converſis aufugerunt è Monaſterio. Hi abjecto habitu Monaſtico, ſpretiſque votis, diu errarunt; quatuor Monachis in Oppido Rocroyo carceri mancipatis, à Rege Chriſtianiſſimo regno demum pulſis; donec in Hollandiam abierunt, aſportatâ ſecum pecuniâ; incompertum quantâ. Adunati ſunt prope Leidam, in horto ſuburbano, cui nomen* Torenvliet: *quem locum deſerere coacti, in aliud ſuburbanum,* Rynwyk *appellatum, ſub dominio* Driebergen *dicto, prope Trajectum ad Rhenum ſeceſſerunt. Epiſcopo Babylonienſi* Dominico Maria Varlet, *huic Cætui, aliis variorum Ordinum apoſtatis auctо, præſidente. Tandem conſumpto furtivo peculio diſcordiâ Fratrum transfugarum ſubintrante, aliiſque aliò dilapſis, diſſipatum eſt male adunatum collegium.*

APPROBATIO CENSORIS ORDINARII.

LEgi Tomum quartum Diplomatum Belgicorum, collectum abs Ampliſſimo Viro JOANNE FRANCISCO FOPPENS, Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ & Primatialis Archidiacono & Canonico, de numero Graduatorum; de quo ejus labore & ſtudio, plane idem cenſeo, quod ante hos tredecim annos de Tomo tertio; futuros teſtes ſempiternos ſuorum erga Rem-publicam meritorum, omniumque Antiquitatis ſtudioſorum gratitudinem obſervantiamque poſtulaturos. Datum Mechliniæ die 8. Auguſti 1747.

C. P. HOYNCK VAN PAPENDRECHT, Archipresbyter, Canonicus de numero Graduatorum, Librorum Cenſor ordinarius.

SUMMARIUM PRIVILEGII REGII.

QUandoquidem nuper in ſupremo Conſilio præcelſæ ſuæ atque Regiæ Majeſtatis, in Provincia ac Ducatu Brabantiæ conſtituto, exhibitus fuerit Libellus ſupplex, pro parte Petri Foppens Typographi ac Bibliopolæ jurati in hac urbe Bruxellenſi, in finem, ut ei liceret, typis edere ac vendere librum hujus tituli: *Diplomatum Belgicorum nova Collectio, ſive Supplementum ad Opera Diplomatica Auberti Miræi Tomus IV. curâ & ſtudio Joannis Franciſci Foppens, Eccleſiæ Metropolitanæ S. Rumoldi Mechliniæ Canonici Graduati & Archidiaconi.* Quem Librum prævio examine Cenſor Ordinarius approbavit: uti per Authenticum Approbationis Inſtrumentum nobis conſtitit. Cumque hujuſmodi liber typis edi non potuerit abſque prævia hujus ſupremi Conſilii licentia ac facultate; hinc idem Typographus ad præfatum Conſilium recurrit, humiliter ſupplicans, quatenus ſibi facultatem ad hoc neceſſariam, per Inſtrumentum Privilegii concedere dignaretur. His itaque conſideratis, visâque Cenſoris Approbatione, Curia petitioni Supplicantis favorabiliter annuens, eidem induſſit, & etiamnum hiſce Litteris patentibus facultatem concedit, eundem Librum imprimendi, venalem exponendi &c. prout latiùs in Authographo Privilegio continetur. Datum Bruxellæ die 25. Septembris 1747. Signatum: GOCHET, vidit. Subſignatum, J. H. HENRICII.

Digitized by Google

DIPLOMATUM
BELGICORUM NOVÆ COLLECTIONIS
TOMUS QUARTUS.

PARS PRIMA,

Quæ Bullas, Conſtitutiones, ac Privilegia per Romanos Pontifices Belgicis Eccleſiis conceſſa, recenſet.

CAPUT I.

Joannes V. Pontifex confirmat circa annum 680. Privilegia ac Poſſeſſiones Cathedralis Eccleſiæ Atrebatenſis, ad petitionem Vindiciani ejuſdem Sedis Epiſcopi.

Nota titulos Rom. Pontificis.

Sancto & univerſalis Eccleſiæ Proviſori, beatiſſimo Johanni Papæ Romano, Epiſcoporum Epiſcopo, Vindicianus Servus ſervorum Dei minimus, in Chriſto Domino quicquid felicius.

Notum ſit Paternitati veſtræ, ſeu omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ prolibus, ſi aliquid de rebus noſtris, locis ſanctorum, vel in ſubſtantia pauperum conferimus, hoc nobis procul dubio in æternam beatitudinem retribui confidimus. Nos quidem de tanta miſericordia & pietate Domini confidentes, in conventu venerabilium Epiſcoporum noſtrorum, coram Rege piiſſimo Theoderico in generali Placito, hanc Epiſtolam roboravimus, roboratamque in perpetuum fore optamus.

Lex priſcorum quoque expoſcit auctoritatem, ut quicumque voluerit de rebus ſuis propriis vendere, cedere, condonare, ſuum Strumentum, ſecundùm legem Salicam, licentiam habeat alligare. Quapropter noverint omnes fideles, præſentes ac futuri, Pontificali auctoritate hoc Epiſcopale Privilegium conſtructum à memorato Rege Theoderico, ut inviolabiliter conſervetur, ab hodierno die & deinceps, per Pontificalem auctoritatem omnes ſeculares & judiciarias poteſtates excludimus, omnemque clamorem & omnem invaſionem ab Eccleſia ſanctæ Mariæ Atrebatenſis civitatis. Sed ut liceat Canonicis Deo inibi famulantibus, ex hoc & in reliquum tempus quietè vivere, ab omni mundano ſtrepitu ſequeſtramus.

Lex Salica in uſu.

Si autem talis extiterit cauſa, ut ſuc-

ceſſores noſtri precaria vel beneficia de rebus ad Clericorum uſum pertinentibus patrare maluerint, hoc interdicimus, interdicto etiam anathematis, & Pontificali auctoritate ſtabilimus, ut ipſum Monaſterium cum his villis Belrenio, Medonivilla: inter has duas villas Manſos lx. culturas xi, Eccleſias ij. cum omni dote & omnibus appendiciis, Aquis in Pago Atrebatenſe, cum Eccleſia & dote ſeu omnibus appendiciis, Friſcini curte cum omnibus appendiciis, Batſala cum Eccleſia, & omnibus ejus appendentiis, Berleta cum omnibus appendiciis, Squavia cum Eccleſia & dote & omnibus ejus appendiciis, Ors cum omnibus appendiciis, * Sautſcido cum ſuis appenditiis;

Pagi Arteſiæ Belrenium, Medonivilla.

Aquæ.

Friſcinium Batſala.

Berleta.

Squavia.

Ors.

* Suitſcido

Radonivilla.

Crientio fluviolus.

Dominica curtis.

Maraculum.

Unziacum.

Radonivilla cum molendino uno ſuper Crientionis fluviolum, aliud molendinum in Dominica curte, Maraculo cum integritate, Eccleſia cum dote, decimancula in Rodulfi curte, ſimiliter in Unziaco, ex hodierno die, & in reliquum tempus ſit in poteſtate Canonicorum in ipſo Monaſterio Deo ſervientium.

Nec aliquis præſumat ex his quæ diximus, quæ memoratus inclytus Rex de rebus propriis, & de aliis per regale Præceptum eidem loco delegavit ad opus Clericorum, inferre aliquam moleſtiam, ſed liceat eis quietè omnia poſſidere, quo valeant liberius pro pace ſanctæ Dei Eccleſiæ & vita Regis & conjugis, ac filiorum ac ſtatu regni, Domini clementiam exorare. Si quis verò obſervator hujus Privilegii à nobis editi extiterit, accipiat mercedem à Domino, & benedictionem à vobis, & ab omnibus nobis in præſenti vita, & in futura vitam æternam, Amen.

Qui verò noſtræ auctoritati parvipenderint, & hanc pontificalem auctoritatem manu noſtra roboratam infringere voluerint, inde dirigimus ad veſtram clementiam, ut quod à nobis roboratum eſt, ſtabile permittatis non ſolùm à vobis, ſed ab omnibus noſtris Epiſcopis qui ſunt erga vos. Deus omnipotens qui cathedra unitatis doctrinam poſuit veritatis, faciat vos memorem intellectoremque ſui, placeatque vobis propter eum, in oratioinbus veſtris meminiſſe etiam mei.

Diploma hoc antiquiſſimum ex Chronico Cameracenſi & Atrebatenſi excerpſimus pag. 46. cujus Author fuit Baldericus Noviomenſis & Tornacenſis Epiſcopus, qui anno 1112. è vivis exceſſit.

Chronicon hoc primus è latebris eruit edique curavit anno 1615. Vir Eximius & Antiquitatum ſtudioſiſſimus *Georgius Colvenerius*, S. T. Doctor Duacenſis, qui & pag. 410. præfatum Privilegium Apoſtolicum eruditis illuſtravit Notis, quas conſule.

Reſcriptum Joannis V. Pont.

VIndiciano cum Coëpiſcopis degentibus Galliarum finibus, fraternam viſitationem, & paternam benedictionem.

Audite ſententiam quam dico. Si quis de ſucceſſoribus veſtris, vel Comes, ſeu cupiditas judicum, aut ulla oppoſita perſona hanc donationem vel confirmationem quam pro Dei intuitu & amore divino fieri vel firmare decreviſtis, minuere, aut à loco diſtrahere maluerit, Apoſtolica ſententia damnamus, & per Pontificalem auctoritatem à liminibus ſanctæ Dei Eccleſiæ ſequeſtramus, & à cœtu ſupernorum ſegregamus, & à regno Dei excludimus. Forma excommunicationis.

Sancti Petri Chriſti janitoris atque clavigeri cœleſtis regni interdictu interdicimus, & cum Juda traditore Domini noſtri Jeſu Chriſti ſorte permittimus, ut in die judicii cum diabolo & miniſtris ejus, luctu quatiente, inferno perfruantur ſine gaudio. Amen.

Ego Johannes Papa hoc Privilegium à mea parvitate editum firmavi ac roboravi.

Ego Marinus Vicarius Sedis Apoſtolicæ firmavi ac roboravi.

Ego Andreas Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Bonibertus Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Laurentius Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Pedelbrandus Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Nautor Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Hilarius Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Conſtantius Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Martinus Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Chriſtophorus Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Thomas Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Felix Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Audoinus Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Ego Auſtregiſilus Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Ravengarius Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego (1) Silvinus Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego (2) Leodegarius ab impio judice Ebrono cathedra Auguſtidunenſe depoſitus ſcripſi & ſubſcripſi. Data octavo idus Maii, anno ſeptimo regni domini noſtri Theoderici Regis, Indictione ij.

Ego Vindicianus Epiſcopus juſſu domni Theoderici Regis, & rogatu Johannis ſummi Pontificis ſcripſi, & ſubſcripſi.

(1) S. Silvinus, Epiſcopus (ut fertur) Toloſanus, vel, ut alii quidam malunt, Teruanenſis, è vivis exceſſit in Monaſterio Alciacenſi, Benedictinorum in Arthefia. Colitur die xvii. Februarii.

(2) S. Leodegarius, Epiſcopus quondam Auguſtodunenſis, Martyr occubuit anno 666. in Silva quadam territorii Atrebatenſis, quæ inde nomen ſortita eſt. Sepultus eſt in villa de Serein. Colitur die 2. Octobris. Vide Molanum, Miræum, alioſque Hagiographos.

Digitized by Google

CAPUT II.

Nicolaus II. Pontifex confirmat Erectionem Capituli B. Mariæ Virg. ad Gradus, Coloniæ Agrippinæ; quod eſt XX. Canonicorum Collegium, à S. Annone Colonienſi Archiepiſcopo fundatum, multiſque prædiis à B. Richeza Poloniæ Regina dotatum; anno 1059.

NIcolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto fratri Annoni Archiepiſcopo Colonienſi, perpetuam in Domino ſalutem. Pontificii Apoſtolatus noſtri eſt, univerſali vigilantiâ omnibus eccleſiaſticis negotiis utiliter proſpicere; Religioſorum tamen locorum utilitatibus ſummam ſollicitudinem piâ devotione impendere. Quam cùm omnibus generaliter debeamus, ſpecialiter tamen aſſenſum prærogativæ dilectionis erga reverentiam Fraternitatis tuæ ſemper habere optamus.

Quocirca dum omnibus juſtis petitionibus debeatur facilis aſſenſus, ſuggeſtione benignitatis tuę promptus charitatis noſtrę exhibetur affectus. Itaque ſecundum amorem petitionis tuæ Eccleſiam B. Mariæ matris Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſitam inter muros urbis Coloniæ, in loco qui vocatur ad Gradus, quam pia devotio tua conſtruxit, & ad omnipotentis Dei honorem, atque animæ perpetuam mercedem, poſſeſſionibus ac rebus interius & exterius ditavit, ſub Apoſtolicæ defenſionis tutela recipimus.

Apoſtolicâ nihilominus authoritate confirmamus eidem Eccleſię, quidquid & tuæ devotæ religionis intentio divini zeli fervore hactenus contulit, ſcilicet Bliſena, Wiſſa, Unckelo, Heigenbach, Elincke, Flammersheimb, & anteceſſor tuus Hermannus Archiepiſcopus eidem Eccleſiæ exædificandæ de ceterorum poſſeſſionibus acquiſivit, & quod tua induſtria de prædiis (1) Richezæ & cohæredum acquiſivit, Meckenichem, Clotteno, Demunderedo, Aſſela, & decimationem in Saxonia, quæ feudum Henrici fuit, & quicquid in futurum quocumque modo divinis vel humanis legibus congruo tua charitas, & quorumcumque fidelium acquirere poterit.

Statuimus itaque per hujus noſtri Privilegii decretalem paginam, ut nulla unquam, cujuſcumque dignitatis, gradus, vel ordinis magna parvaque perſona audeat & præſumat, ipſam Eccleſiam aut religioſe famulantes ei ullo modo inquietando moleſtare, aut de ſuis mobilibus vel immobilibus, temerario auſu diſcutere; quoniam dignum eſt, ut qui continuo obſequio in Chriſti ſolius militia exercitantur, indeficientis noſtræ inſpectionis ſalubri munimine protegantur.

Unde authoritate Patris, & Filii, & & Spiritus Sancti, & Beatorum Apoſtolorum Principum Petri & Pauli, affectui ſanctæ devotionis tuæ, cariſſime Confrater, gratanti animo annuentes ſtatuimus, & ſub interpoſitione perpetui anathematis, ac divini judicii obſervatione præcipimus, ut Tua & hæc Noſtra eadem, ad augmentum præfatæ Eccleſię perpetualiter confirmanda, ſtatuta, inviolata permaneant.

Si quis igitur, quod non optamus, hujus noſtræ decretalis Privilegii Paginæ temerario auſu violator exiſtere, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ contumaci rebellione decreta corrumpere præſumpſerit; ſciat ſe perpetuæ maledictionis anathemate damnandum, & cum diabolo & ſatellitibus ejus æterni ignis incendio cremandum, niſi fortè reſipuerit, & Deo & prędictæ Eccleſiæ condignè ſatisfecerit. Qui verò piâ devotionis intentione conſervator extiterit, peccatorum ſuorum omnium, precibus Beatorum Apoſtolorum Principum, conſequatur veniam, & cum omnibus divinæ legis obſervatoribus, æternæ beatitudinis promereatur gloriam.

Scriptum per manus Octaviani, ſacri ſcrinii & S. Romanæ Eccleſiæ Notarii, Calendis Maii, Indictione xii. Anno Dominī noſtri Jeſu Chriſti M. L. VIIII. per manus Humberti S. Eccleſiæ Sylvæ-candidę Epiſcopi, & Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarii: anno primo Pontificatûs Domini Papæ Nicolai ſecundi, Indictione duodecima.

(1) B. Richeza, aliàs Ritza, S. Annonis Archiep. Colon. Neptis, Micceſlai Poloniæ Regis conjux, mater fuit B. Caſimiri, ex Cluniacenſi Monacho & Diacono, diſpenſante Papâ, Poloniæ Regis. Mortua eſt anno 1057. ſepulta in Eccleſia B. M. V. ad Gradus Coloniæ. Colitur die xx. Martii. Vide etiam Diplom. Belg. Miræi Tom. II. pag 1121.

Digitized by Google

CAPUT III.

Leo IX. Pontifex confirmat circa annum 1050. fundationem Abbatiæ S. Joannis Baptiſtæ Florinenſis, pro Monachis Benedictinis in Diœceſi Leodienſi, haud pridem inſtitutæ per Gerardum Florinenſem Toparcham, dein Cameracenſem Epiſcopum.

Ex Archivis Abbatiæ Florinenſ.

LEo Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ, & per eam Goniſoni Abbati, ac ejus ſucceſſoribus in loco qui dicitur Florinas, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Convenit Apoſtolico regimini, ut in omnibus prudenter Eccleſiaſtico provideatur honori. Quapropter ô Goniſo Abba, in Chriſto dilecte fili, in quo, quia ſuum pleniter honorem Monaſtica obtinet religio, mihi bene complacuit, firmum de bonis Eccleſiæ tuæ, id quidem ſummopere poſtulanti, concedimus Privilegium: quod videlicet ob mutuam petentis & donantis benevolentiam, animæ tuæ ſimul ac noſtræ apud Dominum ſalutem obtineat & gloriam.

Paternâ pietate benignum aſſenſum præbuimus Cameracenſis Epiſcopi Venerabilis Gerardi (1) juſtis precibus, ut quia ipſe præfatam ſumptu ſuo, & de rebus propriis cum fratre Godefrido conſtruxit & donavit Eccleſiam, hanc à nobis mereatur recipere gratiam. Annuimus inquam, voluntariè, & ſibi, & tibi, frater chariſſime: & vos quidem, quos apud alios commendabat ætas & exterius reverenda canities, mihi gratos fecit moralitas interior & inviolabilis fides.

Memores etiam in hac tua petitione fuimus fratris tui Domini Wazonis Tongrenſis Eccleſiæ vigilantiſſimi Paſtoris, qui dum vixit, æquitatis norma, Catholicæ Religionis, canonicæ ſimul honeſtatis ſemper fuit regula.

Hanc igitur noſtræ Præceptionis Paginam fieri juſſimus, ſtatuentes Apoſtolicâ cenſurâ, ut nihil horum quæ præfato Monaſterio à quibuſcumque fidelibus conceſſa vel concedenda ſunt in perpetuum, aliquis temerario auſu infringere vel imminuere audeat; ne dum Præcurſorem & Baptiſtam Domini offenderit, quo inter natos mulierum major nullus ſurrexit, Dei omnipotentis iram incautus incurrat.

Datum . . . .

Fragmentum Diplomatis Henrici V. Imp. in favorem Abbatiæ Florinenſis, dati circa ann. 1120.

IN nomine Domini & in virtute brachii ejus, pax & proſperitas. Præſentibus atque futuris notum ſit, Henrico V. Rom. Imperatore edita atque ſignata eſſe quæ ſubjecta ſunt.

Quoniam apud pleroſque abundante iniquitate, corruit æquitas in plateis: ita ut ſub nomine Advocationis prædas agant de Eccleſiis Dei, & quas defendere debuerant, violenter opprimant: veterumque authoritas & teſtata antiquitas, atque teſtata juris conſcriptio parum apud eos valeat: expedit eis, Authoritate noſtrâ Nos in hujuſmodi ſubvenire; additâ ſeu innovatâ noſtri Imperii ac ſigilli atteſtatione.

Itaque Guarino Abbate S. Joannis Baptiſtæ, in loco, qui dicitur Florinas, noſtram cum Fratribus ſuis præſentiam adeunte & conquerente de multis Advocatorum injuſtitiis, prolatâ etiam Chartâ, quæ à Gerardo Cameracenſi Epiſcopo & Godefrido fratre ejus, ipſius Eccleſiæ conſtructoribus conſcripta fuerat, continente quos vel quantos reditus pro Advocatione tam ipſi quam ſucceſſores eorum habere deberent.

Placuit nobis, cum conſilio Optimatum, noſtrorumque Epiſcoporum & Comitum, opem ferre, & veteres Conſtitutiones novo noſtræ Auctoritatis ſcripto, noſtro ſigillo, atque Imperiali Banno roborare &c.

Datum. . . . .

(1) GERARDI Cameracenſis Epiſcopi Fundationem, Diplomate S. Henrici Imp. confirmatam anno 1012, vide Tomo I. Diplomatum Belgicorum Miræi, pag. 658.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

Gregorius VII. Pontifex Privilegia Eccleſiæ S. Audomari in Artheſia (nunc Cathedralis) Roberto Flandriæ Comite poſtulante confirmat anno 1075. *Accedit Fragmentum Privilegii ejuſdem Papæ, eodem anno conceſſi.*

Ex Motivo Juris Capituli Audom. contra Bertinianos.

GRegorius ... dilecto ... filio Roberto Flandrenſium Comiti ... Eccleſiæ quam Beatus Audomarus tertius Morinorum Epiſcopus fundavit in honore Beatæ Dei Genitricis Mariæ, & quæ uſque in hodiernum diem ejuſdem Epiſcopi venerabilis habetur corpore, hujuſmodi Privilegia ... autoritatis noſtræ decreto ... concedimus, atque firmamus.

Renovamuſque etiam illa quæ Beatus Nicolaus à Beato Gregorio quadrageſimus ſecundus eidem Eccleſiæ fecit Privilegia, præſente Balduino quondam tuo progenitore qui ad Apoſtolorum limina ad eundem Papam veniens promeruit pacificari eorum autoritate cum ſocero ſuo Carolo Imperatore, cujus filiam ſibi copulaverat eo ignorante.

Statuentes nullum Regum, Antiſtitum, nullum quacumque præditum dignitate vel quemquam alium, de his quæ eidem Eccleſiæ à beato Audomaro, Adroaldo & cæteris donata ſunt minuere vel auferre; ſed cuncta quæ ibi oblata ſunt, perenni tempore illibata & ſine inquietudine aliqua volumus poſſideri, eorum ... uſibus pro quorum ſuſtentatione gubernationeque conceſſa ſunt modis omnibus profutura.

Item conſtituimus, ut obeunte Præpoſito vel Decano ejuſdem Eccleſiæ non alius ibi ſubſtituatur quacumque obreptionis aſtutia, niſi quem conſenſus Canonicorum canonice & ſecundum Dei timorem providerit ordinandum vel elegerit conſtituendum, &c.

Fragmentum alterum Privilegii Gregorii VII. Papæ.

LIcet hanc ſanctam Sedem .... Eccleſiam itaque beati Audomari anteceſſorum noſtrorum Privilegiis munitam & ſumme corroboratam, authoritatis etiam noſtræ preſentiâ & Apoſtolicæ dignitatis cenſurâ corroboramus, & corroborando ſtatuimus ut ejuſdem Eccleſiæ Fratres & Canonici poſſeſſionum ſuarum liberam dominationem obtineant .... Statuimus, præterea præſentibus Epiſcopis Gualfrido Pariſienſi, Rabodone Noviomenſi, Gerardo Cameracenſi, Arnulpho quoque ejuſdem Eccleſiæ Præpoſito & Johanne Abbate ſancti Bertini, ut nullus Clericorum aut laicorum, magna ſeu parva perſona, Eccleſiæ memoratæ Canonicis moleſtiam aliquam inferre audeat, aut in eorum Monaſteriis novam conſuetudinem contra voluntatem eorum inducat.....

CAPUT V.

Gregorius VII. Papa Canonicos Eccleſiæ S. Salvatoris Paulopoli in Artheſia redarguit, quòd Reſecam (*aliàs* Queſque) *villam Canonicorum S. Audomari injuſtè detinerent : eoſque ſub anathemate commonet, ut eam reſtituant, anno* 1078.

GRegorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Huberto & Clericis & omnibus Comitibus de Caſtro S. Pauli, Widoni & Hugoni & Euſtachio ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Clerici S. Mariæ & S. Audomari adeuntes Sedem Apoſtolicam, conqueſti ſunt de vobis, quod jam multo tempore ſibi & ſuæ Eccleſiæ auſertis quandam villam *Reſecca* nominatam, cum omnibus ad eam pertinentibus. Atque cum multoties de hoc in Provincialibus Synodis coram Epiſcopo veſtro & ad ultimum coram Hugone Dienſi Coepiſcopo & confratre noſtro Apoſtolicæ Eccleſiæ Legato in Pictavienſi Concilio querelam feciſſent, atque ille ex authoritate noſtrâ præcepiſſet, ut coram Epiſcopo veſtro, aut proclamata Eccleſiæ præfatæ & Clericis redderetis, aut quod veſtra jura eſſe debeant rationem diceretis; Epiſcopuſque veſter tres terminos vobis & ad ultimum Provincialem Synodum ſtatuiſſet, ut utrumlibet ageretis, vos tamen neutrum ſicut nunquam

ita quoque nec tunc facere voluiſtis.

Unde ex Autoritate Dei & Sti Petri Apoſtolorum Principis, præcipimus vobis, ut ſi ita eſt, prædictas res prædictæ Eccleſiæ & Clericis ejus ſine dilatione canonicè reſtituatis: aut ſi ita non eſt, & juſta ratione pro certo ſcitis ad veſtram Eccleſiam eas pertinere debere, intra 40. dies poſtquam Litteras noſtras videritis, vel ſi eas videre vitaveritis, poſtquam eas miſſas vobis cognoveritis, Hugonem præfatum Coepiſcopum & fratrem noſtrum ad diem Ingelranno & fratribus ejus à vobis ante denominatum atque pronuntiatum adeatis; ut utriſque partibus coràm poſitis, ipſe legitimum faciat finem hujus contentionis.

Quod & ſi illud agere nolueritis infrà perſcriptos dies, finitis eis contradicimus vobis, & Vidoni, Hugonique & Euſtachio Comitibus, Oliardo quoque Subdefenſori præfatæ poſſeſſionis, omnibuſque vobis à modo auxilium & conſenſum ad hoc ſacrilegium præbituris velut ſacrilegis & raptoribus omnem penitùs Eccleſiæ ingreſſum & Chriſtianam communionem atque gratiam B. Petri Apoſtolorum Principis & in vita & in morte; niſi fortè pœnitentiam egeritis & injuſtè rapta Eccleſiæ præfatæ canonicè reſtitueritis.

Si autem (quod abſit ab omnibus Chriſtianis) poſt hæc omnia, diabolicâ infecti malitiâ, in excommunicatione præſcripta incorrigibiliter perſeverare malueritis, præcipimus defenſoribus & Patronis Eccleſiæ prædictæ, ut eidem & Clericis ejus præfatas res reſtituere omnibus modis ſatagant.

Data Romæ VII. Kalendas Decembris, Indictione VII.

Hiſtoriam Comitum S. Pauli ſive Teruanenſium, verè eruditam evulgavit anno 1731. P. Thomas Turpin, Paulinas, Ord. FF. Prædicat. ex qua hoc Diploma, ipſo ſuadente, decerpſimus pag. 43. Idem Author pag. 46. refert Tranſactionem inter Audomaropolitanam & Paulopolitanam Eccleſias anno 1094 initam pro eadem Villa de Reſeca.

CAPUT VI.

Gregorius VII. Pontifex Abbatiam S. Huberti Ordinis S. Benedicti in Arduenna, circa ann. 1080. ſub Sedis Apoſtolicæ Protectione ſuſcipit; ac ſpecialiter confirmat illius Prioratus de Eberneicourt & S. Sulpicii Pyrenſem.

Ex Archivis Abbatiæ S. Huberti.

GRegorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto filio Theoderico Abbati Monaſterii St. Petri ſanctique Huberti Andaginenſis in Arduenna conſtituti, ſuiſque ſucceſſoribus regulariter ibidem intrantibus in perpetuum. Nulli fidelium eſt in dubio, quin Sedes Apoſtolica, quæ univerſalis mater & omnium Eccleſiarum princeps eſt, omnibus hoc jure ac debita ſollicitudine præeſſe debeat, non ut eas tantum Catholicæ Religionis unitate concludat, ſed generali circumſpectione, etiam ab his quæ extrinſecus promoventur, pro ſua auctoritate ſalvet & muniat.

Inter quas tamen cum plures inveniantur, quæ ſpeciali & propria commendatione in tutelam ejuſdem Sedis Apoſtolicæ ſe contulerunt, ut ſpeciali caritate & ſtudio ſuæ matris amplexæ, uſquequaque ſecuriores & liberiores ab omni infeſtatione conſiſterent: quas, ut dignum erat, ita Romana ſuſcepit Eccleſia, tantaque protexit undique diligentia, ut omnibus munimenta præſidii, nonnullis quoque gratiam conferret augendi. Cujus rei plurima nobis exempla ſanctiſſimi viri reliquerunt, qui ante nos in illa (quam diximus) Apoſtolica Sede fulgentes, pro honore Eccleſiarum Dei & exaltatione earum; magis quam pro vita aut ſalute ſua ſolliciti fuerunt, ſuſcipientes Monaſteria & venerabilia loca in patrocinium Apoſtolicæ defenſionis, & confirmantes ea propriis Privilegiis, quatenus ex quotidiana tranquillitate ardentius in devotione divinæ ſervitutis & in omni bono proficerent.

Qua in re, quam piè quam ſanctè fecerunt, & illorum nobis oſtendit gloria, & ipſius rei tam fructuoſa gratia. Nam cum oratoria in pace & tranquillitate conſiſtunt, & Eccleſiaſtica beneficia pauperes Chriſti nutriunt, tamen vero laus Deo dignè promitur, & remedium peccatorum tam vivis quam defunctis impenditur.

Unde nos in eadem Apoſtolica Sede, non noſtris meritis, ſed divina locati gratia, ſuſcepti officii debitum conſiderantes, præfatum Monaſterium, cui tu dilecte fili & prænominate Abba, præeſſe dinoſceris, tuo rogatu in tutelam Apoſtolicæ Sedis & noſtram, ſucceſſorumque noſtrorum defenſionem ſuſcepimus, confirmanteſque & corroborantes ſibi per præſentis Paginam Privilegii Eccleſiam S. Mariæ ſuper Auxonam ſitam, Eccleſiam S. Sulpicii ſuper Moſam, ceteraſque poſſeſſiones tam in villis, quam caſtellis, ceteriſque Eccleſiis & terris cultis & incultis ſeu & omnibus rebus mobilibus & immobilibus, quàs nunc jure poſſidet. ....

Cella *Eberneicourt*

Cella *Pyrenſis.*

Digitized by Google

CAPUT VII.

Paſchalis II. Papa confirmat anno 1104. Privilegia & Exemptionem Abbatiæ S. Petri in Monte Blandinio, Ordinis S. Benedicti juxta Gandavum.

Ex Archivis Abb. S. Petri.

PAſchalis Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilecto filio Sigero Monaſterii Blandinienſis Abbati, ejuſque ſucceſſoribus, regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Piæ poſtulatio voluntatis effectu debet perſequente compleri, quatenùs & devotionis ſinceritas laudabiliter eniteſcat, & utilitas poſtulata vires indubitanter aſſumat.

Poſtulavit ſiquidem nos dilectio tua Cœnobio ſancti Petri Blandinienſi cui Deo authore præſides, Apoſtolicæ Sedis munimenta conferre, & per ea ſpeciali prærogativâ Romanæ Eccleſiæ illud aſſignare.

Per præſentis igitur Privilegii Paginam præfatum Cœnobium ſub ſolius Beati Petri, & noſtrâ ditione atque protectione ſpecialiter ſuſcipimus & perpetuò manère decernimus. Apoſtolicâ authoritate conſtituentes, ut nullus deinceps Epiſcopus præſumat de ejuſdem Cœnobii reditibus, rebus, vel curtis, vel villis quolibet modo vel qualibet exquiſitione quidquam minuere, nec immiſſiones aliquas facere, nec audeat ibidem Cathedram collocare, nec communem extruere, neque Placita, nec ullam imperandi poteſtatem exercere, niſi ab Abbate ejuſdem loci fuerit rogatus.

Statuimus etiam, ut quæcumque bona, quæcumque poſſeſſiones ad idem Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Monaſterium legitimis fidelium donationibus pertinère videntur & quæcumque in futurum conceſſione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium juſtè atque canonicè poterit adipiſci, firma tibi tuiſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. Miſſas ſanè publicas, vel ſtationes in eodem Monaſterio ab Epiſcopo fieri, præter Abbatis ac Fratrum voluntatem omnimodè prohibemus, ne in Servorum Dei receſſibus, popularibus occaſio præbeatur ulla conventibus.

Altaria verò quæ idem Cœnobium canonicè nunc poſſidet, vel in futurum poſſidebit, quietè & ſine moleſtiâ quâlibet vobis veſtriſque ſucceſſoribus diſciplinæ regularis inſtituta ſervantibus abſque perſonali ſucceſſione poſſidenda ſancimus, de quibus nulla per Epiſcopos vel eorum Miniſtros exactio quibuſlibet occaſionibus exigatur, nec abſque canonico judicio inveniantur; ſalvâ nimirùm in omnibus Sedis Apoſtolicæ authoritate & Dioceſani Epiſcopi canonicâ juſtitiâ. Statuimus etiam, ut juxtà Decretum felicis memoriæ Urbani Papæ in Parochialibus Eccleſiis, quàs tenetis, Epiſcoporum aſſenſu Presbyteros collocetis, quibus Epiſcopi Parochiæ curam pro more committant; ut iidem de plebis quidem curâ Epiſcopo rationem reddant, vobis autem pro rebus ad Monaſterium pertinentibus debitam ſubjectionem exhibeant.

Facultàs conſtituendi Paſtores

Obeunte Te nunc ejuſdem loci Abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi quâlibet ſubreptionis aſtutiâ ſeu violentiâ præponatur, niſi quem Fratres communi conſenſu, vel Fratrum pars conſilii ſanioris ſecundùm Dei timorem & Beati Benedicti Regulam elegerint. Si quis autem in craſtinum Archiepiſcopus, aut Epiſcopus, Imperator, aut Rex, Princeps aut Dux, Comes, Vice-comes, Judex, aut Eccleſiaſtica quælibet ſeculariſve perſona hanc noſtræ Conſtitutionis Paginam ſciens contrà eam temerè venire tentaverit, ſecundò tertiòve commonita, ſi non ſatisfecerit congruâ emendatione, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à Sacratiſſimo Corpore Dei & Domini noſtri Redemptoris Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat.

Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ paçis inveniant. Amen. Scriptum per manum Joannis Scriniarii Regionarii ſacri Palatii.

Datum Laterani, per manum Johannis Sanctæ Romanæ Eccleſiç Diaconi Cardinalis III. Non. Aprilis, Indictione 11. Incarnationis Dominicæ anno milleſimo centeſimo quarto, Pontificatus autem Domini Paſchalis ſecundi Papæ quarto.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Calixtus II. Pontifex recenſet atque confirmat anno 1119. *poſſeſſiones Abbatiæ Burburgenſis, Monialium Nobilium Ord. S. Benedicti (hodie Diœceſis Audomarenſis) à Sorore ſua Clementia Burgundiæ Ducisſa recens fundatæ.*

Ex Cartulario Abbatiæ Burburg.

CAlixtus Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectæ filiæ Godildi Broburgenſis Monaſterii Stæ. Mariæ Abbatiſſæ & his quæ poſt eam in eodem regimine regulariter ſucceſſerint, in perpetuum.

Sicut injuſta poſcentibus nullus eſt tribuendus effectus, ſic legitima deſiderantium non eſt differenda petitio. Quam ob rem dilecta in Chriſto filia Godildis Abbatiſſa, Nos tam tuis, quam kariſſimæ ſororis noſtræ Clementiæ Flandrenſium Comitiſſæ ipſius loci Fundatricis petitionibus annuentes, Beatæ Mariæ Broburgenſe Monaſterium, cui Deo auctore præſides, ſub Apoſtolicæ Sedis tutela excipimus, & Beati Petri patrocinio communimus.

Statuimus enim, ut idem Cœnobium ab omni Epiſcopali exactione, & ab omnium ſæcularium gravamine liberum per Dei gratiam ſemper quietumque permaneat.

Porro univerſa quæ vel à prędicta Comitiſſa, & viro ejus Roberto & filio Balduino Comitibus, vel ab aliis quibuſque fidelibus, de ſuo jure, loco eidem collata, vel per tuam induſtriam acquiſita ſunt, aut in futurum largiente Deo offerri, vel aliis juſtis modis acquiri contigerit, firma in perpetuum & illibata ſerventur. In quibus hęc propriis duximus nominibus annotanda: videlicet

Berquariam unam ovium, quæ vocatur Bonhem, in Parochia Sancti Folquini, cum omni terra quæ ibi deinceps accreſcere poterit.

Berquariam unam in villa Lon. Berquariam unam in villa Slipi, ſuper aquam Satha. Novam terram ſuper flumen Yſaram, inter terram Stæ. Walburgis & Laminechineſcuot, & quidquid terræ ibi deinceps accreſcere poterit.

* Aliàs *Varſenaere* juxta Brugas.

Altare de *Ferſnara*. * Molendinum unum ſuper Lodic. In Dicaſimutha medietatem reddituum de omnibus molendinis, quæ ibi vel modo ſunt, vel poſtmodum erunt. Crumadicuet, Palcendic, cum ſuis redditibus. In Parochia quæ Sti. Petri-Bruc dicitur, quinque Ren. In Clarambaldi-Bruc terram, cum XII. vaccis. Terram Folquini filii Walgeri. Terram Roberti filii Hugonis Pariſienſis, cum vaccis viginti & una.

In Parochia Erembaldi-Capelle terram cum XII. vaccis. Terram novam, nunc de palude factam inter Watinenſem Eccleſiam & Broburg, cum Decimatione, & totam Decimam terræ quæ de eadem palude poſtea excreverit. Decimationes novæ terrę Caſtellani Teinardi. Terram Balduini Taxardi in Parochia Bulingaſela. Terram apud Stapla LXVI. jugera.

Quinque manſos terrę Ruhault in Parochia Ferlingehem. Terram de Petrihout, cum Decimatione. Terram Godini, cum Decimatione. Decimationes novæ terræ in Pevile, tam cultæ quam colendæ ibidem. XX. jugera terræ in Parochia Chilhem. Terram reddentem XL. hod. avenæ. Terram Dodonis, & uxoris ejus Giſlæ.

In Parochia Loberga LV. jugera terræ. In Winningaſele XXX. jugera terræ. In Greveninga unum laſt allecum. In Broburg unam penſam anguillarum. In Lon unam penſam butyri. Veterem terram ipſi Eccleſiæ Stæ. Mariæ adjacentem, cum Decimatione. Beneficia etiam, quæ à veſtræ profeſſionis Monialibus Eccleſiæ veſtrę donata ſunt. Scilicet in Rubruc quartam partem Decimationis. In Bulingaſela terram Berwaldi. In vicinia villæ Crumbecca XC. jugera terræ. In Popringahem XX. jugera. Item in Bulingaſela terram Alumi, Blitingari & Tidinari.

In Sigeri-Capella terram Alferi Regis; in Parochia Sancti Folquini XL. jugera terræ, ex dono Goffredi de Caſſel. Item in Parochia S. Folquini XVIII. jugera ex dono Emmæ. In Parochia Broburg tria jugera & manſuram Godinari Præpoſiti.

In Schalcleta unum manſum terræ. In Affinga jugera XX. In Broburg & Craiawic XX. jugera. In Terra orphanorum XXVIII. jugera. In Pitticham terram Roberti, reddentem quotannis decem Hod tritici, & XX. Hod avenæ. Apud Eggefridi-Capellam XIV. jugera & dimidium. Terram omnemque ſubſtantiam Hildegardis uxoris Balduini.

In Drincham XXVI. jugera, & terram de Proiaſtra.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat idem Cœnobium temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere vel temerariis vexationibus fatigare: ſed omnia integra conſerventur, earum, pro quarum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt, uſi-

bus

Digitized by Google

bus omnimodis profutura : ſalvâ Teruanenſis Epiſcopi canonicâ reverentiâ.

Obeunte autem hujus loci Abbatiſſâ, nulla ibi qualibet ſubreptione, aſtutiâ ſeu violentiâ præponatur, niſi quam Sorores communi conſenſu vel Sororum pars conſilii ſanioris ſecundum Dei timorem providerint regulariter eligendam.

Ad hæc adjicientes ſtatuimus, ut ſi quando Epiſcopalis parochia à divinis fuerit officiis interdicta, liceat vobis (interdictis vel excommunicatis nullatenus admiſſis) divina officia clauſis januis celebrare.

Porro Clerici ſeu laïci, qui ſedulis Eccleſiæ veſtræ ſervitiis infra clauſtri ambitum mancipantur, ſuper exceſſibus ſuis Abbatiſſæ tantùm reſpondeant.

Illud quoque ſubjungimus, ut quicumque Religionis cauſâ ſe vel ſua Eccleſiæ veſtræ conferre voluerit, à nullo violenter aut injuſtè prohibeatur.

Si qua ergo in futurum eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hanc noſtræ Conſtitutionis Paginam ſciens, contra eam temerè venire temptaverit, ſecundò tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congruâ emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetratâ iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jheſu-Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jheſu-Chriſti; quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

✠ Ego Calixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Datum Remis per manum Griſogoni Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii, XI. kal. Novembris, Indictione XIII. Dominicæ Incarnationis anno M. C XVIIII. Pontificatûs autem Domini Calixti ſecundi Papæ anno... 1119.

CAPUT IX.

Innocentius II. Pont. recenſet atque approbat fundationem Abbatiæ Heyliſſemienſis, Religioſorum Præmonſtratenſium in Brabantia juxta Thenas, anno 1135.

Ex Archivis Abbatiæ.

INnocentius Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilecto filio (1) Rainero, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Religioſis deſideriis facilis eſt præbendus aſſenſus, ut fidelis devotio celerem ſortiatur effectum. Quia igitur, dilecte in Domino fili Rainere, ob peccatorum tuorum veniam promerendam, Eccleſiam ad honorem ſanctæ Dei Genitricis Mariæ, ut juxta Beati Auguſtini Regulam, & formam Religionis Floreffienſium Fratrum omnipotenti Deo inibi ſerviatur, in proprio allodio, quod *Heylichshain ſuperius* dicitur, conſtruxiſti; propoſitum
Heyliſſem. tuum ac deſiderium in Domino collaudamus, & ad id propenſiùs exequendum omnimodis exhortamur. Nos tuis juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & ut Ordo canonicus in præfata Eccleſia perpetuis temporibus conſervetur, præſenti decreto ſancimus. Statuimus etiam, ut poſſeſſiones & bona, quæ eidem Eccleſiæ à te, ſeu ab aliis religioſis viris collata ſunt, vel in futurum præſtante Domino offerri contigerit, firma fratribus, qui inibi Domino famulantur, & illibata permaneant.

Nulli ergo omninò hominum fas ſit prædictum Ordinem in prænominata Eccleſia infringere, vel mutare, aut auſu temerario perturbare, vel bona ejus auferre, minuere, aut quibuſlibet moleſtiis fatigare; ſalva nimirum Diœceſani Epiſcopi reverentia.

Si quis autem huic noſtræ Conſtitutioni audacter, vel temerariè contraire tentaverit, niſi congruè ſatisfecerit, indignationem Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſe noverit incurſurum.

Data Piſis v. Nonas Maii, Incarnationis Dominicæ anno MCXXXV. Pontificatûs Domini Innocentii Papæ II. anno VI.

(1) REINERUS DE ZETRUD, Vir nobilis, hujus Abbatiæ fundator anno 1130 primos Religioſos è Floreffienſi Abbatia Comitatûs Namurcenſis accerſivit. Ejus Donationes, ab Alexandro Leodienſi Epiſcopo confirmatæ, infrà producentur Parte III.

Digitized by Google

CAPUT X.

Innocentius II. Pont. confirmat Abbatiæ S. Petri in Monte Blandinio, Ord. S. Benedicti juxta Gandavum, Privilegia ſua libertateſque anno 1136.

Ex Archivis Abbatiæ S. Petri.

INnocentius Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilecto filio Gilleberto Monaſterii Blandinienſis Abbati ejuſque Succeſſoribus in perpetuum. Apoſtolicę authoritati expedit religioſas perſonas diligere & earum loca piâ protectione munire, quodque grave eis eſt levigare & relaxare; ut ex indulta conſolationis gratiâ in obſequio Dei promptiores exiſtant.

Eapropter præfatum Blandinienſe Cœnobium ſub ſolius Beati Petri & noſtrâ ditione atque protectione ſpecialiter ſuſcipimus, & perpetuò manêre decrevimus. Apoſtolicâ authoritate conſtituentes, ut nullus deinceps Epiſcopus præſumat de ejuſdem Cœnobii redditibus, rebus, curtis, vel villis quolibet modo quidquam minuere, nec immiſſiones aliquas facere, nec audeat ibidem cathedram collocare, neque Ordines facere, nec communem extruere, neque Placita tenêre, nec ullam imperandi poteſtatem exercere, niſi ab Abbate & Fratribus ejuſdem loci fuerit rogatus. Miſſas ſanè publicas vel ſtationes in eodem Monaſterio ab Epiſcopo fieri, & Epiſcopum ibidem frequenter venire, niſi ab Abbate & Fratribus fuerit vocatus, omninò prohibemus.

Altaria verò quæ idem Cœnobium canonicè nunc poſſidet, ab omni Perſonatu libera ſancimus, de quibus nulla per Epiſcopos vel eorum Miniſtros exactio quibuſlibet occaſionibus exigatur, nec abſque canonico judicio inveniantur; ſalvâ in omnibus Dioceſani Epiſcopi canonicâ juſtitiâ.

Inſuper inconvulſè confirmamus, ut Preſbyteri ad eadem Altaria miniſtraturi, priùs ab Abbate & ab Eccleſiâ ſuâ electi, deinceps Epiſcopo vel Archidiacono, ſeu Decano præſententur, à quibus curam animarum ſuſcipiant. Abbati autem pro rebus ad Monaſterium pertinentibus debitam ſubjectionem exhibeant. Statuimus etiam, ut exceptis illis, qui ad proprios titulos ordinati ſunt, de Eccleſiis veſtris Presbyteros, ſi minùs idonei fuerint, removeatis, & aſſenſu Dioceſani Epiſcopi idoneos ſubſtituatis: & ne quis Parochianum veſtrum infirmum Oleo inungat, vel extrà Parochiam ducat, aut mortuum ſine veſtro conſenſu ſepeliat.

Liceat quoque vobis de notoriis criminibus excommunicare, & excommunicati ab Epiſcopo & ejus Miniſtris pro excommunicatis habeantur, & niſi per vos nullo modo abſolvantur. Curias autem veſtras in Galliâ ſitas ab omni decimâ, exceptâ frugum, liberas conſtituimus, & terram, quæ propriæ terræ veſtræ alluvione maris concreſcit, vobis & Eccleſiæ veſtræ confirmamus. Monachum quoque de Cœnobiô veſtro ad Eccleſiaſticum Ordinem promovendum, ſeu pro aliâ quâlibet cauſâ abſque conſenſu Abbatis tollendi nemo umquam habeat licentiam.

Hæc itaque Conſtitutionis Decreta authoritate Dei & noſtrâ perpetuâ ſtabilitate & ſine aliquâ conſtituimus refragatione ſervari, nec à quoquam quâlibet occaſione immutari. Servanti ſit pax & benedictio, non ſervanti, niſi reſipuerit, perpetua maledictio.

Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Ego Wilhelmus Prænestinus Epiſcopus.

Ego Mathæus Albanenſis Epiſcopus.

Ego Guidus indignus Sacerdos.

Ego Gerardus Presbyter Cardinalis ſanctæ Crucis in Jeruſalem.

Ego Lucas Presbyter Cardinalis Sanctorum Joannis & Pauli.

Data Piſis, per manum Aimerici Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii, quarto Nonas Junii, Indictione decimâ-tertiâ, Incarnationis Dominicæ anno milleſimo centeſimo trigeſimo ſexto, Pontificatûs Domini Innocentii Papæ ſecundi anno ſecundo.

Digitized by Google

CAPUT XI.

Innocentius II. Pontifex libertates & poſſeſſiones Abbatiæ Floreffienſis Ordinis Præmonſtratenſis in Namurcenſi Comitatu recenſet atque confirmat anno 1138.

Ex Archivis hujus Abbatiæ.

INnocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto Filio Gerlando Floreffienſi Abbati, ejuſque ſucceſſoribus canonicè inſtituendis in perpetuum. Juſtis votis aſſenſum præbere, & Religioſorum preces benignis auribus exaudire, Apoſtolicæ convenit dignitati.

Hoc profectò intuitu, dilecte in Domino fili Gerlande Abbas, tuæ devotionis precibus debitâ benignitate impertimur aſſenſum, & Floreffienſem Eccleſiam, cui, Deo authore, præeſſe dignoſceris, cùm omnibus ad eam pertinentibus, præſentis Privilegii Paginâ communivimus.

In quibus hæc propriis nominibus duximus exprimenda: Curtem de *Meillinga*, Curtem de *Herlemont*, cùm ſexaginta bonnuariis, & decimâ ejus; Allodium in Capellâ; item in eâdem Capellâ terram Folorini, & terram Arnulphi, quam tenetis ab Eccleſiâ Lobienſi ſub cenſu duorum denariorum; Curtem de Serevillâ, & dimidiam partem decimæ ejus, & terram quam tenetis in Valle-columbinâ à Waltero de Villers, ſub cenſu ſeptem ſolidorum, & quatuor denariorum: Molendinum quoque ſuper Sambram fluvium, in Allodio quod dicitur *Avuleis*, cujus dimidiam partem tenetis à Gerardo Clerico, & Godeſcalco fratre ejus Morelmeis, ſub cenſu duorum ſolidorum, reliquas verò duas partes ab Eccleſiâ Beati Foillani Foſſenſis, & à quodam Hugone nobili viro, ſub cenſu duorum ſolidorum.

Herlaymont Prioratus.

Item duo molendina Vangir, unum ſub cenſu duorum ſolidorum, & alterum ſine cenſu; & terram quem tenetis ab Hugone Multone citrà Sambram in Parochiâ veſtrâ, Curtem etiam de Vervis; dimidiam partem allodii de Timeon; Domum inſuper Hoſpitalem in villâ Wanze, cùm ſuis omnibus appenditiis, ſub redditu unius aurei, à Comitiſſâ Ermiſſende Beato Petro oblatam.

Wanze Præpoſitura.

Item decimam & dotem ubicumque adjacentem Floreffienſi Eccleſiæ, cùm Manſionariis & cæteris rebus eidem poſſeſſioni ſubditis. Domum quoque Parochiæ, & cenſum Capitis familiæ, qui ſuper Altare ponitur. Appendices Eccleſias, videlicet Sancti Laurentii de Sarto, Sancti Martini de Jodion, Sanctæ Gertrudis de Floreffiolo, aliamque Eccleſiam B. Martini; Capellam ſimiliter Comitis, cùm ſuis omnibus pertinentiis, quæ nimirum cùm præfatâ Eccleſiâ B. Mariæ à Godefrido Namurcenſi Comite data ſunt.

Dimidiam præterea Ardenellam, & triginta bonnuaria apud Sartum Bernardi, & tertiam partem Poſtulæ. Simili quoque modo ſancivimus, ut de laboribus, quos propriis manibus ſumptibuſve colligitis, ſeu de veſtris nutrimentis, dare decimas cuiquam non cogamini. Ordinem quoque, & propoſitum veſtrum canonicè vivendi ſecundùm B. Auguſtini Regulam, & inſtitutionem Præmonſtratenſis Eccleſiæ, nullus audeat immutare, vel ſuper vos Ordinem alterius profeſſionis inducere. Fratrum etiam veſtrorum, qui ſtabilitatem & obedientiam promiſerunt, abſque proprii Abbatis, & Capituli ſui licentiâ nullus diſcedere, diſcedentemque nullus audeat retinere. Ut etiam Eccleſia veſtra pro communi Interdicto Parochiæ non vacet; ſolummodò ne illi recipiantur, quos interdictos vel excommunicatos eſſe conſtiterit.

Poſtula, nunc Abbatia ejuſdem Ord.

Porrò libertatem Eccleſiæ veſtræ ab Alexandro Leodienſi Epiſcopo Privilegio determinatam, atque firmatam aſſenſu Eccleſiæ ſuæ, vobis authoritate Apoſtolicâ confirmamus; ut videlicet ſicut Parochia, ita Presbyter Parochianus in manu ſolius Abbatis ſit, à Synodo & Concilio liber & ab omni prorſus Archidiaconi & Decani cenſurâ, nec Decanus niſi cùm Archidiacono illuc veniat.

Chriſma quoque, oleum, conſecrationes Altarium, Eccleſiarum, ac Ordinationes Clericorum à Diœceſano Epiſcopo accipietis, ſi gratiam Apoſtolicæ Sedis habuerit, & ea vobis gratis, & ſine exactione aliquâ exhibere voluerit. Alioquin eadem à quolibet Catholico accipiatis Epiſcopo, qui noſtrâ fultus Authoritate, quod poſtulatur, indulgeat.

Decernimus ergo, ut nulli omninò hominum fas ſit, vos, vel prædictam Floreffienſem Eccleſiam ſuper hac noſtrâ Conſtitutione temerè perturbare, aut ejus bona vel poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel quibuſlibet moleſtiis fatigare; ſed omnia integra conſerventur, eorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura.

Si quis autem auſu temerario huic noſtro Decreto contraire præſumpſerit, ſecundò, tertiove commonitus, niſi reatum

Digitized by Google

ſuum congruâ ſatisfactione correxerit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus incurrat & excommunicationi ſubjaceat; conſervantes verò, Dei & Domini Redemptoris noſtri, & eorundem Apoſtolorum gratiam conſequantur. Amen.

Ego Innocentius Catholicę Eccleſiæ Epiſcopus.

Data Laterani per manum Henrici, S.R.E. Diaconi Cardinalis & Cancellarii XII. Kal. Januarii, Indictione I. Incarnationis Dominicæ anno M.C.XXXVIII. Pontificatûs verò Domini Innocentii Papæ II. anno IX.

CAPUT XII.

Innocentius II. Papa Fundationem ac Privilegia Abbatiæ Viconienſis, Religioſorum Ordinis Præmonſtratenſis juxta Valencenas, confirmat anno 1138.

Ex Archivis Viconienſibus.

INnocentius, Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilecto filio Guarino Abbati de Caſa Dei, in ſylva quę dicitur Viconia, ejuſque ſucceſſoribus canonicè promovendis in perpetuum. Quoties illud à nobis petitur, quod rationi & honeſtati convenire cognoſcitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium deſideriis congruum impertiri ſuffragium.

Proinde dilecte mi in Domino fili Guarine Abbas, tuis juſtis petitionibus clementer annuimus, & Eccleſiam Caſæ Dei, cui Domino authore præſides, cum omnibus ad ipſam pertinentibus, præſentis Scripti Pagina communimus; ſtatuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcunque bona idem venerabilis locus in præſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum, conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, Domino propitio poterit adipiſci, firma tibi, tuiſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant.

In quibus hæc propriis viſa ſunt exprimenda vocabulis, Tilioit, Maiſnil, Belmunt, Hatinies. Porrò Ordinem & propoſitum veſtrum canonicè vivendi ſecundùm B. Auguſtini Regulam & Inſtitutionem Præmonſtratæ Eccleſiæ, nullus audeat immutare, vel ſuper vos Ordinem alterius profeſſionis inducere. Fratrum etiam veſtrorum qui ſtabilitatem & obedientiam promiſerunt, abſque proprii Abbatis & Capituli ſui licentia nullus diſcedere, diſcedentem nullus præſumat retinere.

Tilloit. Maiſnil. Beaumont. Attignies.

Quod ſi canonicè vocatus redire contempſerit, Abbas in eum perferendi ſententiam habeat poteſtatem. Eccleſia quoque veſtra pro communi interdicto Parochiæ non vacet, ſed excluſis excommunicatis, divina celebret officia. Simili modo ſancimus, ne de laboribus, quos propriis manibus ſumptibuſve colligitis, ſeu de veſtris nutrimentis dare decimas cuiquam cogamini.

Quia verò quieti veſtræ magis ac magis convenit nos providere, & circa divina officia vos cupimus eſſe aſſiduos, ſimili modo ſtatuimus, ut neque Tu, dilecte in Domino fili Guarine, Abbas, nec aliquis ſucceſſorum tuorum, niſi fortè vocatus ad Synodum, vel alia negotia præſumatis abire.

Nulli ergo hominum fas ſit, præfatam Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus bona, vel poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet moleſtiis fatigare, ſed omnia integra conſerventur, eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Si quis autem auſu temerario huic noſtro Decreto contraire præſumpſerit, ſecundò tertiovè commonitus, niſi reatum ſuum congruâ ſuâ emendatione correxerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus incurrat, & excommunicationi ſubjaceat. Conſervantes verò Dei, ac Domini Redemptoris noſtri, & eorundem Apoſtolorum gratiam conſequantur. Amen. Amen. Amen.

Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Datum Laterani per manum Lucæ Preſbyteri Cardinalis, agentis vicem Domini Aymerici Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii, XII. Kal. Januarii, Indictione I. Incarnationis Dominicæ anno 1138. Pontificatûs verò Domini Innocentii Papæ II. anno nono.

Anno 1147. manavit ab Eugenio III. alia Bulla, ejuſdem tenoris. Solummodò adjecit bona quæ nondum Viconia tenebat, eo ipſo tempore quo ſuam tradidit Innocentius II. Illa autem bona ſic ſunt enumerata. Curtis nempè de Bellomonte, Curtis de Suſimonte, Curtis de Tileto, Curtis de Maiſnili, Curtis de Harnicies, Curtis de Inci, terra de Curagiis.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

INNOCENTIUS II. *Pontifex Eccleſiæ Sti. Audomari in Artheſia, poſtmodum Cathedralis, Privilegia confirmat, anno* 1139.

Ex Motivo Juris Capit. Audomar. pag. 28. & 50.

INnocentius, Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilectis filiis in Chriſto, Præpoſito & Canonicis ſancti Audomari... Nos convenit Eccleſiis, in quibus Domino militare noſcuntur, juſtitiam conſervare... Eccleſiam beati Audomari, in qua divino vacatis ſervitio, Apoſtolicæ Sedis Privilegio communimus... Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quęcumque bona.... idem venerabilis locus in præſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum... Deo propitio poterit adipiſci, perpetuo jure firma vobis & illibata permaneant.

In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis; ad ſervitium videlicet atque ſuſceptionem pauperum Chriſti in Hoſpitali Domo præfatæ Eccleſiæ ſancti Audomari.... Terram de Rubruc, Terram de Staples....

Bonas quoque ac rationabiles conſuetudines quę uſque ad hęc tempora in veſtra Eccleſia viguerunt, vobis præſentis ſcripti Pagina confirmamus, & novas atque indebitas vobis invitis imponi ab aliquo prohibemus. Miniſtros ſane vel Officiales ejuſdem Eccleſiæ Decanus, ſicut moris eſt, communicato conſilio fratrum ſtatuet, qui nimirum juxta diutinam Eccleſiæ veſtræ conſuetudinem, ſi quando exceſſerint, ab his quorum intereſt more ſolito corrigantur.

Obeunte verò te nunc ejuſdem loci Præpoſito, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtucia ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi aſſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanioris, ſecundum Dei timorem & Eccleſiaſticam honeſtatem providerint eligendum.. omnia integra conſerventur eorum pro quorum gubernatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura....

CAPUT XIV.

INNOCENTIUS II. *Pontifex confirmat anno* 1139. *Privilegia Exemptioneſque Abbatiæ Egmondanæ, Monachorum Benedictinorum, & ſimul Abbatiæ Reinsburgenſis, nobilium Monialium ejuſdem Ordinis, in Hollandia.*

Ex Annalibus Egmondanis.

INnocentius, Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilecto filio Waltero Hæcmundenſis Monaſterii Abbati ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum.

Nobilis vir Theodoricus Comes de Hollandt Hieroſolymam proficiſcens noſtram præſentiam adiit. Inter cætera vero, quæ ſecum de morum correctione & ſuæ vitæ inſtitutione contulimus, idem illuſtris Vir tam vice ſua quam etiam Petronillæ Comitiſſæ matris ſuæ Egmondenſe monaſterium atque etiam Reynsburgenſe beato Petrò Apoſtolorum Principi devotionis intuitu proprietario jure obtulit, atque contradidit.

Et nos igitur, quorum præcipue intereſt jura ejuſdem cœlorum Clavigeri ſpecialiter defenſare, eadem venerabilia loca in proprietatem atque protectionem S. Romanæ Eccleſiæ ſuſcepimus, eaque cum omnibus ſuis pertinentiis præſentis ſcripti Patrocinio communimus.

Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona, tam in Eccleſiis, quam in Decimis, terris vineis atque ſilvis, paſcuis, aut aliis quibuscumque eadem Monaſteria in præſentiarum juſtè & canonicè poſſident, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, aut aliis juſtis modis Deo propitio poterunt adipiſci, firma vobis & in perpetuum illibata permaneant.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfata Monaſteria temerè perturbare, eorum poſſeſſiones auferre vel ablatas retinere, ſeu quibuſlibet moleſtiis fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura.

Ad indicium autem, quod eadem Mona-

ſteria B. Petri juris exiſtant, ſingulis annis tam tu quam ſucceſſores tui quatuor ſolidos Friſingenſis monetæ nobis noſtriſque ſucceſſoribus cenſus nomine perſolvetis.

Siqua ſane Eccleſiaſtica ſeculariſve perſona hujus noſtræ Conſtitutionis Paginam ſciens, contra eam temere venire præſumpſerit, ſecundo tertiove commonita, ſi non reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, à ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat.

Cunctis autem iiſdem locis jura ſua ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen. Bene valete.

✠ Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Conradus Sabinenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Gerardus Presbyter Cardinalis tituli S. Crucis in Hieruſalem ſubſcripſi.

Ego Otto Diaconus Cardinalis S. Georgii ſubſcripſi.

Ego Michael Presbyter Cardinalis tituli S. Laurentii in Lucina ſubſcripſi.

Ego Albertus Albanenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Lucas Presbyter Cardinalis tituli SS. Johannis & Pauli ſubſcripſi.

Ego Albertus Hoſtienſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Georgius Diaconus S. Angeli ſubſcripſi.

Data Lateranis per manum Americi Theodorici S. Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii pridie Calendas Martii, Indictione tertia, Incarnationis Dominicæ anno milleſimo centeſimo trigeſimo nono, Pontificatus vero Domini Innocentii Papæ ſecundi anno duodecimo.

CAPUT XV.

INNOCENTIUS II. *Pontifex, Fratribus Præmonſtratenſibus Montis Cornelii juxta Leodium (dein Belli-reditus nuncupati) confirmat omnia bona eis conceſſa; anno* 1143.

Ex Annalibus Præmonſt. P. Hugo ubi & plura alia Diplomata hujus Abbatiæ, Tom. III.

INnocentius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Lucæ Abbati Eccleſiæ Sanctorum Apoſtolorum in Monte-Cornelio juxta Leodium ſitæ, ejuſque Fratribus tam præſentibus, quàm futuris regularem vitam profeſſis, in perpetuum.

Ad hoc nobis Eccleſiæ Catholicæ cura à ſummo Paſtore Deo, commiſſa eſt, ut Dei ſervos paternis affectibus diligamus, & eò ampliùs ſtudeamus ipſorum devotionem modis omnibus confovere, quò ferventiùs ipſis diſciplinis Eccleſiaſticis, & Sanctorum Patrum regulis inhærere noſcuntur; tunc enim Deo gratus Apoſtolicus impenditur famulatus, ſi ſanctorum locorum ſalubris inſtitutio, rigor & ordo noſtris patrociniis in religionis puritate fuerint conſervata.

Ea propter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatam Eccleſiam, in qua divino mancipati eſtis obſequio, ſub Beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus & præſentis Scripti Privilegio communimus; ſtatuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona in præſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium ſeu aliis juſtis modis, Deo propitio, poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant.

In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis; in Vilers qui dicitur Epiſcopi, terram Udelini, Giſleberti, & Hillini, cum domibus, cortiliis, & pratis. In urbe Leodii XXV. ſolidos, quos de ſuo thelonio ſingulis annis Obertus Epiſcopus in dedicatione Eccleſiæ vobis donavit.

Domum quam dedit Lambertus de Moſa, & duas menſas forenſes, & hortum monti Eccleſiæ veſtræ adjacentem, & quatuor ſolidos Rodulphi de Vico S. Johannis; quos pro anima ſua Eccleſiæ veſtræ donavit; terram quam dedit ſupradictus Lambertus de Moſa in villa quæ dicitur Latins cum domibus & cortiliis.

Terram quam dedit vobis Fredericus villicus de Jupilia & uxor ejus Mabilia, in eadem villa Latins.

Terram etiam quam dedit vobis Giſlebertus & uxor ejus Richeldis in villa quæ dicitur Hollonia ſuper Jecoram, & in altera villa quæ dicitur Haſtaples, cum domibus, cortiliis, pratis, cenſu denariorum. Præterea quidquid habetis in villa quæ appellatur Richen, ſcilicet in Eccleſia, in cenſu denariorum, in terra arabili, in ſylvis,

pratis, terris cultis & incultis. Quidquid etiam habetis in villa quæ dicitur Mercherul, & in ſarto quod appellatur Colieres, in loco qui dicitur Heys ſive Curtis Aufridi, & in villa quæ dicitur Gonherys, ſcilicet in Eccleſia Beati Petri & ſancti Georgii, in decima, in cenſu denariorum, in terra arabili, & in ſylvis, pratis, paſcuis, terris cultis & incultis, & in villa quæ appellatur Radenchen, ſcilicet domum hoſpitalem cum ſuis pertinentiis.

Sanè laborum veſtrorum quos propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſive de nutrimentis veſtrorum animalium, nullus omnino Clericus, vel Laicus decimas à vobis exigere præſumat. Ordinem quoque & propoſitum veſtrum canonicè vivendi ſecundùm Beati Auguſtini Regulam & inſtitutionem Præmonſtratenſis Eccleſiæ, nullus audeat immutare, vel ſuper vos Ordinem alterius profeſſionis inducere. Nulli etiam Fratrum veſtrorum poſt factam ibidem profeſſionem, abſque Abbatis & Capituli ſui licentia, liceat ex eodem clauſtro diſcedere; diſcedentem verò nullus audeat retinere. Oleum autem infirmorum, conſecrationes altarium, vel Eccleſiarum, ac ordinationes Clericorum, à Diœceſano Epiſcopo accipiatis, ſi gratiam Sedis Apoſtolicæ habuerit, & ea vobis gratis & ſine exactione aliqua exhibere voluerit, alioquin eadem à quolibet Catholico accipiatis Epiſcopo, qui noſtrâ fultus authoritate, quod poſtulatur indulgeat.

Porrò libertatem Eccleſiæ veſtræ ab Epiſcopis Oberto & Alberone Privilegio determinatam atque firmatam, aſſenſu Leodienſis Eccleſiæ, vobis authoritate Apoſtolicâ confirmamus.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Eccleſiam temerè perturbare aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare: ſed omnia integrâ conſerventur, eorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodè profutura; ſalvâ Diœceſani Epiſcopi canonicâ juſtitiâ.

Si quæ igitur in futurum Eccleſiaſtica ſecularisve perſona, hanc noſtræ Conſtitutionis Paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò tertiovè commonita, ſi non ſatisfactione congruâ emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco jura ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

✠ Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Datum Laterani per manum Gerardi S. Romanæ Eccleſiæ Presb. Card. ac Bibliothecarii, IV. Non. Maii, Indictione VI. Incarnationis Dominicæ anno M. C. XLIII. Pontificatûs D. D. Innocentii Papæ ſecundi anno XIV.

CAPUT XVI.

COELESTINUS II. *Pontifex confirmat Altaria poſſeſſioneſque Capituli Sti. Petri Inſulis Flandrorum, anno* 1143.

CÆleſtinus, Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Deſiderio Inſulanæ Eccleſiæ Præpoſito, & Canonicis tam præſentibus quam futuris canonicè ſubſtituendis in perpetuum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Commiſſæ nobis Apoſtolicæ Sedis auctoritas...

Dilecti in Domino filii, venerabilium fratrum noſtrorum Simonis Noviomenſis, & Milonis Morinenſis Epiſcoporum, Nobilis quoque viri Theodorici Flandrenſium Comitis precibus inclinati, poſtulationes veſtras rationabiles clementer admittimus, & Inſulanam Eccleſiam, in honore Beati Petri fundatam, ſub ejuſdem Apoſtolorum Principis & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis Scripti Privilegio communimus.

Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones quæcumque bona Eccleſia impræſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis Deo propitio poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

In eadem Inſula Altare S. Stephani, cum duabus partibus decimæ. Altare S. Mauricii, & Altare S. Salvatoris.

Altare de Leſchin, cum duabus partibus decimę. Altare de Wervhic, cum duabus

Digitized by Google

partibus decimæ. Altare de Aſnapia cum duabus partibus decimæ. Altare de Werleghehem, cum duabus partibus decimæ. Hodie Marquette. Altare Fleis. Altare de Marca, quæ dicitur S. Amandi.

Altare de Wenesbrechies. Altare de Perenchies. Altare de Longo-prato. Altare de Queſnois. Altare de Lambersart. Altare de Ulmo. Altare de Segedin. Altare de Primeca.

Altare de Campingehem. Altare de Runch. Altare de Haluwin & de Busbeca. Altare de Lauba. Altare de Huila. Altare de Maclines. Altare de Ghides. Hodie Ghidts, Diœc. Brug

Duas partes decimæ de Dehulieſmons, & duas partes decimæ de Waſemes, & duas partes decimæ de Rollers. Et decimam partem omnium reddituum Comitis Flandrenſis ad Inſulam pertinentium.

In Morinenſi Epiſcopatu Altare de Flambertenghes. Altare de Drawanultra. Vlamertinghe Dranoultre.

In Atrebatenſi Epiſcopatu Altare de Moncellis.

Prohibemus quoque, ut parrochiani veſtri de Inſula, quamdiu intra parrochiam ſuam Eccleſiaſticam juſtitiam facere voluerint, ſicut â longis retrò temporibus fuiſſe dignoſcitur, extra eandem parrochiam exire non cogantur. Canonici vero ejuſdem Eccleſiæ, ſicut juſtum & antiquitus conſtitutum eſt, infra clauſtrum ſuum commorentur.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet moleſtiis fatigare; ſed omnia integra conſerventur, eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omni modo profutura; ſalvâ Diœceſani Epiſcopi canonicâ juſtitiâ, & Apoſtolicæ Sedis auctoritate....

✠ Ego Cæleſtinus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Subſcripſerunt etiam Cardinales numero tredecim.

Datum Laterani per manum Gerardi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Cardinalis ac Bibliothecarii V. Nonas Martii, Indictione VII. Incarnationis Dominicæ anno M. C. XLIII. Pontificatûs verò Dom. Cæleſtini ſecundi Papæ anno primo.

CAPUT XVII.

EUGENIUS III. *Pontifex confirmat fundationem & bona Abbatiæ Grimbergenſis, Ordinis Præmonſtratenſis, haud procul Bruxella, anno* 1147.

Ex Archivis Abb. Grimbergenſ.

EUgenius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Humberto Abbati Grimbergenſi ejuſque Fratribus tam præſentibus quàm futuris, regularem vitam profeſſis, in perpetuum. Religioſis deſideriis dignum eſt facilem præbere conſenſum; ut fidelis devotio celerem ſortiatur effectum.

Quocirca, dilecti in Domino Filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum locum, in quo divino mancipati eſtis obſequio, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis Scripti Privilegio communimus; ſtatuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona in præſentiarum juſtè & canonicè poſſidetis, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum aut Principum, ſeu oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, Deo propitio poteritis adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hęc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Wemmel. Berchem. Releghem. Ramſdonck. Strombeecke. Altare videlicet de Wamblinis cum appenditiis ſuis, Berchem, Radelegem, & Rameſdunck, Altare de Strumbeca.

Walterus qui dicebatur magnus, quindecim manſos Grimbergenſi Eccleſiæ dedit. Gerardus filius ſuus, unum: Alvericus & filius ſuus Reimerus duos & curiam de Everchem. Adeloia venerabilis vidua allodium in Kerberghe, cum decima & quatuor ſolidos in Vicele, & terram quæ Bochult cognominata eſt, & dimidium molendinum in Grimberghen, præfatæ Eccleſiæ tradidit.

Gualterus Bertholdus, cum hæredibus ſuis Gerardo & Waltero de Eme terram in Steilo & piſcaturam dederunt. Volfundis particulam terræ Botolengem, præfatæ Eccleſiæ, manſum verò unum in Amelrengem Strumbekenſi Eccleſiæ dedit.

Lambertus de Oſſele, vir liberalis, ſeipſum & allodium ſuum & mancipia ſua devotus obtulit. Oſto de Leewe, & cohæredes ſui, octavam partem quam poſſederant in Marca.

Hugo de Adanghem nonam partem decimæ ſuæ in Herne. Walterus de Galmarden duos manſos in veteri Aingem, commemoratæ Eccleſiæ obtulerunt. Willelmus & fratres ſui cum ſorore ſua Beſcela, manſum unum in Aldelegem. Berta verò & filius ejus Hilis terram ſuam in Berchem, & partem molendini dederunt.

Gozuinus vir nobilis de Velſeka dimidium manſum in Baiengem huic Eccleſiæ dedit.

dedit. Godefridus Dux junior duos manſos & dimidium in Offelle cum ſylva liberè conceſſit.

Pater autem ejus locum molendini ſuper Strumbeccam præfatæ Eccleſiæ obtulit. Sanè laborum veſtrorum quos propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſeu de nutrimentis veſtrorum animalium nullus à vobis decimas exigere præſumat.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum locum temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, aut ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, ſed omnia integrè conſerventur, eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura; ſalvâ Sedis Apoſtolicæ Authoritate, & Diœceſanorum Epiſcoporum canonicâ reverentiâ.

Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hanc noſtræ Conſtitutionis Paginam ſciens contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò, tertiòve commonita, ſi non ſatisfactione congruâ emendaverit; poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat.

Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant; & in futuro præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Pariſiis *, VII. Nonas Maii, Incarnationis Dominicæ M.C.XLVII. Pontificatûs vero noſtri anno III.

* Erat tunc Eugenius III. in Gallia, ob rebellionem Romanorum.

CAPUT XVIII.

EUGENIUS III. *Papa confirmat Altaria, poſſeſſiones ac Privilegia Abbatiæ Eenhamenſis, Ordinis S. Benedicti, Diœceſis Mechlinienſis, anno* 1148.

Ex Archivis Abbatiæ Eenham.

EUgenius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Snellardo venerabili Abbati Eihamenſi ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Quocies illud à nobis petitur, quod Religioni & honeſtati convenire dignoſcitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium deſideriis congruum impertiri ſuffragium.

Eapropter, dilecte mi in Domino fili Snellarde Abbas, juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & prædeceſſorum noſtrorum Alexandri & Paſchalis bonæ memoriæ Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes, S. Salvatoris Monaſterium cui Deo auctore præſides, & tam adjacentem ei Villam quam cetera omnia ad ipſum pertinentia ſub B. Petri & noſtrâ protectione ſuſcipimus & præſentis Scripti Privilegio communimus. Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem Monaſterium in præſentiarum juſtè & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis Deo propitio poterit adipiſci, firma tibi ſucceſſoribuſque tuis & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

In Epiſcopatu videlicet Cameracenſi (1) Eccleſiam S. Laurentii & S. Vedaſti, paſturam montis eiſdem Eccleſiis adjacentis. In novo-burgo apud Aldenardam (2) Cellam S Mariæ cum Parochiâ ſuâ liberâ, cum Eccleſiis ad eam pertinentibus, id eſt (3) *Edelar*, *Lupeghem*, *Folkenghem* cum Eccleſia S. Mariæ de ſuperiori *Horenbeka*, Eccleſiam (4) de *Cervia* cum ſervis & ancillis ad eam pertinentibus, totam Villam (5) *Helbekam* cum Eccleſiâ & omnibus pertinentiis ſuis, Eccleſiam (6) de ſuperiori *Bracla*, Eccleſiam (7) de *Wenlines*, Eccleſiam de (8) *Cimberſaca*, Eccleſiam de (9) *Melcines*, Eccleſiam de (10) *Mortſela* cum appendiciis ſuis, Eccleſiam (11) de *Boucla S. Bavonis*, Eccleſiam de (12) *Tongra B. Mariæ*, jus quod habet in *S. Martini de Tongra*, Eccleſiam de (13) *Baſſilgi* & medietatem ejuſdem villæ.

In Epiſcopatu Tornacenſi Eccleſiam (14) de *Harrizam*, Eccleſiam (15) de *Merch*.

In Epiſcopatu Atrebatenſi duas partes decimæ meſſium de *Aſſilogiis*, *Wipra & Willerval*, in Flandriâ quatuor (16) *Bercarias* in loco qui paradiſus dicitur, duas partes allodii de *Boſſuut* ſupra Scaldam fluvium, Curiam de *Buri* cum allodio, Curiam de *Geron* cum terrâ Gerardi Camerarii, Curiam de *Aſtruis*, allodium de Rugis.

Quidquid vero libertatis & immunitatis ab Epiſcopis ſive Principibus eidem Monaſterio rationabiliter collatum eſt, vobis nihilominus confirmamus. Obeunte vero te,

nunc ejuſdem loci Abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem Fratres communi conſenſu vel Fratrum pars conſilii ſanioris ſecundum Dei timorem & Beati Benedicti Regulam de ſuo vel alieno, ſi neceſſe fuerit, collegio elegerint.

Illud quoque adjungimus, ut veſtri Monaſterii Advocato facultas non ſit pro ſe perſonam aliquam in Advocatiâ ſupponere, per quam bona præfati Cœnobii diſſipentur. Sepulturam quoque ejuſdem loci liberam eſſe decernimus, ut eorum, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint devotioni, niſi excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat; ſalvâ etiam juſtitiâ matricis Eccleſiæ. Si vero Cameracenſis Sedes vel vacat, vel Catholicum, quod abſit, non habet Epiſcopum, liceat vobis à quovis Catholico Epiſcopo Conſecrationum Sacramenta ſuſcipere.

Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hanc noſtræ Conſtitutionis Paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundo tertiovè commonita, ſi non congrua ſatisfactione emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetratâ iniquitate cognoſcat, & a Sacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Remis per manum Guidonis S. Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii III. Nonas Aprilis, Indictione XI. Incarnationis Dominicæ anno M. C. XLVIII. Pontificatûs vero Domini Eugenii III. Papæ anno IV.

(1) Eccleſia S. Laurentii eſt in Eename ſuperiori, in quo ſita eſt Abbatia. Eccleſia S. Vedaſti eſt in Eenaeme inferiori.

(2) Cella B. Mariæ in novo-burgo hodie eſt Eccleſia in Aldenardâ.

(3) Hodie Edelaer, Leupeghem, Volckegem, & Horenbeca B. Mariæ, pagi ſunt Diœceſis Mechlin. in viciniâ Aldenardæ.

(4) *Cervia*, *Chievre* vetus Baronatus & Hannoniæ urbecula, diſtans Atho milliari, Sacello D. Virginis & miraculis celebris.

(5) *Helbeka* hodie *Helbeque*, pagus inter Athum & Angiam Hannoniæ oppida.

(6) *Superior Bracla*, vernaculè *Op-brakel*, pagus in Comitatu Aloſtano ad limitem Hannoniæ in Decanatu Geraldimontenſi.

(7) *Wenlines*, hodie *Weldene* ad Scaldim fluvium, in Decanatu Rotnacenſi.

(8) *Cimberſaca*, hodie *Semmerſake* ad Scaldim fluvium, propè Gaveram.

(9) *Meleines*, *Melſene* ad Scaldim fluvium, ſubeſt Epiſcopatui Gandavenſi.

(10) *Moriſela*, *Moortzele*, pagus in Decanatu Oordegemienſi.

(11) *Boucla S. Bavonis*, hodie *Boucla S. Blaſii*, in Decanatu Rothnacenſi.

(12) *Tongra B. Mariæ* in Hannonia propè Chievre, locus miraculis Deiparæ clarus, cui vicinus eſt *Tongra S. Martini*; ambo in Archiepiſcopatu Cameracenſi.

(13) *Baſſilgi*, hodie *Baſſilli*, pagus inter Athum & Angiam, in Archiepiſcopatu Cameracenſi.

(14) *Harrizam*, male citatur: ſed eſt *Handſaeme*, Parochia Diœceſis Brugenſis, ſub Decanatu Thoraltano, ubi Abbas Eenhamenſis uſque hodie potitur Jure Patronatus ac decimis, prout & in vico ſequente.

(15) *Merch*, male: ſed eſt *Cortemærcke*, Diœceſis Brug. Decanatûs Thoraltani.

(16) *Bercaria*, locus *Berbicibus* alendis idoneus, alius tamen ab *Ovili*, prædii ſpecies etiam cum certâ agri quantitate. Vide *Du Cange* in Gloſſario Latinitatis.

CAPUT XIX.

EUGENIUS III. *Pontifex Altaria ac bona Abbatiæ S. Auguſtini, juxta muros Morinenſes in Artheſia, Religioſorum Præmonſtratenſium, confirmat anno* 1148.

EUgenius Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Alelmo Abbati Eccleſiæ Beati Auguſtini, ejuſque Fratribus tam præſentibus, quàm futuris, regularem vitam profeſſis. Deſiderium quod ad Religionis propoſitum & animarum ſalutem pertinere monſtratur, autore Deo, ſine aliqua dilatione eſt complendum.

Ea-propter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatam Eccleſiam, in qua divino mancipati eſtis obſequio, ſub Beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis Scripti privilegio communimus. Statuentes ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona eadem Eccleſia in præſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum, conceſſione Pontificum, & largi-

Digitized by Google

tione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant.

In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Altaria videlicet de *Nielles*, de *Qualquella*, de *Beinghem*, de *Haringes*, de *Rincy*, quæ à Venerabili Fratre noſtro Milone Morinenſi Epiſcopo Eccleſiæ veſtræ conceſſa ſunt, & ſcripto ſuo firmata: terram in qua atrium eſt, quam Robertus de Corbeia & filii ejus, & Hugo de Sobrois, Eccleſiæ veſtræ conceſſerunt.

Ex dono Heliæ militis filii ejus, pratum; terram Sancti Philiberti, quam Amalaricus vobis ſub annuo cenſu dimidii modii frumenti & dimidii avenæ conceſſit: terram uxoris Roberti de Corbeia in Arnoldivalle: terram Licendis molendinariæ in Parochia de Nielles: terram de Laris, ſicut à Monaſterio de Corbeia vobis pro decem ſolidis annuatim perſolvendis conceſſa eſt: terram totam, quam Hugo de Chertucia in territorio de Alceris habuit, ſicut eam vobis pro marca argenti ſingulis annis cenſualem conceſſit.

Decernimus ergo, ut nulli omninò hominum liceat præfatam Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare: ſed omnia integra conſerventur, eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura; ſalvâ Sedis Apoſtolicæ authoritate, & Diœceſani Epiſcopi canonicâ juſtitiâ.

Si quæ igitur in futurum Eccleſiaſtica ſecularisve perſona hanc noſtræ Conſtitutionis Paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò, tertiòve commonita, ſi non ſatisfactione congruâ emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat. Cunctis autem &c. quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

✠ Ego Eugenius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Ego Albricus Oſtienſis Epiſcopus.

Ego Imarus Tuſculanus Epiſcopus.

Ego Ubaldus Presbyter Cardinalis, titulo SS. Joannis & Pauli.

Ego Wilbertus indignus Sacerdos titulo Sancti Marci.

Ego Maribertus Presbyter Cardinalis titulo Sanctæ Anaſtaſiæ.

Ego Hugo Presbyter Cardinalis titulo in Lucina.

Datum Lugduni (1) per manum Willonis (2) Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii, decimo Kalendas Decembris, Indictione undecimâ, anno M. C. XLVIII. Pontificatus verò Domini Eugenii Papæ anno tertio.

(1) Attamen ex citatis à Pagio ad annum 1148. num. 13. Monumentis & Scriptoribus conſtat, Eugenium III. è Galliis diſceſſiſſe ante menſem Julium.

(2) Legendum puto, Guidonis, ipſius qui ſubſcripſit Privilegio ejuſdem Pontificis dato Remis, in gratiam Monaſterii Sancti Theodorici XIV. Kal. Maii anno 1148.

CAPUT XX.

EUGENIUS III. *Papa Eccleſiam S. Rumoldi Mechliniæ, olim Collegiatam, nunc Metropolitanam, cum omnibus ſuis poſſeſſionibus ac decimis, in protectionem Apoſtolicam recipit, per Bullam datam circa annum* 1150.

Ex Archivis Capituli Metropol.

EUgenius Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilectis filiis, Roberto Decano Eccleſiæ Machlinienſis, ejuſque Fratribus tam præſentibus quam futuris, Canonicam (1) vitam profeſſis, in futurum

Deſiderium, quod ad Religionis propoſitum, & ad ſalutem animarum pertinere monſtratur, authore Deo ſine aliqua eſt dilatione complendum. Quocirca dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus; & præfatam Eccleſiam, in qua divino eſtis mancipati obſequio, ſub B. Petri & Noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis Scripti Privilegio communimus.

Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona Eccleſia Machlinienſis in præſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, ſeu in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis divinâ ſuffragante gratiâ poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant.

In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. (2) Altare Machlinienſis Eccleſiæ, cum appendiciis ſuis, videlicet

Muſena, Hanſwick, Battala, Dungina, ſub cenſu quatuor marcharum à Cameracenſis Eccleſiæ Canonicis Vobis conceſſum, & ab Epiſcopo confirmatum.

(3) Haveram, Hockenſelam, Schellam; ſicut ab Epiſcopo Nicolao vobis conceſſa ſunt, & ſcripto ſuo confirmata, ſcripti noſtri Paginâ confirmamus.

Duas partes Decimæ de Henghen, de Haveſdunck, de Heffena, de Humbeca*, (4) de Rumeſta, de Mortezela, de Hanſwic, de Hockenzela, de Havera; tertiam partem de Humbeca*; quartam de Bolembeca, & Cobbinghem.

* Humbeka S. Rumoldi.

* Hombeek S. Martini.

Allodia vero veſtra, cum ſuis uſuariis, in agreſtibus, in aquaticis & ſilveſtribus, videlicet XII. Manſos in Parochia Machlinienſi; in... leghem duo bonaria; Gherdeghem I. domiſtationem in Machlinia, ſolventem XIIII. denarios, in Humbeka duos manſos; in Hockezela XIV. manſos cum forinſecis exceptionibus, in Odeghem V. ſolidos & duos denarios & duos arietes; Erondeghem IV. ſolidos & duos denarios & unum arietem; Battela XII. denarios; Henghen IX. ſolidos; Burna 2. ſolidos & tres denarios; Liezela XIV. denarios & arietem; Kalsvoert XVI. denarios; Puderſe XVIII. denarios; Heffena 2. ſolidos & VIII. denarios & arietem; Humbeca IX. ſolidos & 2. arietes; Duncce 2. ſolidos; Herentſals XIII. denarios; Gerſdeghem X. denarios; Cobbeghem XI. ſolidos; Sempſt XII. ſolidos & VI. denarios & decem arietes.....

Uutho X. ſolidos & VI. denarios, & pro arietibus IV. ſolidos; Baeleghem X. denarios. Havera VII. ſolidos & VI. denarios & panadium & forinſecas acceptiones. Hanſwic III. ſolidos & VI. denarios. Hoigar IV denarios. Aldeghem IV. denarios. Turnholt XII. denarios. Viſplica XII. denarios. Morceſela X. ſolidos & novem denarios, & pro arietibus XXXII. denarios.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum locum temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare: ſed omnia integra conſerventur, eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura: ſalvâ Sedis Apoſtolicæ Authoritate & Epiſcopi Diœceſani canonicâ juſtitiâ.

Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſeculariſve perſona hanc noſtræ Conſtitutionis Paginam ſciens, contra eandem temere venire temptaverit, ſecundò tertiovè commonita, ſi non ſatisfactione congruâ emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio conſiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini noſtri J. C. aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat.

Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri J. C. quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum &c.

(1) Ex ipſo Diplomatis exordio patet, Mechlinienſes Canonicos tunc habitaſſe in vitâ communi; quæ tantum ceſſaſſe fertur circa annum 1215, quo & ceſſavit in Cathedrali Eccleſia Leodienſi.

(2) De Altari Mechlinienſi vide Diploma Capituli Camerac. datum anno 1134. in Miræi Collectione Diplom. Belg. ſeu Tomo II. pag. 964.

(3) Diploma Nicolai Cameracenſis Epiſcopi datum anno 1147. pro Altaribus de Steyn-Ockerſeel, Hevere, Schelle, &c. vide apud eundem Miræum Tomo II. pag. 969.

(4) RUMESTA vulgò *Rumſt*, Parochia hodie Diœceſis Antverpienſis, ad confluentem Diliæ & Nethæ, cujus Toparcha Princeps de Ligne. Decimas vero Rumeſtæ & Haveſdonck poſtmodum à Capitulo Mechlinienſi acquiſivit ſub annuo cenſu Godefridus Dominus de Perweys & Rumeſta anno 1256.

CAPUT XXI.

ADRIANUS IV. *Pontifex confirmat anno* 1155. *poſſeſſiones Abbatiæ Floreffienſis in Namurceſio, item Abbatiæ Leffienſis in Diœceſi Leodienſi juxta Dionantum, ejuſdem Ordinis, è priori Abbatia derivatæ.*

ADrianus Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Gerlando Floreffienſi Abbati ejuſque Fratribus regularem vitam profeſſis in perpetuum. Prædeceſſorum noſtrorum felicis memoriæ Innocentii & Eugenii Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes, veſtris juſtis poſtulationibus elementer annuimus, & præfatam Floreffienſem Eccleſiam in qua divino mancipati eſtis obſequio, cum omnibus ad eam pertinentibus, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis Scripti Privilegio communimus.

Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona in præſentiarum juſtè & canonicè

canonicè poſſidetis, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Domino, poteritis adipiſci, firma vobis & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Curtem, &c. Eccleſiam quoque de Leſſe * cum præbendis ſuis.

* Leſſe, hodie Abbatia.

Sanè Novalium veſtrorum quæ propriis manibus vel ſumptibus colitis, ſeu de nutrimentis animalium veſtrorum nullus à vobis Decimas exigat. &c. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſecularisve perſona, hanc noſtræ Conſtitutionis Paginam ſciens, contra eam venire temerè temptaverit, ſecundò tertiòve commonita, ſi non ſatisfactione congruâ emendaverit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, & ream ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſanctiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat.

Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenùs & hîc bonæ actionis fructum percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

✠ Ego Adrianus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Ego Imarus Tuſculanus Epiſcopus.

Ego Centius Portuenſis Epiſcopus.

Ego Rufinus Epiſcopus.

Ego Gregorius Sabinenſis Epiſcopus.

Ego Guido Presbyter Cardinalis titulo ſancti Chryſogoni.

Ego Manfredus Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Sabinæ.

Ego Albertus Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Cæciliæ.

Ego Joannes ſanctorum Petri & Pauli Presbyter Cardinalis, titulo Pammachii.

Ego Henricus Presbyter Cardinalis ſancti Georgii ad velum aureum.

Ego Guido Diaconus Cardinalis titulo ſanctæ Mariæ in Porticu.

Ego Gerardus Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via lata.

Ego Odo Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in carcere Tulliano.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum per manum Rolandi, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarii, x. Kalendas Maii, Indictione III. Incarnationis Dominicæ anno M. C. LV. Pontificatûs verò Domini Adriani Papæ quarti anno I.

CAPUT XXII.

ADRIANUS IV. *Pontifex confirmat anno 1156. Altaria ac poſſeſſiones Abbatiæ S. Bavonis, Monachorum Ordinis S. Benedicti Gandavi; quæ nunc obtinentur ab Epiſcopo & Capitulo Cathedrali ejuſdem Eccleſiæ S. Bavonis Gandavenſis.*

Ex Archivis Epiſcopat. Gandav.

ADrianus Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilectis filiis, Bettoni Abbati Monaſterii S. Bavonis, ejuſque Fratribus tam præſentibus quam futuris regulariter ſubſtituendis in perpetuum.

Religioſam vitam eligentibus Apoſtolicum convenit adeſſe præſidium: ne forte cujuſlibet temeritatis incurſus aut eos à propoſito revocet, aut robur (quod abſit) ſacræ Religionis infringat.

Ea-propter, dilecti in Domino Filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum Monaſterium, in quo divino mancipati eſtis obſequio, ſub B. Petri & noſtra Protectione ſuſcipimus, & præſentis Scripti Privilegio communimus.

Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem Monaſterium in præſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Domino poterit adipiſci, firma Vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Altaria Sti Bavonis, ab omni Perſonatu libera.

Altare de Waterlos.

Altare de Aſpera, cum appendiciis ſuis.

Altare de Gremmine.

Altare de Dorla.

Altare de Poeſela.

Altare de Canenchem.

Altare de Vinderholt.

Altare de Lathem.

Altare de Eckerchem, cum appendiciis ſuis.

Altare de Everchem.

Altare de Chriſti-Kercka, cum appendiciis ſuis.

Altare de Rodemburch, cum appendiciis ſuis.

Altare de Vondeſlo.

Altare de Danckenham.
Altare de Murceka.
Altaria Sti. Bavonis, infra Epiſcopatum Cameracenſem.
Altare de Zwalma, cum appendiciis ſuis.
Altare de Holthem.
Altare de Eſſcha.
Altare de Rothem.
Altare de Fletherſele, cum appendiciis ſuis.
Altare de Selleka.
Altare de Cobbenchem.
Altare de Bocholt, cum appendiciis ſuis.
Altare de Fonnethe.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare. Sed illibata omnia & integra conſerventur, eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura: ſalvâ Sedis Apoſtolicæ authoritate, & Dioceſani Epiſcopi canonicâ juſtitiâ.

Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſæculariſve perſona, hanc noſtræ Conſtitutionis Paginam ſciens, contra eam temerè venire temptaverit, ſecundò tertiove commonita, niſi præſumptionem ſuam congruâ ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jheſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat.

Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jheſu Chriſti; quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant.

✠ Ego Adrianus [*Papa IV.*
✠ Ego Hubaldus Presbyter Cardinalis Tit. Stæ. Praxedis, ſign.
✠ Ego Gregorius Sabinenſis Epiſcopus, ſign.
✠ Ego Jacinthus Diaconus Cardinalis Stæ. Mariæ in Comedin. ſign.
✠ Ego Odo Diaconus Card. S. Georgii ad Velum aureum, ſign.
✠ Ego Ildebrandus Diac. Card. Sti. Euſtachii, ſign.
✠ Ego Henricus Presbyter Card. Tit. SS. Nerei & Achillei, ſign.

Datum Laterani, per manum Rolandi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarii, ſecundo Kalendas Januarii, Indictione V. Incarnationis Dominicæ anno M. C. LVI. Pontificatûs Domini Adriani Papæ quarti, anno tertio.

CAPUT XXIII.

ADRIANUS IV. *Pontifex Altaria atque poſſeſſiones Eccleſiæ Collegiatæ B. Mariæ Virg. Trajecti ad Moſam, Diœceſis Leodienſis, recenſet atque confirmat,* anno 1157.

Ex antiquo Cartulario Mosætrajectino.

ADrianus Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Huberto Præpoſito Eccleſiæ S. Mariæ de Trajecto ſuperiori, ejuſque Fratribus tam præſentibus quam futuris in perpetuum.

Effectum juſta poſtulantibus indulgere, & vigor æquitatis, & ordo exigit rationis; præſertim quando petentium voluntatem & pietas adjuvat, & veritas non relinquit.

Quocirca, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatam Eccleſiam, in qua divino mancipati eſtis obſequio, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis Scripti Privilegio communimus.

Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona eadem Eccleſia in præſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Domino, poterit adipiſci, firma Vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Quidquid habetis in Wioſello, cum Eccleſia & Decima ipſius villæ.

Quidquid habetis in Serannia, cum omnibus appenditiis ſuis.

Quidquid habetis in Bemelen, cum Eccleſia & Decima ipſius villæ.

Eccleſiam S. Petri, cum Decima ipſius villæ.

Eccleſiam de Hogem, cum Decima ipſius villæ.

Eccleſiam de Herxem, cum Decima ipſius villæ.

Quidquid habetis in Gladona, tam in molendino, quam in aliis poſſeſſionibus.

Quidquid habetis in Roeſinere, & in Eccleſia ipſius villæ, & in domo ejuſdem Eccleſiæ, cum Decima.

Eccleſias de Winch, Eymale, Chanaphia, & Broſten, cum Decimis ſuis.

Digitized by Google

Quidquid habetis in Lineren.

Quidquid habetis in Trajecto, in molendinis & curtibus.

Quidquid habetis in Ambria & in Serannia.

Jus quoque Parochialis Presbyteri & Justiciam Synodalem.

Wrex pars est oppidi Mosæ trajectensis, ultra Mosam.

Ecclesiam de Wich *, cum Decima sua.

Quidquid habetis in Ecclesia de Wischach.

Quidquid habetis in Mulingia.

Quidquid habetis in Heldren.

Quidquid habetis in Holthem; molendina apud quatuor turres.

Quidquid habetis apud Sitter, & quidquid habetis in Wich.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat supra-dictam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quomodolibet vexationibus fatigare: sed illibata omnia & integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Salvâ Sedis Apostolicæ Authoritate & Diocesani Episcopi canonicâ justitiâ.

Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ Constitutionis Paginam sciens, contra eam temerè venire temptaverit, secundò tertiove commonita, nisi præsumptionem suam congruâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sanctissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

Oculi mei semper ad Dominum, S. Petrus. S. Paulus.

✠ Ego Adrianus, Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Hymarus, Ostiensis Episcopus.

Ego G. G. Sabinensis Episcopus.

Ego Hubaldus, Presbyter Cardinalis Tituli S. Praxedis.

Ego Julius, Presbyter Cardinalis Tituli S. Marcelli.

Ego Octavianus †, Presbyter Cardinalis SS. Johannis & Pauli, Tit. Pammachii. Fuit hic dein Pseudo-Pontifex Victor IV.

Ego Ildebrandus, Presbyter Cardinalis Tit. SS. Apostolorum.

Ego Odo, Diaconus Cardinalis S. Georgii ad velum aureum.

Ego Guido, Diaconus Cardinalis Stæ. Mariæ in porticu.

Ego Jacynchus, Diaconus Cardinalis Stæ. Mariæ in Cosmedyn.

Ego Odo, Diaconus Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano.

Ego Bona-dies, Diaconus Cardinalis S. Angeli.

Ego Arditio, Diaconus Cardinalis S. Theodori.

Datum Laterani, per manum Rolandi * Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarii, III. Nonas Januarii, Indictione sexta, Incarnationis Dominicæ anno M. C. LVII. Pontificatûs vero Domni Adriani Papæ IV. anno quarto. * Hic fuit dein Papa Alexander III. 1157.

CAPUT XXIV.

ADRIANUS IV. *Papa anno 1159, aliique Summi Pontifices, Urbanus IV. Calixtus II. & Paulus II. Privilegia Ecclesiæ Collegiatæ & Capituli S. Audomari in Artheſia, confirmant.*

Ex Motivo Juris Cap. Audomar.

ADrianus Servus servorum Dei, dilectis filiis Joanni Decano & universis Canonicis Ecclesiæ Beati Audomari.... præfatam sancti Audomari Ecclesiam in qua divino mancipati estis obsequio, ubi videlicet venerandum Corpus ejus requiescere creditur, sub Beati Petri & nostrâ protectione suscipimus, & præsentis Scripti Privilegio communimus..... Adjungimus etiam..... ut nullus Sacerdotum in Villa beati Audomari Missam in Purificatione sanctæ Mariæ celebrare præsumat, donec in majori Ecclesia Missarum sint solemnia celebrata.... De redditibus vero & præbendis ad pauperum Hospitale pertinentibus, statuimus, ut decedentibus his qui ad præsens eas percipiunt, nec Clericis, nec Laicis concedantur; sed cum vacaverint, soli Mensæ pauperum de cetero debeant deservire. &c.

URbanus Episcopus Servus servorum Dei, dilectis filiis, Præposito & Capitulo Ecclesiæ sancti Audomari Morinensis Diœcesis..... Nos itaque attendentes, quod prædicta Ecclesia vestra quamquam non sit Cathedrali titulo insignita, tamen propter sui status eminentiam valde honorabilis redditur..... indulgemus &c.

Digitized by Google

anno 1123. CAlixtus Episcopus .... omnia integra conserventur, eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura... Sane B. Audomari Canonici, Vicarii, Scholares, Clerici, ceterique chorum frequentantes, ad nullius nisi ad tuam justitiam respondebunt.

anno 1465. PAulus.... dilectis filiis Præposito, Decano & Capitulo Ecclesiæ sancti Audomari ..... Romanæ Ecclesiæ immediatè subjectæ..... inter alias ejusdem Oppidi Ecclesias principalis existit, & ... ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinere dignoscitur, & propterea à lege Diœcesani prorsus exempta est.

CAPUT XXV.

ALEXANDER III. *Pontifex Capitulo Cathedrali Tornacensi indulget, circa annum* 1160. *ut fructus unius Præbendæ convertantur in communes hujus Ecclesiæ expensas. Quod & confirmat postmodum Honorius III. Pontifex anno* 1227.

Ex Archivis Tornacens. ALexander Episcopus, Servus servorum Dei, dilectis filiis Decano, Præposito, & Canonicis Tornacensis Ecclesiæ, salutem & Apostolicam benedictionem. Si quando postulatur à nobis quod rationi conveniat & consonet honestati, petentium desideriis clementer nos convenit condescendere, & eorum petitionibus effectum congruum indulgere.

Ea-propter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus gratum impertientes assensum, redditus Præbendæ, quæ est communibus usibus vestræ Ecclesiæ rationabiliter deputata, eisdem usibus autoritate Apostolica confirmamus; arctius inhibentes, ne Præbenda ipsa in usus proprios alicujus aliquo tempore transferatur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam nostræ Confirmationis seu prohibitionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Data Venetiis in Rivo-alto VIII. Idus Augusti.

HONORIUS, Servus servorum Dei, dilectis filiis Decano & Capitulo Ecclesiæ Beatæ Mariæ Tornacensis salutem & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per solicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum.

Ea-propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, Institutionem, quam super fructibus Præbendæ, quæ fuit olim Yvonis de Vinea Con-Canonici vestri, cujus etiam donatio ad vos nullo medio pertinebat, de voluntate & consilio bonæ memoriæ STEPHANI Episcopi vestri, in Ecclesiâ vestrâ fecistis; videlicet ut fructus illi ad agenda communia negotia perpetuò debeant applicari, sicut ipsa Institutio rationabiliter facta, & hactenus observata, & in autentico ex-indè confecto plenius continetur, Autoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis Scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc Paginam nostræ Confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani XI. Kal. Aprilis, Pontificatûs nostri anno decimo.

CAPUT XXVI.

Ordinatio Alexandri Papæ III. de recta Collatione Præbendarum in Ecclesia Collegiata Stæ. Gudilæ Bruxellis, erga personas idoneas ac residentes, an. 1164.

Ex Archivis Eccl. Coll. S. Gudilæ. NOs Dei gratiâ Cameracensis Episcopus, H. Dei patientia Abbas Affligemiensis Ordinis S. Benedicti, universis præsentes Litteras visuris salutem in Domino. Noveritis nos Litteras Domini Alexandri Papæ tertii, nobis à Decano & Capitulo Ecclesiæ Bruxellensis præsentatas, vidisse, in hæc verba.

ALEXANDER Episcopus, Servus servorum Dei, dilectis filiis N. Cameracensi electo,

Digitized by Google

& Abbati Affligemienſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cùm nobis quamquam immeritis Eccleſiarum cura & ſolicitudo imminens, doceat nos, pravas & deteſtabiles conſuetudines penitus obolere, & quæ Eccleſiaſticam honeſtatem depravant & contraria ſunt rationi, penitus extirpare.....

Accepimus autem, quod in Bruxella Præbendæ non niſi per manum laïcam conferantur, & perſonis minus idoneis & incognitis, quæ vix aut nunquam in Eccleſia eadem moram faciunt, aſſignentur. Quia ergo indignum eſt, ut qui Eccleſiæ non deſerviunt, earum beneficia percipiant, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus ex parte noſtra prohibeatis, ne de cetero perſonis incognitis vel minus idoneis præbendæ in prælibata Eccleſia conferantur: nec illi qui aſſidui non fuerint, æquam portionem cum Manſionariis, præcipuè de obventionibus Altaris S. Crucis, & Sti. Michaelis aliqua ratione percipiant; ſed ſalvis Vicariis, cedant obventiones quæ de dictis Altaribus proveniunt, & inter Manſionarios tantum diſtribuantur.

Datum Anagniæ anno Domini milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto, quinto Idus Aprilis.

CAPUT XXVII.

ALEXANDER III. Pontifex anno 1173. Privilegia Eccleſiæ Collegiatæ S. Donatiani Brugis (nunc Cathedralis) confirmat; ac ſignanter ea quæ Præpoſitum illius, Flandriæ Cancellarium, concernunt.

Ex Archivis Epiſcopi Brugenſis.

ALexander Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Roberto Præpoſito, Decano & Canonicis Eccleſiæ B. Donatiani Brugenſis, eorumque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis, in perpetuum. Effectum juſta poſtulantibus indulgere, & vigor æquitatis & ordo exigit rationis; præſertim quandò petentium voluntates & pietas adjuvat & veritas non relinquit.

Quocircà dilecti in Domino Filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus; & præfatam Eccleſiam, in qua divino mancipari eſtis obſequio, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis Scripti Privilegio communimus.

Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones & quæcumque bona eadem Eccleſia inpræſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant.

Ad hæc liberam Præpoſiti veſtri electionem, ſicut huc uſque habuiſſe noſcimini, vobis & Eccleſiæ veſtræ duximus in perpetuum confirmandam.

Præterea, precibus & inſtantiis dilecti filii noſtri Nobilis Viri Philippi Flandriæ Comitis benigniùs inclinati, præſenti Decreto ſtatuimus, ut ſicut à primis temporibus ſtatutum eſt, quicumque communi electione Decani & Capituli Eccleſiæ veſtræ conſtitutus fuerit Præpoſitus, idem à Comite Flandriæ Cancellarius ordinetur.

Rationabiles etiam Conſuetudines Eccleſiæ veſtræ & aſſiduam devotiſſimamque divini ſervitii curam, nec non etiam communitatem Refectorii ac Dormitorii, conſideratione piâ ac providâ conſtitutam, auctoritate Apoſtolicâ confirmamus, ac ſicut huc uſque ſervata eſt, ita deinceps præcipimus inviolabiliter obſervari.

Sepulturam quoque Flandriæ Comitum, & Notariorum, atque Officialium ſuorum, ſicut eam hactenus habuiſtis, nec non etiam aliorum, qui apud vos ſepeliri efflagitarint, niſi excommunicati ſint vel interdicti, liberam eſſe concedimus; ut eorum devotioni & extremæ voluntati nullus obſiſtat, ſalvâ tamen juſtitiâ illarum Eccleſiarum, à quibus mortuorum corpora aſſumuntur.

Cum autem generaliter interdictum terræ fuerit, liceat vobis, januis clauſis, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſâ voce divina officia delebrare.

Decernimus ergò, ut nulli omninò hominum liceat præfatam Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, aut ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare: ſed illibata omnia & integra conſerventur, eorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura; ſalvâ Sedis Apoſtolicæ auctoritate & Diœceſani Epiſcopi canonicâ juſtitiâ.

Si quæ igitur in futurum eccleſiaſtica ſeculariſve perſona hanc noſtræ Conſtitutionis Paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò tertiòve commonita, niſi præſumptionem ſuam dignâ ſa-

Digitized by Google

tisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Anagniæ, IIII. Nonas Julii, Indictione ſextâ, Incarnationis Domini anno M. C. LXXIII.

CAPUT XXVIII.

ALEXANDER III. *Papa confirmat anno* 1173. *Altaria atque poſſeſſiones Abbatiæ de Caſtello (vulgo* Chateau-l'Abbaye*) juxta Mortaniam, Ordinis Præmonſtratenſis, Diœceſis Atrebatenſis.*

Ex Archivis Abbatiæ.

ALexander Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilectis filiis, Radulpho Abbati Eccleſiæ de Caſtello, ejuſque Fratribus tam præſentibus, quam futuris, regularem vitam profeſſis, in perpetuum. Religioſam vitam eligentibus Apoſtolicum convenit adeſſe præſidium; ne fortè cujuſlibet temeritatis incurſus eos à propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacrę Religionis infringat.

Quapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatam Eccleſiam, in qua divino mancipati eſtis obſequio, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus & præſentis Scripti Privilegio communimus. Imprimis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo Canonicus, qui ſecundum Deum, & B. Auguſtini Regulam, & Inſtitutionem Fratrum Præmonſtratenſium in eadem Eccleſia inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur.

Pręterea quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona eadem Eccleſia in præſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, pręſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis diximus exprimenda vocabulis.

Locum ipſum, in quo præfata Abbatia ſita eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis. Capellam de Mauritania, & Capellam de Bricilla. Altare de Braiſus, quod Atrebatenſis Epiſcopus vobis legitimè donavit. Altare de Celeſt, cum appendiciis ſuis; Herſin, quod Atrebatenſis Epiſcopus vobis & Eccleſiæ veſtræ donavit, pro quo Atrebatenſes canonicè ſexaginta ſolidos, Atrebatenſis monetæ vobis annuatim perſolvere debent.

Apud Armenteriam decimam, cujus una pars jacet apud Fleringiers, altera in terra de Florbais.

Apud Mauritaniam redditus ſalis, & decimas piſcium; & apud Bruges quatuor penſas caſeorum.

Apud Flines triginta duas raſerias avenę.

Terram de Dunis: terras & prata quæ in territorio Mauritaniæ poſſidetis. Nemus à Domino Ludovico emptum. Sanè Novalium veſtrorum, quæ propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſive de nutrimentis veſtrorum animalium nullus à vobis decimas præſumat exigere.

Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clauſis januis, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſâ voce, divina officia celebrare.

Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe decernimus; ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi fortè excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat; ſalvâ tamen juſtitiâ illarum Eccleſiarum, à quibus corpora aſſumuntur.

In Parochialibus autem Eccleſiis, quas tenetis, liceat vobis quatuor aut tres de Canonicis veſtris ponere; quorum unus Epiſcopo præſentetur, ut ab ipſo animarum curam ſuſcipiat, & ei de ſpiritualibus, vobis verò de temporalibus debeat reſpondere.

Liceat quoque vobis Clericos vel Laïcos liberos è ſeculo fugientes, ad converſionem veſtram recipere, & eos abſque alicujus contradictione in veſtra Eccleſia retinere.

Prohibemus inſuper, ut nulli Fratrum veſtrorum poſt factam in eodem loco profeſſionem, aliquâ levitate, ſine Prioris vel Abbatis licentia, fas ſit de clauſtro diſcedere; diſcedentem verò abſque communium litterarum cautione nullus audeat retinere.

Statuimus præterea, ut nulli Eccleſiaſticę ſecularive perſonæ liceat indebitis & inconſuetis exactionibus Eccleſias veſtras & & Clericos ibidem commorantes gravare,

Digitized by Google

vel indebitè fatigare. Illud autem modis omnibus prohibemus, ne pro electione vel benedictione Abbatis veſtri quidquam aliquis exigere, vel extorquere præſumat : quia libera & gratuita debet eſſe Abbatis electio & benedictio.

Obeunte verò te nunc ejuſdem loci Abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus cujuſlibet ſubreptionis aſtutiâ ſive violentiâ præponatur, niſi quem Fratres communi conſenſu, vel Fratrum pars conſilii ſanioris, ſecundùm Dei timorem, & B. Auguſtini Regulam, providerint eligendum.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare: ſed illibata omnia & integra conſerventur, eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura.

Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſeculariſve perſona, hanc noſtræ Conſtitutionis Paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò tertiove commonita, niſi præſumptionem ſuam dignâ ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat.

Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti; quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Alexander Catholicę Eccleſiæ Epiſcopus.

Ego Ubaldus Hoſtienſis Epiſcopus.

Ego Bernardus Portuenſis Epiſcopus.

Ego Walterius Albanenſis Epiſcopus.

Ego Johannes Presbyter Cardinalis Eccleſiæ Stæ. Anaſtaſiæ.

Ego Willelmus Presbyter Cardinalis S. Petri ad vincula.

Ego Boſo Cardinalis ſanctæ Prudentianæ Eccleſiæ Presbyter.

Ego Oddo Diaconus Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano.

Ego Cynthius Cardinalis Diaconus Sti. Adriani.

Ego Hugo Diaconus Cardinalis.

Ego Vitellius Diaconus Cardinalis SS. Sergii & Bacchi.

Ego Wanfredus Presbyter Cardinalis S. Cecilię.

Ego Petrus Presbyter Cardinalis S. Chryſogoni.

Datum Anagnię per manum Grat. ſanctæ Romanæ Eccleſiæ..... XII. Kal. Decembris, Indict. VI. Incarnationis Dominicæ anno MCLXXIII. Pontificatûs verò Domini Alexandri Papæ III. anno XV.

CAPUT XXIX.

ALEXANDER III. *Pontifex Capitulum Canonicorum S. Salvatoris in Oppido Sti. Pauli apud Artheſios Privilegiis exornat anno* 1175.

ALexander Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Præpoſito & Canonicis Eccleſię Sancti Salvatoris ſitæ in Caſtro Sancti Pauli, eorumque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis, in perpetuum.

Quoties à nobis illud petitur quod rationi & honeſtati convenire dignoſcitur, nos decet libenti animo concedere & petentium deſideriis congruum impartiri ſuffragium. Ea-propter, dilecti in Domino filii veſtris juſtis ſupplicationibus libenter annuimus, & præfatam Eccleſiam in quâ divino eſtis mancipati obſequio, ſub B. Petri & noſtrâ protectione ſuſcipimus & præſentis Scripti Privilegio communimus.

Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona eadem Eccleſia impræſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu juſtis aliis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant.

In quibus hæc propriis duximus exponenda vocabulis. Villam *Queſquè* cum appenditiis ſuis, & quidquid ibi tam in terris quàm in decimis rationabiliter habere noſcimini. In paræciâ D. Pauli duas partes decimæ, in Caſtro ipſo 12. manſuras, furnos, & unam Cambam, ſicut bonæ memoriæ Rogerus Comes, Eccleſiæ veſtræ pro animæ ſuæ remedio noſcitur contuliſſe; ſtatuens, ut de ſingulis aliis Cambis de Atrio tres quarterias cereviſiæ habeatis, quoties ibi cereviſia fiet.

Duos molendinos apud *Agnès*, cùm tertiâ parte decimæ ejuſdem villæ. Apud *Morolcourt* 2. partes decimæ. *Pruniaco* tertiam partem decimæ ejuſdem villæ. Apud *Bellumquercum* Altare cum 2. partibus decimæ.

Apud *Fies* duas partes decimæ ejuſdem

ville. Apud *Frevench* Altare cum terrâ quam ibi prædictus Comes poſſidebat. Apud *Aurcam-Villam* Altare cum ſuis & his villis; *Ampliers*, territorium *Maiſnil*; dimidium molendinum de *Marceina*, medietatem vectigalis de *Poupliers*.

In Caſtro ſancti Pauli unam manſuram in quâ manet Cuſtos veſtræ Eccleſiæ.

In Parochialibus autem Eccleſiis quas tenetis, liceat vobis Sacerdotes eligere, & Epiſcopus animarum Curam committet; ut de plebis quidem curâ Epiſcopo, vobis autem de temporalibus debeant reſpondere.

Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clauſis januis, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce, divina officia celebrare.

Sepulturam quoque illius loci liberam eſſe decernimus; ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi fortè excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat; ſalvâ tamen juſtitiâ Eccleſiarum illarum, à quibus corpora mortuorum aſſumuntur.

Decernimus ergo &c. Datum Anagniæ VII. Kal. Auguſti, Indictione VII. Incarnationis dominicæ anno M. C. LXXV.

CAPUT XXX.

ALEXANDER III. *Papa Conſtitutiones varias Eccleſiæ & Capituli Audomarenſis in Artheſia (hodie Cathedralis) confirmat anno* 1178. *uti & Papa* HONORIUS III. *circa annum* 1220.

Ex Motivo Juris Capit Audomar.

ALexander... dilectis filiis Willelmo Decano ſancti Audomari ejuſque fratribus... Felicis recordationis Innocentii & Adriani Romanorum Pontificum veſtigiis inherentes, præſcriptam Eccleſiam ſancti Audomari, in qua divino mancipati eſtis obſequio, ubi videlicet venerandum Corpus ejus requieſcere creditur, ſub Beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis Scripti Privilegio communimus....

De redditibus ſane & præbendulis ad Hoſpitale pauperum ſpectantibus decernimus, ut his qui eas ad præſens percipiunt decedentibus, nec clericis nec laicis à Præpoſito, Decano vel Capitulo vel quoquam alio concedantur, ſed ſoli Menſæ pauperum in Hoſpitali cum vacaverint deputentur, eidem uſui perpetuò ſervituræ...

Obeunte verò Præpoſito vel Decano Eccleſiæ veſtræ, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanioris ſecundum Dei timorem providerint eligendum....

Bonas verò Conſuetudines & rationabiles hactenus in veſtra Eccleſia conſervatas, Pagina præſenti firmamus, & novas atque indebitas imponi ab aliquo vobis contradicentibus prohibemus. Sub-præpoſitum ſane, Magiſtrum ſcholarum, Piſtorem, Cellerarium & Cocum, Miniſtros vel Officiales ejuſdem Eccleſiæ, Decanus, ſicut moris eſt, communicato conſilio Canonicorum in eadem villa manentium & cum eorum aſſenſu ſtatuat. Qui non ſint quaſi poſſeſſores, ſed annuatim permutabiles; ut Canonicis viſum fuerit expedire.

Cuſtos verò, qui Miniſter dicitur, in poteſtate Præpoſiti, Decani & Capituli ſemper, propter ornamenta Eccleſiæ quæ in ejus poteſtate ſunt, maneat ordinandus. Si autem in aliquo prædicti Miniſtri exceſſerint, à Decano & Capitulo, ſicut eſt conſuetudinis Eccleſiæ, corrigantur...

Statuimus inſuper, ut ſicut à bonæ memoriæ primo Milone Teruanenſi Epiſcopo ſtatutum eſt, Morinenſis Epiſcopus in Audomarenſi Eccleſia & Præpoſitus Audomarenſis in Morinenſi, fiat obtentu præbendæ Canonicus. Ita videlicet, ut in perpetuum per deceſſus ſingulos perſonarum novus ſucceſſor, ſive Præpoſitus ab Epiſcopo, ſive Epiſcopus à Præpoſito, ſine dilatione, ſalvo tamen jure anniverſarii de Præbenda inveſtiatur defuncti; nec propter hoc ad Capituli veſtri conſilium admittatur Epiſcopus.

Datum &c XVI. Kalendas Maii, anno M. C. LXXVIII.

HONORIUS, dilectis filiis.... Decano & Capitulo ſancti Audomari..... Præterea Privilegia à felicis memoriæ Innocentio ſecundo & Adriano Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris & prædicto Alexandro vobis conceſſa, firma & illibata conſiſtere decernentes, diſtinctius inhibemus, ne quis ſuper villis de Eska..... Odenkierke & Anvringehem cum omnibus pertinentiis earundem ad jus & proprietatem veſtram ſpectantibus, prout Inſtrumenta exinde confecta manifeſtè teſtantur, de cetero temerè vos audeat moleſtare... Ne quis in Burgo ſancti Audomari particulares ſcholas

Digitized by Google

las regere audeat, niſi de Magiſtri ſcholarum ejuſdem Eccleſiæ licentia ſpeciali.

Ordinationem quoque ſuper quibuſdam officiis, Sub-præpoſiti videlicet, Magiſtri ſcholarum, Coci, Cellerarii & Piſtoris inter vos & Præpoſitum veſtrum habitam, prout ad utilitatem ipſius Eccleſiæ providè facta eſt, & in autenticis ſcriptis exinde confectis pleniùs continetur, auctoritate Apoſtolicâ confirmamus, & præſentis Scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem evidentiam, tenorem Inſtrumentorum ipſorum de verbo ad verbum huic noſtræ paginæ duximus inſerendum....

Gualterus, Dei gratia Eccleſiæ Sancti Audomari Præpoſitus, omnibus præſentem Paginam inſpecturis, in Domino ſalutem. Univerſitati veſtræ notum facio, quod Ordinationem inter me ex una parte, Decanum & Capitulum Sancti Audomari ex alia, communicato conſenſu, fide utrimque interpoſita, de quinque officiis factam, videlicet Sub-præpoſitura, Magiſterio ſcholarum, Piſtoria, Celleraria & Chochia, ſuper qua Ordinatione Juriſperitos Pariſiùs reſidentes duximus conſulendos, ſicut ipſi eam approbaverunt, ita & nos eandem ratam habemus & gratam.

Eſt autem forma Ordinationis illius talis; quod Piſtoria, Celleraria & Chochia ad communes uſus Eccleſiæ noſtræ cedant ad ſervitium ejus augmentandum, ſecundùm quod decedent illi qui ſunt in prædictis officiis conſtituti; cum nullum jam exerceant officium, nec in aliquo Eccleſiæ noſtræ deſerviant, cum ad hoc tamen olim fuerint inſtituti ut in ſuis officiis deſervirent: quod eſt jam in prædicta Eccleſia propter ipſius utilitatem penitus diſſuetum.

Datum &c.

CAPUT XXXI.

CLEMENS III. *Papa confirmat anno* 1190. *Abbatiæ Eenhamenſi Ordinis S. Benedicti, Altare de Roosbeecke, in Diœceſi Gandavenſi, & Altare de Deurne juxta Antverpiam.*

CLemens Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conventui de Eiham ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Juſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facilem prębere conſenſum, & vota quę à rationis tramite non diſcordant affectu proſequente complere.

Ea-propter dilecti in Domino filii veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, Altare quod in Eccleſiâ de Roesbeke in Epiſcopatu Tornacenſi, & Altare de Dorna, quod in Epiſcopatu Cameracenſi canonicé eſtis adepti, ſicut illa juſtè & ſine controverſia poſſidetis, devotioni veſtræ auctoritate Apoſtolica confirmamus & præſentis Scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ Confirmationis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Laterani XV. Kal. Julii, Pontificatûs noſtri anno III.

Roesbeke, hodie Roosbeke in Diœceſi Gandavenſi, altero lapide à Cortraco.

Doorne, hodie Duerne propè Antverpiam. Poſſident hodie hunc Paſtoratum, eumque adminiſtrant Canonici Præmonſtratenſes Abbatiæ S. Michaelis Antverpiæ.

CAPUT XXXII.

INNOCENTIUS III. *Pontifex poſſeſſiones ac libertates Eccleſiæ Collegiatæ S. Petri Caſletenſis in Flandria confirmat anno* 1189.

Ex Archivis Capituli Sti. Petri Caſleti.

INnocentius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilecto filio L. Præpoſito & Capitulo Caſletenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Juſtæ petitioni Veſtræ annuentes, liberalem illam conceſſionem reddituum veſtrorum, quos de propriis vobis datos Egregius Comes Flandriæ Robertus * Barbatus ab omni exactione emancipavit, cum reliquis datis & impoſterum dandis, Apoſtolicâ Autoritate confirmavimus; eamdemque Eccleſię libertatem, quam glorioſus Rex Francorum Philippus * ei ejus ſcripto aſ-

* Vide Miræi Diplom. Tomo II. pag. 1137.

* Ibid. pag. 1138.

Digitized by Google

ſignavit, Nos eſſe decernimus ratam.

Si quis hanc noſtram Confirmationem violare præſumpſerit, donec ſatisfaciat, excommunicationi ſubjaceat.

Datum Remis X. Kalendas Novembris, Pontificatûs noſtri anno primo.

CAPUT XXXIII.

INNOCENTIUS III. *Papa recenſet Eccleſias aliaque bona collata Abbatiæ Montis-Cornelii, Ordinis Præmonſtratenſis Leodii, quæ nunc Belli-reditûs appellatur, eademque confirmat anno* 1206.

Ex Archivis Abbatiæ.

INnocentius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Alexandro Abbati, & Fratribus Monaſterii SS. Apoſtolorum Montis Cornelii in Leodio, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Solet annuere Sedes Apoſtolica piis votis; & honeſtis petentium precibus favorem benevolum impertiri.

Eapropter dilecti in Domino filii, veſtris juſtis precibus inclinati, Eccleſiam Beati Nicolai ſuper Pontem Leodii, Eccleſiam Beati Bavonis in Loverval, Eccleſiam S. Lamberti in Boſoet, Eccleſiam Beati Lamberti in Sumagne, ſalvo Cathedratico Epiſcopi, & obſoniis Archidiaconalibus; viginti quinque ſolidos Leodienſis monetæ, quos bonæ mem. Obertus Epiſcopus de Thelonio Leodienſi annuatim vobis aſſignavit, ſex annuas Marcas in Thelonio Leodienſi percipiendas, quas vobis Ven. Frater noſter H. Leodienſis Epiſcopus dedit pro recompenſatione Eccleſiæ & villæ de Gouheriis in Thiraſcia, cum omnibus appenditiis ſuis;

Curiam, & omnes poſſeſſiones, quas habetis in Villari-Epiſcopi, ab omni exactione & ſervitio & cenſu, aliiſque redditibus in perpetuum abſolutas, ut liberum ſit vobis allodium.

Curtem etiam in eadem villa, cum terra Curti adjacente de eleëmoſyna Benolai Militis, quam tenebat in feudo ab Epiſcopo Leodienſi; quatuor bonaria terræ de eleëmoſyna ejuſdem Militis, Allodium de Hermeis, Allodium de Werengin-foſſâ, Allodium de Mecherol, cum curtibus, pratis, terris cultis & incultis, cenſu, & ſylvis; ſicut ea omnia vobis ab Epiſcopo Diœceſano & Archidiaconis ſunt conceſſa, & vos juſtè ac pacificè poſſidetis, Vobis & per vos Monaſterio veſtro authoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis Scripti patrocinio communimus.

Nulli ergò omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ Confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum Kal. Decembris Pontificatûs noſtri anno VIII.

CAPUT XXXIV.

INNOCENTIUS III. *Pontifex confirmat anno* 1209. *Privilegia Eccleſiæ B. Mariæ Boloniæ ad Mare, olim Diœceſis Morinenſis, ac tunc quidem Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini, nunc autem (ab anno* 1565) *Eccleſiæ Epiſcopalis. Accedit Clementis IV. Pont. Bulla pro eiſdem Privilegiis anno* 1268.

INnocentius III. Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Ricario Abbati & Conventui Beatæ Mariæ in Bolonia, tam præſentibus, quam futuris, regularem vitam profeſſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Piæ poſtulatio voluntatis effectu debet proſequente expleri, ut & devotionis ſinceritas laudabiliter eniteſcat, & utilitas poſtulata vires indubitanter aſſumat.

Ea-propter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatam Eccleſiam Sanctæ Dei genitricis & Virginis Mariæ Bolonienſis, in quâ divino eſtis mancipati obſequio, ad exemplar felicis recordationis Honorii Papæ ſecundi Prædeceſſoris noſtri, ſub Beati Petri & noſtrâ protectione ſuſcipimus, &

Digitized by Google

præſentis Scripti Privilegio communimus.

In primis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo Canonicus, qui ſecundum Deum, & Beati Auguſtini Regulam in eodem loco inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur.

Præterea quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona eadem Eccleſia in præſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, vel aliis juſtis modis, præſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Locum ipſum, in quo ipſa Eccleſia ſita eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis, terris, vineis, pratis, paſcuis, & paſturis, ſilvis, aquis & molendinis, piſcationibus, villis, eccleſiis, domibus, hoſpitibus, comitatibus, familiis, advocationibus, cunctiſque ſuis mobilibus & immobilibus, cultis vel incultis, totam Parochiam civitatis Boloniæ & Parochialia jura, & quæ continentur in ſubditis intra muros ejuſdem civitatis.

Eccleſiam Sancti Joannis Baptiſtæ, extra muros, Eccleſiam Sancti Martini, cùm decimis & appenditiis ſuis, in eadem Parochia Capellam Leproſorum, Capellam Sancti Petri in Burgo, Capellam Sancti Nicolai in Burgo extra muros, & Capellam Hoſpitalis Sanctæ Catherinæ intra muros, &c.

Terras & manſuras ex dono Comitis Euſtachii Eccleſiæ veſtræ collatos, &c. Auctoritate Apoſtolica vobis & eidem Eccleſię confirmamus, &c.

Datum Anagniæ decimo Calendas Junii, Indict. undecimâ anno M. CC. VII. * Pontificatûs noſtri undecimo.

* Lege 1209.

CLemens Epiſcopus dilectis filiis Abbati & Conventui Eccleſiæ Sanctæ Mariæ in Bolonia, &c. Ad exemplar Prædeceſſorum Honorii II. & Innocentii III. præfatam Eccleſiam Sanctæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ Bolonienſis ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis Scripti Privilegio communimus, &c.

Terras etiam & manſuras, item quatuor Capellanias perpetuas, quarum tres in Monaſterio veſtro, & quartam in Hoſpitali Bolonienſi quondam Mathildis Comitiſſæ Bolonienſis inſtituit intuitu pietatis, cum annuis redditibus, quos ipſa ad opus Capellanorum deſervientium in eiſdem conceſſit, ſcilicet ſingulis Capellanis 96. raſerias avenæ ad menſuram de Merck; quadraginta arpenta foreſtæin una petia, prout ſe habet tracheia & laia facta ibidem, vobis ab eadem Comitiſſa collata.

Annuos redditus 25. libras Flandrenſes, quos percipitis, in locis, qui de Achenſam & de Gravelinghes vulgariter nominantur; & octo libras ejuſdem monetæ, quas in eodem loco de Achenſam annuatim habetis.

Eccleſiam de Warchainfridi cum omnibus pertinentiis ſuis; redditus 25. librarum Pariſienſium, quos de Vice-Comitatu Boloniæ recipitis annuatim; unum Vicum ſitum in Bolonia juxta portam de la Gaiole, & juxta infirmariam & muros Monaſterii ſupradicti cum omnibus pertinentiis ſuis. In tenemento Gualterii Caſtellani de Rollers ducentos ſexdecim hodios avenæ, & duas partes unius hodii, ad modum, quo ibidem hodium Comitis appellatur; uſum ad incidendum in foreſta Comitis Bolonienſis ligna, videlicet duas quadrigas lignorum de dictâ foreſta diebus ſingulis capiendas.

Et quidquid juris in Morinenſi Diœceſi Eccleſia veſtra noſcitur obtinere, authoritate Apoſtolica vobis & eidem Eccleſiæ confirmamus, &c.

Datum Viterbii anno M.CC. LXVIII.

CAPUT XXXV.

INNOCENTIUS III. *Papa recenſet atque confirmat anno* 1208. *Eccleſias aliaſque poſſeſſiones Capituli S. Petri in Caſtro Namurcenſi; quod poſtmodum in Erectione Epiſcopatus illius, Cathedrali Capitulo S. Albani, pro conſtituendis Canonicis Graduatis, unitum atque incorporatum extitit.*

Ex Archivis Cathedr. Namurc.

INnocentius Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Capitulo S. Petri Namurcenſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Solet annuere Sedes Apoſtolica piis votis, & honeſtis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Ea propter dilecti in in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, Eccleſias, Decimas, redditus & alia in Villis de *Namuco*, & *S. Dionyſio*, *Boveche*, *Meheignioul*, *Meux*, *Heracourt*, *Hoyo magno*, *Hoyo parvo*, *Ennes*, *Buzet*, *Templues*, *Bocan*,

Digitized by Google

Falleze, *Vedrin*, *Herbatte*, *Marche*, *Bonnines*, *Hanret*, *Frizet*, & quibuſdam aliis, ad Eccleſiam veſtram ſpectantia, cæteraſque poſſeſſiones, terras, domus, vineas, cenſus, prata, nemora & molendina veſtra: ſicut ea canonicè poſſidetis: Vobis, & per vos eidem Eccleſiæ Authoritate Apoſtolicâ confirmamus, & præſentis Scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ Confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romę apud S. Petrum, II. Nonas Decembris, Pontificatûs noſtri anno decimo, & Chriſti M. CC. VIII. 1208.

Fundavit Capitulum hoc S. Petri, Philippus, cognomento Nobilis, Marchio Namurcenſis anno 1198. Diploma extat Tomo II. Dipl. Belgic. pag. 1203. Bulla Pii IV. Pont. quâ idem Capitulum Namurcenſi Cathedrali unitum fuit anno 1561. extat inter eadem Diplomata Tomo II. pag. 1085.

CAPUT XXXVI.

INNOCENTIUS III. *Papa, omnia bona Abbatiæ Gemblacenſis, Monachorum Benedictinorum in Gallo Brabantia, tam acquiſita quam acquirenda, eidem Monaſterio aſſignat atque incorporat, anno* 1213.

Ex Cartulario Gemblacenſi.

INnocentius Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilectis filiis, Wilhelmo Abbati Gemblacenſis Monaſterii ejuſque Fratribus tam præſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis, in perpetuum. Religioſis deſideriis dignum eſt facilem præbere conſenſum: ut fidelis devotio celerem ſortiatur effectum.

Ea-propter dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & prædeceſſorum noſtrorum felicis memoriæ, Innocentii, Eugenii & Cœleſtini Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes, præfatum Monaſterium, in quo divino mancipati eſtis obſequio, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis Scripti Privilegio communimus.

Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem Monaſterium inpræſentiarum juſtè ac canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis vetriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Ipſum videlicet Monaſterium, in BB. Petri & Exuperii honore fundatum: quod utique ipſius Burgi principalis Eccleſia eſſe dicitur, cum Capella ſua, quæ vocatur Sti. Salvatoris, juxta providentiam tuam & ſucceſſorum tuorum, fili Abbas, tam in temporalibus quam in ſpiritualibus liberè & abſque condictione aliqua diſponenda: ſalvo nimirum jure debito Leodienſi Epiſcopo.

Similiter etiam villas & Capellas de Cortis, de Eſnagia, & de Salvenerii, de Lirul, de Harentun, ad prædictum locum tam parochiali quam ſæculari jure pertinentes.

Jurisdictio ſæcularis.

Præterea fundum ipſius Burgi & terras adjacentes, cum banno & juſticia, percuſſura monetæ, mercato & theloneo, foragio vini, cambitico & maceria, poſitionem Villici & Scabinorum atque ceterorum officialium ad eundem locum pertinentium, piſcarias & vinaria, cum molendinis, terris cultis, prątis, paſcuis, & ſilvis; ac partem Allodii Gemblacenſis, quæ fuit Ægidii & Johannis fratrum de Cortis, & comparticipum ſuorum.

Eccleſiam quoque de Caſtris; pictam villam; villam quæ dicitur Gyneis; locum qui dicitur Beferolus; vicum qui dicitur Maiſnil; cenſum de Roſeriis, villam quæ dicitur Goe, cum Eccleſia, banno juſtitia terris ſilvis pratis paſcuis & piſcaria. Cenſum villæ quæ dicitur Templiacus cum tribus Placitis annalibus; villam quæ dicitur Feroit.

Villam de Melcurnio, cum Eccleſia; villam Sti. Gaugerici cum Eccleſia; villan de Niele cum Eccleſia: Allodium de Dium de Walehein; villam de Bellorivo. Montem, qui dicitur ſancti Wiberti, cum Eccleſia, & appendiciis ſuis; decimas quorumdam ſartorum in Sombreffia. Villam de Diona, cum Eccleſia terris pratis & ſilvis. Allodium de Jandrenolio. Apud Puccium XXII. ſolidos Leodienſis monetæ.

Mont S. Wibert Miræi Dipl. Tom. I. pag. 172. *Dion. Jandrinoul. Boſſuyt. Bauwechin* Vide Diplom. Belg. T. III. pag. 12.

Eccleſiam de Boſſuth. Eccleſiam de Baverechin, cum terris ad eam pertinentibus.

Villam

Villam de Stirs. Apud Leodium duos manſos, unum in Inſula juxta S. Paulum, alterum juxta S. Lambertum, & vineam unam apud Viniacum. Apud Namurcum aliam vineam. Villam de Sotrey cum Eccleſia. Herenium S. Mariæ apud Brenam, cum Eccleſia.

Dumpt. Vide Miræi Diplom. T. I. pag. 141.

In Epiſcopatu Cameracenſi villam de Turp cum Eccleſia, adjicientes vigeſimam partem totius allodii de Bevechin, quam tenetis ſub annuo cenſu XXV. ſolidorum Leodienſis monetę.

Eccleſias quoque de Boſſuth & de Bavenchien, cum omni jure quod habetis in eis, tam ex Patronatu quam ex donatione piæ recordationis Alberti Leodienſis Epiſcopi, quam vobis ſpecialiter Sedes Apoſtolica confirmavit. Decimam Sartorum totius ſilvæ Epiſcopi Leodienſis apud Bauvenchein. Decimam quoque in villa Sarrei XL. bonariorum terræ & amplius, cum Decimis quas habetis in Monte S. Wiberti à parochianis & manſionariis noſtris. Medietatem Eccleſiæ de Wares, cum dominio dotis & terræ & cenſus & gallinaciorum.

Sartum; id eſt, ſilva exciſa & in Culturam redacta. juxta Cangium.

Vide Tom III. Diplomat. Belg. pag. 12.

Præterea libertatem, donationes & poſſeſſiones, ab illuſtri quondam Viro Imperatore Ottone & Wilbodone Leodienſi Epiſcopo rationabiliter eidem venerabili loco collatas, & Prædeceſſoris noſtri bonæ memoriæ BENEDICTI Papæ Privilegio roboratas, & uſque ad hanc diem quietè à veſtro Monaſterio habitas, Nos quoque vobis, concedimus & firmamus; ſicut in eorum Scriptis & Privilegiis autenticis continetur.

Vide Diplom. Miræi Tom. I pag. 507.

Sane Novalium veſtrorum, quæ propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſive de nutrimentis animalium veſtrorum, nullus à vobis Decimas exigere vel extorquêre præſumat. Liceat quoque vobis Clericos vel Laïcos liberos & abſolutos è ſeculo fugientes ad converſionem, recipere, & eos abſque contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper, ut nulli Fratrum veſtrorum, poſt factam in eodem Monaſterio profeſſionem, fas ſit de eodem loco, niſi arctioris Religionis obtentu, diſcedere. Diſcedentem vero, ſine communium literarum cautione, nullus audeat retinere.

Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clauſis januis, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce divina officia celebrare. Chriſma vero, Oleum ſanctum, Conſecrationes altarium ſeu Baſilicarum, Ordinationes Monachorum ſeu Clericorum veſtrorum, qui ad ſacros Ordines fuerint promovendi, à Dioceſano ſuſcipietis Epiſcopo, ſi-quidem Catholicus fuerit, & gratiam atque communionem Apoſtolicæ Sedis habuerit, & ea gratis & abſque pravitate aliqua vobis voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis Catholicum adire Antiſtitem gratiam atque communionem Apoſtolicæ Sedis habentem, qui noſtra fretus authoritate vobis quod poſtulatis impendat.

Adicimus etiam, ut ſi quando in aliquo negocio vos gravari ſenſeritis, Sedem Apoſtolicam vobis liberè liceat appellare. Quociens etiam Sanctam Romanam Eccleſiam pro gravaminibus veſtris, aut certa utilitate adire volueritis, id ipſum faciendi facultatem liberam habeatis.

Sanctimus etiam, ut bonæ atque canonicæ conſuetudines, quæ in veſtro Monaſterio hactenus viguerunt, eidem venerabili loco im-perpetuum illibatæ ſerventur.

Antiqua Abbatis electio.

Obeunte vero te nunc ejuſdem loci Abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem Fratres communi conſenſu, vel forſan pars conſilii ſanioris, ſecundum Dei timorem & B. Benedicti Regulam providerint eligendum.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monaſterium temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare: ſed omnia integra conſerventur, eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva Sedis Apoſtolicæ Auctoritate & Dioceſani Epiſcopi canonica juſticia.

Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſæculariſve perſona, hanc noſtræ Conſtitutionis Paginam ſciens, contra eam temerè venire temptaverit, ſecundò tertiove communita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſ. Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jheſu-Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ſubjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri J. C. quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Laterani, per manum Rainaldi Acolyti & Capellani Domini Innocentii Papæ III. XVII. Kal. Decembris, Indictione II. Incarnationis Dominicæ anno milleſimo ducenteſimo decimo tertio, Pontificatûs vero ejuſdem Domini Innocentii anno XVI. 1213.

CAPUT XXXVII.

HONORIUS III. *Pontifex Abbatiſſam ac Moniales in* Porceto, *juxta Aquiſgranum, Ordinis Ciſtercienſis recens inſtitutas in protectionem ſuſcipit; poſſeſſiones recenſet, Variaque Privilegia largitur: anno* 1224.

Ex Cartulario hujus Abbatiæ.

HONORIUS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus, Abbatiſſæ Monaſterii in Porceto, ejuſque Sororibus, tam præſentibus quam futuris, regularem vitam profeſſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Religioſam vitam eligentibus Apoſtolicum convenit adeſſe præſidium; ne forte cujuſlibet temeritatis incurſus aut eos a propoſito revocet, aut robur (quod abſit) ſacræ Religionis infringat.

Ea-propter dilectæ in Domino filiæ, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum Monaſterium Sanctæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ & Sti. Johannis Baptiſtæ in Porcheto, in quo divino mancipatæ eſtis obſequio, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis Scripti Privilegio communimus.

Imprimis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo Monaſticus, qui ſecundum Deum & B. Benedicti Regulam atque Inſtitutionem Ciſtercienſium Fratrum in eodem Monaſterio inſtitutus eſſe dinoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur.

Præterea quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem Monaſterium impræſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis, & eis quæ vobis ſucceſſerint, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Locum ipſum, in quo præfatum Monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinenciis ſuis. Poſſeſſiones, domos & terras quas habetis in Oppido *Aquenſi*, in *Vylen*, in *Epene*, in *Rutten*, & ad ſanctum Andream.

Poſſeſſiones, terras & redditus quos habetis in *Steinſtraten*, in *Sleiden*, in *Koeretich*, in *Aldenhoven*, in *Sintege*, & in *Bopardia*, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, uſuagiis, & paſcuis, in boſco & plano, in aquis & molendinis, in viis & ſemitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus ſuis.

Sanè laborum veſtrorum de poſſeſſionibus habitis ante Concilium Generale, ſive etiam Novalium, quæ propriis manibus ac ſumptibus colitis, ſive de hortis, virgultis & piſcationibus veſtris, vel de nutrimentis animalium veſtrorum, nullus à vobis Decimas exigere vel extorquere præſumat.

Liceat quoque vobis perſonas liberas & abſolutas à ſeculo fugientes ad converſionem recipere, & eas abſque contradictione aliqua retinere.

Prohibemus inſuper, ut nulli Sororum veſtrarum, poſt factam in Monaſterio veſtro Profeſſionem, fas ſit ſine Abbatiſſæ ſuæ licentia de eodem loco diſcedere: diſcedentem vero abſque communium Litterarum veſtrarum cautione nullus audeat retinere. Illud diſtrictius inhibentes, ne terras ſeu quodlibet beneficium Eccleſiæ veſtræ collatum liceat alicui perſonaliter dari, ſive alio modo alienari, abſque conſenſu totius Capituli, vel majoris aut ſanioris partis ipſius. Si quæ vero alienationes vel donationes aliter quam dictum eſt factæ fuerint, eas irritas eſſe cenſemus.

Inſuper Auctoritate Apoſtolicâ inhibemus, ne ullus Epiſcopus vel quælibet alia perſona ad Synodos vel Conventus forenſes vos ire, vel judicio ſtare de veſtra propria ſubſtantia vel poſſeſſionibus veſtris ſubjacere compellat: nec ad domos veſtras cauſâ Ordines celebrandi, cauſas tractandi, vel aliquos conventus publicos convocandi, venire præſumat.

Nec regularem electionem Abbatiſſæ veſtræ impediat, aut de inſtituenda vel removenda eâ quę pro tempore fuerit, contra Statuta Ciſtercienſis Ordinis ſe aliquatenus intromittat.

Pro conſecratione vero Altarium ſeu Eccleſiarum, ſive pro Oleo ſancto, vel quolibet alio Eccleſiaſtico Sacramento, nullus à vobis, ſub obtentu conſuetudinis vel alio modo, quidquam valeat extorquere: ſed hæc omnia gratis vobis Epiſcopus Diœceſanus impendat. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis Catholicum adire Antiſtitem, gratiam & communionem Apoſtolicę Sedis habentem, qui noſtrâ fretus authoritate, vobis quod poſtulatur impendat.

Quod ſi Sedes Diœceſani Epiſcopi forte vacaverit, interim omnia Eccleſiaſtica Sacramenta à vicinis Epiſcopis accipere, libere & abſque contradictione poſſitis: ſic

Digitized by Google

tamen ut ex hoc impoſterum propriis Epiſcopis nullum præjudicium generetur.

Quia vero interdum propriorum Epiſcoporum copiam non habetis, ſi quem Epiſcopum, Romanæ Sedis (ut diximus) gratiam & communionem habentem, & de quo plenam notitiam habeatis, per vos tranſire contigerit, ab eo benedictiones vaſorum & veſtium, conſecrationes Altarium, benedictiones Monialium, authoritate Apoſtolicæ Sedis recipere valeatis.

Porro ſi Epiſcopi vel alii Eccleſiarum Rectores in Monaſterium veſtrum vel perſonas inibi conſtitutas ſuſpenſionis excommunicationis vel interdicti ſententias promulgaverint, ſeu etiam in mercenarios veſtros, pro eo quod Decimas ſicut dictum eſt non perſolvitis, ſive aliquâ occaſione eorum quæ ab Apoſtolica benignitate vobis indulta ſunt, ſeu benefactores veſtros, pro eo quod aliqua vobis beneficia vel obſequia ex caritate præſtiterint, vel ad laborandum adjuverint, in illis diebus, in quibus vos laboratis, & alii feriantur; eandem ſententiam protulerint, ipſam tanquam contra Sedis Apoſtolicæ Indulta prolatam duximus irritandam. Nec Litteræ ullæ firmitatem habeant, quas tacito nomine Ciſtercienſis Ordinis, & contra tenorem Apoſtolicorum Privilegiorum contigerit impetrari.

Præterea cum commune Interdictum terræ fuerit, liceat vobis nihilominus in veſtro Monaſterio, excluſis excommunicatis & interdictis, divina officia celebraae.

Paci quoque & tranquillitati veſtræ paternâ inpoſterum ſollicitudine providere volentes, Auctoritate Apoſtolicâ prohibemus, ut infra clauſuras locorum ſeu grangiarum veſtrarum nullus rapinam ſeu furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temerè capere vel interficere, ſeu violentiam audeat exercere.

Præteræa omnes libertates à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus Ordini veſtro conceſſas, nec non libertates & exemptiones ſecularium exactionum à Regibus & Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, Auctoritate vobis Apoſtolicâ confirmamus, & præſentis Scripti Privilegio communimus.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monaſterium temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere aut minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare: ſed omnia integra conſerventur, eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura: ſalvâ Sedis Apoſtolicæ authoritate.

Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſeculariſve perſona hanc noſtræ Conſtitutionis Paginam ſciens, contra eam temerè venire temptaverit, ſecundò tertiòve commonita, niſi reatum ſuum congruâ ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui careat dignitate, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu-Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat.

Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu-Chriſti, quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternę pacis inveniant. Amen.

Datum Laterani per manum Magiſtri Guidonis, Domini Papæ Notarii, XIV. Kal. Januarii, Indictione XIII. Incarnationis Dominicæ anno M. CC. XXIV. Pontificatûs vero Domini Honorii Papæ tertii anno nono. 1244.

Vide Galliam Chriſtianam Tomo III. pag. 1029. ubi narratur *Hilſundis*, prima Abbatiſſa Porcetenſis, illuc adveniſſe anno 1222. è Monte S. Salvatoris ejuſdem Ordinis.

Fuerat antea Abbatia Monachorum Benedictinorum, Privilegiis variis Imperatorum ac Ducum Limburgenſium dotata. Hodie Abbatiſſa de Porceto Principibus S. R. I. annumeratur.

CAPUT XXXVIII.

INNOCENTIUS IV. *Pontifex Capitulum & Eccleſiam Collegiatam S. Salvatoris in Artheſia, mandat anno* 1245. *transferri ab ipſa S. Pauli arce, in locum ejuſdem oppidi idoneum.*

Ex Hiſtor. Com. S. Pauli pag. 129.

INNOCENTIUS Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilecto filio Petro Præpoſito Eccleſiæ Sancti Audomari Morinenſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cùm ſicut pro parte dilectorum filiorum Canonicorum Eccleſiæ Sancti Salvatoris in Sancto Paulo Morinenſis Diœceſis nobis extitit intimatum, quod nobilis vir (Hugo de Caſtillione) Comes Sancti Pauli partem Eccleſiæ ejuſdem pro munitione cujuſdam Caſtri, quod extruxerat ibidem, duxerit deſtruendam, & iidem Canonici & Clerici ejuſdem Eccleſiæ ſtatutis horis libere..... divina celebrare nequeant, pro divinis officiis in ipsâ Eccleſiâ

celebrandis, oportet quod debitis officiis....

Apoſtolicâ Scripturâ mandamus, quatenùs apud præfatum Comitem interponas efficaciter pa..... ut pro animæ ſuæ ſalute progenitorumque ipſius qui prædictam Eccleſiam fundaſſe ac dotaſſe dicuntur, præfato Capitulo infrà Villam Sancti Pauli, locum idoneum ad Eccleſiam & domos ipſi Capitulo neceſſarias conſtruendas, cùm libertatibus & immunitatibus ſuis liberaliter conferat & aſſignet; ita quod exindè propitiationem divinam uberiùs conſequi mereatur, Noſque devotionem ſuam dignis in Domino commendemus laudibus.

Datum Lugduni Idibus Junii, Pontificatûs noſtri anno ſecundo.

CAPUT XXXIX.

INNOCENTIUS IV. *Papa concedit anno* 1245. *in Concilio generali Lugdunenſi in favorem Abbatiæ S. Trudonis Ordinis S. Bened. Diœceſis Leodienſis Privilegium pro Collatione Beneficiorum.*

Ex Archivis Abbatiæ.

INNOCENTIUS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilectis filiis, Abbati & Conventui Monaſterii S. Trudonis, Ordinis S. Benedicti Leodienſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Devotionis veſtræ probata ſinceritas ac Religionis honeſtas, & præcipue tuorum, Fili Abbas, meritorum contemplatio, quibus juvari dignoſceris, Nos inducunt ut quæ dignè Vobis eſſe ſalubria & accepta perſpicimus, favore benevolo concedamus.

Hinc eſt, quod Nos, veſtris precibus annuentes, vobis Authoritate præſentium indulgemus, ut nullus Authoritate Apoſtolicæ Sedis (etiam ſi in eis habeatur expreſſum: non obſtante a liquâ indulgentia, de qua ſpecialem oporteat facere mentionem) vel Legatorum ejus, ad proviſionem alicujus in penſionibus vel Eccleſiaſticis beneficiis, Vos de cætero compellere, aut de Beneficiis, ad donationem ſeu præſentationem veſtram ſpectantibus, Vobis irrequiſitis & invitis, valeat providêre: niſi Litteræ Apoſtolicæ ſuper hoc obtentæ, de hac Indulgentia & Eccleſia S. Trudonis mentionem fecerint ſpecialem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ Conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Lugduni, quarto Kalendas Maii, Pontificatûs noſtri anno ſecundo.

CAPUT XL.

INNOCENTIUS IV. *Papa recitat & confirmat anno* 1246. *Sententiam latam à Morinenſi Epiſcopo, in favorem Abbatiæ* S. *Auguſtini Ordinis Præmonſtratenſis, juxta Morinos, contra Paſtorem loci de Morbeka, pro jure decimarum novalium ibidem.*

Ex Archivis hujus Abbatiæ.

INNOCENTIUS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conventui S. Auguſtini, Morinenſis, Ordinis Præmonſtratenſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ea quæ judicio vel concordiâ terminantur, firma debent & illibata perſiſtere; & ne in recidivæ contentionis ſcrupulum relabantur, Apoſtolico convenit præſidio communiri.

Cum igitur, ſicut petitio veſtra nobis exhibita continebat, olim inter Vos ex parte una, & Rectorem Eccleſiæ de *Morbeka*, Morinenſis Diœceſis, ex altera, ſuper Decimis, poſſeſſionibus, redditibus, & rebus aliis, coram venerabili Fratre noſtro Epiſcopo Morinenſi, Autoritate Ordinaria, queſtio verteretur; idem Epiſcopus, cognitis cauſæ meritis, & juris ordine obſervato, definitivam pro vobis ſententiam promulgavit: prout in ipſius Litteris confectis exinde perſpeximus plenius contineri; quas Apoſtolico petiiſtis munimine roborari.

Nos igitur veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, ſententiam ipſam,

ſam, ſicut eſt juſta, nec legitimâ provocatione ſuſpenſa, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis Scripti patrocinio communimus: tenorem Litterarum ipſarum præſentibus ad cautelam de verbo ad verbum inſeri facientes, qui talis eſt.

PETRUS Dei gratiâ Morinorum Epiſcopus, univerſis præſentes Litteras inſpecturis ſalutem in Domino. Noveritis, quod cum Joannes Rector Eccleſiæ de *Morbeka* proponeret in Jure coram Nobis, contra Eccleſiam beati Auguſtini Morinenſis, quod cum quædam Novalia eſſent facta infra fines Parochiæ ſupra-dictę, & Decimæ dictorum Novalium ad ipſum de Jure communi ſpectarent, dicta Eccleſia Beati Auguſtini pro ſuæ voluntatis arbitrio percipiebat & perceperat decimas novalium prædictorum, in dicti Rectoris præjudicium non modicum & gravamen.

Quare idem Rector petebat, quod cum de Jure communi (ſicut dictum eſt) prædictæ decimę ad ipſum ſpectare deberent, eidem prędictas decimas adjudicaremus, dictæ Eccleſiæ B. Auguſtini ſuper ipſis perpetuum ſilentium imponendo. Atque ex parte dictæ Eccleſiæ B. Auguſtini litem conteſtando coram nobis, fuit reſponſum, quod cum Eccleſia B. Auguſtini prædicta, ex dono bonæ memoriæ *Lamberti* quondam Epiſcopi Morinenſis prędeceſſoris noſtri, & *Goſſelini* quondam Canonici Morinenſis Altare de Morbeka cum omnibus ſuis pertinentiis adepta fuiſſet, & tam ex dicta collatione, quam ex privilegio à dicto Epiſcopo ſibi conceſſo, & ab anteceſſore noſtro *Adam*, Dei gratia quondam Morinenſi Epiſcopo confirmato, dicta Eccleſia ibidem majores decimas & minutas percepérit & habuerit.

Et poſtremò, quod Reverendus Pater Frater *Jacobus* Prænestinus Epiſcopus, quondam Apoſtolicæ Sedis Legatus, dictas novalium decimas, ipſi Eccleſiæ auctoritate quâ fungebatur indulſiſſet.

Et Nos, attendentes & conſiderantes, quod ex quo conceſſum erat dictæ Eccleſiæ ex Privilegio quod dicta Eccleſia in dicta Parochia majores decimas perciperet & minutas, quod majus eſt, per conſequens conceſſum erat eidem illud quod minus; ſcilicet ut decimas novalium ibidem factorum & in poſterum faciendorum debebat habere; ipſi Eccleſiæ eaſdem autoritate Diœceſana contuliſſemus ac etiam confirmaſſemus; prædictus Rector in prædictis decimis nullum jus habebat, immo ad dictam Eccleſiam Beati Auguſtini debebant penitus pertinere, cum eas juſtè ſecundum tenorem Privilegiorum ſuorum quaſi poſſideret & haberet.

Quæ omnia prædictus Rector, ſicut ex parte prædictæ Eccleſiæ fuerunt propoſita, coram nobis in Jure conſtitutus recognovit.

Nos vero, confeſſione dicti Rectoris & tenore dictorum Privilegiorum conſideratis & diligenter inſpectis, auditis propoſitis, & intellectis rationibus utriuſque partis, conſideratoque Proceſſu, habitiſque ſuper hoc diligenti deliberatione & Juris-peritorum conſilio, invenientes etiam dictam Eccleſiam (ſicut dicebat) privilegiatam ſuper prædictis novalium decimis, concluſo penitus etiam negotio,

Die dèmum ad definiendum præfixa, anno Domini 1242. feriâ ſextâ poſt octavam Epiphaniæ Domini, partibus in noſtra præſentia conſtitutis, & ſuper præmiſſis petentibus definiri, prædictam Eccleſiam ab impetitione dicti Rectoris per definitivam ſententiam abſolvimus, eidem Rectori ſuper prædictis decimis perpetuum ſilentium imponentes.

Ad hæc, quia nobis conſtitit, tam per confeſſionem ex parte dictæ Eccleſię factam, quam per alia legitima documenta, quod prædictus Rector & ejus ſucceſſores oblationes in Eccleſia de Morbeka factas & in poſterum faciendas integrè debebant habere, exceptis oblationibus ſummæ miſſæ Natalis Domini, Purificationis B. M. Adorationis Crucis, in Paraſceve Paskæ, Pentecoſtes, & oblationibus quas ponunt nubentes ſuper altare propter benedictionem, nec non medietatem tertiæ partis decimæ de *Oure-Wieterne*; inſuper & omnes terras & redditus, quos Nicolaus quondam Presbyter de Morbeka anteceſſor ſuus tenebat, ſicut, proponebat contra dictam Eccleſiam idem Rector coram nobis; propterea dicto Rectori & ejus ſucceſſoribus adjudicavimus.

Natalitia vero ſupra dicta & oblationes, ſcilicet Purificationis, Paraſceves & nubentium ſupradictas, cum minutis decimis animalium de conſenſu & autoritate noſtra conceſſit dicta Eccleſia & contulit perpetuò dicto Rectori & ejus ſucceſſoribus poſſidenda, ſub annuo cenſu LX. ſolidorum Flandrenſium, tribus terminis, ſcilicet in Natali Domini XX. ſolidos, in Paſcha XX. ſolidos & in Pentecoſte alios XX. ſolidos ſolvendorum; & hoc in augmentum ſui Beneficii, quod tamen dictus Rector coram nobis eſſe competens recognovit.

In cujus rei Teſtimonium, ad ſupplicationem partium, præſentem Paginam noſtri fecimus Sigilli munimine roborari.

Actum anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſecundo, feriâ ſextâ poſt Octavas Epiphaniæ Domini. 1242.

NUlli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam ſive Confirmationem infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beato-

Digitized by Google

torum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Lugduni quinto Kalendas Maii, Pontificatûs noſtri anno tertio. 1246.

CAPUT XLI.

Bulla INNOCENTII IV. *Papæ ad Henricum Leodienſem Epiſcopum; qui proinde anno* 1248. *Priori & Fratribus Monaſterii Sanctæ Crucis, juxta Huum, in Diœceſi ſua, concedit eandem Regulam S. Auguſtini, qua utuntur FF. Prædicatores, eorumque Statuta approbat.*

Ex Archivis Monaſterii Cruciger. Namurc.

INNOCENTIUS Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilecto filio Electo Leodienſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum dilecti filii Prior & Fratres Stæ. Crucis Leodienſis Diœceſis ſupra dictæ, ſecundum Regulam Sti. Auguſtini & quaſdam Inſtitutiones Fratrum Prædicatorum, ſicut aſſerunt, Domino famulantes, nobis humiliter ſupplicaverint, ut ipſis utendi divinis Officiis & Inſtitutionibus eorumdem licentiam largiremur: ita tamen, quod alium habitum deferre valeant, ac poſſeſſiones recipere, ſi eis pietatis intuitu à Chriſti fidelibus conferantur.

Volentes igitur in hac parte tibi deferre, qui loci Diœceſanus exiſtis, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eiſdem autoritate noſtra poſtulata concedas, ſi videris expedire.

Datum Lugduni decimo Kalendas Novembris, Pontificatûs noſtri anno ſexto.

HENRICUS Dei gratia Leodienſis Eccleſiæ Electus, dilectis filiis Priori & Fratribus Stæ. Crucis extra muros Oppidi Huyenſis, noſtræ Leodienſis Diœceſis, ſalutem in Domino. Noveritis, quod cum in anno à Nativitate Domini 1248, ultimâ die menſis Novembris, recepe rimus per manus veſtras quaſdam Litteras Apoſtolicas, à Sanctiſſimo in Chriſto D. Innocentio IV. divinâ providentiâ nobis ſpecialiter directas; quarum tenor de verbo ad verbum noſcitur eſſe talis.

Innocentius Epiſcopus, &c. *ut ſupra. Tum ſequitur.*

Supra quod Mandatum Apoſtolicum Nos, qui de approbatione & confirmatione Ordinis Crucigerorum ſub titulo Stę. Crucis per certa Indulta Apoſtolica veriſſimè ſumus informati, voſque fons & tamquam caput totius Ordinis memorati, in loco veſtro prope Huyum, noſtræ Leodienſis Diœceſis, per Sedem Apoſtolicam inſtituti; & quia Eccleſiam Chriſti fidelium temporibus noſtris diligenter affectamus augmentare, ac etiam vos Crucis ſervitores ob reverentiam Crucifixi, in cujus Titulo & Paſſione eſtis vos reverenter ſignati, in veſtris bonis affectionibus & contemplationibus conſervare divinis; per noſtrum conſilium, cum matura, & diſcretâ deliberatione viſâ & conſideratâ ſupplicatione veſtra, in Litteris SS. in Chriſto Patris & Domini noſtri Papæ contentâ, & ſpecialiter ad expedientiam noſtram commiſſâ, etiamque B. Auguſtini Regula approbata.

Viſis quoque Inſtitutionibus Fratrum Prædicatorum, per quas ſpecialiter affectatis regulari; inter quas prædictas Inſtitutiones plurima Capitula, cum prologo præcedenti, videlicet

Quoniam ex præcepto Regulæ jubemur habere cor unum & animam unam in Domino &c.

Ad uſum veſtrum, prout nobis promiſiſtis in eodem libro compilantur, qui liber Inſtitutionum ſeu Statutorum nuncupatur, in quo primò determinat: *de Officio Eccleſiæ & inclinationibus, de ſuffragiis mortuorum, de jejuniis, & cibo, & collatione, de infirmis, de minutione, de lectis, de veſtitu, de raſura, & ſilentio, de recipiendis novitiis & eorum inſtructione, de profeſſione quæ primo debet fieri ab omnibus profitentibus in quibuſcumque Domibus exiſtentibus, Priori Huyenſi*, prout in dictâ Conſtitutione plenius continetur.

De levi culpâ, de graviori, & graviſſimâ culpâ, de apoſtatis, de Domibus concedendis & conſtruendis, de electione Priorum, qui omnes per Priorem Huyenſem tenentur confirmari & inſtitui, de electione Definitorum Capituli generalis, de Capitulo quotidiano, Capitulo generali quod quolibet anno in Domo Huyenſi celebratur, ad quod Capitulum omnes Priores cum ſocio vel procuratore Domus ſuæ ſive Conventus convenire ſunt adſtricti, de Viſitatoribus qui per Priorem Huyenſem committuntur, niſi de ſe voluerit viſitare, & Priores locales ſupra filias Domus ſuæ, quæ in dicta Inſtitutione continentur.

De itinerantibus, de converſis. &c.

Sub quibus Conſtitutionibus ſeu Inſtitutionibus præmiſſis vobis & ſucceſſoribus veſtris, omnibuſque aliis Fratribus habitum deferentibus Stæ. Crucis, & à Domo ve-

Digitized by Google

ſtra dependentibus, in quibuſcumque locis exiſtentibus, tam præſentibus quam futuris, utendi divinis Officiis & Inſtitutionibus præmiſſis, & etiam tenendi poſſeſſiones in communi, ſi à Chriſti fidelibus vobis & omnibus membris veſtris intuitu pietatis conferantur, Auctoritate Domini noſtri Papæ in hac parte commiſſa concedimus facultatem, atque pro temporibus futuris vos & ſucceſſores veſtros in perpetuum ſecundùm Conſtitutiones ſeu Inſtitutiones præmiſſas & Regulam Beati Auguſtini memoratam regulariter vivere autoritate præmiſſâ per præſentes concedimus.

In cujus rei teſtimonium præſentem Paginam Sigillo noſtro fecimus inſigniri.

Datum in caſtro noſtro Huyenſi anno gratiæ M. CC. XLVIII. xxxi. Decembris.

HENRICUS Dei gratia Leodienſis electus dilecto in Chriſto filio *Warnero*, dicto *Thibalt*, Canonico Beati Petri in Namurco, ſalutem in Domino. Significamus tibi, quod nos dilectis in Chriſto Fratribus Stæ. Crucis Ordinis Sti. Auguſtini, poteſtatem habendi cymiterium ibidem, ſecundum quod eis viſum fuerit expedire, ſalvo tamen jure Eccleſiæ parochialis per omnia, ſub cujus juriſdictione prædictum cymiterium conſtruetur. Damus etiam licentiam dilecto Proviſori noſtro in ſpiritualibus Domino Arnoldo Dei gratia quondam Semigallienſi Epiſcopo, ipſum cymiterium benedicendi.

Datum anno Domini M. CC. XLIX. Sabbato poſt Lætare Jeruſalem.

CAPUT XLII.

INNOCENTIUS IV. *Pontifex Fratribus Trinitariis in Hondiſcota (hodie Diœceſis Audomarenſis, in partibus Flandriæ) Privilegia largitur anno 1249; quæ ipſis conſequenter confirmavit anno 1334.* PHILIPPUS IV. *Franciæ Rex.*

Ex Archivis Domûs.

Philippe par la grace de Dieu Roi de France, à nos Amez & feaux les Archeveſques de Sens & de Rohan, & à l'Eveſque de Noyon, ſalut & dilection.

Le grand Miniſtre & les Freres de l'Ordre de la Trinité, nous ont dit, que on les contraints à payer le Diſieme pour le ſaint Voiage; duquel & de tout autre Diſieme ils ſont francs & quittes, par Privilege de Court de Rome, ne onques riens ne paierent des Diſiémes octroiés à nos Devanciers & à Nous: ſi comme ils diſent, & de ce ont bonnes Lettres.

Si vous mandons & requerons, & à chaſcun de vous, que leſdits Privileges & Lettres vëés, & ſus ce oëz ledit grand Miniſtre & leſdits Freres, & en ordonnés, ſelon ce que vous verrez que à faire ſera par raiſon.

Donné à Saint Chriſtoſle en Halate, le IXe. jour d'Avril l'an de grace mil trois cens trente quatre. 1334.

INNOCENTIUS Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Majori Miniſtro & Fratribus Ordinis ſanctæ Trinitatis Captivorum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Vobis ad hoc totâ virtute ſollicitis, ut conditori omnium per humilis devotionis obſequia placeatis, operibus miſericordiæ fovendo miſeros, & de Paganorum vinculis redimendo Captivos, in gratia quamdignè poſſumus, nos libenter benivolos exhibemus.

Sane cum hujuſmodi caritatis operibus duas partes omnium veſtrorum proventuum (prout aſſeritis) ſecundùm Inſtituta veſtræ Regulæ deputatis, vobis parte tertiâ remanente adeò exili & tenui, ut ex illa multotiens vix poſſitis, ſine mendicitatis aminiculo ſuſtentari; pium & decens eſſe dinoſcitur, ut in contribuendo ſuper decima & viceſima, quæ pro ſubſidio Terræ ac Imperii Romani colliguntur, de Mandato Sedis Apoſtolicę, Veſtræ paupertatis humilitas non gravetur.

Ut itaque circa tantæ ſalutis opera veſtra ferventiùs poſſit invigilare devocio, Nos veſtris ſupplicationibus annuentes, vos ad contribuendum ſuper decima & viceſima memoratis de ſpeciali gratia volumus non teneri.

Datum Lugduni VII. Kal. Octobris, Pontificatûs noſtri anno quarto. Id eſt anno Domini 1249.

Digitized by Google

CAPUT XLIII.

INNOCENTIUS IV. *Papa confirmat Privilegia, libertates, ac Donationes Monaſterii Canonicorum Regularium Ordinis Sanctæ Crucis,* * *Namurci, anno* 1254.

* Nomen Monaſterii: *Puteus electus S. Eligii.*

Ex Archivis domeſticis

INNOCENTIUS Epiſcopus Servus ſervorum Dei, omnibus in Chriſto dilectis filiis Priori Eccleſiæ Stæ. Crucis de Namurco & cunctis fratribus tam præſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis.

Religioſam vitam eligentibus Apoſtolicum per Nos convenit adeſſe præſidium, ne forte cujuſlibet temeritatis incurſus aut eos à propoſito revocet, aut robur (quod abſit) ſacræ Religionis infringat.

Qua propter dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Eccleſiam Stæ. Crucis de Namurco, quæ dicitur *Puteus S. Eligii*, Leodienſis Diœceſis, in qua divino eſtis mancipati obſequio, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis Scripti Privilegio communimus.

In primis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo Canonicus, qui ſecundum Deum & B. Auguſtini Regulam in cădem Eccleſiâ inſtitutus eſſe dignoſcitur.... Præterea quascumque poſſeſſiones, quæcumque bona eadem Eccleſia impręſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant.

In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum in quo prędicta Eccleſia ſita eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, uſuagiis, paſcuis, in boſco & plano, in aquis & molendinis, in viis, & ſemitis, & omnibus aliis libertatibus ſuis.

Sane Novalium veſtrorum, quæ propriis manibus aut ſumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, ſive de veſtrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præſumat. Liceat quoque vobis Clericos & abſolutos è ſæculo fugientes ad converſionem recipere, & eos abſque contradictione aliqua retinere.

Prohibemus inſuper, ut nulli Fratrum veſtrorum, poſt factam in Eccleſia veſtra profeſſionem fas ſit ſine Prioris ſui licentia (niſi arctioris Religionis obtentu) de eodem loco diſcedere; diſcedentem vero, abſque communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. Cum autem generale Interdictum terræ fuerit, liceat vobis clauſis januis, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, dummodo cauſam non dederitis Interdicto, ſuppreſſâ voce divina officia celebrare. Chriſma vero, Oleum ſanctum, conſecrationes Altarium ſeu Baſilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad Ordines fuerint promovendi, à Diœceſano ſuſcipietis Epiſcopo, ſiquidem Catholicus fuerit, & gratiam & communionem ſacroſanctæ Romanæ Sedis habuerit, & ea vobis voluerit ſine pravitate qualibet exhibere.

Prohibemus inſuper, ut infra fines Parochiæ veſtræ nullus, ſine aſſenſu Diœceſani & veſtro, Capellam ſeu oratorium de novo conſtruere audeat; ſalvis privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hæc, novas & indebitas exactiones ab Archiepiſcopis & Epiſcopis, Archidiaconis ſeu Decanis, aliiſque Eccleſiaſticis omnibus ſæcularibuſve perſonis, à vobis omnino fieri prohibemus.

Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi forte excommunicati vel interdicti ſint, aut etiam publicè uſurarii, nullus obſiſtat: ſalvâ tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, à quibus mortuorum corpora aſſumuntur.

Decimas præterea & poſſeſſiones, ad jus Eccleſiarum veſtrarum ſpectantes, quæ à Laïcis detinentur, redimendi & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad Eccleſias ad quas pertinent revocandi, libera ſit vobis de noſtra auctoritate facultas.

Obeunte vero te nunc ejuſdem loci Priore vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi quâlibet ſubreptionis aſtutiâ ſeu violentiâ præponatur, niſi quem Fratres communi conſenſu, vel eorum major pars conſilii ſanioris, ſecundùm Deum & Beati Auguſtini Regulam providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati veſtrę paterna in poſterum ſolicitudine providere volentes, auctoritate Apoſtolicâ prohibemus, ut infra clauſuras locorum ſeu grangiarum veſtrarum nullus rapinam ſeu furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temerè captare, vel interficere, ſeu violentiam audeat exercere.

Præterea omnes libertates & immunitates, à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus

Digitized by Google

ficibus Eccleſiæ veſtræ conceſſas, nec non & libertates & exemptiones ſæcularium exactionum, à Regibus & Principibus, velaliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, Auctoritate Apoſtolicâ confirmamus, & præſentis Scripti Privilegio communimus.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſerventur, eorum pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura; ſalvâ Sedis Apoſtolicæ authoritate.

Si qua igitur in futurum, Eccleſiaſtica ſeculariſve perſona, hanc noſtræ Conſtitutionis Paginam ſciens, contra eam temerè venire temptaverit; ſecundò tertiòve commonita, niſi reatum ſuum congruâ ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui careat dignitate reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetratâ iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri J. C. aliena fiat, atque in extremo examine dictrictæ ſubjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri J. C. quatenus & fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

✠ Ego Innocentius, Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Ego Stephanus Stæ. Mariæ trans-Tiberim Eccleſiæ Calixti Presbyter Cardinalis.

Ego Frater Johannes Eccleſiæ Sti. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis.

Ego Frater Hugo Eccleſiæ Stæ. Sabinæ Presbyter Cardinalis.

Ego Reinaldus Oſtienſis & Veliternenſis Epiſcopus.

Ego Stephanus, Prænestinus Epiſcopus.

Ego Riccardus, Sti. Angeli Diaconus Cardinalis.

Ego Octavianus, Stæ. Mariæ in-via-lata Diaconus Cardinalis.

Ego Joannes, Sti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis.

Datum Anagniæ permanum Guillielmi Magiſtri Scholarum Parmenſium, Stæ. Romanæ Eccleſiæ Vice-Cancellarii, Kal. Julii, Indictione duodecimâ, Incarnationis Dominicæ anno M. CC. LIV. Pontificatûs vero Domini Innocentii anno duodecimo.

CAPUT XLIV.

ALEXANDER IV. *Papa confirmat Erectionem Prioratus Vallis Scholarium Leuwis S. Leonardi, nunc Diœceſis Mechliniënſis, anno* 1256.

Ex Archivis Prioratus Leuwenſis.

ALEXANDER Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Priori Monaſterii Sti. Sulpitii in Lewis, ejuſque Fratribus, tam præſentibus quam futuris, regularem vitam profeſſis in perpetuum. Religioſam vitam eligentibus Apoſtolicum convenit adeſſe præſidium; ne forte cujuſlibet temeritatis incurſus aut eos à propoſito revocet aut robur (quod abſit) ſacræ Religionis infrigat.

Ea-propter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Monaſterium S. Sulpitii, in Leuwis, Leodienſis Diœceſis, in quo divino eſtis obſequio mancipati, ſub Beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis Scripti Privilegio communimus.

In primis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo Canonicus, qui ſecundùm Deum & B. Auguſtini Regulam atque Inſtitutionem Fratrum Vallis Scholarium in eodem Monaſterio inſtitutus eſſe dignoſcatur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur.

Præterea quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem Monaſterium in præſenſentiarum juſtè & pacificè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque Succeſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Locum ipſum, * in quo præfatum Monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis.

* Litteræ Fundationis vide Tomo III. Diplomat. Belgic. pag. 729.

Decimam, quam habetis in Parochia villæ, quę dicitur Leeuwe.

Decimam, quam habetis, in villa quæ Boyenhoven vocatur.

Terras, poſſeſſiones, prata, paſcua, & & molendina, quæ habetis in villa quæ vulgariter Leeuwis appellatur, cum pratis vineis, terris, nemoribus, uſuagiis, paſcuis, in boſco & plano, in aquis & molendinis, in viis & ſemitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus ſuis.

Sane Novalium veſtrorum, quæ propriis

manibus aut ſumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, ſive de veſtrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis Decimas exigere vel extorquere præſumat. Liceat quoque vobis Clericos vel Laïcos liberos & abſolutos è ſeculo fugientes ad converſionem, recipere, & eos abſque contradictione aliqua retinere.

Prohibemus inſuper, ut nulli Fratrum veſtrorum, poſt factam in Monaſterio veſtro profeſſionem fas ſit, ſine Prioris ſui licentia, de eodem loco (niſi arctioris Religionis obtentu) diſcedere: diſcedentem vero abſque communium litterarum veſtrarum cautione nullus audeat retinere.

Cum autem generale Interdictum terræ fuerit, liceat vobis clauſis januis, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce divina officia celebrare: dummodo cauſam non dederitis Interdicto. Chriſma vero, Oleum ſanctum, conſecrationes altarium ſeu baſilicarum, ordinationes Clericorum qui ad Ordines fuerint promovendi, à Diœceſano Epiſcopo recipietis, ſiquidem Catholicus fuerit & gratiam & communionem ſacroſanctæ Romanæ Sedis habuerit, & ea vobis voluerit ſine pravitate aliqua exibere.

Prohibemus inſuper, ut infra fines Parochiæ veſtræ nullus, ſine aſſenſu Diœceſani Epiſcopi & veſtro, Capellam ſeu oratorium de novo conſtruere audeat: ſalvis Privilegiis Pontificum Romanorum.

Ad-hæc novas & indebitas exactiones ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Archidiaconis ſeu Decanis, aliiſque omnibus Eccleſiaſticis ſœcularibuſve perſonis, à vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe decernimus; ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi forte excommunicati vel interdicti ſint, aut etiam publicè uſurarii, nullus obſiſtat: ſalvâ tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, à quibus mortuorum corpora aſſumuntur.

Decimas præterea & poſſeſſiones, ad jus Eccleſiarum veſtrarum ſpectantes, quæ à Laïcis detinentur, redimendi & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad Eccleſias ad quas pertinent revocandi, libera ſit vobis de noſtra auctoritate facultas.

Obeunte vero Te, nunc ejuſdem loci Priore, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentiâ præponatur, niſi quem Fratres communi conſenſu, vel major pars conſilii ſanioris, ſecundum Deum & B. Auguſtini Regulam providerit eligendum. Pacı quoque & tranquillitati veſtræ paterna impoſterum ſollicitudine providere volentes, Authoritate Apoſtolica prohibemus, ut infra clauſuras locorum & Congregationum veſtrarum nullus rapinam ſeu furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem tenêre capere vel interficere, ſeu violentiam audeat exercere.

Præterea omnes libertates ac immunitates à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus Monaſterio veſtro conceſſas, nec non libertates & exemptiones ſœcularium exactionum, à Regibus & Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, Auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis Scripti Privilegio communimus.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monaſterium temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare: ſed omnia integra conſerventur, eorum pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura: ſalvâ Sedis Apoſtolicæ Auctoritate, Diœceſani Epiſcopi canonica juſtitia, & in prædictis Decimis moderatione Concilii generalis.

Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſœcularisve perſona, hanc noſtræ Conſtitutionis Paginam ſciens, contra eam temerè venire temptaverit, ſecundò tertiòve commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui careat dignitate, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri J. C. aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ſubjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

✠ Ego Alexander Apoſtolicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Ego Odo Tuſculanus Epiſcopus.

Ego Stephanus Prænestinus Epiſcopus.

Ego Riquardus Sti. Angeli dictus Cardinalis.

Ego Octavianus Stę. Mariæ in Via-lata Diaconus Cardinalis.

Ego Petrus Sti. Georgii ad velum aureum Diaconus Card.

Ego Frater Johannes Tit. Sti. Laurentii in Lucina Presbyter Card.

Ego Frater Hugo Eccleſię Stę. Sabinæ Presbyter Cardin.

Datum Laterani, per manum Magiſtri R. ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Vice-Cancellarii, decimo Kalendas Februarii, Indictione XV. Incarnationis Dominicæ anno M. CC. LVI. Pontificatûs vero Domini Alexandri Papæ IV. anno tertio.

Digitized by Google

CAPUT XLV.

URBANUS IV. *Pontifex Privilegia, immunitateſque Abbatiæ Viconienſis, Ordinis Præmonſtratenſis, in Diœceſi Atrebatenſi, confirmat anno* 1262.

URBANUS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conventui Monaſterii Viconienſis, Ordinis Prœmonſtratenſis, Atrebatenſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Sacri veſtri Ordinis religio ſic vos dignos favoris gratiâ per excellentiam meritorum conſtituit, ut ea vobis libenti animo concedamus, per quæ materiâ ſummotâ gravaminis ſtatus veſtri tranquillitas procuretur. Hinc eſt, quod Nos veſtris precibus inclinati Authoritate vobis præſentium indulgemus, ut per gratias & indulgentias ſeu litteras quaſlibet quibuscumque Eccleſiis aut Eccleſiaſticis ſæcularibuſve perſonis ſub quacumque forma vel expreſſione verborum ab Apoſtolica Sede conceſſas, vel etiam concedendas, non facientes de Monaſterio & Ordine veſtro de hac indulgentia mentionem expreſſam, nullum vobis ac Privilegiis Apoſtolicis præjudicium generetur; nec gratiæ, indulgentiæ, ac Litteræ hujuſmodi ad veſtri Monaſterii diſpendium contra tenorem Privilegiorum prædictæ Sedis vobis indultorum aliquatenus extendantur.

Decernimus etiam, ut, ſi aliquid contra hujuſmodi conceſſionis noſtræ tenorem à quoquam extiterit propria temeritate præſumptum, ſit irritum & inane. Et ſi forte aliquæ ſententiæ in vos, ſeu Monaſterium veſtrum, vel loca veſtra à quocumque prolatæ fuerint, nullum robur obtineant firmitatis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ Conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Viterbii duodecimo Kalendas Julii, Pontificatûs noſtri anno primo.

NICOLAUS DE FONTANIS *Cameracenſis Epiſcopus eaſdem Exemptiones recognoſcit ann.* 1260. *&* 1271.

NICOLAUS Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus, univerſis præſentes Litteras inſpecturis ſalutem in Domino. Noverit univerſitas veſtra, quod, cum nobis conſtiterit, quod hactenus curtes ad Eccleſiam Viconienſem pertinentes ſitæ in noſtra Diœceſi, ab omni procuratione ſeu exactione aliqua Decanorum ruralium, ſive aliorum officialium noſtrorum abſolutæ & immunes extiterint: Nos volentes eandem Eccleſiam Viconienſem in libertate hujuſmodi conſervare, concedimus eidem Eccleſiæ tenore præſentium, ut curtes prędictæ, ſeu aliqua earum, ad eadem Eccleſiam pertinentes prædictis Decanis, ſeu alicui eorum, vel officialium noſtrorum annuam procurationem, ſive aliquam exactionem ſolvere impoſterum minimè teneantur, licet aliquando ibidem hoſpitati fuerint, vel de cætero in eiſdem curtibus, vel aliqua earum hoſpitentur de gratia ſpeciali.

Volumus autem, quod Presbyteri Parochiales Decanis ruralibus provideant, ſicut ab antiquo conſuevit fieri, extra curtes prædictas, niſi Magiſtri curtium ipſos de gratia ad ſuas curtes admittant.

In cujus rei teſtimonium & munimen, præſentes Litteras eidem Eccleſiæ Sigillo noſtro contulimus ſigillatas.

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo, feriâ quartâ poſt octavam Trinitatis.

NICOLAUS Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus, univerſis præſentes Litteras viſuris, ſalutem in Domino ſempiternam.

Noverit univerſitas veſtra, quod, cum Nos ad Eccleſiam Viconienſem quam pluries deſcenderimus (quod non meminimus nos feciſſe, niſi ab Abbate ejuſdem Eccleſiæ primitus rogati,) noſtræ intentionis nec extitit, aut eſt ad præſens, quod nos unquam ad Eccleſiam prędictam diverterimus cauſa procurationis percipiendæ ibidem: cum nullum jus unquam habuerimus, vel habeamus ad præſens in prædicta Eccleſia, vel in aliqua curte ipſius in noſtra Diœceſi exiſtente, aut alibi percipiendi eandem, vel aliquid nomine procurationis: recognoſcentes dictam Eccleſiam, aut curtes ejuſdem, quantum ad præmiſſa nobis in nullo fuiſſe vel eſſe penitus obligatas, præſentium teſtimonio litterarum.

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo primo, feriâ ſecundâ, poſt Ramos Palmarum. 1271.

Digitized by Google

CAPUT XLVI.

Formula antiqua Indulgentiarum, per NICOLAUM III. *Papam anno* 1279. *conceſſarum Eccleſiæ S. Albani Namurci, nunc Cathedrali.*

NIcolaus Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus præſentes Litteras inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Vitæ perennis gloria, quâ mira benignitas conditoris omnium beatam coronat aciem civium ſupernorum, à Redemptoris meritorum debet acquiri virtute. Inter quæ illud eſſe prægrande dignoſcitur, quod ubique, præcipue in Sanctorum Eccleſiis, majeſtas Altiſſimi collaudatur.

Rogamus itaque univerſitatem veſtram, & hortamur in Domino, in remiſſionem veſtrorum peccaminum injungentes, quatenus ad Eccleſiam S. Albani Namurcenſis, Leodienſis Diœceſis, imploraturi à Domino veniam delictorum, in humilitate ſpiritus accedatis. Vos enim, ut Chriſti fideles, quaſi per præmia ſalubriter invitamus ad merita de omnipotentis Dei miſericordia & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus.....

Quâ authoritate confiſi, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui eandem Eccleſiam devotè viſitaverint, annuatim in ſingulis B. Stephani Proto-Martyris, ac ipſius S. Albani feſtivitatibus, & per octo dies feſtivitates ipſas immediatè ſequentes, nec non & in Anniverſario die Dedicationis ipſius Eccleſiæ, unum annum, & quadraginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus.

Datum apud Urbem-Veterem, Nonis Septembris, Pontificatus noſtri anno tertio. (*id eſt, anno* 1279.)

CAPUT XLVII.

NICOLAUS IV. *Papa ad Erectionem Capituli Canonicorum in Eccleſia Collegiata..... Duſſeldorpii in Comitatu Montano per Adolphum Comitem Montium inſtituti, ulterius promovendam, deputat Abbatem Sigebergenſem anno* 1287.

NIcolaus IV. Epiſcopus Servus ſervorum Dei dilecto filio Abbati Monaſterii Siegebergenſis Ordinis S. Benedicti Colonienſis Diœceſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Ex parte dilecti filii Nobilis viri Adolphi Comitis de Monte Colonienſis Diœceſis fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut, cum ipſe zelo devotionis inductus in Eccleſia in Duſſeldorp ejuſdem Diœceſis, in qua Jus obtinet Patronatûs, divini numinis cultum cupiens ampliare, & fieri Collegiatam eandem, ordinandi in dicta Eccleſia certum Canonicorum numerum, quibus paratus eſt de bonis propriis ſufficientes aſſignare Præbendas, & ſibi conſtituendi Collegium Canonicorum uſque ad certum numerum, licentiam de benignitate Sedis Apoſtolicæ concedere curaremus.

Nos itaque ipſius deſiderium ex parte favore proſequi benevolo intendentes, diſcretioni tuę, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, cum venerabilis frater noſter Sifridus de Weſterburg Colonienſis Archi-Epiſcopus dicatur detineri captivus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus (ſi conſideratis diligenter circumſtantiis univerſis judices expedire) in prædicta Eccleſia eodem Comite favente, quod offert, de Canonicorum numero, de quo ipſi Comiti viſum fuerit, ordines, & eam Collegiatam fore authoritate noſtrâ ſtatuas; loci Diœceſani in omnibus jure ſalvo.

Data Reate Nonis Septembris, Pontificatûs noſtri anno primo.

CLEMENS V. *confirmat Erectionem Capituli Duſſeldorpienſis, anno* 1306.

CLemens Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectis filiis, & Capitulo Eccleſiæ Duſſeldorp Colonienſis Diœceſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Cùm à nobis petitur quod juſtum eſt & hone-

honeſtum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem Officii noſtri ad debitum perducatur effectum.

Sanè petitio veſtra nobis exhibita continebat, quod quondam Adolphus Comes de Monte, & Theodorus ſenior, & Theodorus junior, dicti de Elnere, Milites dictæ Diœceſis, de ſalute propria cogitantes, & cupientes terrena pro celeſtibus, & tranſitoria pro æternis ſalubriter commutare, idem Comes quatuor, & dicti Milites duas Præbendas in Eccleſia veſtra de Duſſeldorp Colonienſis Diœceſis de bonis propriis pro remedio animarum ſuarum, & parentum ſuorum de novo ordinârunt, & etiam dotaverunt, Venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi, & dilectorum Filiorum Capituli Colonienſis ad id accedente conſenſu, prout in patentibus Litteris inde confectis dictorum Archiepiſcopi, & Capituli, Comitis, & Militum prædictorum ſigillis munitis pleniùs dicitur contineri.

Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ſuper hoc piè, ac providè factum eſt, ratum & firmum habentes, id authoritate Apoſtolicâ confirmamus, & præſentis Scripti Patrocinio communimus.

Nulli ergò omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ Confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Burdigalæ Nonis Julii, Pontificatûs noſtri anno primo.

Bonifacius IX. *Pontifex confirmat ulteriorem Fundationem Capituli Duſſeldorpienſis anno* 1392.

Bonifacius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Devotionis affectus, quem dilectus Filius, Nobilis vir Wilhelmus Dux, & dilecta in Chriſto Filia, Nobilis mulier Anna Duciſſa de Monte, ad nos, & Romanam gerunt Eccleſiam, promeretur, ut votis eorum, in illis præſertim, quæ Divini cultûs augmentum conſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, annuamus.

Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dictorum Ducis & Duciſſæ petitio continebat, quòd cùm olim Eccleſia in Duſſeldorp Colonienſis Diœceſis, quæ ab olim Parochialis erat, in Collegiatam erecta, & in ea Decanatus ut Dignitas, & octo Canonicatus, & Præbendæ, ac duo Altaria canonicè fundata, erecta, & dotata fuiſſent, Dux & Duciſſa præfati, ad quos Patronatus dictæ Eccleſiæ pertinebat, prout pertinet, cupientes terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, de bonis eis à Deo collatis quindecim alios Canonicatus, & Præbendas, necnon Præpoſituram, Theſaurariam, & Scholaſteriam, & Cantoriam, & duodecim alia Altaria dotaverunt.

Ac Venerabilis Frater noſter Fridericus Archiepiſcopus Colonienſis loci Ordinarius, de conſenſu dilectorum Filiorum Capituli Colonienſis, hujuſmodi alios quindecim Canonicatus, & Præbendas, Præpoſituram, Theſaurariam, Scholaſteriam, & Cantoriam, necnon duodecim Altaria authoritate Ordinariâ inſtituit, & erexit; prout in Inſtrumento publico inde confecto dictorum Archiepiſcopi, & Capituli ſigillis munito, cujus tenorem de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus, pleniùs continetur.

Quare pro parte Ducis & Duciſſæ prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut fundationi, dotationi, & erectioni hujuſmodi, ac aliis in eodem Inſtrumento contentis robur Apoſtolicæ Confirmationis adjicere, ipſiſque Duci, & Duciſſæ, ac eorum Succeſſoribus & hæredibus Jus Patronatûs, ac præſentandi Præpoſitum, Decanum, Theſaurarium, Scholaſticum, & Cantorem, nec non Canonicos, & Rectores Altarium dictæ Eccleſiæ, in perpetuum reſervare de benignitate Apoſtolica dignaremur. *Hic inſerta approbatio, ſeu erectio Archiepiſcopalis incipit.*

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Fridericus Dei gratiâ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, univerſis præſentes Litteras inſpecturis, vel audituris, ſalutem in Domino, & rei cognoſcere veritatem. Curam commiſſi nobis gregis diligenter exequimur, & agitamus, cùm &c.

Datum Bonnæ anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſecundo, undecimâ die menſis Julii.

Nulli ergò omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ Confirmationis, communitionis, ſupplicationis, & reſervationis infringere, aut ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum tertio Nonas Novembris, Pontificatûs noſtri anno quarto.

Digitized by Google

CAPUT XLVIII.

BONIFACIUS VIII. *Papa Controverſiam inter Paſtores Gandavenſes & Fratres Minores ibidem, pro ſepultura corporum, per ſententiam definit anno* 1295.

Ex Archivis Abbatiæ S Petri Gandavi.

BONIFACIUS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conventui Monaſterii ſancti Petri de Gandavo, Ordinis ſancti Benedicti, ſanctæ Mariæ, ſancti Joannis, ſancti Nicolai, & ſancti Jacobi Parochialium Eccleſiarum loci ejuſdem Patronis, Tornacenſis Diœceſis, & Henrico, dicto Cardinali, Rectori ejusdem Eccleſiæ Sancti Jacobi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Petitio veſtra nobis exhibita continebat, quod cum olim inter Vos, filii Abbas & Conventus, & quemdam Henricum de Meeren, tunc Rectorem Eccleſiæ ſancti Jacobi de Gandavo ex parte una, & Gardianum & Fratres prædicti loci ex altera, ſuper eo, quod vos dicebatis jus non eſſe præfato Guardiano & Fratribus ſepeliendi corpora paſſim omnium parochianorum prædicti ſancti Jacobi, ac ſanctæ Mariæ, ſancti Joannis, & ſancti Nicolai Eccleſiarum, prædicti loci de Gandavo; in quibus vos prædicti Abbas, & Conventus, Jus Patronatus habetis, decedentium, qui apud præfatos Fratres eligunt ſepeliri;

Eiſdem Guardiano & Fratribus aſſerentibus ex adverſo, quod eis Jus hujuſmodi competebat; orta fuiſſet materia queſtionis: demum fuit à partibus ſuper hoc pro bono pacis in Romanum Pontificem concorditer compromiſſum; ac eædem partes compromiſerunt, præſtitis juramentis firmiter obſervare, quidquid idem Romanus Pontifex, auditis & inſpectis rationibus & juribus partium prædictarum, componendo ordinando ſeu ſtatuendo de alto & baſſo ſuper prædictis pronunciandum duceret vel dicendum.

Supplicantes eidem Romano Pontifici, ut defectum, ſi quis in hujuſmodi Compromiſſo exiſteret, ſuâ auctoritate ſuppleret.

Procuratoribus autem dictarum partium propter hoc apud Sedem Apoſtolicam conſtitutis, felicis recordationis *Nicolaus Papa IV.* prædeceſſor noſter bonæ memoriæ, Jordano ſancti Euſtacii Diacono Cardinali negotium hujuſmodi Compromiſſi, de ipſarum partium voluntate commiſit. Coram quo præfatis procuratoribus comparentibus, ac factâ ſibi de ipſorum procuratoriis plenâ fide, libellos oblatos ei à procuratoribus ipſis recepit. In quorum altero præfatus Procurator veſtrorum Abbatis & Conventûs & ejuſdem Henrici tunc viventis, procuratorio nomine veſtro & ipſius Henrici propoſuit,

Quod, cum eâ occaſione, quod prædicti Guardianus & Fratres corpus quondam Agnetis mulieris, Parochianæ ſupradictæ Eccleſiæ Sancti Joannis, eorum cimiterio tradiderunt Eccleſiaſticæ ſepulturæ, inter ipſos Guardianum & Fratres ex parte unâ, & Vos præfati Abbas & Conventus, ac Presbyteros Eccleſiarum prædictarum ex altera parte, ſuborta fuiſſet tandem quæſtio, & ipſa extiterat per quamdam Compoſitionem amicabiliter terminata, inter alia continentem.

Quod dicti Guardianus & Fratres, ſalvo jure Eccleſiarum, à quibus mortuorum corpora aſſumuntur, annis ſingulis quatuor perſonas de Patronatu veſtro infra Gandavum, quæ apud ipſos Fratres elegerint ſepeliri, & quas idem Guardianus & Fratres ſepelire voluerint, poſſint in ſuo cimiterio ad Eccleſiaſticam recipere ſepulturam: Abbatis & Prioris veſtri Monaſterii primitus requiſito, licet non obtento conſenſu; & plures quam quatuor, ſi vos prædicti Abbas & Conventus veſtrum præbueritis ad hoc conſenſum.

De Patronatu vero veſtro extra Gandavum aliquos ad Eccleſiaſticam ſepulturam in eorum cimiterio non poſſint recipere, niſi veſtro requiſito conſenſu primitus & obtento.

Et quod vos extraneos exiſtentes alterius Patronatûs, in dicto loco de Gandavo domicilium non habentes, decedentes ibidem, vel extra Patronatum prædictum, qui apud dictos Fratres ſepulturam elegerint, ſepeliri non impedietis, nec etiam contradictionis obicem apponetis. Et quod ratione ejuſmodi ſepulturæ nihil juris de Patronatu veſtro prædicto, quod ſuperius eſt expreſſum, dicti Guardianus & Fratres vendicabunt.

Et quod præfatam Compoſitionem idem Guardianus & Fratres per eorum patentes Litteras, eorum Sigillo ſignatas, promiſerunt bonâ fide tenêre.

Et deinde Generalis exiſtens in Capitulo generali, & Adminiſtrationis Franciæ Provincialis, Miniſtri dicti Ordinis Fratrum

Digitized by Google

Minoruum, nec non loci Diœceſanus, Compoſitionem hujuſmodi approbarunt, & confirmarunt Compoſitionem eandem, quæ fuerat etiam (ut idem Procurator dicebat) longo tempore à partibus pacificè obſervata.

Quare petebat idem Procurator veſter, præfati Henrici Procuratoris nomine, per præfatum Summum Pontificem ordinari, ſtatui & declarari, Compoſitionem dictam & quæ in ea continentur obſervanda eſſe, dictoſque Guardianum & Fratres ipſam obſervare debere, & ad eorum obſervantiam eos Auctoritate Apoſtolicâ compelli, ac etiam, eâdem Auctoritate per dictum Cardinalem pronuntiari obſervanda eſſe & obſervari debere prædicta.

In alio vero libello, per præfatum Procuratorem dictorum Guardiani & Fratrum Minorum porrecto, Procurator ipſo procuratorio nomine ipſorum Guardiani & Fratrum petebat, dictam Compoſitionem caſſari, ſeu caſſam & irritam nunciari, quam nullam eſſe dicebat; & decrevit liberum exiſtere, apud ipſos Fratres Minores ſepeliendi omnes qui apud eos eligerent ſepeliri; ac etiam inhiberi vobis, præfati Abbas, & Conventus, & Rectori prædicto, ne ipſos ſuper hoc, prętextu dictæ Compoſitionis impediretis, ſeu impedire poſſetis.

Lite autem ſuper eiſdem libellis inter eoſdem Procuratores legitimè conteſtatâ, & habitis in hujuſmodi cauſa quibuſdam proceſſibus coram Cardinali prædicto; idem Procurator veſter prædicti Abbatis & Conventûs, præfati Rectoris præſente procuratore, partis alterius quaſdam autenticas Litteras ad ſuam intentionem fundandam coram eodem Cardinali produxit.

Per quas conſtabat, factam præfatam Compoſitionem fuiſſe, & etiam confirmatam per Epiſcopum Tornacenſem & Generalem, ac Provinciales Miniſtros atque Cuſtodes prædicti Ordinis Fratrum Minorum, tamquam in cauſa ipſa coram eodem Cardinali diutius diſputatum, ac .... rationes exhibitæ hinc inde fuiſſent. Tandem iidem Procuratores renuntiantes omnibus aliis rationibus juris & facti, in cauſa hujuſmodi concluſerunt, petentes expreſſè ſuper his ſententiam promulgari.

Factâ igitur ſuper præmiſſis per eundem Cardinalem, piæ memoriæ Honorio Papæ quarto prædeceſſori noſtro relatione fideli, placuit eidem Prædeceſſori; & dicto Cardinali commiſit, oraculo vivæ vocis, ut auctoritate ſuâ ordinaret & faceret Compoſitionem ipſam firmiter obſervari.

Unde prælibatus Cardinalis, ad petitionem *Jacobi dicti Albi de Axella*, & *Joannis dicti de Nieuwant*, Procuratorum veſtrorum prędicti Abbatis & Conventûs, ac Rectoris præfati, citari fecit peremtoriè, (ut eſt moris) præfatos Guardianum & Fratres, & quamlibet aliam legitimam perſonam volentem comparere pro eis.

Et etiam perſonaliter Fratrem Ricardum de Niſſa prædicti Ordinis Fratrum Minorum, tamquam Procuratorem totius Ordinis Fratrum Minorum, tunc in Romana Curia exiſtentem; nec non & Magiſtrum Renaldum de Seria, qui dicebatur Procurator ſubſtitutus in quibuſdam negotiis atque cauſis prædicti Ordinis Fratrum Minorum, ſi ſuâ crediderit intereſſe, ad dictam diem, ad audiendum quid ſuper præmiſſis eidem Cardinali Auctoritate hujuſmodi Commiſſionis à præfato prædeceſſore noſtro Honorio ſpecialiter ſibi factæ præter partes mandaret; ac etiam ordinaret dictis nominatis *Jacobo* & *Joanni* Procuratoribus veſtris, ac ejuſdem Rectoris, coram eodem Cardinali comparentibus;

Dictiſque Fratre Ricardo & Rainaldo dicentibus & proteſtantibus, ſe Procuratores ad hujuſmodi cauſam non eſſe, nec velle coram dicto Cardinali ut procuratores in ipſa cauſa comparere;

Et nullo alio pro parte dictorum Guardiani & Fratrum Procuratore legitimo comparente; idem Cardinalis in ipſorum Guardiani & Fratrum contumaciam Compoſitionem prædictam inter Vos, præfati Abbas & Conventus ac Presbyteros ex una parte, & eoſdem Guardianum & Fratres ex altera parte, factam de ſpeciali voluntate ac mandato à prædicto prædeceſſore Honorio in Conſiſtorio, vivæ vocis oraculo ſibi facto, mandavit & ordinavit, à dictis Guardiano & Fratribus, ac à vobis & à dicto Rectore obſervandam & tenendam eſſe, ac debere inviolabiliter obſervari; prout in Inſtrumento publico inde confecto, dicti Cardinalis ſigillo ſignato, plenius continetur.

Nos igitur, veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ab eodem Cardinali ſuper præmiſſis factum eſt, ratum & gratum habentes, illud auctoritate Apoſtolicâ confirmamus, & præſentis Scripti Patrocinio communimus: tenorem ipſius Inſtrumenti de verbo ad verbum inſeri facientes, qui talis eſt.

Inſtrumentum Conſtitutionis.

In nomine Domini, Amen. Cum inter Religioſos Viros Abbatem & Conventum Monaſterii Sancti Petri Gandavenſis, Ordinis ſancti Benedicti, Tornacenſis Diœceſis, Patronos Sanctæ Mariæ, Sancti Joannis, Sancti Nicolai, & Sancti Jacobi, Gandavenſium Parochialium Eccleſiarum, & Henricum Rectorem prædictæ Eccleſię Sancti Jacobi ex una parte, & Guardianum & Conventum Fratrum Minorum Gandavenſium ex altera, orta fuiſſet materia quæſtionis, & controverſia ſuſſitata, ſuper eo quod dicti Abbas & Conventus, ac Rector dicebant, Jus non eſſe, eiſdem Guardiano & Conventui Fratrum

Minorum, ſepeliendi paſſim corpora omnium Parochianorum Eccleſiarum prædictarum, qui apud ipſos Fratres ſeu in eorum cimiteriis, cum decedunt, eligunt ſepeliri: dictis Guardiano & Conventu dicentibus ex adverſo, liberrum ſibi eſſe ſepeliendi in ſuo cimiterio paſſim corpora omnium Parochianorum prædictorum, qui apud ipſos Guardianum & Fratres, ſeu in eorum Cemiterio eligunt ſepulturam.

Tandem ab ipſis Abbate & Conventu Monaſterii Sancti Petri, & Henrico Rectore Sancti Jacobi, ac à Guardiano & Conventu Fratrum Minorum Gandenſium, ſuper præmiſſis, & ea tangentibus ac pertinentibus ad eadem, pro bono pacis, in Sanctiſſimum Patrem Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummum Pontificem extitit concorditer compromiſſum.

Ac eædem partes promiſerunt, præſtitis corporaliter juramentis, firmiter obſervare, quidquid idem ſummus Pontifex (auditis & inſpectis rationibus & Juribus partium prædictarum) componendo, ordinando, ſeu ſtatuendo de alto & baſſo, ſuper prædictis pronunciandum duxerit aut dicendum.

Supplicantes nihilominus eidem ſummo Pontifici, quod defectum, ſi quis eſſet in hujuſmodi compromiſſo, ſuâ auctoritate ſuppleret.

Conſtitutis itaque apud Sedem Apoſtolicam Procuratoribus legitimis, ſuper hoc ſpecialiter ab iiſdem Partibus Deputatis, videlicet *Joanne de Nieuwant*, pro parte Abbatis & Conventûs Sancti Petri Monaſterii, ac Henrici Rectoris prædictorum, & Fratribus *Joanne de Volmers* & *Petro de Bolonia*, Ordinis Fratrum Minorum, Procuratorio nomine dictorum Guardiani & Conventûs Fratrum Minorum, & ipſorum etiam Fratrum *Joannis & Petri* Procuratoris & Miniſtri Generalis ipſius Ordinis Fratrum Minorum approbatione interveniente expreſſâ, felicis recordationis Dominus *Nicolaus Papa quartus* nobis Jordano miſeratione divinâ Sancti Euſtachii Diacono Cardinali negotium hujuſmodi Compromiſſi commiſit audiendum, de partium voluntate.

Comparentibus igitur coram Nobis Procuratoribus ſupradictis, ac petentibus & ſupplicantibus, quod prædictum nobis commiſſum negotium audiremus; Nos audientiam ipſius negotii, de ipſorum Procuratorum voluntate, juxta Mandatum Apoſtolicum aſſumentes, factâ nobis de ipſorum procuratoriis & compromiſſo hujuſmodi plenâ fide, quaſdam queſtiones ſeu libellos recepimus, per prædictos Procuratores partium hinc inde oblatos.

In quorum altero dictus Joannes Procurator, procuratorio nomine Abbatis & Conventûs, ac Rectoris prædictorum propoſuit; quod cum olim ſuper eo, quod præfati Guardianus & Conventus Fratrum Minorum corpus *Agnetis* Parochianæ Eccleſiæ Sancti Johannis de Gandavo, (in qua Parochia dicti Abbas & Conventus Jus obtinent Patronatûs, & certam de dictæ Eccleſiæ proventibus percipiunt portionem) in cemiterio ſuo eccleſiaſticæ tradiderunt ſepulturæ; quod idem Abbas & Conventus in præjuditium ſuum & prædictæ Parochiæ aſſerebant eſſe factum;

Inter ipſos Fratres Minores ex parte una, & dictos Abbatem & Conventum Patronos Sanctæ Mariæ, Sancti Joannis, Sancti Nicolai & Sancti Jacobi Parochialium Eccleſiarum ejuſdem loci, in quibus Eccleſiis idem Abbas & Conventus de proventibus & obventionibus ipſarum Eccleſiarum certam percipiunt portionem, & Presbyteros Eccleſiarum ipſarum ex altera, queſtio ſuborta fuiſſet; tandem pro bono pacis & concordiæ amicabilis compoſitio ad invicem facta fuit, in eum modum.

Quod dicti Guardianus & Conventus (ſalvo Jure Eccleſiarum, de quibus mortuorum corpora aſſumuntur) annis ſingulis quatuor perſonas de Patronatu dictorum Abbatis & Conventûs infra Gandavum, quæ apud ipſos Fratres elegerint ſepeliri, & quas iidem Guardianus & Conventus ſepelire voluerint, poſſint in ſuo cimiterio ad Eccleſiaſticam recipere ſepulturam; Abbatis vel Prioris dicti Monaſterii aſſenſu primitus requiſito, licet non obtento. Et plures quam quatuor, ſi dicti Abbas & Conventus conſenſum ſuum duxerint adhibendum.

De Patronatu vero dictorum Abbatis & Conventûs extra Gandavum, non poſſint aliquos ad Eccleſiaſticam in ipſorum cemiterio recipere ſepulturam: niſi prædictorum Abbatis & Conventûs conſenſu requiſito primitus & obtento.

Et quod iidem Abbas & Conventus extraneos alterius Perſonatûs exiſtentes domicilium in Gandavo non habentes, decedentes ibidem, vel extra Perſonatum prædictum, qui apud ipſos Fratres Minores elegerint ſepulturam, ſepeliri non impedient, nec contradicent.

Et quod ratione ſepulturæ nihil juris de Perſonatu dictorum Abbatis & Conventûs, quam ſuperius eſt expreſſum, dicti Guardianus & Conventus Fratrum Minorum imposterum vendicabunt.

Quam Compoſitionem ipſi Guardianus atque Conventus per patentes Litteras ſuo ſigillatas ſigillo, promiſerunt bonâ fide tenêre. Et inſuper Miniſter Provincialis Fratrum Minorum in Francia, & Cuſtos Fratrum Minorum exiſtens in Capitulo generali, Epiſcopus quoque loci Diœceſanus approbarunt & confirmarunt Compoſitionem eandem. Quæ fuit etiam inter dictas Partes longo tempore pacificè obſervata.

Quare dum prædicti Guardianus & Conventus

Digitized by Google

ventus Fratrum Minorum de Gandavo præfatam Compoſitionem infringere conarentur, & renuerent obſervare, petiit idem Joannes de Nieuwant, Procuratorio nomine ſupradicto, per ſummum Pontificem (in quem ſuper præmiſſis & ea tangentibus pro bono pacis à prædictis partibus de alto & baſto extiterat compromiſſum) ordinari, ſtatui & declarari Compoſitionem hanc dictam, & quæ in ea continentur, obſervanda eſſe, & perdictos Guardianum & Conventum Fratrum Minorum ipſa obſervare debere, & ad obſervationem eorum ipſos Auctoritate Apoſtolica compelli, & etiam per nos auctoritate eâdem pronuntiari, obſervanda eſſe, & obſervari debere prædicta.

In altero vero oblato libello, ſeu petitione coram Nobis per Fratrem *Petrum* Ordinis Fratrum Minorum, Procuratorem prædictum, Procuratorio nomine partis ſuæ, idem Frater *Petrus* Procurator Compoſitionem initam inter Guardianum & Fratres Minores de Gandavo, ac Abbatem & Conventum Monaſterii Sancti Petri, & Rectorem Eccleſiæ Sancti Jacobi memoratos, ſuper Jure ſepulturæ in ipſorum Fratrum præjudicium & gravamen, petebat caſſari, ſeu caſſam & irritam pronuntiari: cum eadem Compoſitio nulla eſſet.

Et eâ caſſatâ & irritâ nuntiatâ, nunciatâ, decerni, Jus liberum conſiſtere apud ipſos Fratres Minores ſepeliendi omnes & quoſcumque à dicta Villa Gandenſi, ubicumque & quotcumque, qui apud ipſos Fratres elegerint ſepeliri.

Ac etiam inhiberi Abbati & Conventui, ac Rectori memorato, ne impediant, vel impedire valeant, prætextu Compoſitionis prædictæ, quo minus ipſi omnes ipſos poſſint liberè ſepelire, qui apud ipſos Fratres ſepulturam duxerint eligendam.

Super his autem libellis ſeu petitionibus per procuratores eoſdem, lite conteſtatâ, habitis quoque in ipſa cauſa quibuſdam Proceſſibus coram Nobis, dictus Joannes procuratorio nomine Abbatis & Conventûs, ac Rectoris Eccleſiæ Sancti Jacobi prædictorum, præſente procuratore partis alterius ad ſuam intentionem fundandam, exhibuit inter cætera coram nobis patentes Litteras Miniſtri Provincialis Franciæ, & Cuſtodis Flandriæ Fratrum Minorum, ac Guardiani & Conventûs Fratrum Minorum Gandenſium, item alias Litteras religioſi viri Fratris *Joannis* Miniſtri generalis Ordinis Fratrum Minorum, ac inſuper Litteras Epiſcopi Tornacenſis loci Diœceſani (ſigillis ipſorum pendentibus ſigillatas) prout Procuratores partium prædictarum coram nobis confeſſi fuerunt. Ex quibus Litteris patet evidenter, ſupradictam Compoſitionem factam & initam fuiſſe inter memoratos Abbatem & Conventum S. Petri Gandavenſis, ac per veſtros parochianos Patronatûs eorum infra Gandavum, ex parte unâ, & Guardianum & Conventum Fratrum Minorum Gandenſium ex altera, & etiam confirmatam per ſupra-dictos Epiſcopum, Generalem, & Provincialem Miniſtros, atque Cuſtodem.

Cumque fuiſſet coram nobis in cauſâ ipſâ diutius diſputatum, multæque rationes Juris exhibitæ, & plura alia hinc inde dicta & allegata fuiſſent, præfati *Joannes de Nieuwant*, & Frater *Petrus de Bolonia* Procuratores partium volentes in hoc negotio ſeu cauſâ concludere, renunciarunt coram Nobis omnibus aliis exceptionibus juris & facti, & in negotio, ſeu cauſâ, vel queſtione hujuſmodi concluſerunt. Supplicantes, & petentes expreſſè ſuper his Sententiam promulgari.

Factâ igitur ſuper prædictis relatione Sanctiſſimo Patri & Domino, Domino Honorio Papæ quarto, per nos Jordanum miſeratione divinâ Sancti Euſtacii Diaconum Cardinalem, placuit eidem Domino noſtro; & nobis in Conſiſtorio commiſit oraculo vivæ vocis, ut ſua auctoritate ordinaremus & mandaremus, Compoſitionem ipſam, ut infra ſequitur, per Abbatem & Conventum Monaſterii Sancti Petri, atque Rectorem Sancti Jacobi, & Guardianum & Conventum Fratrum Minorum de Gandavo prædictos, firmiter obſervari.

Unde nos, ad petitionem & inſtantiam *Jacobi dicti Albi de Axella*, *& Joannis de Nieuwant*, procuratorum Abbatis & Conventûs, ac Rectoris Eccleſiæ Sancti Jacobi prædictorum, citari peremtoriè fecimus in Audientiâ publicâ (ut eſt moris) ipſos Guardianum & Fratres Minores de Gandavo, & quamlibet aliam legitimam perſonam, volentem comparere pro eis; ac etiam perſonaliter Fratrem Ricardum de Niſſa, Ordinis Fratrum Minorum, tamquam Procuratorem totius Ordinis Fratrum Minorum in Romana Curia exiſtentem, & Magiſtrum Reynaldum de Setia, qui dicebatur Procurator inſtitutus in quibuſdam negotiis & cauſis Ordinis Fratrum Minorum (ſi ſuâ crediderit intereſſe) ad hodiernum diem, ad audiendum quid ſuper prædictis autoritate Commiſſionis à prædicto Domino noſtro ſummo Pontifice ſpecialiter nobis factæ, inter partes prædictas duceremus mandandum ac etiam ordinandum.

Præſentibus itaque coram nobis, prænominatis Jacobo & Joanne Procuratoribus, nomine prædictorum Abbatis & Conventûs Monaſterii Sancti Petri, & Henrici Rectoris prædicti, Fratre Ricardo, & Magiſtro Raynaldo de Setia, dicentibus & proteſtantibus coram nobis, ſe Procuratores ad iſtud negotium ſive cauſam non eſſe, nec velle coram nobis ut Procuratores in iſta cauſa ſeu negotio comparêre, nulloque alio pro parte prædictorum Guardiani &

Conventûs Fratrum Minorum Gandavenſium Procuratore legitimo comparente, in ipſorum contumaciam; Nos *Jordanus*, miſeratione divinâ Sancti Euſtachii Diaconus Cardinalis, ſupradictam Compoſitionem factam inter præfatos Abbatem & Conventum Monaſterii Sancti Petri de Gandavo, Ordinis Sancti Benedicti, Tornacenſis Diœceſis, & Presbyteros parochiales Patronatûs eorum intra Gandavum ex parte una, ac Guardianum & Conventum Fratrum Minorum de Gandavo prædictos ex altera: videlicet quod ipſi Guardianus & Conventus FF. Minorum de Gandavo annis ſingulis quatuor perſonas de Patronatu dictorum Abbatis & Conventûs intra Gandavum, & quę apud ipſos elegerint ſepeliri, & quos voluerint, dicti Guardianus & Conventus poſſint recipere in eorum cimiteriis ad eccleſiaſticam ſepulturam; ipſius Abbatis, & Prioris, ſi Abbas abſens fuerit, vel illius qui Conventui præerit, ſi ipſos Abbatem & Priorem abeſſe contigerit, ſuper ſepeliendo corpore conſenſu, (quem horâ competenti & ad ſepeliendum opportuna adhibere teneantur) primitus requiſito.

Dictum Sententiæ

Quem conſenſum ſi dicti Abbas vel Prior, vel ille qui Conventui præerit, non adhibuerint modo prædicto, ipſi Guardianus & Conventus nihilominus poſſint ipſas quatuor perſonas, de Perſonatu dictorum Abbatis & Conventûs in Gandavo, annis ſingulis ſepelire; ut ſuperius eſt expreſſum. Salvo ſemper tamen Jure Eccleſiarum illarum, à quibus mortuorum corpora aſſumuntur.

Ac etiam poſſint iidem Guardianus & Conventus annis ſingulis de Patronatu dictorum Abbatis & Conventûs infra Gandavum, & qui apud ipſos Fratres elegerint ſepeliri, plures recipere, ſi Abbas & Conventus prædicti conſenſum ſuum duxerint adhibendum.

Nec poſſint iidem Guardianus & Conventus aliquos de Perſonatu ipſorum Abbatis & Conventus Monaſterii Sancti Petri de Gandavo, extra Gandavum (niſi conſenſu ipſorum Abbatis & Conventus ſuper iis requiſito primitus & obtento) ad Eccleſiaſticam recipere ſepulturam.

Et inſuper quod iidem Abbas & Conventus Monaſterii Sancti Petri de Gandavo extraneos alterius Perſonatûs exiſtentes, domicilium in Gandavo non habentes, decedentes ibidem, vel extra Patronatum prædictum, qui apud ipſos Fratres Minores elegerint ſepulturam, ſepeliri non impedient, nec contradicent.

Et quod etiam prædicti Guardianus, & Conventus Fratrum Minorum de Gandavo, ratione ſepulturæ prædictæ nihil Juris de Patronatu dictorum Abbatis & Conventûs Monaſterii Sancti Petri de Gandavo (quod ſuperius expreſſum eſt) impoſterum vendicabunt.

Quam Compoſitionem præfati Epiſcopus Tornacenſis, Miniſter Franciæ, Cuſtos Flandriæ, & Miniſter Generalis Ordinis Fratrum Minorum, per ſuas Litteras confirmarunt, & Nos de ſpeciali voluntate & mandato à Sanctiſſimo Patre, & Domino, D. *Gregorio Papa quarto* in Conſiſtorio, vivæ vocis oraculo nobis facto mandamus & ordinamus, per prædictos Guardianum & Conventum Fratrum Minorum de Gandavo, & per Abbatem & Conventum Monaſterii Sancti Petri, ac etiam per Procuratorem Eccleſiæ Sancti Jacobi ſupra-dictos obſervandam eſſe; ac per eoſdem proximè dictam Compoſitionem debere firmiter & inviolabiliter obſervari; contra ipſam, ſeu in ejus præjudicium, per aliquam partium prædictarum nihil impoſterum attemptando.

In quorum teſtimonium & evidentiam pleniorem, præſentibus Sigillum noſtrum duximus apponendum.

Actum Romæ in hoſpitio in quo moramur, anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſeptimo, Indictione quintâ-decimâ, Pontificatûs Domini Honorii Papæ quarti, anno ſecundo, menſis Martii die tertio; præſentibus diſcretis Viris, Domino *Neapoleone de filiis Urſi*, Canonico Pariſienſi, Magiſtris *Matthæo de Neapoli* Domini noſtri Papæ Capellano, & *Ranulpho de Boſco*, Doctore Decretorum, *Joanne de Zagarolo*, Archipresbytero, *Setimio Georgio*, de Interamnis, & *Ferrifio de Camereto* Notario; teſtibus & nihilominus prędicta omnia per *Danielem* Notarium infraſcriptum, ſcribi & in publicam formam redigi fecimus. 1287.

Et ego *Daniel Guidonis Conam*, Coriſopitenſis Diœceſis, Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ auctoritate Notarius publicus, unà cum teſtibus prænominatis prædictis interfui, menſe, die, loco præfatis, & de mandato dicti Domini Cardinalis, de prædictis præſens publicum Inſtrumentum ſcripſi, & ea in publicam formam redegi, & conſueto ſigno meo ſignavi.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ Confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire.

Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Laterani decimo-ſexto Kal. Martii, Pontificatûs noſtri anno primo.

FF. Minores vix ab anno 1226. intra urbem Gandavenſem admiſſi (vide Diploma Waltheri Tornac. Epiſcopi, & conditiones admiſſionis Tom. III. Dipl. Belgicor. pag. 678.) ceperunt corpora defunctorum parochianorum, invitis Paſtoribus ſepelire. Hinc orta lis Romæ; quam

Digitized by Google

contra eoſdem Fratres definivit Bonifacius VIII. Pontifex, per Bullam hanc datam anno 1295.

De hiſce rixis FF. Minorum contra Parochos & Clerum ſæcularem vide notabilia, apud Meyerum in Annalibus Flandriæ ad annum 1285.

Fuit etiam eo tempore Archidiaconus ac Canonicus in Eccleſia Tornacenſi Mgr. Henricus de Gandavo, S. T. Doctor celeberrimus, qui ſuſtinuit authoritatem Epiſcoporum ac Parochorum contra opiniones Ordinum Mendicantium.

CAPUT XLIX.

BONIFACIUS VIII. *Pontifex concedit Privilegium Prioriſſæ ac Monialibus de Auwerghem Ordinis S. Dominici juxta Bruxellam, ut in tribus Parochiis ſui Juris Patronatûs (nempe Buſcoducis, Waetermaele & Ekerna) conſtituant Parochos Regulares ex Ordine FF. Prædicatorum; datum anno 1296.*

Ex Archivis prædicti Prioratus.

BONIFACIUS Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſæ & Conventui Monaſterii (1) Vallis Duciſſæ Cameracenſis Diœceſis, ſecundum Regulam B. Auguſtini viventibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Devotionis veſtræ ſinceritas nos inducit, ut vos ſalubribus inſiſtentes operibus dono ſpecialis favoris & gratiæ proſequamur. Porrecta ſiquidem nobis veſtra petitio continebat, quod in de (2) *Buſcoducis* & in de (3) *Ekerne* Leodienſis Diœceſis, & in de (4) *Waetermaele* Cameracenſis Diœceſis Eccleſiis Jus Patronatûs noſcimini obtinere.

Quare nobis humiliter ſupplicaſtis, ut cedentibus vel decedentibus Rectoribus Eccleſiarum ipſarum, Sacerdotes & Clericos, per Vos ad dictas Eccleſias præſentandos, habitu veſtro induere, ac indutos ad dictas Eccleſias locorum Ordinariis præſentare, animarum curam & ſacros etiam Ordines recepturos ab eiſdem, ac etiam ipſos ad veſtrum revocare Monaſterium, & alios idoneos loco eorum, prout & quantum expedire videritis, præſentare licitè valeatis, Vobis concedere curaremus.

Nos itaque, Veſtris ſupplicationibus inclinati, Vobis, ut cedentibus vel decedentibus Rectoribus ſupradictis, per Vos ad præfatas Eccleſias præſentandos, eodem habitu decenter & honeſtè induere, ac indutos Ordinariis ipſis præſentare ad Eccleſias memoratas, à quibus Curam & Ordines eoſdem recipere valeant, ac etiam ipſos ad veſtrum revocare Monaſterium, & alios idoneos loco eorum (ſicut præmittitur) præſentare, prout & quando expedire videbitis, Authoritate præſentium indulgemus. (5)

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ Conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſexto Idus Januarii, Pontificatûs noſtri anno primo.

(1) VALLIS-DUCISSÆ. Nomen habet hoc Monaſterium de Auderghem, ex eo quod in valle ſilvæ Soniæ ſitum, ab Aleyde Duciſſa Brabantiæ anno 1270. fundatum fuerit. Cujus conjux Henricus VI. Brabantiæ Dux, dum in FF. Prædicatores beneficus, Lovanienſe Monaſterium fundavit & ædificavit; ipſa non minus erga Moniales ejuſdem Ordinis extitit liberalis. Obiit ille anno 1260, ipſa 1273, ſepulti ambo Lovanii in Choro Prædicatorum.

(2) BUSCUM-DUCIS, Brabantiæ urbs, Hollandis ſubdita. Jus Patronatus Eccleſiæ S. Joannis Evangeliſtæ (dein Cathedralis) circa annum 1413. tranſlatum fuit à Monialibus de Auderghem in ipſum illius loci Capitulum. Vide Diplom. Belg. Tom. III. p. 175.

(3) WAETERMAEL, Parochia juxta Bruxellam, in qua ſitum eſt præfatum Monaſterium de Auderghem.

(4) EKEREN, Parochia juxta Antverpiam, ubi anno 1702. pugna celebris inter Gallos ac Batavos. Jus Patronatûs à Capitulo S. Rumoldi Mechlinienſi tranſiit ad haſce Moniales. Diplom. Belg. Tom. II. p. 1005.

(5) Ceſſavit hoc Privilegium poſt Concilium Tridentinum, hodieque nulli admittuntur Paſtores Regulares in Belgio noſtro Catholico, præterquam Præmonſtratenſes, ac pauci Benedictini, Ciſtercienſes & Canonici Regulares. Inſuper circa ann. 1730. per ſententiam latam in ſupremo Brabantiæ Senatu, in favorem Nominationum Academiæ Lovanienſis, judicatus fuit Paſtoratus de *Waetermaele* ſimpliciter ſæcularis, non obſtante Bulla ſuperiore, in lite allegata per Moniales de Auderghem.

Digitized by Google

CAPUT L.

BENEDICTUS X. *Pontifex confirmat anno* 1303 *fundationem, dotationem atque exemptionem Eccleſiæ Collegiatæ Beatæ Mariæ Civitatis Dolanæ in Burgundia, per* MATHILDEM *Comitiſſam Artheſiæ, tamquam Tutricem filii ſui* ROBERTI *Comitis Burgundiæ atque Artheſiæ, viduam* OTTHONIS *Comitis Burgundiæ &c. pro Decano atque XII. Canonicis inſtitutæ.*

E chartis relictis ab Illuſtriſſ. D. à Precipiano Archiepiſc. Mechlin.

BENEDICTUS Epiſcopus Servus ſervorum Dei, venerabili fratri Epiſcopo Cabilonenſi, & dilectis filiis de Charo-loco ac de Beſua Biſuntinenſis & Lingonenſis Diœceſis Monaſteriorum Abbatibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Laudabilia vota fidelium, & præſertim quæ pro ampliando divino cultu & animarum procuranda ſalute de fonte charitatis emanant, libenter benigno favore proſequimur, & exauditionis gratiâ prævenimus.

Sanè dilecta in Chriſto filia Nobilis Matildis Comitiſſa Atrebatenſis, relicta quondam Othonis Comitis Palatini Burgundiæ ac Domini Salinenſis, Tutrix dilecti filii Roberti pupilli nati ejus & præfati Othonis Viri ſui ac ipſius Othonis hęredis, Nobis ſignificare curavit, quod præfatus Otho olim dum viveret, quondam Alidis Comitiſſæ Burgundiæ matris ſuæ diſpoſitioni piæ in hac parte prudenter inhærens, ac de propria ſalute cogitans, & cupiens terrena pro cœleſtibus, & tranſitoria pro æternis ſalubri commercio commutare, pro ſuæ ac præfatæ Alidis matris ipſius & aliorum conſanguineorum ſuorum animarum remedio ſalutari, voluit & diſpoſuit in ſuo Teſtamento ſive ultima voluntate, cujus eandem Matildim, quæ de Conſuetudine Patrię eſſe poterat Executrix, inter alios Executricem reliquit, ut in Villa ſua Dolæ, ſcilicet in Parochiali Eccleſia Sanctæ Mariæ ipſius Villæ, Biſuntinenſis Diœceſis, in qua ad dilectos filios Capitulum Eccleſię Sanctæ Mariæ Magdalenæ Biſuntinenſis, ac Priorem Prioratus præfatæ villæ de Dola Ordinis Sancti Benedicti communiter Jus Patronatus dicitur pertinere; crearentur & fierent una Dignitas, videlicet Decanatus, & duodecim Canoniæ ac totidem Præbendæ.

Antiquum Jus Patronatus Parochiæ.

De quibus unus Decanus & duodecim Canonici poſſent commodé ſuſtentari; villam ſuam de pupilli ejuſdem conſenſu cum omnibus poſſeſſionibus, bonis, juribus & pertinentiis ejuſdem villæ ad eum ſpectantibus, pro Præbendis præfatis, ad quas condecenter ſufficientia eſſe dicuntur, deputando;

Quare præfata Executrix nobis humiliter ſupplicavit, ut cum ipſa diſpoſitionem præfatam parata ſit proſequi, ut tenetur, ſuper hujuſmodi ſtatu negotii, nunc & impoſterum providere ſalubriter dignaremur.

Nos igitur devotionem ſuam ſuper hoc multipliciter in Domino commendantes, & hujuſmodi piam diſpoſitionem præfatorum Othonis & Alidis volentes favore proſequi benigno, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus auctoritate noſtra, ſi vobis ſic eſſe conſtiterit, & conſideratis diligenter circumſtantiis univerſis, videritis expedire, factâ vobis ad opus Decanatus & Canoniarum prædictorum traditione & aſſignatione debitâ de dicta Villa, de pupilli ejuſdem poſſeſſionibus, bonis, juribus & pertinentiis ſupradictis, ſi ſint ſufficientia ut præfertur, alioquin cum tot aliis bonis ſtabilibus præfati pupilli, ſeu Executricis ejuſdem, quot ſufficiant ad ſuſtentationem præfatam pro Decanatu & Canoniis eiſdem in Præbendas juxta veſtrum arbitrium impoſterum dividendis, hujuſmodi Decanatum & duodecim Canonias in præfata Eccleſia Sanctæ Mariæ de Dola, quæ ad ad id in ædificio competens eſſe dicitur, de novo creare curetis.

Inſtituendo hac vice ad Decanatum hujuſmodi unum in Decanum, & de ipſius Decani conſenſu, ad ſingulas Canonias prędictas in Canonicos ſingulas perſonas idoneas, quas ad id prælibata Tutrix prædicti pupilli nomine, vobis duxerit præſentandas.

Et ut commodius & utilius præmiſſa proſperentur, dictam Eccleſiam Sanctæ Mariæ, ac Decanatum, Canonias, Præbendas, Dacanum & Canonice memoratos, & cæteros qui pro tempore fuerint Decani & Canonici in eadem Eccleſia, cum Clericis in ipſa Eccleſia pro tempore ſervientibus, ſub noſtra & dictæ Sedis protectione ſuſcipiatis, eos & eas ab omni juriſdictione, poteſtate atque dominio tam venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi, & dilectorum filiorum Capituli Biſuntinenſis, quam cujuſlibet alterius Prælati ſeu Eccleſiaſti-

Digitized by Google

ſiaſticæ perſonæ totaliter & perpetuò eximendo.

Exemptio. Ita quod nec dictus Archiepiſcopus vel præfatum Capitulum, nec quævis alia perſona Jure Ordinario Eccleſiam, Decanatum, Canonias, Præbendas, Decanum, Canonicos, & Clericos ſupradictos, interdicere, ſuſpendere vel excommunicare valeant, ſeu quocumque modo aliàs, in eos poteſtatem vel juriſdictione aliquam exercere.

Jus Patronatûs Decan. & Præbendarum. Jure Patronatûs in eiſdem Decanatu, Canoniis, & Præbendis, & facultate præſentandi ad eos Decanum & Canonicos, præfato Roberto & ſuis hæredibus Comitibus Burgundię Palatinis, qui pro tempore fuerint, in perpetuum reſervatis.

Statuentes nihilominus, ut ex tunc inſtitutio Canonicorum ad Canonias ac Præbendas hujuſmodi facienda, ad eundem Decanum, & ſucceſſores ſuos in Decanatu prædicto, qui pro tempore fuerint, Pertineat. Et quod præfatus Robertus & hæredes ſui prædicti Burgundiæ Comites, qui extiterint pro tempore, præſentationem Canonicorum hujuſmodi, ſecundum inſtituta Canonica, Decano facere teneantur; Canonicos & Clericos prælibatos, curæ, cuſtodiæ, viſitationi, correctioni, juriſdictioni & obedientiæ præfati ſubjiciendo Decani. Inſtitutionem autem Decani ad Præſentationem præfatorum Roberti & hæredum faciendam, præfatæ Sedi reſervetis.

Statuatis etiam, ut in choro divina Officia, & ſuper Altare majus ipſius Eccleſiæ Miſſarum ſolemnia per eoſdem Decanum, Canonicos, & Clericos celebrentur. Et quod Parochialis Miſſa & alia divina Officia per Capellanum perpetuum ipſius Eccleſiæ qui pro tempore fuerit, in aliquo alio altari & loco ejuſdem Eccleſiæ, in qua plura altaria eſſe dicuntur, ubi tibi ac prædicto Decano per Te inſtituendo videbitur, celebrentur; prædictorum Archiepiſcopi, Capitulorum, Prioris, Rectoris, & Parochialis Eccleſiæ, & aliorum quorumlibet juribus ſuper præmiſſis in cæteris nihilhominus ſemper ſalvis;

Sic vos in præmiſſis diligenter & providè habituri, quod dignè poſſitis ex-inde commendari: intimaturi Nobis per patentes veſtras Litteras, harum ſeriem continentes, quicquid ſuper iis duxeritis faciendum. Quod ſi non omnes iis exequendis potueritis intereſſe, Tu Frater Epiſcope cum eorum altero ea nihilominus exequaris.

Datum Laterani II. Kal. Martii, Pontificatûs noſtri anno primo.

CAPUT LI.

CLEMENS VI. *Pontifex confirmat anno* 1346 *fundationem Capellaniæ erectæ Bruxellis per* GUILIELMUM A DUUVENVOORDE, *Dominum de Ooſterhout, in palatio ſuo; quod poſtmodum fuit Principum Naſſaviæ.*

Ex Archivis Archiepiſc. Mechlin.

CLEMENS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilecto filio Nobili viro Domino *Guilielmo de Duuvenvoorde*, Domino de Oiſterhout, Militi, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Hiis quæ interdum pro cultu divini nominis augmentando tam providè quam ſalubriter ordinantur, ut illa perpetuis futuris temporibus illibata conſiſtant, libenter adjicimus Apoſtolici muniminis firmitatem.

Sane petitio pro parte tua nobis nuper exhibita continebat, quod dudum tu quandam Capellam ad honorem Dei & beatę Mariæ Virginis, ac beatorum Martini, Georgii & Catharinæ in domo tua apud Bruxellam, infra methas parochialis Eccleſiæ Sancti Jacobi Frigidi-Montis Cameracenſis Diœceſis, de bonis tuis conſtrui feciſti pariter & dotaſti. Quodque poſtmodum dilectus filius *Hugo de Pomeriis* Vicarius in ſpiritualibus & temporalibus generalis Fratris noſtri *Guidonis* Epiſcopi Cameracenſis, fundationi & dotationi hujuſmodi ſuum præbuit aſſenſum; ac Capellaniam fundatam in eadem Capella, & inſtitutam tamquam perpetuum & competens Beneficium, auctoritate ordinariâ ex certa ſcientia confirmavit. Statuens, quod Capellani qui pro tempore eſſent in ea Canonicè inſtituti, infra annum à ſuæ inſtitutionis tempore ſe facerent in Presbyteros promoveri, ipſique dictæ Capellaniæ perſonaliter deſervientes quatuor Miſſas qualibet hebdomadâ in eadem Capella celebrare perpetuò tenerentur: niſi prędicti Presbyteri forent aliquando neceſſario impedimento occupati. Anno 1341

Quo caſu ipſi per alium idoneum Sacerdotem procurarent & facerent celebrari; jure tamen prædictæ Parochialis Eccleſiæ in omnibus ſemper ſalvo.

Collatione ipſius Capellaniæ, quatenus eam vacare contingeret, prædicto Epiſcopo & ſucceſſoribus ſuis Epiſcopis Cameracen- Jus Patronatûs.

ſibus, qui eſſent pro tempore, ad præſentationem Patroni ipſius Capellæ perpetuo reſervatâ; prout in quodam publico Inſtrumento inde confecto, cujus tenorem de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus, pleniùs continetur.

Quare pro parte tua nobis extitit humiliter ſupplicatum, ut præmiſſa omnia & ſingula, cum ſuppletione defectus, ſi quis in eis fuerit, fulcire Apoſtolico munimine dignaremur.

Nos igitur hujuſmodi tuis in hac parte devotis ſupplicationibus inclinati, præmiſſa omnia & ſingula rata & grata habentes, illa auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia confirmamus, & præſentis Scripti Patrocinio communimus; ſupplentes omnem defectum, ſi quis in præmiſſis, vel eorum aliquo quomodolibet intervenerit; de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis Jure Patronatûs ipſius Capellæ (dummodo tempore datæ præſentium non ſit in eo alicui jus ſpecialiter quæſitum) Tibi & hæredibus ac ſucceſſoribus tuis expreſſe & perpetuo reſervato.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ Confirmationis, communitionis & ſuppletionis infringere, vel ei auſu temerario contravenire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Avinionæ XIII Kal. Maii, Pontificatûs noſtri anno quarto.

GUILIELMUS DE DUUVENVOORDE. Hic fuit fundator Monaſterii Clariſſarum divitum, ſeu Urbaniſtarum, quæ Bruxellis habitant. Litteras Fundationis habes apud Miræum Tom. I. pag. 450. Poſtmodum hereditates Familiæ Duuvenvoordicæ per nuptias transfierunt ad Domum Naſſaviam.

Poſtquam autem die 3. Februarii 1731. fortuito igne deflagraſſet antiquum & elegans Palatium Ducum Brabantiæ in urbe Bruxellenſi, non ſine evidenti diſcrimine vitæ Sereniſſimæ Archiducis Mariæ Eliſabethæ Belgii Gubernatricis eandem Aulam tunc inhabitantis; ſelegit ipſa exinde in prædicto Palatio Naſſavico domicilium ſuum ſuique comitatûs.

CAPUT LII.

N. *Romanus Pontifex, ad petitionem Joannis Abbatis S. Bavonis Gandavi, Parochialem Eccleſiam Sancti Chriſti, (aliàs S. Salvatoris) in eadem Urbe, reddit Regularem, pro Monacho ejuſdem Abbatiæ Bavonianæ, circa annum 1350.*

Ex Archivis Epiſcop. Gandav.

ADRIANUS Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Joanni Abbati & Conventui Monaſterii S. Bavonis Gandenſis, Ordinis S. Benedicti, Tornacenſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Piis & honeſtis ſupplicum votis, illis præſertim quæ Monaſteriorum & piorum locorum commodum & utilitatem concernunt, libenter annuimus, & ea proſequimur favoribus opportunis.

Exhibita ſiquidem Nobis pro parte veſtra petitio continebat, quod cum Parochialis Eccleſia Sancti Chriſti Gandenſis, Tornacenſis Diœceſis, cujus Jus Patronatus ad vos dignoſcitur pertinere, per ſæcularem Clericum gubernari conſueverit, ſæpe vobis lites moveantur, & ipſi Monaſterio damna plurima inferantur; & quod ſi Eccleſia ipſa per aliquem ex Monachis veſtri Monaſterii regeretur, valde foret utile eidem Monaſterio, pro litibus & damnis hujuſmodi evitandis, ac juribus ejuſdem Monaſterii conſervandis.

Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis, quod dicta Eccleſia per aliquem ex Monachis dicti Monaſterii ad hoc idoneum de cætero regatur, concedere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur.

Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, & tuis fili Abbas ſucceſſoribus dicti Monaſterii Abbatibus, qui pro tempore fuerint, quod Eccleſia ipſa de cætero, (ſine præjudicio tamen illius qui eandem Eccleſiam præſentialiter obtinet) per unum ex Monachis hujuſmodi, qui ad id fuerit idoneus, regatur, & quod vos ad dictam Parochialem Eccleſiam quotienſcumque eam vacare contigerit, aliquem idoneum ipſius Monaſterii Monachum in Rectorem ejuſdem Eccleſiæ loci Ordinario præſentare poſſitis, inſtituendum per ipſum Ordinarium in ejuſdem Eccleſiæ Rectorem, prout de aliis parochialibus Eccleſiis, ad Jus Patronatus præfati Monaſterii ſpectantibus, fieri (ut aſſeritis) conſuevit;

Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis & aliis, nec non prædictâ & aliis

Digitized by Google

conſuetudinibus contrariis quibuſcumque, Authoritate Apoſtolicâ ſpecialis dono gratiæ, tenore præſentium indulgemus; decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper hiis, à quoquam quâvis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc Paginam noſtræ Conceſſionis & Conſtitutionis infringere, vel ei autù temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Januæ, II. Nonas Aprilis, Pontificatûs noſtri anno octavo.

ADRIANUS Pontifex (in hoc Diplomate MSS. memoratus) nemo ſedit ad quinque annos; cum tamen dicatur Bulla data, anno Pontificatûs octavo, & ad petitionem Joannis Abbatis S. Bavonis. Quæ proinde ut concilientur, debet eſſe Clemens VI. Pont. anno 1350. vel Innocentius VI anno 1360.; quia tunc Abbas Bavoniatus fuit *Joannes Fayus*, vir magnæ Authoritatis, præſertim apud Clementem VI. ad quem & pro quo ſæpiùs Legationibus functus eſt.

De Eccleſia S. Salvatoris, vulgo Celisket, Gandavi, vide Sanderum in Flandria Illuſtr. Tomo I.

CAPUT LIII.

GREGORIUS XI. *Pont. ſe olim in Eccleſia Cameracenſi Canonicum & Archidiaconum Valencenenſem fuiſſe commemorat; & ea-propter unionem Perſonatûs Eccleſiæ de Semps juxta Mechliniam, in favorem illius Capituli, & ad uſum Fabricæ ejuſdem confirmat, anno 1371.*

Ex Archivis Archiepiſc. Mechlin.

GREGORIUS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Sinceritas devotionis dilectorum filiorum Præpoſiti, Decani, & Capituli Cameracenſis divinis laudibus dedicata, quam ipſi ad nos, & Romanam gerunt Eccleſiam, promeretur, ut eos illa gratiâ favorabiliter proſequamur, quam eorum, & Eccleſiæ prædictæ neceſſitatibus fore conſpicimus opportunam.

Sanè petitio pro parte Venerabilis Fratris noſtri Gerardi Epiſcopi Cameracenſis, dictorumque Præpoſiti, Decani, & Capituli nobis nuper exhibita continebat, quod olim bonæ memoriæ Petrus Epiſcopus Cameracenſis, attendens, quod redditus & proventus Fabricæ ejuſdem Eccleſiæ adeo erant tenues, & exiles, quod ex eis reparationes & refectiones ejuſdem Eccleſiæ fieri non poterant; Perſonatum de Sempſe, Cameracenſis Diœceſis, ad collationem & proviſionem Epiſcopi Cameracenſis, qui eſt pro tempore, pleno jure ſpectantem, officio Fabricæ dictæ Eccleſiæ imperpetuum annexuit, & univit.

Semps Parochia inter Mechlin. & Bruxellas.

Cum autem Unio ejuſmodi ſuum effectum ſortiri nequiverit, viribuſque non ſubſiſtat, Conſtitutione felicis recordationis Urbani Papæ quinti prædeceſſoris noſtri ſuper hoc editâ obſiſtente: & etiam pro eo quod legitimè in unione hujuſmodi conſenſus dictorum Capituli, ut aſſeritur, minimè intervênit, ac alii defectus fuerunt in ea.

Nos gerentes ad ipſam Eccleſiam, in qua dum eramus in minoribus conſtituti, Canonicatum & Præbendam, ac Archidiaconatum de Valenchenis obtinuimus, ſpecialem devotionis affectum; ac volentes præfatos Præpoſitum, Decanum, & Capitulum favore proſequi gratioſo, ac eidem Fabricæ, ut Eccleſia ipſa reparari valeat, & etiam ſuſtentari, de alicujus ſubventionis auxilio providere;

Papa Gregorius XI. olim Archidiaconus Valencenenſis.

Dictorum Epiſcopi, Præpoſiti, Decani & Capituli in hac parte ſupplicationibus inclinati, prædictum Perſonatum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, exceptis collationibus Beneficiorum ad Collationem Perſonæ dicti Perſonatûs, qui eſt pro tempore, pertinentium, præfatæ Fabricæ pro reparatione, & ſuſtentatione hujuſmodi imperpetuum incorporamus, annectimus & unimus.

Ita quod, decedente Perſonâ dicti Perſonatus, qui nunc eſt, aut Perſonatum ipſum aliàs quomodolibet dimittente, liceat Præpoſito, Decano, & Capitulo per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem Perſonatûs, ac jurium & pertinentiarum prædictorum auctoritate propriâ apprehendere & nanciſci, ac etiam retinere, Diœceſani loci, & cujuſlibet alterius licentiâ minimè requiſita, ac ipſius Perſonatûs fructus, redditus, & proventus, obventiones & jura quæcumque percipere & habere, in uſus dictæ Fabricæ totaliter convertendos.

Volumus tamen, & noſtræ intentionis exiſtit, quod quam-primum Unio hujuſmodi ſuum effectum ſortita extiterit, Jus Patro-

Digitized by Google

natûs, nec non collatio, proviſio, præſentatio, & omnimoda diſpoſitio omnium & ſingulorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum cum cura, & ſine cura, ad collationem Perſonæ dicti Perſonatûs, qui eſt pro tempore, ſpectantium, ad præfatum Epiſcopum, qui eſt & erit pro tempore, ex tunc in antea pertineant, & ſpectent.

Collatio Beneficiorum penes Epiſcopum Cameracenſem.

Non obſtantibus, ſi aliqui ſuper Proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi Perſonatibus aut aliis Beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales vel generales Apoſtolicæ Sedis Legatorum ejus Litteras impetrarint; etiam ſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum. Quas litteras, & proceſſus habitos per eoſdem, ad Perſonatum prædictum volumus non extendi: ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Perſonatuum aut beneficiorum aliorum præjudicium generari; & quibuſlibet Litteris & Indulgentiis Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri; & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris Litteris mentio ſpecialis.

Nos enim irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper hiis à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ Incorporationis infringere, vel ei auſu temerario contraire.

Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Avenione XII. Kal. Decembris, Pontificatûs noſtri anno primo.

GREGORIUS XI. antea dictus PETRUS ROGERII, gente fuit Lemovix, CLEMENTIS VI. Pont. è fratre nepos. Fuit & Decanus Eccleſiæ Bajocenſis, Canonicus Pariſienſis, Archidiaconus Senonenſis Sub finem anni 1370. electus eſt Pontifex, necdum Sacerdotio initiatus. Anno 1376. Avenione diſcedens Sedem Apoſtolicam Romam tranſtulit, ibique poſt biennium è vivis exceſſit.

CAPUT LIV.

CLEMENS VII. *Pontifex, Avenione ſedens, declarat anno 1393. Capellanias Eccleſiæ Sti. Donatiani Brugis non poſſe impetrari in Curia Romana; attenta præſertim antiqua illius Eccleſiæ conſuetudine, quod omnes Horæ Canonicæ memoriter decantarentur.*

Ex Autentico extante in Archivis Cameræ Rationum Inſulis.

CLEMENS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ad ea libenter intendimus, & proviſionis Apoſtolicæ ſtudium adhibemus, per quæ divinum Officium in ſingulis Eccleſiis ſecundum ritus laudabiles in eis hactenus obſervatos continuari valeat & etiam augmentari.

Exhibita ſiquidem Nobis pro parte dilectorum filiorum Decani & Capituli Eccleſiæ S. Donatiani Brugenſis, Tornacenſis Diœceſis, petitio continebat, quod mos ſeu conſuetudo dicendi Horas Canonicas in ipſa Eccleſia, quæ (ut iidem Decanus & Capitulum aſſerunt) inter alias Eccleſias Comitatus Flandriæ notabiliter fundata & decenter dotata exiſtit, adeo eſt varius & diverſus, quod vix per alios quam illos qui ipſum à juventute didicerunt, poteſt dici: præſertim cum Officium dictæ Eccleſiæ tam diurnum quam nocturnum corde tenus & abſque libris conſueverit decantari.

Uſus antiquus notatu dignus.

Quodque nonnullæ ſunt in eadem Eccleſia fundatæ Capellaniæ, conſuetę perſonis & Clericis ipſius Eccleſiæ aſſignari, ut ipſi ferventius in ſervitio divino in eadem Eccleſia celebrando horis diurnis & nocturnis inſiſtant. Et quod nonnulli in dicto ſervitio & uſu minus inſtructi, Auctoritate Apoſtolica Beneficia in illis partibus expectantes, ipſas Capellanias, quarum collatio & omnimoda diſpoſitio ad ipſos Decanum & Capitulum (ut aſſerunt) pertinent, vigore Litterarum Apoſtolicarum nonnunquam acceptant, & de eis ſibi faciunt provideri; in magnum dicti ſervitii detrimentum.

Quare pro parte dictorum Decani & Capituli nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis providere ſuper hoc de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Auctoritate Apoſtolica ſtatuimus & etiam ordinamus, quod deinceps præfatæ Capellaniæ, dum eas vacare contigerit, vigore quarumcumque Litterarum Apoſtolicarum emanatarum vel emanandarum, quorumcumque tenorum fuerint, nequeant acceptari, nec de eis quibuſvis perſonis provideri; Diſtrictius inhibentes Executoribus dictarum Litterarum, & quibuſvis aliis com-

Digitized by Google

communiter vel diviſim, ne contra Conſtitutionem & Ordinationem noſtras hujuſmodi aliquid attemptare præſumant.

Ac decernentes acceptationes & proviſiones hujuſmodi, ſi quæ factæ fuerint, nec non quaſcumque ſuſpenſionis interdicti & executionis ac alias ſententias atque pœnas & quoſcumque proceſſus, ſi quos contra præmiſſa vel eorum occaſione forſan ferri ſeu fieri aut promulgari contigerit, irritos & inanes.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ Conſtitutionis & Ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attemtare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Avinione quarto Idus Aprilis, Pontificatûs noſtri anno ſexto decimo.

Habuit poſtmodum Eccleſia S. Donatiani Brugenſis Breviarium particulare, impreſſum Pariſiis anno 1510. eoque uſa eſt uſque ad annum 1610, quo aſſumpſit Breviarium Romanum.

CAPUT LV.

CLEMENS VII. *Pontifex, Avenione ſedens, omnia Beneficia Eccleſiæ Collegiatæ S. Donatiani aliarumque Eccleſiarum Brugis exiſtentium, eximit à ſolutione Annatarum, anno* 1393.

Ex Authentico extante in Archivis Cameræ Rationum Inſulis.

CLEMENS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Decano S. Donatiani, & Præpoſito B. Mariæ, ac univerſis Rectoribus Parocialis S. Salvatoris per plures ſolitæ gubernari Rectores, Eccleſiarum Brugenſium, Tornacenſis Diœceſis, nec non univerſis in eiſdem Eccleſiis perpetuis Beneficiatis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Sinceræ devotionis affectus, quem ad Nos & Romanam geritis Eccleſiam, promeretur, ut illa vobis liberaliter concedamus, quæ vobis fore conſpicimus oportuna.

Exhibita ſiquidem Nobis pro parte veſtra petitio continebat, quod Decanatus S. Donatiani, & Præpoſitura B. Mariæ, ac Portiones Parochialis S. Salvatoris per plures ſolitæ gubernari Rectores, Eccleſiarum Brugenſium Tornacenſis Diœceſis, ac communes fructus redditus & proventus dictarum S. Donatiani & B. Mariæ Eccleſiarum, ac alia Beneficia Eccleſiaſtica, quæ in eiſdem Eccleſiis & Patria Flandriæ obtinetis, propter guerras & alia incommoda, quæ diu in eadem Patria hactenus viguerunt, ad mediocritatem valoris antiqui non aſcendunt.

Nota.

Quare pro parte veſtra fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut fructus redditus & proventus pro primis Annatis, ſeu vacantibus Decanatûs, Præpoſituræ, Portionum & Beneficiorum prædictorum, nec non Decimas fructuum Decanatus, Præpoſituræ Portionum & communium fructuum reddituum & proventuum ac Beneficiorum hujuſmodi, & quæcumque ſubſidia & onera ſuper fructibus redditibus & proventibus eorumdem Decanatus, Præpoſituræ, Portionum, Beneficiorum & communibus fructibus redditibus & proventibus hujuſmodi per Nos & Sedem Apoſtolicam hactenus impoſita, & per Vos & prædeceſſores veſtros nobis & Cameræ Apoſtolicæ debita, remittere & donare de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, volentes vos favore proſequi gratioſo, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fructus redditus & proventus Annatarum, ſeu vacantium hujuſmodi, nec non Decimas ſubſidia & onera prædicta, per vos aut prædeceſſores prædictos de tempore præterito uſque ad datam præſentium Nobis & Cameræ prædictæ debita, quoquo modo Vobis de ſpeciali gratia autoritate Apoſtolica tenore præſentium remittimus & donamus.

Et inſuper vobis eadem autoritate concedimus, quod ad ſolvendum Decimas fructuum reddituum & proventuum prædictorum, ac ſubſidia & onera ſuper eiſdem fructibus redditibus & proventibus aut ſuper vobis vel perſonis Eccleſiaſticis Partium illarum impoſita, ſeu quæ hinc ad triennium à dicta data computanda forſan per Nos ſeu Sedem prædictam imponi contigerit, minimè teneamini, nec ad id à quoquam inviti valeatis compelli.

Diſtrictius inhibentes Camerario Sedis, & Theſaurario, ac aliis gentibus Cameræ prædictarum, nec non Collectoribus fructuum & proventuum eidem Cameræ debitorum in illis partibus deputatis, qui ſunt & erunt pro tempore, ne vos conjunctim vel diviſim, aut ſucceſſores veſtros perpetuos Beneficiatos dictorum Beneficiorum ſu-

per hujuſmodi fructibus redditibus & proventibus dictarum Annatarum ſeu vacantium, nec non Decimis ſubſidiis & oneribus prędictis, ſeu occaſione eorumdem, quoviſmodo inquietent, moleſtent aut perturbent, vel inquietari moleſtari aut perturbari faciant, vel permittant quoquo modo. Ac decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper hiis à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ Remiſſionis, Donationis conceſſionis & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Avenione, quarto Idus Aprilis, Pontificatûs noſtri anno ſexto-decimo.

ANNATA eſt reditus unius anni ab eo qui recens in demortui Epiſcopi, Abbatis, aut alterius Beneficiati locum ſuccedit, exſolvi ſummo Pontifici ſolitus: juxta Cangium in Gloſſario. De cujus origine ac uſu, conſulendi Juris-Conſulti, atque imprimis Proſper Fagnanus.

CAPUT LVI.

BONIFACIUS IX. *Papa concedit anno* 1397, *ad inſtantiam Alberti Bavari Hollandiæ Comitis, Indulgentiam Portiunculæ iis, qui eleemoſynas contribuerint ad reædificationem Eccleſiæ S. Bavonis Harlemenſis, poſtmodum Cathedralis.* *

* Anno 1472 tandem conſummata fuit.

Extat Bul'a Venlonæ apud Minoritas.

BONIFACIUS, Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus preſentes Literas inſpecturis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Deus de cujus munere venit, ut ei ab omnibus digne & laudabiliter ſerviatur, de abundantia ſuæ pietatis, quæ merita ſupplicum excedit & vota, beno.... ſibi multò retr..... valeant promer..... Nihilominus tamen deſiderantes Domino reddere populum acceptabilem, & bonorum operum ſectatorem, fideles ipſos ad complacitam pietatem quaſi quibuſdam allectivis muneribus, Indulgentiis ſcilicet & remiſſionibus invitamus, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores.

Cùm itaque, ſicut accepimus, Parochialis Eccleſia de Haerlem Trajectenſis Diœceſis hodie ſumptuoſis Ædificiis de novo reparetur opere non modicùm ſumptuoſo, & reparatio hujuſmodi abſque fidelium ſuffragio ad optatam & convenientem conſummationem perduci non poſſit: Nos cupientes, ut Eccleſia ipſa congruis honoribus frequenterur, & etiam decenter reparetur & conſervetur, ſuper quo etiam dilectus filius Nobilis Vir *Albertus* Dux Bavariæ, & Comes Hollandiæ, in cujus Dominio ipſa Eccleſia conſiſtit, nobis humiliter ſupplicavit, & ut Chriſti fideles eò libentius cauſâ devotionis confluant ad eamdem, & ad reparationem & conſervationem hujuſmodi manus porrigant promptius adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cœleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui in die Dominica proxima poſt Feſtum Pentecoſtes immediatè ſequenti à primis Veſperis uſque ad ſecundas Veſperas ipſius diei incluſivè præfatam Eccleſiam viſitaverint annuatim, & ad reparationem & conſervationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, illam Indulgentiam & remiſſionem ſuorum peccaminum concedimus, quam viſitantes Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Portiuncula dictam de Angelis extra muros Aſſiſinates primo & ſecundo diebus Auguſti annuatim quomodolibet conſequuntur.

Volumus autem, quod, ſi aliàs dictam Eccleſiam de Haerlem viſitantibus, vel ad ejus fabricam, aut conſervationem hujuſmodi manus porrigentibus adjutrices, aut aliàs inibi pias eleëmoſinas erogantibus, vel aliàs aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum per nos conceſſa fuerit, præſentes Litteræ nullius exiſtant roboris vel momenti.

Datum Romæ ad Sanctum Petrum XII. Kalendas Aprilis, Pontificatûs noſtri anno octavo.

Bulla Altera BONIFACII IX. *Pont. ejuſdem argumenti.*

BONIFACIUS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Hodie per nos accepto, quòd Parochialis Eccleſia de Haerlem Trajectenſis Diœceſis honeſtis & ſumptuoſis Ædificiis de novo reparabatur opere non modicùm ſumptuoſo,

Digitized by Google

& abſque Chriſti fidelium ſuffragio ad optatam & convenientem conſummationem deduci nequibat;

Nos cupientes, quod Eccleſia ipſa congruis honoribus frequentaretur, & etiam decenter repararetur & conſervaretur, ſuper quo etiam dilectus filius Nobilis Vir Albertus Dux Bavariæ & Comes Hollandi, in cujus dominio ipſa Eccleſia conſiſtit, nobis humiliter ſupplicavit; omnibus verè pœnitentibus & confeſſis Dominicâ proximâ poſt Feſtum Pentecoſtes immediatè ſequenti, qui à primis Veſperis uſque ad ſecundas Veſperas ipſius diei inclusivè, Eccleſiam ipſam devotè viſitarent annuatim, & ad reparationem & conſervationem hujuſmodi manus porrigerent adjutrices, illam Indulgentiam & remiſſionem ſuorum peccaminum conceſſimus, quam viſitantes Eccleſiam S. Mariæ in Portiuncula, dictam de Angelis, extra muros Aſſiſinates primo & ſecundo diebus Auguſti annuatim quomodolibet conſequuntur; prout in noſtris inſuper confectis Litteris pleniùs continetur.

Nos igitur ipſius Ducis, & dilecti Filii Garbrandi de Couſter Rectoris dictæ Eccleſiæ de Haerlem ſupplicationibus inclinati, eidem Rectori & ſucceſſoribus ſuis, ipſius Eccleſiæ in Haerlem Rectoribus, ut ipſi ſingulis annis per duos vel tres dies ante dictam Dominicam, & in ipſa die Dominica, tot quot expediat diſcretos Sacerdotes Seculares vel Regulares ad hoc idoneos, prout ipſis videbitur, in dicta Eccleſia de Haerlem deputare valeant, qui viſitantium hujuſmodi eandem Eccleſiam de Haerlem, ut præfertur, confeſſionibus diligenter auditis, pro commiſſis Abſolutionem impendant, & injungant Pœnitentiam ſalutarem, (niſi fortè talia fuerint, propter quæ Sedes Apoſtolica ſit meritò conſulenda) Authoritate Apoſtolicâ tenore præſentium indulgemus.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc Paginam noſtræ Conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverint incurſum.

Datum Romæ ad Sanctum Petrum XII. Kalendas Aprilis, Pontificatûs noſtri anno octavo.

Sixtus IV. anno 1472. ſimilis tenoris Bullam conceſſit, præcedentium confirmatoriam. Quinimo conſtat, Eccleſiam Metropolitanam D. Rumoldi Mechliniæ, ſub ſimili Indulgentiarum plenariarum elargitione anno 1452 fuiſſe ædificatam; uti & ſumptuoſam ejus turrim, ſubſidio oblationum & donariorum, quæ occaſione Jubilæi à Nicolao V. Papa conceſſi, à Calixto III. & Pio II. extenſi, undique confluentes ſuppeditarunt. Vide Acta Sti. Rumoldi, edita per PP. Hagiographos S. J. pag. 53.

CAPUT LVII.

MARTINUS V. *Papa confirmat anno* 1418 *Erectionem Prioratus de* Bethleëm, *Canonicorum Regularium Ord. S. Auguſtini juxta Lovanium; eidem incorporando Curam Paſtoralem de Oorſterhem; ipſoſque Religioſos primitùs ſubjicit clauſuræ, ad normam Carthuſianorum in Zeelhem, Diœceſis Leodienſis.*

Ex Archivis Domeſticis.

MARTINUS Epiſcopus Servus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Regimini univerſalis Eccleſiæ, quamquam immeriti diſponente Domino præſidentes, curis urgemur aſſiduis, ut juxta creditæ nobis diſpenſationis officium, ſubditorum quorumlibet, & præſertim ſub Regulari obſervantia ſtudio vacantium piæ vitæ, in quorum utique proſperitate reficimur, jugi quantum nobis ex alto conceſſum fuerit ſollicitudinis ſtudio intendamus; & hiis, quæ pro divini cultûs nec non religionis incremento providè facta comperimus, cum à Nobis petitur, Apoſtolici muniminis adjicimus firmitatem.

Sane pro parte dilectorum filiorum, Johannis Prioris, & Conventûs Monaſterii Beatæ Mariæ in Bethleëm per Priorem ſoliti gubernari, Ordinis Sancti Auguſtini, Leodienſis Diœceſis, petitio continebat,

Quod cum olim dilectus filius Godefridus de Ooſterhem Canonicus Eccleſiæ Sancti Petri Lovanienſis, dictæ Diœceſis, pio devotionis zelo reſperſus, Parochialem Eccleſiam, quartam Capellam nuncupatam de Ooſterhem ejuſdem Diœceſis, quam tunc obtinebat, ad hoc quod illa in Conventualem atque Collegiatam Canonicorum Regularium dicti Ordinis erigeretur;

Etiam ad hoc nonnullis tunc ad eum legitimè pertinentibus hereditariis aſſignatis

bonis ; extra Romanam Curiam ſponte reſignaſſet, ſive ceſſiſſet eidem, dilectus filius Johannes Electus Leodienſis, etiam Patroni ipſius Eccleſiæ ſive Capellæ ac Decani loci ad id accedentibus voluntate, conſenſu, nec non univerſi ſexus utriuſque de Parochia dictæ Eccleſiæ ſive Capellæ, pro ſe ſuiſque ſucceſſoribus, inibi onus fabricæ Eccleſiæ ſive Capellæ prefatæ, cum univerſis & ſingulis ad dictam Fabricam pertinentibus emolumentis atque redditibus, ad id debitè renunciantibus, diligentique ſuper hiis informatione acceptâ ;

Incorporatio Eccleſiæ de Ooſterhem.

Ob ejuſmodi cultus augmentum, per ſuas Litteras eandem Eccleſiam ſive Capellam in Collegiatam & Conventualem Canonicorum Ordinis & Regulæ Sancti Auguſtini prædictorum, illorum glorioſam Dei Genitricem Virginem Mariam patronam inſtituendo pariter & ordinando, Auctoritate Ordinariâ erexit.

Ac dilectum filium Jacobum Vrieſe, Canonicum tunc Monaſterii de Korſſendonck, etiam per Priorem ſoliti gubernari, ejuſdem Ordinis, Cameracenſis Diœceſis, ſui Superioris ſuper hoc obtentâ licentia, ipſi Monaſterio præfecit, & in Priorem Conventualem, etiam cum traditione curæ animarum tam Fratrum ab eo inibi recipiendorum, quam plebis dictæ Eccleſiæ ſive Capellæ etiam præſentium & futurorum ritè ordinavit, ſibi & hujuſmodi Conventu ac eorum inibi ſucceſſoribus ſeipſos, nec non quoſlibet eorumdem ſucceſſores, & hujuſmodi Monaſterium alicui Capitulo generali ſive communi dicti Ordinis incorporandi, uniendi, ſubmittendi, ac illi ſe perpetuò abſque omni reſilitione obligandi, & certis atque convenientibus mediis ac promiſſionibus aſtringendi, plenam & liberam concedendo facultatem, licentiam, pariter & auctoritatem.

Primus Prior in Bethleëm.

Ità quod hujuſmodi Capitulum ſive illius Commiſſarii, aut ab eo deputati, Priorem exiſtentem pro tempore Monaſterii Beatæ Mariæ prætati, ab omni cura tam plebis prædictæ quam Religioſorum inibi deſtituere, & alium vel eundem de novo electum ibidem debitè inſtituere, & cum hujuſmodi curæ traditione confirmare poſſint, quotieſcumque id viſum fuerit expedire, abſque Electi prædicti ſuorumve ſucceſſorum Epiſcoporum vel Electorum Leodienſium, aut alicujus alterius requiſitione, licentiâ ſeu auctoritate quibuſcumque.

Et inſuper ſuam ac eorundem Epiſcopi & Electi conſcientias, a dicti Monaſterii Beatæ Mariæ ac perſonarum in eo pro tempore degentium cura & ſolicitudine omni relevando, atque ſubſtrahendo curam & ſolicitudinem præfatas, ac onus Monaſterii beatæ Mariæ & perſonarum prædictorum in ejuſmodi Capitulum tranſtulit, ac illi præſidentium in hoc conſcientiis oneratis, eis ac hujuſmodi Capituli Commiſſariis aut deputatis vices ſuas plenariè committendo.

Ut videlicet illi rebelles & inobedientes, alioſque delinquentes inibi per cenſuras Eccleſiaſticas ac alias pœnas pro qualitate exceſſuum, Auctoritate prædicta, Appellationis ſublato obſtaculo, percellere, & ſecundum juris diſpoſitionem ac dicti Ordinis conſuetudinem approbatam exercere valeant tempore procedente.

Præterea voluit Electus ipſe, & eâdem auctoritate decrevit, quod Fratres Clerici & Laici ſive Converſi, qui in dicto Monaſterio Beatæ Mariæ pro tempore recepti fuerint, ſecundum laudabilem Conſuetudinem & Inſtitutiones Monaſterii de Windeſem dicti Ordinis, Trajectenſis Diœceſis, in habitu, libris Eccleſiaſticis, horis Canonicis ceremoniiſque & modo capitulari omnino ſe conformare ; & juxta ipſius Godefridi deſiderium, Superior dicti Capituli unà cum Priore Domus de Zeelem prope Dyeſt Cartuſienſis Ordinis, dictæ Leodienſis Diœceſis, ac Decano ejuſdem Eccleſiæ B. Petri, ſuis vice & auctoritate, ſervatiſque & adhibitis ſolemnitatibus opportunis, ad modum Cartuſienſium præſertim illorum de Domo præfata infra ſeptennium ex tunc in antea computandum, eoſdem Canonicos dicti Monaſterii B. Mariæ, aliàs de Bethleëm nuncupati, effectualiter includere deberet & teneretur.

Statutum Clauſuræ ; ut apud Carthuſianos de Zeelhem.

Quodque perſonæ & Monaſterium Beatæ Mariæ hujuſmodi univerſis & ſingulis libertatibus immunitatibus, gratiis, prærogativis, ac Privilegiis aliis hujuſmodi Capitulo illiuſque Monaſteriis, perſonis Prælatis & Fratribus incorporatis & unitis ſeu incorporandis & uniendis, de jure vel conſuetudine, etiam per quoſvis Ordinarios, & alios quavis auctoritate præeminentes, in quacumque forma ſeu data, ac etiam propter incluſionem hujuſmodi ipſius Cartuſienſis à quocumque in genere, vel in ſpecie conceſſis, gaudeant & utantur.

Liceatque perſonis eiſdem illarum cuilibet Cellas habere diſtinctas, ad modum Cartuſienſium prefatorum.

Rurſus vero dictus Electus Perſonas ipſas & illarum quamlibet à ſua viſitatione Synodi, aliorumque ſibi ſubditorum quorumlibet convocationibus particularibus & univerſalibus, nec non Convocationum earundem ac Synodorum oneribus, impoſitionibus, inductionibus & conſuetudinibus univerſis, quocumque nomine ſive titulo cenſeantur, penitus abſolvit pariter & exemit, ac omnia ſupradicta & eorum quodlibet cum deſcendentibus & concomitantibus exinde, cum ſui interpoſitione Decreti, in parte & in toto, eâdem auctoritate laudavit, approbavit atque confirmavit.

Suis nec non prædictorum Epiſcoporum & Electorum in Eccleſia ſive Capella præfata, plebem hujuſmodi & regimen illius con-

concernentibus juribus præciſè dumtaxat ſemper ſalvis.

Fuit Petrus de Alliaco, Cardinalis Cameracenſis.

Ac ſucceſſive dilectus filius noſter, Petrus titulo S. Griſogoni Presbyter Cardinalis, tunc in partibus illis Apoſtolicæ Sedis Legatus Erectionem, inſtitutionem, exemptionem & alia in eiſdem Litteris contenta, hujuſmodi auctoritate Legationis prædictæ innovando, approbando, ratificando, hujuſmodi libertates, immunitates, exemptiones & Privilegia dicto Cartuſienſi Ordini à quocumque collata, etiam ut præmittitur Monaſterio B. Mariæ & perſonis præfatis etiam cum earundem Cellarum uſu contulit & donavit.

Nec non perſonas prædictas, & illarum quamlibet à viſitatione Synodi, Ordinarii & aliorum quorumlibet ipſi Ordinario ſubjectorum hujuſmodi convocationibus, nec non oneribus impoſitionibus inductionibus & conſuetudinibus prorſus abſolvit & pariter exemit; ſupplendo omnes defectus & errores qui in præmiſſis, ac circa eorum quodlibet forſitan intervenerant, & præſertim, pro eo quod in illis dilectorum filiorum Capituli Eccleſiæ Sancti Bartholomei Leodienſis non acceſſerat conſenſus; ad cujus quidem Eccleſiæ Sancti Bartholomæi Scholaſticum pro tempore exiſtentem collatio Parochialis Eccleſiæ ſive Capellæ pertinere conſueverat antedictæ.

Et nihilominus ipſe Cardinalis, etiam dilectorum filiorum *Wilhelmi de Reven* Scholaſtici Eccleſiæ Sancti Bartholomæi prædictæ, cum ſimili etiam occaſione non habiti conſenſûs hujuſmodi, ac *Waltheri Nepotis* Decani Chriſtianitatis & Archidiaconi quartarum Capellarum Conſilii Lovanienſis, dictæ Leodienſis Diœceſis, in præmiſſis conſentientium,

Etiam cum illius quod quoad Decanum eundem Fratrum generalis Concilii hujuſmodi ſive Synodi Lovanienſis conſenſus ſuper hiis habitus non fuerat, ſuppletione defectuum, litteras laudando pariter & confirmando.

Priori pro tempore exiſtenti dicti Monaſterii B. Mariæ hujuſmodi Conventui extendendi, dilatandi, & conjunctim vel diviſim indifferenter in una & altera ac qualibet Leodienſis prædictæ & Cameracenſis Diœceſis parte quælibet ejuſdem Monaſterii Beatæ Mariæ ædificia ſeu etiam illius Eccleſiæ Altaria conſtruendi, ædificandi & fundandi licentiam conceſſit plenariam pariter & facultatem.

Quemadmodum in prædictis Litteris ipſorum Cardinalis & Electi nec non Willelmi & Waltheri, prout ab eis prodiiſſe cenſentur, ſigillis munitis dicitur plenius contineri.

Quare pro parte dictorum Johannis Prioris & Conventus aſſerentium ſe etiam juxta præmiſſum deſiderium, ut mundanis propulſatis illecebris omnium conditori Domino eò liberius quo quietius famulari queant, ſub clauſura ſore reductos, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut reſignationi, erectioni, inſtitutioni, conceſſionibus, tranſlationi, conſtitutioni, quitationibus, abſolutionibus, exemptionibus, laudationibus, approbationibus, confirmationibus, ſupplicationibus & aliis quemadmodum præmiſſa concernunt in ipſis Litteris contentis pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos itaque, qui cultum ac felicem ut plantaria ſuccreſcant Deo grata religionis hujuſmodi propagationem intenſis jugiter exoptamus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati,

Reſignationem & erectionem de dicta Eccleſia ſive Capella, cujus fructus, redditus, & proventus duodecim marcharum argenti ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum (ut ipſi Johannes Prior & Conventus aſſerunt) non excedunt, ut præmittitur factas, etiamſi ipſa Parochialis Eccleſia ſive Capella per reſignationem eandem vel alias quovis modo aut alterius cujuſcumque perſonæ, vel per Conſtitutionem felicis recordationis Johannis Papæ XXII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, *Execrabilis*. . . . , etiam ſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranenſis Statuta Concilii ad Sedem prædictam legitime devoluta, vel ipſa Parochialis Eccleſia ſive Capella diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter reſervata exiſtat. Nec non inſtitutionem, conceſſiones, tranſlationem, commiſſionem, voluntatem, conſtitutionem, quietationes, oblationes, exemptiones, laudationes, approbationes, confirmationes, ſuppletiones & alia in ipſis Litteris contenta hujuſmodi, & quæcunque inde ſecuta rata habentes & grata, illa auctoritate Apoſtolica confirmamus & præſentis Scripti patrocinio communimus. Supplentes etiam prædictos & omnes alios, ſi qui forſan alias intervenerint defectus quomodolibet in præmiſſis, non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis ac aliis contrariis quibuſcunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ Confirmationis & ſuppletionis infringere, vel ei auſu temerario contraïre.

Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Conſtantiæ, Idibus Aprilis, Pontificatûs noſtri anno primo.

Digitized by Google

CAPUT LVIII.

MARTINUS V. *Pontifex anno* 1419 *ſupprimit Abbatiam B. Mariæ de* CAPELLA *Monachorum Benedictinorum in Diœceſi Morinenſi, omniaque illius bona annectit in perpetuum Abbatiæ* S. JOANNIS *in Monte, Monachorum ejuſdem Ordinis (juxta urbem Epiſcopalem Morinenſem) quod Monaſterium poſtmodum Ipras tranſlatum fuit.*

Communicavit R. D. Luto Presbyter Diœceſis Bolonienſis.

MARTINUS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii S. Bertini de S. Audomaro, Morinenſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sacro-Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quam Dei filius Jeſus Chriſtus auctor ipſe pietatis inſtituit, regimini præſidentes, ſalubria fidelium vota, per quæ bonorum & rerum Eccleſiaſticarum diſtractione ſemotâ, divini cultûs ſperatur augmentum, pii Patris affectione proſequimur; & ut optatum ſortiantur effectum, quantum cum Deo poſſumus, etiam illis quibus ad id propria ſuffragantur merita, liberalitatis extendendo dexteram opem & operam efficaciter impertimur.

Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Abbatis & Conventûs, ac Roberti de Ligny Monachi Monaſterii S. Johannis in Monte prope Morinum Ordinis S. Benedicti petitio continebat, quod Monaſterium B. Mariæ de Capella, dicti Ordinis, Diœceſis Morinenſis, quod aliquorum illius patriæ, relatione ſeniorum, in ipſius fundationis & dotationis primordiis, clauſtro & aliis officiis honorabiliter ac in facultatibus & redditibus pro perſonarum ſub Regulari obſervantiâ inibi Domino famulantium ſuſtentatione congruâ, ſatis affluenter fulcitum fuerat, propter guerras & alias calamitates quæ partes illas afflixerunt diutius, in ſuis ſtructuris & ædificiis deſtructionem patitur omnimodam nullo præſentialiter exiſtente Monacho Monaſterii memorati. Ejus quoque poſſeſſiones & terræ ab omni proſpiciuntur culturâ relictæ, ac plures ad illud pertinentes redditus & proventus privatorum uſibus ſunt commiſſi & niſi; ſuper his alterius proviſionis exquiratur præſidium, quod etiam exiſtentes paſſim totaliter ſimilibus applicandi veniant uſibus, quodque Monaſterium ipſum in iiſdem ſtructuris & ædificiis reparari & ad illud pro religionis vigore cujuſvis cuicumque confluere temporis progreſſu minime debeant, non immerito formidatur.

Status ruinoſus Abbatiæ Capellæ.

Cum autem ſicut eadem petitio ſubjungebat, de prædictis terris, & poſſeſſionibus nec non redditibus & proventibus pro divini cultus augmento, unum poſſit Eccleſiaſticum perpetuum beneficium ſine curâ creari & erigi, ac pro perſona idonea competentis dotis aſſignatione muniri; pro parte dictorum Abbatis & Conventus ac Roberti nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut de terris & poſſeſſionibus, redditibus quoque & proventibus eiſdem, hujuſmodi beneficium in Eccleſia dicti Monaſterii Sancti Joannis creari & erigi ac pro perſonâ prædictâ ſufficienter dotari, nec non imprimis poſtquam creatum & erectum ac dotatum fuerit, ut præfertur, collationem & proviſionem (hâc primâ vice-detractâ) Abbati prædicto perpetuo preſentari, mandari, ac aliàs ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur.

Nos itaque qui de præmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi vocatis qui fuerint evocandi, ita eſſe inveneris, Beneficium ipſum in Eccleſiâ prædictâ per unum ex Monachis ejuſdem Monaſterii S. Joannis pro tempore exiſtentibus, etiam in illo titulum perpetuum habentem, cum moderatione infra-ſcriptâ, impoſterum obtinendum & regendum authoritate noſtrâ creare & erigere, illique pro hujuſmodi dote terras nec non poſſeſſiones, redditus & proventus præfatos, etiamſi octuaginta librarum Turonenſium parvarum valorem aſcendant annuum, tradere & applicare, ac ex tunc, ſi prædictum Robertum (qui ut aſſerit Ordinem ipſum expreſſe profeſſus extitit) poſt diligentem examinationem ad hoc idoneum fore repereris (ſuper quo conſcientiam tuam oneramus) dictum Beneficium cum omnibus juribus câdem autoritate conferre & aſſignare.

Et nihilominus hujuſmodi collationem & proviſionem Beneficii prædicti, quoties illud in antea vacare contigerit, Abbati præfato authoritate prædictâ reſervare procures, inducens per te, vel alium ſeu alios eumdem Robertum vel Procuratorem ſuum ejus nomine, in corporalem poſſeſſionem Beneficii, juriumque & pertinentiarum prædictarum, & deffendens inductum & faciens ip-

Digitized by Google

ſum Robertum vel dictum Procuratorem pro eo ad hujuſmodi Beneficium, ut eſt moris, admitti; ſibique de ipſius Beneficii fructibus, redditibus, proventibus, juribus & obventionibus univerſis integrè reſponderi, ac omnia alia & ſingula quæ in præmiſſis & circa ea neceſſaria fuerint ſeu quomodolibet; opportuna contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſitâ, compeſcenda.

Non obſtantibus Statutis & conſuetudinibus Monaſteriorum & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quâcumque firmitate aliâ roboratis, cæteriſque contrariis quibuſcumque, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim à Sede Apoſtolicâ Indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per Litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem.

Volumus autem, quod ſi & quam primum dictum Monaſterium B. Mariæ de Capellâ, ope ſuccreſcente dominicâ, ullo tempore reparari, & ad talem quod in eo proprii illius Monachi ſub Regulari caſtimonia Conventualiter reſidere poſſint, ſtatum devenire contingat, ex tunc, ad illud (ipſo Beneficio ſuppreſſo) omnes hujuſmodi terræ & poſſeſſiones nec non redditus & proventus revertantur integrè illius, ſuarum quoque perſonarum uſibus jugiter profuturi. Nota.

Datum Mantuę XIX. Kalendas Januarii, Pontificatûs noſtri anno ſecundo.

Abbatia B. M. V. de Capella Monachorum Ordinis S. Benedicti, anno 1091. fundata fuit à B. Ida Comitiſſa Boloniæ. Anno 1347. funditus deſtructa per Anglos, tandem authoritate Martini V. Pont. incorporata fuit Abbatiæ S. Joannis in Monte juxta Morinos. Circa annum 1730. tentata fuit hujus Abbatiæ ſeparatio ab Abbatia S. Joannis, quæ Ipris eſt: nominato in Abbatem Capellæ per Regem Galliæ quodam Monacho Abbatiæ S. Bertini

CAPUT LIX.

EUGENIUS IV. *Pontifex ad inſtantiam* JOANNIS DE GLIMES, *Domini Bergizomenſis, erigit ibidem in Eccleſia Stæ. Gertrudis Capitulum VIII. Canonicorum cum Decano, anno* 1442. *totidemque Capellanias convertit in Canonicatus; è quibus duo de Jure Patronatûs Abbatiſſæ Nivellenſis in Gallo-Brabantia; cæteri vero de Patronatu Domini Bergizomenſis oppidi.

Ex Archivis Bergizom.

EUGENIUS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, Dei in terris Vicarius, cui ex injunctæ cœlitus ſervitutis officio quotidiana omnium Eccleſiarum incumbit ſolicitudo, attentæ conſiderationis indagine illarum ſic indemnitatibus conſulit, ac fidelium quorumlibet mentes ad Eccleſiarum venerationem Apoſtolicis favoribus excitat, ut in Eccleſiis ipſis devotæ ſolicitudinis ſtudio jugiter benedicatur & collaudetur Altiſſimus, ac divinus cultus, continuum, dante Domino, ſuſcipiat incrementum.

Dudum ſiquidem pro parte quondam *Joannis de Glimes* Domini Opidi de Bergis ſupra Zomam, Leodienſis Diœceſis, felicis recordationis Martino Papę V. prædeceſſori noſtro expoſito, quod in opido ipſo, ad quod magna de diverſis mundi partibus anno quolibet, & potiſſimè in publicis quæ binâ vice inibi habentur nundinis, convenire populi conſueverat multitudo, partium illarum conditionibus attentis, notabilis erat parochialis Eccleſia, in qua præter ipſius Perſonatum ſive Inveſtituram, ac perpetuam cui parochianorum ibidem animarum cura imminebat Vicariam, nonnulla ſine cura Altaria fore noſcebantur, fuerantque alias per quondam *Henricum de Bauterſem* Dominum dicti opidi, nonnulli, pro celebranda in eadem Eccleſia diebus ſingulis una Miſſa, perpetui redditus annui deputati; ac ipſe *Joannes* pleroſque, & aliæ perſonæ diverſos alios pro quotidianis illorum qui divinis inibi intereſſent pro tempore diſtributionibus, nec non dilecti filii *Wito Joannis Folvers*, pro una, ac *David Roeck*, opidani dicti opidi, pro alia inibi inſtituendis & competenter dotandis prębendis, annuos perpetuos redditus aſſignarunt. Fundatio prima Capellaniarum.

Encomium Oppidi Bergizomenſis.

Idemque Joannes Jus Patronatûs Parochialis Eccleſię de *Hilderniſſe* dictæ Diœceſis, tunc ad eum legitimè pertinens, ad hoc liberaliter donare proponebat, ſi Eccleſia dicti opidi in Collegiatam erigeretur, ac ejus Capitulari Menſæ præfata Eccleſia de *Hilderniſſe* perpetuo incorporaretur & uniretur, ac deputati redditus hujuſmodi menſæ prædictæ appropriarentur, & applicarentur. Hilderniſſe Parochia prope Bergizomam; nunc aquis ſubmerſa.

Nec non de octo per ipſum *Joannem*, ſive quondam *Johannam* ejus conthoralem ad id eligendis ex dictis Altaribus, nec non

Erectio Decanatûs.

de ipſorum ac per ſuppreſſionem Perſonatûs ſive Inveſtituræ ejuſdem, etiam de illius fructibus redditibus & proventibus Decanatûs, & octo aliæ pro totidem Canonicis præbendæ fierent & dotarentur ibidem.

Conſenſus Abbatiſſæ Nivellenſis, Patronæ Perſonatûs Bergizomenſis.

Quodque in ejuſmodi Erectione & ſuppreſſione dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſæ, ac dilectorum filiorum Capituli Eccleſiæ Sanctæ Gertrudis Nivellenſis, dictę Diœceſis, ad quos communiter vel diviſim Perſonatûs ſive Inveſtituræ, nec non dilectifilii Perſonæ ſive Inveſtiti ibidem, ad quem ut plurimum Altarium prędictorum collatio & proviſio pertinebat; ac Rectorum Altarium eorundem accedebat aſſenſus.

Dictus Prædeceſſor inter alia Venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Cameracenſi, & duobus aliis ipſius in ea parte Collegis, eorumque propriis nominibus non expreſſis, per ſuas Litteras dedit in mandatis, ut ſi & poſtquam eis de conſenſu hujuſmodi conſtaret, & *Joannes* Jus Patronatûs donaret; nec non ipſe aliquos, & perſonæ quoſdam alios pro diſtributionibus, ac *Wito* pro una & *David* prædicti pro alia præbendis competenter dotandis, perpetuos redditus annuos hujuſmodi effectualiter aſſignaſſent (ut præfertur) Eccleſiam ipſius Opidi in Collegiatam erigerent.

Nec non Eccleſiam de Hilderniſſe, cum omnibus ſuis juribus & pertinentiis, ipſi menſæ in perpetuum unirent, incorporarent & annecterent; nec non deputatos redditus prędictæ menſæ applicarent & approbarent;

Perſonatum quoque, ſive inveſtituram hujuſmodi penitus & omnino perpetuò ſupprimerent, ac de illius fructibus redditibus & proventibus, nec non dictis eligendis Altaribus, etiam ſi unum Altarium eorumdem aliquibus vicibus de quarumlibet, quæ in hoc conſentirent, perſonarum Jure Patronatûs exiſterent, pro Decano qui Capitulo, & perſonis ipſius erigendæ Eccleſiæ præeſſet, & cui ſingularum Capituli aliarumque perſonarum erigendæ Eccleſiæ hujuſmodi animarum cura immineret; & cujus electio (eâ vice detractâ) ad hujuſmodi erigendæ Eccleſiæ Capitulum, ipſiuſque electionis confirmatio ad loci Ordinarium;

Decanatus Bergizomenſis.

Nec non octo, & de illis quos ipſi opidani (ut præmittitur) aſſignarent redditus, duas præbendas pro ſingulis Canonicis ibidem crearent & inſtituerent; ac Decanatum, & ejuſdem Eccleſiæ de Hilderniſſe Vicariam, ſi illam inſtitui contingeret, ſingulis idoneis, ad id per *Joannem* ſive *Johannam* hujuſmodi nominandis;

Nec non octo Præbendas, ſingulis ex eis, quæ ipſa octo Altaria tunc obtinerent perſonis, eâ vice dumtaxat conferrent, & de illis etiam providerent.

Jus quoque Patronatûs, & præſentandi perſonas idoneas, per Epiſcopum & Collegas prædictos, etiam, eâ primâ vice, & in antea, per dictos Decanum & Capitulum inſtituendas inibi perſonas, ad illas quas dicti Opidani dotarent, eâ primâ hujuſmodi, & aliis duabus vel tribus quibus dictæ dotandæ præbendæ vacarent vicibus, opidanis prædictis, pro ſe ac ſuis Succeſſoribus & heredibus;

Nec non ad eam, quæ de Altari juris Patronatûs hujuſmodi forſitan erigi & inſtitui contingeret, Præbendas illis ad quos aliàs Jus Patronatûs hujusmodi pertineret, etiam tot vicibus, ac ex tunc in antea, perpetuò Jus conferendi Præbendas præfatas quociens vacarent;

Abbatiſſa Nivellenſis Collatrix duarum Præbendarum, quæ hodie debent Acatholicis dari.

Illarum videlicet duas Abbatiſſæ & Eccleſiæ Nivellenſis Capitulo prædictis, ſive illi vel illis ex eis ad cujus ſeu quorum collationem, proviſionem, præſentationem vel aliam diſpoſitionem Perſonatus ſive Inveſtitura hujuſmodi eatenus communiter vel diviſim pertinuiſſe dignoſcebatur, ac reliquas viciſſim ſive alternatis vicibus Decano & erigendæ Eccleſiæ Capitulo pro una, ac *Johanni*, *& Johannæ* præfatis ipſorumque ſucceſſoribus & heredibus, dicti Opidi Dominis, pro aliâ partibus reſervarent, prout in eiſdem Litteris plenius continetur.

Alia Collatio Domino Bergenſi, item Capitulo aſſerta.

Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Nobilis Viri *Johannis de Glimes* moderni dicti Opidi Domini, ipſorum quondam Johannis & Johannæ nati, petitio continebat, ad ipſarum Executionem Litterarum ſit proceſſum, ac ipſe & dictus quondam *Johannes* ejus genitor multos pro quotidianis diſtributionibus ad opus Canonicorum & aliorum divinis inibi intereſſentium redditus liberaliter aſſignaverit; nec non (paucis exceptis redditibus) ipſius Eccleſiæ erectio, quaſi totaliter ex bonis & redditibus moderni Domini, & ejus genitoris ſucceſſerit, ipſeque modernus Dominus concedente Altiſſimo plurima redditus, res & bona capitulari menſæ dictæ erectæ Eccleſiæ, ſingularis, devotionis cauſâ, abundanter donare & erogare voto gerat.

Rutten Parochia prope Bergizomam.

Nec non quemdam manſum, ſive quaſdam poſſeſſiones ſitas in villa ſua de Arella, cum ſuis ibidem Juribus & pertinentiis, nec non ex decimis de *Rutten* & *Langendyck*, locorum dictæ Diœceſis, ad ipſum ſpectantibus, annis ſingulis quatuor ſextaria ſiliginis menſuræ partium illarum, ad opus quotidianarum diſtributionum.

Ex quibus quidem manſo ſive poſſeſſionibus & ſextariis ſiliginis dictæ menſæ circa triginta quinque florenos renenſes communi extimatione annuatim provenient; ad preſens donat & aſſignat; ac ultra præmiſſa certorum aliorum bonorum ſuorum donationem dictæ Eccleſiæ facere intendit.

Ipſeque modernus, & alii dicti Opidi Domini qui antea fuerunt, de ipſorum bonis in dicta erecta Eccleſia, decem vel duodecim aut circa, Miſſas quotidie celebrandas ordinaverint & inſtituerint; ita quod, ubi forſitan ante Erectionem hujuſmodi decem

dumtaxat apud dictam erectam Eccleſiam reſidêre conſueverant Presbyteri, hodiernis temporibus viginti & ultra reſidentiam faciunt perſonalem.

Ac Canonicatus & Præbendæ dictæ Eccleſiæ tot ſunt fructibus & proventibus dotati, quod ex illorum ſingulis quilibet, etiam Graduatus, competenter vivere poſſet.

Et ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi modernus, ac ejus ſucceſſores & hæredes dicti Opidi Domini pro tempore exiſtentes, univerſales & unici dictæ Eccleſiæ Patroni forent, nec non Jus præſentandi ad Decanatum, ac loci Ordinario ad quæcumque alia, Dignitates, Canonicatus, & Præbendas ac officia dictæ Eccleſiç præſentia & futura, moderno ac aliis Dominis prædictis perpetuò reſervaretur, exinde dicta erecta Eccleſia feliciter in ſpiritualibus dirigeretur & temporalibus, nec non illius Canonici & Perſonæ eventus contingerent ſalutares, ipſiusque erectæ Eccleſiæ ſuccederent ſplendor & venuſtas.

Jus Patronatûs.

Ac præfatus modernus Dominus, quod dilecta in Chriſto filia dictæ Eccleſiæ Nivellenſis Abbatiſſa ad id expreſſum præſtabit aſſenſum ſperat. Nec non præfati Oppidani, quorum aliqui duabus vel tribus vicibus præſentarunt, ſuas quaſi præſentandi vices compleverunt.

Pro parte dicti moderni Domini Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut divini cultûs augmento in præmiſſis annuere, & aliàs ſuper hiis opportuné providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos itaque, qui cultum ipſum ubilibet, noſtris potiſſimè temporibus quantum poſſumus ampliari, intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, modernum, nec non alios dicti Opidi Dominos ac ſucceſſores & hæredes in perpetuum veros univerſales & unicos dictæ Eccleſiæ Patronos Apoſtolicâ Auctoritate præſentium ſerie facimus, inſtituimus, conſtituimus & creamus; nec non præſentandi ad Decanatum ac omnia & ſingula præſentia & futura dictæ erectæ Eccleſiæ dignitates, Canonicatus, & Præbendas ac officia, cum cura vel ſine cura, quæcumque quotcumque & qualiacumque fuerint, (quæ omnia ac ipſorum ſingulorum fructus redditus & proventus præſentibus pro ſufficienter expreſſis haberi volumus,) quociens illa vel eorum aliquod ex nunc in antea vacare contigerit quaſvis perſonas ydoneas loci Ordinario.

Ita tamen, quod Decanatûs præſentationis hujuſmodi, quociens illa facta fuerit, confirmatio ad nos & ſucceſſores noſtros perpetuò pertineat; jus auctoritatem & poteſtatem imperpetuum reſervamus, & etiam aſſignamus, ac in ea parte dumtaxat Litteras Prædeceſſoris hujuſmodi ac proceſſus habitos per eaſdem, & quæcumque inde ſecuta eadem Auctoritate revocamus, caſſamus, irritamus & annullamus; illis aliàs in ſingulis ſuis partibus in ſuo plenario robore permanſuris.

Rurſus quoque præſentis perpetuò valituræ ac irrefragabiliter obſervandæ Conſtitutionis edicto eâdem autoritate ſanximus, ſtatuimus & ordinamus, quod deinceps De canatus, Dignitates, Canonicatus & Præbendæ, ac Officia prædicta, ſub quibuſvis Litteris ſeu diſpoſitionibus Apoſtolicis aut gratiis expectativis nullatenus cadant, ſive comprehendantur.

Quodque nulli, cujuſcumque ſtatûs gradûs vel conditionis fuerint, vigore ſive prætextu quarumcumque Litterarum Sedis Apoſtolicæ, vel Legatorum ejus, aut proceſſuum deſuper pro tempore habitorum, quorumcumque tenorum, & ſub quibuſvis verborum formis, etiam ſi motu proprio Litterç ipſæ conceptæ reperiantur....

Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de dignitatibus, Canonicatibus & Præbendis ac officiis dictæ erectç Eccleſiæ ſpeciales, vel aliàs pro beneficiis in illis partibus generales dictæ Sedis vel Legatorum ejus Litteras impetrarint, & quaſcumque alias favorabiles ſeu ſpeciales clauſulas in ſe contineant in aliquo vel aliquibus ex Decanatu Dignitatibus Canonicatibus & Præbendis ac Officiis prędictis Jus quæri poſſit quomodolibet vel acquiri; decernentes irritum & inane ſi ſecus ſuper hiis à quoquam quâvis auctoritate ſcienter vel ignorantet contigerit attemptari.

Confirmatur: Jus Patronatûs Abbatiſſæ Nivellenſis.

Per præſentes tamen Abbatiſſæ pro tempore exiſtenti & Eccleſiæ Nivellenſis Capitulo prædictis, ſi ad hoc dicta moderna Abbatiſſa conſenſum non præſtiterit, in Collatione ipſorum hujuſmodi nullatenus derogare volumus, vel præjudicium aliquod generari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ inſtitutionis, conſtitutionis, creationis, reſervationis, donationis, aſſignationis, revocationis, caſſationis, irritationis, annullationis, Sanctionis, Statuti, Ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo, ſeptimo Cal. Julii, Pontificatûs noſtri anno duodecimo. 1442.

Extabat modicum hujus Diplomatis Fragmentum Tomo I. Diplom. Belg. Auberti Miræi pag. 785.

Bergi-Zomium, vernaculè *Bergh-op-Zoom*, munitiſſimum Brabantiæ oppidum verſus Hollandiam Zelandiamque, ſubeſt Diœceſi Antverpienſi. Circa annum 1570 à Batavis occupatum; ab Hiſpanis expugnari nunquam potuit.

CAPUT LX.

EUGENIUS IV. *Papa conſtituit anno* 1435. *Plebanum Eccleſiæ Collegiatæ Stæ. Gudilæ Bruxellis debere eſſe in S. Theologia vel Jure Canonico Graduatum, ac perſonaliter reſidentem.*

Ex Archivis D Gudilæ Bruxell.

EUGENIUS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei &c. Quia Eccleſia Bruxellenſis divæ Gudilæ, quæ & Parochialis eſt, & cujus Plebaniæ parochianorum octo millium & ultra numerus eſt, eique cura incumbit animarum, & ipſa Eccleſia multùm nobilis eſt & inſignis &c.

Nota.

Ideo Apoſtolica Auctoritate ſtatuimus & ordinamus, quod nulli in-antea, cujuscumque dignitatis aut conditionis forent, vigore ſeu prætextu quarumcumque Litterarum Apoſtolicarum aut Legatorum ejus, ſub quavis verborum forma, aut etiam motu proprio &c. de dicta Plebania quotieſcumque vacaverit, provideri poſſit, niſi qui Doctor aut ſaltem Licentiatus fuerit in altero Jurium, ſeu Baccalaurius formatus in Theologia.

Nec Decanus & Capitulum alium teneantur recipere, nec ad id â quoquam quavis Auctoritate compelli valeant. Et quod dictus Plebanus aſſumendus debeat jurare perſonalem reſidentiam &c.

Actum anno 1435. Idibus Martii.

CAPUT LXI.

EUGENIUS IV. *Pontifex committit Officiali Tornacenſi Viſitationem Eccleſiæ Collegiatæ ac Capituli Sti. Hermetis Rothnacenſis (modo Diœceſis Mechlinienſis) datâ etiam poteſtate nova Statuta condendi, anno* 1443.

Ex Archivis Archiepiſc. Mechlin.

EUGENIUS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Turiano de Praëllis Canonico & Officiali Tornacenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Injunctum nobis deſuper, quo ſingulis orbis aſtringimur Eccleſiis, Apoſtolicæ ſervitutis officium, ſedulâ nos inſtantiâ perurget, ipſarum jugiter intendere profectibus; & ut illæ, necnon earum perſonæ, ſublatis inde diſpendiis, votivę directionis ope fruantur, noſtræ libenter interponimus providentiæ partes.

Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Decani & Capituli Eccleſię Sancti Hermetis Rotnacenſis, Cameracenſis Diœceſis, petitio continebat; quod olim pro parte dilecti filii *Roberti de Molendino* tunc Decani dictæ Eccleſię, felicis recordationis Martino Papæ quinto Prædeceſſori noſtro expoſito, quod licet Eccleſia ipſa, in quâ Sancti Hermetis prædicti, nec non SS. Cornelii & Cypriani Martyrum corpora honorabiliter recondita fuerant ab-olim, diverſis privilegiis decorata, & in ea non-nullæ Ordinationes, & Statuta ſalubria, rationabilia & honeſta, tam Apoſtolicâ quam Ordinariâ auctoritatibus, & etiam per Præpoſitos ac Decanos ibidem, nec non hujuſmodi Capitulum edita, & aliquamdiu inviolabiliter obſervata fuiſſent;

Reliquiæ Rothnacenſes.

Tamen propter deceſſum earum, quæ tunc extiterant, & novarum inibi receptarum diviſionem perſonarum, nec non alia inconvenientia in illis partibus ſubſecuta, vel aliàs in deſuetudinem converſa & repugnancia prioribus admixta fuerant.

Propter quæ inter Præpoſitum & Decanum ibidem ſuper juriſdictione nonnullorum jurium, tam ſpiritualium quam temporalium, diſceptatio, nec non aliis diverſis cauſis & negotiis ipſius Eccleſiæ, inter illos, & dictos Capitulum, tam conjunctim quam diviſim, lites, rixæ, contentiones, & ſcandala plurima ſubſecuta fuerant, & plus ſolito impoſterum ſuboriri formidabantur; niſi ſuper hoc per Apoſtolicæ Sedis remedium provideretur, ipſaque Eccleſia in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus Reformationi ſubjacêret; ac Viſitationis & Reformationis miniſterio plurimum dinoſceretur indigere.

Dictus Prædeceſſor per ſuas Litteras dilecto filio N. Decano Eccleſiæ Cameracenſis, & tibi fili N. Officiali, veſtris nominibus propriis non expreſſis, dedit in mandatis, ut vos vel alter veſtrum ad dictam Eccleſiam Sti. Hermetis perſonaliter accedentes, omnia & ſingula Ordinationes

& Statuta hujuſmodi, nec non ipſius Eccleſiæ conſuetudines, Auctoritate Prædeceſſoris ejuſdem recenſeretis, & examinaretis diligenter; ac prout ſecundum Deum & ſalubrem, felicemque ſtatum Eccleſiæ prædictæ, nec non in ea divinis pro tempore laudibus inſiſtentium perſonarum, expedire recognoſceretis, ex ipſis ordinationibus, conſuetudinibus & ſtatutis, quæ utilia, rationabilia ſeu condecentia eſſe inveneritis, eâdem Auctoritate approbaretis & confirmaretis.

Reliqua vero quæ utilia ſive neceſſaria non forent, ſupprimeretis & tolleretis. Aliis vero debitis reductionis & moderaminis præſidiis adderetis vel detraheretis.

Novas quoque Ordinationes & Statuta rationabilia, quæ, nec non antiqua inibi, ac hujuſmodi conſuetudines, juxta veſtras approbationem, confirmationem, additionem, & detractionem in antea vigere & obſervari deberent, ederetis, aliaque faceretis & diſponeretis; prout in ipſis Litteris dicitur plenius contineri.

Poſtmodum vero dictarum vigore Litterarum, plura Statuta & Ordinationes ibidem facta fuerunt, ac inter cætera, quod certæ tunc expreſſæ, & tres aliæ primò vacaturę dictæ Eccleſiæ Præbendæ, perpetuo Sacerdotales eſſent atque manerent; ac ex eis duas, quæ per obitus eas obtinentium interim vacarunt, Sacerdotales inibi reputantur.

Præbendæ Sacerdotales.

Sed pro eo quod tertia non per obitum alicujus, ſed per reſignationem ex cauſa permutationis factam & admiſſam vacavit, ac etiam illa Sacerdotalis reputari deberet, apud aliquos dubio ſuborto, ne litis inde vel diſſentionis occaſio ſuccederet, talis inter dilectos filios *Hugonem Fabri*, qui per reſignationem hujuſmodi, & * *Joannem Rudolphi*, aliàs *Flamingi*, qui etiam poſtremo tunc per obitum vacantes, ejuſdem Eccleſiæ Præbendas aſſecuti fuerunt, de conſenſu dictorum Capituli Concordia ſupervenit;

Fuit J.U.D. Lovanii, Cantor & Officialis Camerac. &c.

Videlicet, quod quilibet ipſorum Hugonis & Joannis quoad viveret, præbendam per ſe aſſecutam hujuſmodi, tamquam non Sacerdotalem retineret, & æqualiter onus ſervitii ratione unius Sacerdotalis inibi præbendæ requiſiti perferret. Ac illa ex ipſis aſſecutis præbendis, quam primò per mortem, & non aliàs, vacare contingeret, Sacerdotalis imperpetuum remaneret.

Cum autem (ſicut eadem petitio ſubjungebat) pro ſalubri felicique ſtatu Eccleſiæ, nec non perſonarum prædictarum, opus foret omnia & ſingula Statuta, nec non Ordinationes & conſuetudines Eccleſiæ hujuſmodi, ſuper quibus obſervandis plures ipſius Eccleſiæ perſonæ corporalia juramenta præſtiterunt, de novo recenſeri, & quædam ex illis prorſus immutari, pro parte Decani & Capituli prædictorum, aſſerentium, occaſione quorundam ex ipſis Statutis Ordinationibus & conſuetudinibus, aliàs inter Capitulum ex una, nec non *Robertum* præfatos ex altera partibus, lites exortas, ac eundem *Robertum* interim Decanatu dictæ Eccleſiæ Sancti Hermetis privatum fuiſſe; Nobis extitit humiliter ſupplicatum, ut eis & ipſi Eccleſiæ Sancti Hermetis ſuper præmiſſis oportunè providêre de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, dictarumque litium ſtatus præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, ac illas penitus extinguentes, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus,

Quatenus vos, vel alter veſtrum, vocatis, qui fuerint evocandi, ſi, & poſtquam Vobis de Concordia hujuſmodi legitimè conſtiterit, illam, nec non quæcumque inde ſecuta, Auctoritate Apoſtolicâ, approbetis & confirmetis, ac ſingulas ex dictis perſonis, quę juramenta ipſa tranſgreſſæ fuerint, ſi id humiliter petierint, ab hujuſmodi tranſgreſſione eâdem Auctoritate Apoſtolicâ abſolvatis; injunctâ eis inde pro modo culpæ pœnitentiâ ſalutari, nec non juramenta prædicta quoad hoc relaxantes, ipſam Concordiam obſervandam fore decernatis.

Et nihilominus ad Eccleſiam Sancti Hermetis prædictam vos perſonaliter conferentes, ac Statutis, Ordinationibus & Conſuetudinibus hujuſmodi per vos diligenter recenſitis, examinatis & diſcuſſis, ex eis illa, quæ rationabilia & dicto ſtatui congruentia fore inveneritis, eâdem Auctoritate Apoſtolicâ approbetis & confirmetis; ac quæ minus utilia vel rationabilia fore perſtrinxeritis, caſſetis & annulletis.

Reliqua vero, moderationis, adjectionis vel detractionis adminiculis altereris, & reformetis; nova quoque Statuta & Ordinationes ibidem edatis; nec non illa, & alia quæ per vos approbari reformarique contigerit, inviolabiliter obſervanda deinceps exiſtere, ſimiliter decernatis; ac omnia & alia ſingula faciatis & exequamini, quæ in præmiſſis & circa ea fuerint neceſſaria & quomodolibet oportuna;

Non obſtantibus præmiſſis, ac omnibus illis, quæ dictus Prædeceſſor in ipſis Litteris non obſtare voluit, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Senis, anno Incarnationis Dominicę milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo tertio, decimo ſeptimo Kal. Julii, Pontificatûs noſtri anno tertio-decimo. 1443.

In vim harum Litterarum Apoſtolicarum, DD. *Joannes Lammelin*, Licentiatus in Decretis, Canonicus & Officialis Tornacenſis, & *Tuurrianus de Praëllis*, Canonicus Hoſpitalarius ibidem (ac dein Decanus) aſſumptis ſecum aliis Juriſperitis ejuſdem Cathedralis Tornacenſis Canoni-

cis (*Riccardo Bonhomme* Scholaſtico, *Michaële Amici*, & *Nicolao de Schotelario*) nova pro eâdem Eccleſia S. Hermetis Rothnacenſis Statuta condiderunt, ac publicari ibidem curarunt die 1. Decembris 1444. Quæ Statuta uſque hodie in dicta Collegiata uſitantur.

CAPUT LXII.

EUGENIUS IV. *Pontifex Domum Fratrum Vitæ communis, vulgo Hieronymitarum, in urbe Gandavenſi recens erectam, in protectionem ſuſcipit anno* 1444. *variiſque beneficiis afficit. Quæ Domus deinde (anno* 1569 *) extinctis Fratribus Hieronymitis, mutata fuit in Seminarium Epiſcopale.* *

* Vide Diploma infra ſubjiciendum.

EUGENIUS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, ad futuram rei memoriam. Cùm ſicut accepimus, SS. Apoſtolorum & Hieronymi in *Gandavo*, Tornacenſis Diœceſis, Provinciæ Remenſis, & diverſæ aliæ in eadem Provincia Domus conſiſtant, in quibus & earum ſingulis nonnullæ perſonæ devotę, ſub unius vel plurium regimine ſacerdotum, ac debita Ordinariorum & aliorum ſuorum Superiorum obedientia, ſobriè piè caſtè & juxta ſalutaria SS. Patrum monita, nec non Evangelica inſtituta, ex laboribus manuum ſuarum, mundi ſpretis vanitatibus, in communi viventes, ſub una Congregatione cohabitant & in futurum cohabitabunt, duce Domino, ac gratum Altiſſimo acceptumque devotioni fidelium reddunt & reddent famulatum.

Nos, ut perſonæ prædictæ, cum earum ſervitoribus, cò facilius laboribus ſolitis intendere, & quietiùs virtutum Domino famulari valeant, ipſis & earum ſingulis, in locis & Domibus nunc erectis, dumtaxat atque quamdiu in communi, ſub Epiſcopi ac loci Ordinarii atque aliorum ſuorum ſuperiorum hujuſmodi obedientia, vixerint, perſonis hujuſmodi atque ipſarum ſervitoribus præſentibus & futuris, ut præfatos vel alios quoſcumque idoneos & diſcretos Sacerdotes ſæculares & regulares, ſeu ex eis aliquem in ſuum vel ſuos eligere Confeſſorem ſeu Confeſſores;

Quodque ſingulæ perſonæ prædictę, cujuſcumque Diœceſis fuerint, etiam ſi Beneficia Eccleſiaſtica non obtineant, nec patrimonialia ad id ſufficientia bona habeant, dummodo aliàs ad id idoneæ repertæ fuerint, alioque non obſtante Canonico impedimento, ad omnes etiam ſacros Ordines, ſtatutis à Jure temporibus, promoveri, ipſique Ordines eis ab Ordinariis prædictis conferri liberè & licitè valeant (ſel. recordationis Clementis Papæ V. prædeceſſoris noſtri, & aliis quibuſcumque Conſtitutionibus contrariis nequaquam obſtantibus) auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus.

Collatio Ordinum abſque titulo.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quarto, Idibus Septembris, Pontificatûs noſtri anno quarto-decimo.

PIUS II. *Papa, Privilegia Domui Scholarium Gandavenſium ab* EUGENIO *prædeceſſore conceſſa, extendit anno* 1462.

PIUS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, ad futuram rei memoriam. Dudum per felicis recordationis Eugenium Papam IV. prędeceſſorem noſtrum accepto, quod SS. Apoſtolorum & Hieronymi in Gandavo, Tornacenſis Diœceſis, Provinciæ Remenſis, & diverſæ aliæ in eâdem Provincia Domus conſiſtebant, in quibus & earum ſingulis nonnullæ perſonæ devotæ ſub unius vel plurium regimine Sacerdotum, &c. *ut ſuprà in Bulla Eugenii IV.*

Nos igitur, ut perſonæ ipſæ, quæ de laboribus manuum ſuarum, utpote ſcriptura & ligatione librorum, ac Inſtitutione Scholarium, & his ſimilibus vivunt, cò ferventiùs Altiſſimo famulari ſtudeant, quò magis prædictæ eis conceſſæ gratiæ per eamdem Sedem Apoſtolicam fuerint ampliatæ, eiſdem perſonis, ut Confeſſor ſeu Confeſſores, ab ipſis perſonis electus ſeu electi, non ſolùm dictarum perſonarum, ſed etiam Scholarium confeſſiones audire, & pro commiſſis (dummodo talia non ſint propter quæ ſit meritò Sedes Apoſtolica conſulenda) debitam abſolutionem impendere, & ſalutarem pœnitentiam injungere, & etiam quoties expedierit, Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare;

Inſtitutum FF. Vitæ Communis.

Nec non, ut dictæ perſonæ in eiſdem Oratoriis ſeu Capellis Euchariſtiæ Sacramentum habere & retinere, Miſſas & alia divina Officia, etiam cantu, cum eis placuerit, celebrari facere, diviniſque Officiis completis,

tis, ibidem cum dictis ſcholaribus ſtudio ſacræ Scripturæ aut aliis virtuoſis exercitiis intenti, etiam abſque Parochialis Eccleſiæ frequentatione, exceptis quatuor principalioribus anni feſtivitatibus, remanere liberè & licitè valeant, auctoritate Apoſtolicâ, tenoré præſentium indulgemus; jure Parochialis Eccleſiæ & cujuſlibet alterius in præmiſſis omnibus ſemper ſalvo.

Datum Romæ apud S. Petrum anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſecundo, VI. Idus Februarii, Pontificatûs noſtri anno quinto.

CAPUT LXIII.

EUGENIUS IV. *Pontifex Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ S. Gaugerici Cameraci declarat exemptum à Juriſdictione Epiſcopi ſui, anno* 1445.

Ex Archivis Archiepiſc. Mechlin.

EUGENIUS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad Eccleſiarum præſertim Collegiatarum & inſignium, ac in eis divinis laudibus deditarum perſonarum omnium ſtatum ſalubriter & proſperè dirigendum paternâ ſollicitudine vigilantes, illarum profectibus libenter intendimus: & ut perſonæ, ſublatis ab eis ſiniſtris quibuſlibet, pacis & quietis dulcedine gaudeant, ac exinde Eccleſiæ ipſæ felicia in ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiant incrementa, opem & operam, cum à Nobis petitur, quantum cum Deo poſſumus efficaces, impendimus.

Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Præpoſiti, Decani, & Capituli Eccleſiæ S. Gaugerici Cameracenſis petitio continebat: Eccleſia prædicta inter alias illarum partium Collegiatas, eſt inſignis nobilis atque ſolemnis, ac in ea quadraginta quinque vel circa Canonicorum ex ea dudum inibi pro tempore ſervientium fructus ad ipſorum vitæ commodam ſuſtentationem percipientium, inſtitutus eſt numerus, ac plures alii tam Sacerdotes quam Clerici, triginta vel circa numero, ad ſerviendum in divinis inibi perpetuo deputati;

Status Eccleſiæ S. Gaugerici.

Ipſique omnes à Juriſdictione Ordinaria, in omnibus cauſis & caſibus civilibus, nec non exceſſibus, criminibus & delictis ex eis, illis qui etiam privationem Beneficiorum & Ordinis depoſitionem ac perpetuam carcerationem concernunt; & quæ Venerabilis Frater noſter Johannes Epiſcopus Cameracenſis, in certa Conceſſione per eum eidem Capitulo ſub certis modo & formâ nuper factâ, & per alias noſtras Litteras poſtea confirmatâ, excipere voluit, dumtaxat exceptis, exempti exiſtant;

Nec non etiam dicti Præpoſitus, Decanus & Capitulum in pluribus Villis atque locis in Diœceſi Cameracenſi conſiſtentibus, & ad Eccleſiam ipſam ſpectantibus eorumdem hominibus, temporalem juriſdictionem habêre & exercere, nec alium in illis temporalibus, præterquam Romanum Pontificem dumtaxat, in ſuperiorem recognoſcere noſcantur.

Ac conſiderantes, quod ratione Juriſdictionis Ordinariæ, inter eos & prædictum, ac nonnullos Prædeceſſores ſuos Cameracenſes Epiſcopos, plures diſſentiones & controverſiæ hactenus provenerunt, & de ulterioribus diſſentionibus de cetero formidetur; pro parte Præpoſiti, Decani, & Capituli prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc eorum ac dictæ Eccleſiæ ſtatui opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, præmiſſa debitè compenſantes, nec non ad eandem Eccleſiam noſtræ conſiderationis intuitum dirigentes, eandem Apoſtolicis favoribus & gratiis decorare, ac etiam ut Præpoſitus, Decanus & Capitulum ſupra-dicti eò libentiùs & liberiùs circa regimen & gubernationem Eccleſiæ memoratæ, ac perſonarum & bonorum ejuſdem, ipſique & aliæ in ea divinis obſequiis pro tempore mancipatæ perſonæ, celebrationi divinorum inibi commodiùs intendere, ac Sedem Apoſtolicam promptiùs & devotiùs revereri valeant, quò amplioribus libertatibus & gratiis ab eadem Sede ſe ſenſerint communitos, providere volentes;

Hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Eccleſiam prædictam, nec non Præpoſitum Decanum & Capitulum pro tempore exiſtentes, ac omnes & ſingulos præſentes & futuros Canonicos, Capellanos, Vicarios, Choriſtas, Ballivum, Cuſtodem, vigilem furnerium, nuncios & alias perſonas habitum gerentes præfatæ Eccleſiæ, nec non Præpoſiti, Decani, Capituli, Canonicorum, Vicariorum, Choriſtarum, Ballivi, Cuſtodis, vigilis furnerii, nunciorum præfatorum & cujuſlibet eorum præſentium & futurorum familiares deſervientes, tam Clericos quam laïcos pro tempore exiſtentes;

Dictorumque Præpoſiti, Decani, Capituli, Canonicorum, Capellanorum, Vicariorum, Choriſtarum, perſonarum fami-

liarium & ſervientium hujuſmodi, præſentium & futurorum Canonicatus & Prębendas, Dignitates, proventus, adminiſtrationes, cæteraque Beneficia Eccleſiaſtica cum cura & ſine cura, ſæcularia & regularia, quæcumque quotcumque & qualiacumque fuerint;

Nec non eorum & ſingulorum prædictorum domos, habitationes, jura, juriſdictiones atque bona mobilia & immobilia, præſentia & futura, ab omnimodis viſitatione, procuratione, lege, majoritate, ſuperioritate, dominio, poteſtate & juriſdictione Johannis prædicti ac ſucceſſorum Cameracenſium Epiſcoporum, nec non Archiepiſcopi Remenſis pro tempore exiſtentium, & aliorum quorumlibet Ordinariorum, Judicum, etiam in privationis & Ordinum depoſitionis, ac carcerationis prædictis, & aliis etiam illis majoribus, æqualibus & minoribus civilibus caſibus & cauſſis quibuſcumque, in quibus illis de jure vel conſuetudine, ſeu aliàs quomodolibet ſubjecta fore noſcuntur, Auctoritate Apoſtolicâ ex certa ſcientiâ, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium perpetuò prorſus eximimus & totaliter liberamus, ac exempta & libera perpetuò eſſe, nec non ſub noſtra & B. Petri ac Sedis præfatæ protectione ſuſcipientes, illa omnia & ſingula Nobis & eidem Sedi immediatè perpetuo ſubeſſe & ſubjacêre, Auctoritate & ſcientiâ prædictis decernimus & declaramus.

Ita quod Epiſcopi, Archiepiſcopi & alii Judices Ordinarii ſupra dicti, vel eorum aliquis nullam in Eccleſiam, Præpoſitum, Decanum, Capitulum, Canonicos, Capellanos, Vicarios, Choriſtas, Baillivum, Cuſtodem, Vigilem furnerium, nuncios, perſonas, familiares ac ſervientes prædictos pro tempore exiſtentes, etiam ratione delicti ſeu contractûs aut rei de qua ageretur, ubicumque committatur delictum aut ineatur contractus ſeu res ipſa conſiſtat, Viſitationem, procurationem, legem, majoritatem, ſuperioritatem, dominium, poteſtatem ſeu juriſdictionem Eccleſiaſticam, per appellationem vel aliàs, valeant ſeu valeat exercere: ex nunc omnes & ſingulos proceſſus, quaſcumque excommunicationum, ſuſpenſionum & interdicti aliaſque ſententias & Cenſuras Eccleſiaſticas penes ſe forſan continentes, & alia omnia & ſingula quæ contra Exemptionem noſtram hujuſmodi ac tenore præſentium haberi, fulminari ſeu fieri contingeret, irrita & inania nulliuſque roboris exiſtere penitus vel momenti, harum ſerie etiam decernentes.

Et inſuper quod Præpoſiti, Decani, Canonici & aliorum exemptorum præſentium & futurorum omnium & ſingulorum punicio, correctio, & omnimoda Juriſdictio tam in civilibus quam in criminalibus, etiam cum aliter attentatis criminalibus caſibus & cauſis, ad præfatos Capitulum pleno jure perpetuò pertineant, eiſdem Capitulo auctoritate & ſcientiâ præfatis harum ſerie concedimus ac etiam indulgemus.

Diſtrictiùs inhibentes Epiſcopo, Archiepiſcopo, & aliis judicibus pro tempore exiſtentibus ſupradictis, & eorum cuilibet, ne ipſi vel eorum aliquis de cetero per ſe vel alium ſeu alios directè, quovis quæſito colore, contra Exemptionem, liberationem, Decretum & proceſſionem noſtram hujuſmodi, ac tenore præſentium, vel alicujus partis earumdem venire, facere, ſeu attemptare audeant ſeu audeat, vel præſumat.

Decernentes ex nunc omnes & ſingulos proceſſus, quaſcumque excomunicationum, ſuſpenſionum & interdicti, aliaſque ſententias & cenſuras Eccleſiaſticas, etiam pœnas in ſe continentes, ac alia omnia & ſingula quæ contra exemptionem, & hujuſmodi præſentium tenorem ab Epiſcopo, Archiepiſcopo, Judicibus pro tempore ſupradictis aut aliis quibuſlibet quavis authoritate ſcienter vel ignoranter haberi, fieri, ſeu fulminari forſan contigerit, irrita & inania exiſtere, nulliuſque roboris vel momenti.

Non obſtantibus felicis recordationis Innocentii III. & Innocentii IV. nec non Bonifacii VIII. Prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, nec non præfatæ Eccleſiæ juramento, confirmatione Apoſtolica vel quacumque firmitate aliâ roboratis Statutis & Conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ Exemptionis, liberationis, conſtitutionis, declarationis, conceſſionis & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romę apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quinto, pridie Idus Auguſti, Pontificatus noſtri anno quintodecimo. 1445.

Eandem aliqualem Exemptionem Capitulo S. Gaugerici conceſſit Joannes à Burgundia Cameracenſis Epiſcopus per Litteras ſuas 14 Martii 1442. teſtibus Magiſtris Antonio Hanneron Archidiacono Cameraceſii, & Joanne de Gribo-val Archidiacono Hannoniæ &c.

Cum autem ex hac Bulla ortæ eſſent diſſentiones, Nicolaus V. eam paulò poſt revocavit. Ita habet Motivum Juris editum à Promotore Cameracenſi contra Canonicos S. Gaugerici, anno 1727. dum ſeſe oppoſuerunt Viſitationi Canonicæ Archiepiſcopi ſui Cameracenſis.

Digitized by Google

CAPUT LXIV.

PIUS II. *Papa Jus Patronatûs Capituli Canonicorum in Eccleſia Collegiata Stæ. Gertrudis Oppidi Bergizomenſis (hodie Diœceſis Antverpienſis) aſſerit Familiæ Dominorum Bergizomenſium , anno* 1459.

Ex Archivis Caſtri Bergizomenſ.

PIus Epiſcopus, Servus ſervorum Dei &c. Ad ſacram Petri Sedem divinâ diſpoſitione vocati, curis efficere ſtudemus aſſiduis , ut per noſtræ operationis miniſterium ſingula quæque loca & perſonæ Eccleſiaſticæ Nobis & Romanæ Eccleſiæ fideles & devotæ, ſublatis inde diſpendiis, quæ veriſimiliter oriri poſſent , optati ſtatûs proſperitate firmentur ; & ea quę propterea à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris proceſſiſſe comperimus , illibata perſiſtant, & firmiter obſerventur.

Dudum ſiquidem felicis recordationis *Eugenii Papæ IV*. Prædeceſſoris noſtri Litterę emanarunt , tenoris ſubſequentis , *Eugenius Epiſcopus, Servus ſervorum Dei &c.* *

* Recenſetur tota Bulla ſuperiùs memorata , pag. 63.

Cum autem , ſicut accepimus , pro eo quod in præinſertis Litteris Eugenii Prędeceſſoris hujuſmodi , quibus etiam multo tempore dilectus filius Nobilis Vir *Johannes de Glimes* Dominus temporalis Opidi de Bergis-ſupra-zomam Leodienſis Diœceſis , Ambaſſiator ad Nos per dilectum filium Nobilem Virum Philippum Ducem Burgundiæ nuper deſtinatus , minimùm ſe juvabat , ſed ut plurimùm alternatis vicibus Capitulum præfatum dictæ Eccleſiæ Canonicatuum & Præbendarum pro tempore vacantium ſibi Collationem vendicabant ; narratum extiterit , quod (paucis exceptis) redditibus dicti *Johannis* & Genitoris ſui ſucceſſerat ; licet ad illam fundationem nonnulli Opidani dicti Opidi de facultatibus ſuis contribuiſſent ; (de quo in dictis Litteris clarè mentio facta non fuit) à nonnullis aſſeratur , propterea , Litteras præ-inſertas prædictas ſurreptionis vicio ſubjacêre ; illiſque fuiſſe & eſſe, per non uſum & temporis lapſum detractum , & etiam tacitè ſaltem renunciatum.

Verum quia (ſicut poſtmodum Nobis innotuit) Capitulum præfatum , ad ſedandas controverſias & litigia , quæ occaſione dictæ *Alternativæ* , ſive facultatis præſentandi perſonas ydoneas ad Canonicatus & Præbendas dictæ Eccleſiæ alternatis vicibus , inter eos ſuperioribus annis ſuborta fuerant, pro rata eos contingente quoad facultatem præſentandi hujuſmodi , in eundem *Johannem* ejuſque heredes & ſucceſſores imperpetuum (maturâ inter eos deliberatione præhabitâ) tranſtulerunt , & illud quantum in eis erat ſibi aſſignarunt ;

Capitulum & Johannes præfati Nobis humiliter ſupplicari fecerunt , ut Litteras prædictas , & quæcumque in illis contenta , nec non tranſlationem Juris Patronatûs hujuſmodi , modo præmiſſo factas , approbare , aliàſque eorum quieti & tranquillitati , & ſuorum Jurium conſervationi in præmiſſis opportunè providere , paternâ diligentiâ curaremus.

Nos igitur , quorum intereſt ſuper hiis adhibere vigilantiæ noſtræ curas , hujuſmo-ſupplicationibus inclinati , Litteras præ-inſertas , ac Proceſſus habitos per eaſdem , nec non Tranſlationem & aſſignationem Juris hujuſmodi , & inde ſecuta quæcumque ; Authoritate Apoſtolicâ , & ex certa ſcientiâ approbantes & confirmantes , omneſque & ſingulos defectus tam Juris quam facti , ſi qui forſan intervenerint in eiſdem , ſupplentes , tenore præſentium decernimus & declaramus , Litteras ac contenta & ſecuta hujuſmodi valuiſſe & valere , plenumque robur obtinere , perinde ac ſi dictus Johannes , à tempore quo emanaverunt Litteræ præinſertæ prædictæ , illis continuo uſus fuiſſet : & quod in illis , quod Erectio ipſius Eccleſiæ quaſi totaliter ex bonis & redditibus prædictis ſucceſſerat , nulla mentio facta fuiſſet : quodque Litteris ipſis occaſione ſupradictâ nullatenus detractum dici, cenſeri vel prætendi poſſit , ſeu etiam quomodolibet derogatum.

Et nihilominus Johanni , hæredibus & ſucceſſoribus prædictis Jus Patronatûs & præſentandi perſonas ydoneas ad ſingulos Canonicatus & Præbendas dictę Eccleſiæ, quotiens illos vacare contigerit , quomodolibet in futurum , tenore præſentium , in ſolidum reſervamus , concedimus pariter & aſſignamus ; decernentes irritum & inane, quidquid ſecus ſuper hiis à quoquam quâvis authoritate ſcienter vel ignoranter attemptatum forſan eſt , vel impoſterum contigerit attemptari. Jus Patronatûs.

Non obſtantibus præmiſſis , ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis , nec non omnibus illis , quæ dictus Prædeceſſor in ſuis præ-inſertis Litteris non obſtare voluit , cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ Approbationis , confirmationis , ſuppletionis , declarationis , reſerva-

Digitized by Google

tionis, conceſſionis, aſſignationis, conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraïre.

Si quis vero hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Mantuæ, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo nono, Pontificatus noſtri primo. 1459.

CAPUT LXV.

Pius II. *Papa concedit anno* 1461. *in Capella Stæ. Catherinæ Bruxellis, ſub Parochia Sti. Joannis de Molembeka, erectionem fontis baptiſmalis; quod fuit primum Parochialis hujus initium.*

Pius Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Abbati Affligemienſi, & Præpoſito Sancti Jacobi de Frigido-monte Bruxellenſi per Præpoſitum ſoliti gubernari, Monaſteriorum, Cameracenſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Piis ſupplicum votis, illis potiſſimum per quæ divini cultûs augmentum & ſalus procuratur animarum, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis.

Exhibita ſiquidem nobis pro parte dilectorum filiorum Magiſtrorum ſive Rectorum Fabricæ Capellæ Sanctę Catharinæ ſitæ infra limites Parochiæ parochialis Eccleſiæ Sancti Joannis de Molenbeka, extra antiquos muros oppidi Bruxellenſis, Cameracenſis Diœceſis, nec non majoris & ſanioris partis parochianorum dictæ Eccleſiæ petitio continebat, quod licet in dicta Capella, quæ inſignis eſt, diverſæ ſint fundatæ Capellanię, ac ſingulis tam Dominicis quam feſtivis diebus communiter ſex aut ſeptem Miſſæ ex fundatione ipſa celebrentur;

Tamen in Nativitatis ac Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Pentecoſtes, nec non Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtivitatibus, ac celebritate omnium Sanctorum, Capella ipſa, quæ inſigniori loco dictæ Parochiæ conſiſtit, clauſa teneri conſuevit, nec divina tunc inibi peraguntur; nonnunquam etiam propter clauſuram portarum murorum ejuſmodi, quæ antequam luceſcat dies aperiri etiam non conſueverunt, & infantes nati (cum major pars ipſorum Parochianorum infra ipſos muros conſiſtat, ac de nocte quoad ipſos Parochianos infra dictos muros commorantes ad eandem Parochialem Eccleſiam haberi commodè nequeat acceſſus) ſine baptiſmo moriantur, in divini cultûs diminutionem, ac ipſorum morientium animarum ſalutis diſpendium.

Quare pro parte Magiſtrorum ſive Rectorum, nec non Parochianorum prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut de cetero Capella ipſa in feſtivitatibus eâ celebritate, prout in aliis diebus, aperiri conſuevit, ac tunc Miſſę inibi fundatæ juxta earum fundationes per Capellanos, ſeu alios ad officia eorundem deputatos, pro tempore celebrari debeant, concedere, ac aliàs eis oportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui fidelium quorumlibet moleſtè præterimus incommoda, deſuper opportunè providere, animarumque periculis, quantùm cum Deo poſſumus, obviare, nec non divinum cultum augmentare cupientes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, ſi eſt ita, ut de cetero Capella ipſa in feſtivitatibus & celebritate prædictis, prout in aliis diebus aperitur, aperiri debeat, ac tunc Miſſæ in eadem fundatæ, juxta earum fundationes per Capellanos ſeu alios ad officia eorundem deputatos, quos etiam quoad hoc aſtringatis, celebrari debeant;

Nec non Magiſtris ſive Rectoribus & Parochianis, quod prædictis feſtivitatibus & celebritate ac Dominicis diebus veſperas perpetuis futuris temporibus decantari facere, nec non Fontem baptiſmalem in ipſa Capella pro hujuſmodi infantibus inſtante neceſſitate baptizandis, erigere poſſint, auctoritate noſtrâ concedatis, ac alia faciatis ac ſtatuatis, quæ circa hæc neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet oportuna.

Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſitâ compeſcendo; non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque; aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, aut excommunicari non poſſint per Litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de Indultis ejuſmodi mentionem; jure tamen Rectoris dictæ Eccleſiæ in omnibus ſemper ſalvo.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo primo, quarto Nonas Junii, Pontificatûs noſtri anno tertio.

CAPUT LXVI.

PIUS II. *Papa confirmat anno* 1464. *Erectionem Monaſterii Monialium ſtrictioris Obſervantiæ Ordinis Sti. Franciſci Brugis, quæ vulgo* COLLECTINÆ *vocantur; Fundatoribus* LUDOVICO DE BRUGIS, *Domino Gruthuſæ &c. ejuſque conjuge* MARGARETA DE BORSSALIA.

PIUS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii S Bavonis juxta Gandavum, Tornacenſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Piis fidelium votis gratum nos decet præſtare aſſenſum; & ut ea quæ Religionis propagationem, divini quoque cultûs augmentum reſpiciunt, optatum ſortiantur effectum, libenter interponimus ſollicitudinis noſtræ partem.

Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii, Nobilis Viri *Ludovici de Gruuthuſe* Principis de Steenhuſe, & dilectæ in Chriſto filiæ Nobilis Mulieris *Margaritæ* ejus uxoris, Tornacenſis Diœceſis, petitio continebat, quod ipſi ſummopere cupientes terrena in cœleſtia & tranſitoria in æterna felici commercio commutare;

Et ob ſingularem, quem ad Sorores Ordinis Stę. Claræ de Obſervantia regulari nuncupatas, præſertim ſub Reformatione quondam COLETÆ, olim ipſius Ordinis Sororis, ſub ipſo Ordine degentes, propter illarum vitæ ſanctimoniam gerunt devotionis affectum, quoddam Monaſterium dicti Ordinis, pro uſu & habitatione unius Abbatiſſæ & nonnullarum Sororum ejuſdem Ordinis, in Oppido Brugenſi ejuſdem Diœceſis, cum Eccleſia, cimiterio, campanili, campanis, clauſtro, dormitorio, hortis, hortaliciis, aliiſque neceſſariis officinis erigere, conſtruere, fundare & ædificare proponant.

Quapropter pro parte Ludovici & Margaritæ prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis Monaſterium prædictum in eodem Oppido, ſeu alio loco magis apto, cum Eccleſia & aliis ſupradictis, erigendi, fundandi, conſtruendi & ędificandi licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui continuum divini cultûs & Religionis exoptamus incrementum, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, Ludovico & Margaritæ præfatis, ut unum Monaſterium ejuſdem Ordinis in dicto Oppido, ſeu alio loco magis apto & convenienti, cum Eccleſia, cimiterio, campanili, campanis, clauſtro, dormitorio, horto, hortaliciis, & aliis officinis, Diœceſani loci & cujuſvis alterius licentiâ ſuper hoc minimè requiſitâ, erigendi, fundandi, conſtruendi & ædificandi, ſeu erigi, fundari, cònſtrui & ædificari faciendi licentiam, Authoritate noſtrâ concedas pariter & facultatem.

Nos enim, ſi Erectionem, conſtructionem & fundationem hujuſmodi per Ludovicum, & Margaritam prædictos fieri contigerit (ut prętertur) ut tam ipſum Monaſterium, quam Abbatiſſa & Sorores ſeu Moniales & aliæ perſonæ eis deſervientes, quæ pro tempore in præfato Monaſterio morabuntur, omnibus & ſingulis Privilegiis, exemptionibus, immunitatibus & libertatibus præfato Ordini ac illius Domibus ſeu Monaſteriis per Sedem Apoſtolicam aliàs quomodolibet generaliter conceſſis, uti & gaudere liberè & licitè valeant, authoritate Apoſtolicâ, præſentium tenore indulgemus.

Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii PP. VIII. Prædeceſſoris noſtri, prohibentis, ne aliquis vel aliqui de aliquo Ordine Mendicantium in aliqua civitate, caſtro, villâ ſeu loco quocumque, ad habitandum domos ſeu loca quæcumque de novo incipere, ſive hactenus recepta mutare præſumerent, abſque Sedis Apoſtolicæ licentiâ ſpeciali, plenam & expreſſam faciente de hujuſmodi prohibitione mentionem, & aliis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Statutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis aliâ firmitate roboratis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quarto, Nonis Junii, Pontificatûs noſtri anno ſexto.

DE STA. COLLETTA, ejuſque Monaſterio Gandavenſi vide Tomum III. Diplomat. Belgicor. pag. 700.

De Fundatione Monaſterii Clariſſarum Heſdinienſium in Artheſia, quod B. Coleta primùm incoluit, ſuiſque inſtitutis formavit, vide Bullam Eugenii IV. Pont. de anno 1437. in Chronico Ferreoli Locrii pag. 513. Item pag. 514. Litteras ad eandem B. Colletam. Colitur illa Gandavi, & per totum Ordinem S. Franciſci, die VI. Martii.

CAPUT LXVII.

SIXTUS IV. *Papa decernit anno 1475. Incorporationem decem Capellaniarum in Eccleſia Collegiata Stæ. Gudilæ Bruxellis, ad opus Muſices.*

Ex Archivis Eccl. D. Gudilæ.

SIXTUS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, Dilectis filiis Sancti Rumoldi Mechlinienſis, & Sancti Petri Anderlechtenſis, ac Sancti Gaugerici Halterenſis, Cameracenſis Diœceſis Eccleſiarum Decanis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Quia in futuris eventibus ſic humani fallitur incertitudo judicii, ut quod conjetura probabiliter utile pollicetur, reperitur minus utile; idcirco non debet reprehenſibile cenſeri, ſi Romanus Pontifex nonnunquam quæ à ſuis prædeceſſoribus providè ordinata videbantur, commutat, prout rerum & temporum qualitate penſatâ, id in Domino conſpicit ſalubriter expedire.

Sane pro parte dilectorum filiorum Decani & Capituli Eccleſiæ Sanctæ Gudilæ Bruxellenſis Cameracenſis Diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, qualiter dudum felicis recordationis Eugenius Papa quartus prędeceſſor noſter, inter alia ſtatuerit & ordinaverit, quod Decanus & Capitulum prædictæ Eccleſię, ad Sancti Nicolai, Sancti Arnoldi, & Sancti Michaëlis primarum, nec non ad Beatæ Mariæ Virginis & Sancti Judoci ſecundarum fundationum, ac ad Beatæ Mariæ Magdalenæ, Sanctæ Barbaræ, Sanctęque Crucis, nec non Sancti Pancratii & Sancti Antonii Altaria, ſita in dicta Eccleſia, perpetuas Capellanias, dum pro tempore vacarent, liberè conferre poſſent. Quodque nullus cujuſcumque dignitatis, ſtatûs, gradus vel conditionis foret, ex tunc deinceps perpetuis futuris temporibus per quaſvis Apoſtolicas ſeu Sedis Apoſtolicæ vel Legatorum ejus Litteras, ſub quacumque verborum forma, aliquam ex Capellaniis ad hujuſmodi Altaria vacantibus acceptare, ſeu de illa per aliquem Executorem earumdem, vel Sub-Executorem deputatum pro tempore aut aliàs ſibi providere facere valeret quoquomodo;

Sed Decanus & Capitulum prædicti, vel major pars eorum, prout inter ſe concordarent, ordinariâ Auctoritate Capellanias ipſas ad Altaria prædicta liberè licitèque conferre, & de illis providere nec non diſponere poſſent, perinde ac ſi gratiæ vel Literæ prædictæ nullatenus emanaſſent.

Quodque ſingulę perſonæ quibus Capellanias hujuſmodi conferri contingeret, quam primum pacificam poſſeſſionem aſſecutæ forent, apud eandem Eccleſiam perſonaliter reſidere, & onera, de quibus, ad hujuſmodi propagationem divini cultûs, ipſi Decano & Capitulo viſum foret, ſubire deberent & tenerentur.

Decernens omnes & ſingulos proceſſus, nec non excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, ac alias Eccleſiaſticas ſententias, cenſuras, & pœnas, quas haberi vel promulgari, & totum id & quidquid fieri ſcienter vel ignoranter contra Statutum & Ordinationem hujuſmodi quâvis Auctoritate contingeret, nullius exiſtere firmitatis, prout in ipſius Prædeceſſoris Literis plenius dicitur contineri.

Et deinde præfati Decanus & Capitulum ſtatuerunt, quod nullus ad aliquam ex Capellaniis hujuſmodi admitteretur, niſi in muſica expertus foret, & quod in dicta Eccleſia perſonaliter reſideret, & diurnis atque nocturnis horis Canonicis intereſſe curaret, ac proprio juramento promitteret.

Nihilominus perſonæ quibus Decanus & Capitulum præfati ſucceſſive de octo ex decem Capellaniis prædictis providerunt, dum poſtmodum vacarunt, dum illorum aliqui in muſica experti, qui juramentum prædictum in eorum receptione preſtiterunt, ſuæ ſalutis immemores in præfata Eccleſia reſidere, & Divinis in illa intereſſe non curarunt, prout adhuc aliqui non curant, Principum & aliorum ſervitiis inſiſtendo, & aliàs, pro eorum voluntate ſe abſentando; quo fit, ut ex Literis prædictis ac Statutis Decani & Capituli prædictorum optatus non ſuccedat effectus, cum detrimento celebrationis divinorum in præfata Eccleſia.

Et ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi dictæ Capellaniæ omnes penitus & omnino ſupprimerentur & extinguerentur, illarumque redditus & proventus in unam communem maſſam redigerentur, & per Decanum & Capitulum præfatos in præfata Eccleſia perpetuis futuris temporibus aſſumerentur & deputarentur decem Presbiteri ſive Clerici, in muſica hujuſmodi experti habiles & idonei ætate & voce ad ſpallendum divina in eadem, pro nutu Decani & Capituli prædictorum amovibiles, inter quos fructus reditus & proventus prædicti proportionaliter, & juxta laborum & meritorum eorumdem exigentiam, integraliter & ſine diminutione diſtribuerentur.

Quodque ipſi decem Presbiteri ſive Clerici ſic pro tempore aſſumpti per eos, quamquam ad nutum amovibiles, Capellani reſi-

Digitized by Google

dentes dictæ Ecclesiæ nuncuparentur, & omnibus & singulis Privilegiis & immunitatibus, quibus Capellani perpetui dictæ Ecclesiæ dictas Capellanias pro tempore obtinentes cotidie gaudere soliti sunt, potiuntur & gaudent, de præsenti potirentur & gauderent, & interessentes officiis perciperent quotidianas distributiones, & alia emolumenta, quæ Capellani perpetui interessentes Divinis in dicta Ecclesia, aut aliàs tam ratione interessentiæ hujusmodi horis Canonicis, quam anniversariorum, funeralium, vel aliàs percipiunt aut percipere consueverunt in eadem; exinde profecto divini cultûs augmentum in eadem Ecclesia succederet, & populi ad illam devotionis gratiâ confluentis devotio plurimum augeretur;

Ipsique Decanus & Capitulum, quotiens Presbiteri & Clerici prædicti se absentarent, aut aliàs ad deserviendum eidem Ecclesiæ moribus, vitâ, & honestate seu voce inutiles efficerentur, illis amotis alios eorum loco idoneos surrogarent, sicque Ecclesia prædicta residentes Presbiteros & Clericos & divinis insistentes obsequiis continuè haberet.

Quare pro parte Decani & Capituli prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut dictas Capellanias hujusmodi in dicta Ecclesia penitus & omnino ex nunc supprimere & extinguere, & illorum fructus, redditus & proventus in unam massam rèdigi mandare, & quod simul vel successive cedentibus vel decedentibus aliquibus ex Capellanis, dictas decem Capellanias obtinentibus, seu illas aliàs quomodolibet dimittentibus, liceat Decano & Capitulo præfatis Capellaniam, quam talis cedens vel decedens obtinebat, ac bonorum juriumque & pertinentium omnium, ejusdem corporalem possessionem apprehendere, ac illius, vel illarum prout successive vacaverint, fructus, redditus & proventus hujusmodi in unam massam rediger, & ad deserviendum dictæ Ecclesiæ, loco cedentium vel decedentium seu dimittentium Capellanorum eorumdem, Presbiteros seu Clericos in musica expertos, & aliàs ad psallendum divina in eadem idoneos, pro eorum nutu & voluntate assumere, & deputare, qui Capellani nuncupentur.

Et dictarum Capellaniarum fructus, redditus & proventus integros per Decanum & Capitulum prædictos ministrandos, ac ultra illos cotidianas distributiones & alia emolumenta prædicta percipiant, & gaudeant Privilegiis aliorum Capellanorum dictæ Ecclesiæ, ac possint & valeant pro solo nutu Decani & Capituli eorumdem amoveri, statuere & ordinare, aliâsque super hiis oportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui de præmissis certam notitiam non habemus, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrùm, vocatis dictis Capellanis, & aliis qui fuerint evocandi, de præmissis omnibus & singulis, eorumque circumstantiis universis, auctoritate nostrâ vos diligenter informetis. Et si per informationem eandem ita esse repereritis, decem Capellanias prædictas in dicta Ecclesia auctoritate nostrâ supprimatis & extinguatis, ac illorum fructus, redditus & proventus in unam massam redigendam esse & redigi debere, eadem auctoritate decernatis.

Ac præfatis Decano & Capitulo, quod cedentibus vel decedentibus aliquibus ex Capellanis dictas Capellanias obtinentibus, seu illas aliàs quomodolibet dimittentibus, liceat eisdem Decano & Capitulo per se vel alium seu alios, Capellaniæ ejusdem, quam talis cedens obtinebat, & sic de reliquis usque ad completum numerum, ac bonorum, jurium ac pertinentiarum omnium earundem, corporalem possessionem propriâ auctoritate apprehendere, & illius fructus, redditus & proventus in unam massam redigere;

Et ad deserviendum dictæ Ecclesiæ loco cedentium vel decedentium seu dimittentium Capellanorum eorundem, Presbiteros seu Clericos in musica expertos, ac aliàs ad psallendum divina in eadem idoneos pro eorum nutu & voluntate assumere & deputare, qui Capellani nuncupentur, & dictarum Capellaniarum integros fructus, redditus & proventus eis per eosdem Decanum & Capitulum ministrandos, ac ultra illos quotidianas distributiones ac alia emolumenta prædicta percipiant, & gaudeant Privilegiis aliorum Capellanorum dictæ Ecclesiæ, ac possint & valeant pro solo nutu Decani & Capituli prædictorum amoveri, præfatâ auctoritate concedatis.

Non obstantibus Ordinatione & Statuto Eugenii Prædecessoris hujusmodi, & aliis præmissis, nec non Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Ecclesiæ Juramento, Confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis & Consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus, speciales vel generales præfatæ Sedis vel Legatorum ejus Literas impetrarunt, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum. Quas quidem Literas & processus habitos per easdem & inde secuta quæcumque, quoad Capellanias hujusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum hujusmodi præjudicium generari.

Et quibuslibet aliis Privilegiis, Indultis,

Digitized by Google

& Literis Apoſtolicis generalibus & ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus, quorumcumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris Literis mentio ſpecialis.

Seu ſi Capellaniis prefatis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim à Sede prædictâ indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per Literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem.

Proviſo quod propter ſuppreſſionem hujuſmodi, & alia præmiſſa dictę Capellanię debitis non fraudentur obſequiis: ſed earum congruè ſupportentur onera conſueta.

Nos enim, ſi ſuppreſſionem, extinctionem & conceſſionem hujuſmodi per vos vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, quod Decanus & Capitulum præfati prædictarum Capellaniarum fructus, redditus & proventus in alios quam præmiſſos uſus convertere nequeant, ſed illos præfatis Capellanis amovibilibus miniſtrare debeant, & contra facientes excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrant, auctoritate prædictâ ſtatuimus pariter & ordinamus. Et inſuper ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper hiis à quoquam quâvis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto, Idibus Julii, Pontificatûs noſtri anno quarto. 1475.

Executor hujus Bullæ Apoſtolicæ fuit Dominus *Petrus de Thimo*, Decanus Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Petri de Anderlecht, juxta Bruxellas, ſequenti anno 1476.

CAPUT LXVIII.

SIXTUS IV. *Pontifex Paſtoratum Eccleſiæ Collegiatæ S. Gummari Liræ (Diœceſis Antverpienſis) eidem Capitulo uniendum & incorporandum decernit, anno 1476.*

Ex Archivis hujus Capituli.

SIxtus, Epiſcopus Servus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Paſtoralis officii debitum, quo Eccleſiarum omnium regimini, meritis licet inſufficientibus, præſidemus, nos excitat & inducit, ut illarum, nec non perſonarum Eccleſiaſticarum in eis Altiſſimo famulantium opportunitatibus, quantum cum Deo poſſumus, ſalubriter conſulamus.

Dudum ſiquidem, omnia Beneficia Eccleſiaſtica, cum curâ & ſine curâ, apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia, & in antea vacatura, collationi & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus; decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis authoritate ſcienter vel ignoranter contingeret attentari.

Cum itaque poſt modum perpetua Vicaria in Eccleſiâ S. Gommari Lyræ, Cameracenſis Diœceſis, per liberam reſignationem dilecti filii *Joannis Puyllois* in dictâ Eccleſiâ perpetui Vicarii, de illâ quam tunc obtinebat, per dilectum filium *Petrum Bedaert* Clericum Morinenſis Diœceſis, procuratorem ſuum ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, in manibus noſtris ſponte factam, & per nos admiſſam, apud Sedem prædictam vacaverit, & vacet ad præſens, nulluſque de illâ prętер nos hâc vice diſponere potuerit ſive poſſit, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis.

Et ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum moderni Decani & Capituli dictæ Eccleſiæ petitio continebat, licet in præfatâ Eccleſiâ ultra Decanatum, qui dignitas principalis exiſtit, ſint duodecim Canonici Præbendati, tamen quotidianæ diſtributiones ejuſdem Eccleſiæ valorem annuum duorum Scutorum auri de Franciâ pro quolibet Canonico communi exiſtimatione non excedunt; ex quibus ſinguli Canonici prædicti ſe commodè ſuſtentare non valent. Status Capituli & Eccleſiæ.

Et ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi fructus reditus & proventus dictæ Vicariæ, Menſæ Capitulari præfatæ Eccleſiæ perpetuo unirentur, annecterentur, & incorporarentur, & quod Cura animarum Parochianorum dictæ Eccleſiæ per Vicarium ad nutum amovibilem, & per Decanum & Capitulum præfatos deputandum & amovendum, (congruâ tamen illi portione ſuper dictis fructibus de quâ ſe ſuſtentare poſſit aſſignata) ſtatueretur & ordinaretur, Decanus pro tempore & Capitulum præfati ſe commodiùs ſuſtentare valerent, & ad ſerviendum præfatæ Eccleſiæ in divinis rederentur attentiores.

Quare pro parte Decani & Capituli prædictorum, aſſerentium, quod Menſæ Capitularis dictæ Eccleſiæ treçentorum, &

perpe-

perpetuæ Vicariæ hujuſmodi fructus redditus & proventus centum & viginti librarum Turonenſium parvorum ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut fructus redditus & proventus dictæ Vicariæ eidem Menſæ perpetuò unire & annectere, incorporare, & applicare & appropriare;

Ac ſtatuere & decernere, quod Decanus pro tempore ex diſtributionibus quotidianis ipſius Eccleſiæ tantum percipiat, quantum percipiunt duo ex Canonicis Eccleſiæ prædictæ.

Et quod Cura animarum parochianorum ejuſdem Eccleſiæ deinceps per Vicarium, per eoſdem Decanum & Capitulum pro eorum libitu voluntatis inſtituendum & deſtituendum, exerceri debeat, ac aliàs eorum ac præfatæ Eccleſiæ oportunitati providere, de benignitate Apoſtolicâ dignaremur.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod ſemper in Unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſt, Decanum & Capitulum præfatos à quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis cenſuris & pœnis à Jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes; hujuſmodi quoque ſupplicationibus inclinati, fructus redditus & proventus ejuſdem perpetuæ Vicariæ eidem Menſæ Capitulari Auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium perpetuò unimus annectimus, incorporamus, appropriamus & applicamus.

Ita quod liceat Decano & Capitulo præfatis per ſe vel alium ſeu alios fructus redditus & proventus hujuſmodi levare & percipere; ac in ſuos & dictæ Eccleſiæ, reſervatâ ſuper illis pro Vicario ad nutum amovibili portione infrâ ſcriptâ, convertere & perpetuo retinere,

Et nihilominus quod Decanus pro tempore hujuſmodi de diſtributionibus antedictis tantum percipere debeat, & percipiat, quantum percipiunt duo ex Canonicis præfatis; & quod deinceps perpetuis futuris temporibus Cura animarum Parochianorum antedictorum per Vicarium, aliàs tamen idoneum, per Decanum pro tempore & Capitulum præfatos deputandum, & ut præmittitur amovendum, exerceatur.

Cui de fructibus redditibus & proventibus prædictis congrua portio, de qua ſe commodè ſuſtentare & onera ſibi incumbentia ſupportare valeat, reſervetur, conſtituatur, deputetur & aſſignetur; Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentiâ ſuper his minimè requiſitâ; eâdem auctoritate ſtatuimus pariter & ordinamus.

Non obſtantibus voluntate & Ordinatione prioribus noſtris hujuſmodi & aliis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non dictæ Eccleſiæ juramento confirmatione Apoſtolicâ vel quâvis firmitate alia roboratis, Statutis & conſuetudinibus contrariis quibuſcumque.

Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi vel aliis Beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales vel generales dictæ Sedis vel Legatorum ejus Litteras impetraverint, etiam ſi per eas ad inhibitionem reſervationem & decretum vel aliàs quomodolibet ſit proceſſum.

Quas quidem Litteras ac proceſſus habitos per eaſdem, & quæcumque inde ſecuta ad præfatam Unionem volumus non extendi: ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuſlibet aliis Privilegiis indulgentiis ac Litteris Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris Litteris mentio ſpecialis.

Proviſo, quod dicta Vicaria propter Unionem hujuſmodi aliàs debitis non fraudetur obſequiis, & ejuſdem Eccleſiæ animarum cura nullatenus negligatur: ſed illius congruè ſupportentur onera conſueta, & inſuper prout eſt . . . . Conditio appoſita.

. . . . irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis auctoritate ſcienter vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari.

Nulli ergo hominum liceat hanc Paginam abſolutionis noſtræ, Unionis, Annexionis, Incorporationis, Appropriationis, Applicationis, Statuti, Ordinationis, voluntatis & Decreti infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud St. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Kalendis Februarii, Pontificatûs noſtri anno ſexto. 1476.

CAPUT LXIX.

SIXTUS IV. *Pontifex Curam Paſtoralem Eccleſiæ S. Bavonis Harlemi in Hollandia, anno 1479 erigit in dignitatem Præpoſituræ; quæ poſtmodum erecto Epiſcopatu Harlemenſi, anno 1560 ceſſit in dotem Epiſcopi.*

Ex Authentico.

SIXTUS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. In ſupereminenti Apoſtolicæ dignitatis Cathedra conſtitutus Romanus Pontifex, circa Eccleſiarum omnium ſuæ curæ commiſſarum, ac perſonarum in illis Altiſſimo famulantium profectum, venuſtatem ac decorem, ac ut in ipſis Eccleſiis divinus cultus augeatur, prout ex debito paſtoralis officii ſibi commiſſi incumbit, diligenter proſpicit & intendit, eorumque honorem auget, ac ſtatum quandoque commutat, prout Eccleſiarum & perſonarum earumdem, ac rerum, temporum & locorum qualitatibus diligenter penſatis, id conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

Sanè pro parte dilecti filii Magiſtri *Johannis de Roſimbos*, Rectoris, Paſtoris nuncupati, Parochialis Eccleſiæ Oppidi de Haerlem, Trajectenſis Diœceſis, Notarii noſtri, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum Eccleſia ipſa, quæ de Jure Patronatûs Comitis Hollandiæ pro tempore exiſtentis fore dignoſcitur, ob illius Parochianorum & ſubditorum exuberantem copiam & multitudinem, tot & tantis ſit facultatibus redditibus & proventibus fulcita, quod præter portionem 400 florenorum Rhenenſium illius Rectori (omnibus oneribus deductis) competentem, Eccleſia prædicta per unum Vice-Curatum & quatuor Capellanos, ipſum Vice-Curatum adjuvantes, &c. . . .

Nos igitur. . . . Rectoriam prædictam in dignitatem Eccleſiaſticam, Præpoſituram nuncupatam, ac Rectorem dictæ Eccleſiæ in Præpoſitum, cui cauſæ per Sedem prædictam committi & delegari poſſint & debeant, cum omnibus & ſingulis inſigniis, præeminentiis libertatibus immunitatibus honoribus & privilegiis, quibus aliæ Præpoſituræ dictæ Diœceſis & illarum perſonæ quomodolibet gaudent, potiuntur & utuntur, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium erigimus & creamus.

Et quod Eccleſia prædicta deinceps per Præpoſitum regi & gubernari, ac Cura ejuſdem Eccleſiæ per unum Presbyterum ſæcularem ydoneum, Vice-Curatum nuncupatum, per eundem Præpoſitum deputandum, & ad ejus nutum ponendum, amovendum & deſtituendum, qui eidem Eccleſiæ & ejuſdem populo in divinis deſerviat, reſervatâ tamen per ipſum Præpoſitum eidem Vice-Curato, pro ejus ſuſtentatione, ſuper fructibus redditibus & proventibus dictæ Eccleſiæ, congruâ portione, exerceri poſſit & debeat;

Nec non quod Jus Patronatus & præſentandi perſonam ydoneam ad dictam Præpoſituram, dum eam pro tempore vacare contigerit, quod præfatus Comes * in dicta Eccleſia ante hujuſmodi Erectionem habebat, ipſi Comiti & ejus ſucceſſoribus, in dicta Præpoſitura, & inſtitutio perſonæ pro tempore præſentatæ hujuſmodi ad Archidiaconum Eccleſiæ Trajectenſis perpetuò permaneat & ſpectet, dictis Authoritate & tenore perpetuo ſtatuimus & ordinamus; non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Jus Patron. Comitis Hollandiæ ad Præpoſituram.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ Erectionis, Statuti & Ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo nono, Kal. Aprilis, Pontificatûs noſtri anno octavo.

Extat eadem Bulla integra, in Hiſtoria Epiſcopatus Harlemenſis pag 13. Altera autem Bulla Pii IV. Papæ, qua anno 1560 Præpoſituram hanc Eccleſiæ S. Bavonis Harlemi in Cathedralem erectæ ſuppreſſit, atque aſſignavit in dotem novi Harlemenſis Epiſcopi, reperitur Tomo I. Diplom. Belgic. pag. 797.

CAPUT LXX.

INNOCENTIUS VIII. *Pontifex concedit anno* 1486. *inſignia Privilegia* 50. *Confratribus Confraternitatis erectæ ad Altare SS. Sacramenti in Eccleſia S. Gaugerici (nunc Parochiali) Bruxellis. Inter quæ Privilegia excellit facultas habendi pro ſe & familia Altare portatile, ut ibidem SS. Miſſæ Sacrificium celebretur.*

Ex Authentico.

INNOCENTIUS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Super gregem Dominicum meritis licet inſufficientibus, divinâ diſpoſitione conſtituti, adea, ut tenemur, ferventibus ſtudiis intendimus, per quæ fidelium quorumlibet curæ noſtræ divinitus creditorum animarum ſaluti valeat per noſtræ ſollicitudinis ſtudium ſalubriter provideri.

Dudum ſiquidem felicis recordationis Sixto Papæ quarto prædeceſſori noſtro pro parte dilecti filii *Arnoldi Schaps*, laïci Cameracenſis Diœceſis expoſito, quod ipſe zelo devotionis accenſus pro ſuæ & progenitorum ſuorum animarum ſalute, ex bonis à Deo ſibi collatis quoddam Altare ad honorem & ſub invocatione ſacratiſſimi Corporis Domini noſtri Jeſu-Chriſti in Eccleſia *ſive Capella Sancti Gaugerici* Oppidi Bruxellenſis dictæ Diœceſis, de conſenſu Rectorum Eccleſiæ ſive Capellæ hujuſmodi, conſtrui, & erigi fecerat, ſuper quo ſingulis diebus, exceptâ quintâ feriâ, ſubmiſſâ voce, ipſa vero quintâ feriâ cum cantu, organis, ac Diacono & Subdiacono Miſſam eatenus celebrari fecerat, & perpetuo deinceps celebrari debere ordinaverat; nec non Altare ipſum in perpetuum Beneficium Eccleſiaſticum erigi deſiderabat, ac illud ſic erectum pro uno Capellano Miſſas ejuſmodi celebraturo congruis redditibus dotare intendebat.

Erectio Capellaniæ.

Præfatus prædeceſſor voluit certo Judici dare in mandatis, ut de præmiſſis ſe informaret, & ſi ita eſſe reperiret, Altare prædictum, poſtquam ſufficienter dotatum fuiſſet, in perpetuum ſine Cura Beneficium Eccleſiaſticum pro uno perpetuo Capellano, qui inibi Miſſas modo præmiſſo celebrare & Divinis intereſſe teneretur, de conſenſu Rectorum eorundem Apoſtolicâ Auctoritate erigeret, ac bona per eundem Arnoldum ad hoc ordinanda eidem Altari pro ejus dote aſſignaret;

Confraternitas 50 Perſonarum.

Nec non unam Confraternitatem quinquaginta perſonarum honeſtarum utriuſque ſexûs, viro & uxore pro una duntaxat perſonâ computatis, inibi perpetuo inſtitueret & ordinaret, ac Jus Patronatûs & præſentandi perſonam ydoneam ad dictum Altare, quatenus illud vacaret, proximioribus heredibus dicti Arnoldi & Conſratribus prædictis,

Ita tamen, quod aliquem de genere dicti Arnoldi (ſi ydoneus inveniretur, & id referret) & non alium præſentare teneretur, præfatâ Auctoritate concederet; prout in noſtris inde confectis Litteris, per quas eidem Judici mandamus, ut præmiſſa faceret; cum præfatus prædeceſſor, antequam ejus Litteræ deſuper confectæ forent, ſicut Domino placuit, rebus fuerit humanis exemptus, plenius continetur.

Nos igitur cupientes, ut tam Arnoldi, quam qui pro tempore fuerint utriuſque ſexûs Confratrum dictæ Confraternitatis animarum ſaluti ſalubrius conſulatur, ipſique piis operibus intentiores reddantur, Auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus,

Quod *Arnoldus* & Confratres utriuſque ſexus, qui pro tempore prædicto, & eorum quilibet, perpetuis futuris temporibus confeſſorem ydoneum ſæcularem, vel cujuſvis Ordinis Regularem eligere poſſint, qui eorum confeſſionibus diligenter auditis, ipſos, & eorum quemlibet ab omnibus & ſingulis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque ſententiis Eccleſiaſticis, cenſuris & pœnis, factâ prius ſatisfactione illis quibus propterea fuerit facienda, nec non à quibuſcumque eorum peccatis criminibus & delictis, dummodo talia non fuerint propter quæ Sedes Apoſtolica eſſet merito conſulenda, totiens quotiens opus fuerit, abſolvere, & pœnitentiam ſalutarem injungere, nec non ſemel in vita, & in mortis articulo, ipſis, in ſinceritate fidei, unitate Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac obedientiâ & devotione noſtrâ vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium, perſiſtentibus, plenariam omnium ſuorum peccatorum remiſſionem impendere valeat.

Abſolutio à reſervatis.

Indulgentia plenaria.

Quodque liceat ipſis, & cuilibet ipſorum habere *Altare portatile* cum debita reverentia & honore, ſuper quo, dum in infirmitate conſtituti fuerint, aut aliàs, dum

Conceſſio Altaris Portatilis.

opus extiterit, in locis ad hoc congruentibus & honeſtis, etiam antequam illuceſcat dies, circa tamen diurnam lucem, cum qualitas negociorum pro tempore ingruentium id exegerit, poſſint per proprios vel alios Sacerdotes ydoneos Miſſas & alia Divina officia, ſine juris alieni præjudicio, in ſua, & familiarium ſuorum domeſticorum præſentiâ facere celebrari, vel ſi Sacerdotes fuerint, per ſe ipſos celebrare.

Proviſo quod hujuſmodi conceſſione ante diem parcè utantur: (quia dum in Altaris officio immolatur Dominus noſter Jeſus-Chriſtus Dei Filius, qui candor eſt lucis æternæ, congruit hoc non noctis tenebris fieri, ſed in luce) Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum Statuti & Ordinationis infringere, vel ei caſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſexto, duodecimo Kal. Julii, Pontificatûs noſtri anno ſecundo.

CAPUT LXXI.

RAYMUNDUS PERRALDI, *Epiſcopus Gurcenſis, S. R. E. Cardinalis, Legatus à Latere per utramque Germaniam, Erectionem IV. Domorum Standonicarum, conformiter ad Pariſienſe Collegium Montis-Acuti, à* JOANNE STANDONCK *Mechlinienſi, S. Theol. Doctore Pariſienſi, inſtitutarum in Belgio, confirmat anno* 1502. *videlicet Domos* Lovanienſem, Mechlinienſem, Cameracenſem *ac* Valencenenſem. *Confirmantur item Privilegia, quorum unum eſt licentia deſtinandi ac promovendi ad Ordines ſacros apud quemcumque Antiſtitem, abſque Titulo.*

Excerpt. ex Copia authentica, extante in Seminario Mechlinienſi.

RAIMUNDUS Miſeratione divinâ ſacroſanctæ Eccleſiæ & Sanctæ Mariæ novæ Presbyter Cardinalis Gurcenſis, ad univerſam Germaniam, Daciam, Sueciam, Norwegiam, Friſiam, Pruſſiam, omneſque & ſingulas illarum Provincias, Civitates & terras & loca, etiam ſacro Romano Imperio in ipſa Germania ſubjecta ac eis adjacentia, Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatus, ad perpetuam rei memoriam.

Immenſâ ſummi Patris, qui omnia formans de limo terræ ſuâ hominem conſtituit ſapientiâ, ut conſtitutus creaturę dominaretur univerſæ, juſtitiâ quoque orbi prœeſſet & æquitate; Nos qui ad hoc ab illo quem ad Summi Apoſtolatûs apicem evexit, Legationis officium (licet immeriti) ſuſcepimus, & Sedium ſuarum aſſiſtrice Sapientiâ, de ſupremo vertice ad mundi infima reflectentes intuitum, oneri nobis credito, præſertim per exquiſitam, quæ & ſuos provehit & illuſtrat poſſeſſores, ſcientiæ Margaritam, ac ſtudii veluti lucerna fulgentis, ad contemplandam, quæ in omni gente & populo primatum tenet, ſapientiam, iter ubilibet exaremus;

Ad hoc noſtri pectoris ſtudia, hominiſque interioris affectus deſideranter exponimus, ut ea, quæ propter divini cultûs propagationem facta comperimus, roboris ſolidioris firmitate lætentur & gaudeant, ſalutarem quoque pertingant effectum, noſtræ vigilantiæ partes ſollertius impartimur.

Motivum Fundationis Standonicæ.

Sane pro parte dilecti nobis in Chriſto *Joannis Standonck* in Theologia & Collegio *Montis-Acuti* in Monte Stę. Geñovefæ Pariſienſis Magiſtri, Nobis oblata petitio continebat; quod poſtquam aliàs pro parte dicti Joannis Sanctiſſimo in Domino Patri & Domino noſtro *Alexandro* divinâ providentiâ Papæ ſexto, expoſitum fuit; quod licet olim plures Litteris ſacris operam dare intendentes, ad Studium Pariſienſe confluere, & in aliquo Collegiorum Civitatis Pariſienſis recipi, & ex fructibus Collegiorum prædictorum ſuſtentari ſoliti eſſent: ſed nunc Collegia prædicta plerumque per divites, illorumque fructus occupantur: nec in pauperum Scholarium ſubſidium illuc confluentium exponuntur, ſed in eorumdem divitum utilitatem convertuntur.

Quo fit, ut quam plurimi juvenes perſpicacis ingenii, relictis parentibus, SS. Litterarum cupidi, ad eandem civitatem venientes, & ſe ſuſtinere non valentes, Litterarum Studia, penuriâ relinquere coacti, ad artificium aliquod, ut inde ſibi victum quærerent, declinare compellantur.

Et

Et propterea ipſe *Joannes* à paucis annis citra, unam Domum in dicto Collegio Montis-acuti, pro pauperibus Scholaribus, qui in Artibus liberalibus & Sacris Litteris ibidem operam dare vellent, recipiendis, lectis & aliis utenſilibus fulcitam, conſtrui & ædificari fecit, & certos competentes redditus in eorumdem Scholarium pauperum ibidem degentium ſuſtentationem, & non in alios uſus convertendos, eidem domui aſſignavit.

Et quamdam Normam, juxta quam prefati Scholares in eadem Domo vivere deberent & tenerentur, ponere & ordinare intendebat. Ita quod liceret ſibi illam, rationabili cauſſâ ſuadente, variare & limitare.

Idem Dominus Papa eidem *Joanni*, quod poſtquam fructus, redditus & proventus pro ſuſtentatione Scholarium pro tempore in dicta Domo degentium, eâ conditione, quod in alium nullo unquam tempore uſum converti poſſent, aſſignaſſet; ac normam juxta quam præfati Scholares in Domo hujuſmodi degentes vivere deberent & tenerentur, ordinaſſet.

Et poſt, hujuſmodi Ordinationem in aliqua ſui parte rationabili cauſſâ & temporis qualitate id expoſcentibus alteraſſet, ſeu limitaſſet conceſſionem, deputationem & Ordinationem, cum alteratione & limitatione, etiam pro tempore factis, quatenus à SS. Canonibus non deviaſſent; nec non tres Conſervatores ſub nomine Dignitatis, pro premiſſorum obſervatione delegaſſet; qui, vel eorum duo in dicta Domo Scholares recipere, & minùs idoneos & perverſos, inquietos, & incorrigibiles amovêre, ſine amotorum aliquâ contradictione ſeu oppoſitione.

Ac unum Magiſtrum ſeu ſuperiorem pro ipſorum Scholarium in dicta Domo degentium correctione ac directione & inſtructione, deputare haberent.

Ac iiſdem Scholaribus, ut commodius Litterarum ſtudiis vacarent, per Presbyterum idoneum, quem duxiſſent eligendum, in eorum Capella (etiam ante diem) Miſſam celebrari facere, liberè ac licitè valerent, conceſſerat.

Præfatus *Joannes* conceſſionis hujuſmodi vigore, Litteris deſuper minimè confectis nec expeditis, tamquam *ſimplex & verus Iſrahelita, in quo dolus non eſt*, & bonâ fide proceſſit ad Ordinationem Domûs & Collegii hujuſmodi, & quam-plurima Statuta, Ordinationes & ſtabilimenta, & alia Decreta fecit: quorum hæc ſunt præcipua.

Statuta Standonicorum.

Imprimis voluit & ordinavit dictus *Joannes*, quod Domus ſubalternæ, quæ ibidem ſeu alibi per ipſum Joannem & ſucceſſores ſuos, dictæ Domûs Conſervatores, Rectores, Viſitatores, & alios Fundatores de novo fundarentur, & jam fundatæ eſſent, ſubjicerentur Domui ſeu Collegio Montis-Acuti Pariſienſis.

* Puta Pariſiis, Lovanii, Valencenis, Cameraci, & Mechliniæ.

Quam quidem Domum inſigne Pariſienſis Eccleſiæ Capitulum, ſuper eam omnimodam habens authoritatem, morum & & laudabilis vitæ prædictorum intuitu, nec non augmentationis ædificiorum ſupra valorem octo millium francorum, & multorum reddituum & proventuum, per dictum Joannem, dictæ Domui, tunc ruenti, & primæ Fundationis proventibus privatæ, magnâ cum ſollicitudine piè procuratæ, in perpetuum eorumdem pauperum uſum, (ut petiit idem Joannes) contulit.

Prior Carthuſianorum eſt Proviſor.

Et Priorem Carthuſiæ prope Pariſios, per præcipuum ipſius Domus dotatorem Dominum *Ludovicum de Graville* hujus noſtri Regni Archivarium, eligi conceſſit, in ipſorum pauperum Præſentatorem; qui Electioni Magiſtri Collegii & pauperum Patris, ſecundum Statutorum Domûs formam præſidebit; quique totius Domus Viſitator foret ac corrector, & præſertim in his quæ Regularem ſuorum Statutorum obſervantiam concernunt, & donationum Domui factarum rectum regimen; ita ut auctoritati ſolitæ, Viſitationi & ſuperioritati, quam ſibi prædictum Capitulum retinuit, non deroget.

Conſervatores Privilegiorum.

Ex quo Capitulo ad prædictas Domus pauperum in ſuis privilegiis, tuitione, manutentione, conceſſione Apoſtolicâ ad id ſibi facta, nomine Dignitatum Dominos Decanum, Cancellarium, & Pœnitentiarium in Conſervatores elegit. Nominatione vero & deputatione dicti dotatoris, aut ipſe Pœnitentiarius, ipſorum pauperum ſibi per Priorem Carthuſiæ præſentatorum, Inſtitutor vero ipſe Prior, etiam ipſas pauperum ſtudentium ſubordinatas Domus viſitare, ac Magiſtros in ipſis cum opus fuerit inſtituere ac deſtituere, in capite & in membris illas reformare, ac Domos ipſas inhabitaturi in manibus ejus vel commiſſi Statuta & Ordinationes hujuſmodi ſub pœna arbitraria, ſeu expulſionis ſervandi, juramenta præſtabunt; quemadmodum in principali Domo, ſcilicet Collegii *Montis-Acuti*, in pauperes recipi volentes in prædicti Pœnitentiari vel Inſtitutoris manibus præſtare oportet.

Qualitates Præſidentis.

Quodque Domibus ipſis nullus præfici poſſit, niſi in Philoſophia & Theologia adeo inſtructus eſſet, & vitæ & morum honeſtate compoſitus, quod exemplo & doctrina ſubjectos valeat inſtruere, quatenus inſuper hæc vivendi formula ſit vitæ humilis, frugalis, & mortificatæ ſchola & norma, ſicut & doctrinæ.

Habitus Standonicorum.

Quodque tam Magiſter, quam reliqui, ſive Theologi ſive Artiſtæ pauperes, habitum humilem & abjectum, ſcilicet Togam & Caputium ad formam Tabardi ante clauſa deſuper gerant, cujuſcumque gradûs vel qualitatis exiſtant, & in hujuſmodi ha-

bitibus ſuos actus cujuſcumque Facultatis in Univerſitate, ſine Cappæ vel habitûs alterius requiſitione celebrent.

Vita Communis.

Et ut ſit parvulorum ad Chriſtum adductiva, & perfectionis in temporalium contemptu quodammodo introductoria, omnes ſic in communi vivant, quod omnes proventus, redditus eleëmoſinæ & laborum, ſive in Regentia, ſive in dicendis Miſſis & Officiis aliiſveoneribus & exercitiis mercedes & retributiones in communi reponantur; ita quod ſub coloribus Burſarum, ſtipendiorum aut aliis, nullus ſibi de his quicquam appropriare valeat;

Sed omnes ex his victum communem habeant, & togam ſimilem cum caputio, ſi facultas bonorum communium ferre valeat; alioquin ante ingreſſum ſibi ipſis de tali habitu provideant; demptis Magiſtro, Procuratore, Sacerdotibus Miſſas pro communitate celebrantibus, & actu regentibus, quibus tamquam onera terentibus de omnibus eorum ſimilibus amictibus, & tenui victui neceſſariis, prout facultas ſuppetet & proportio conditionis exiget, ſollicitè provideatur.

Quinimo Burſæ ad conſervationem Baccalaureatûs formati requiſiti, pro talibus dumtaxat bene idoneis, & per Viſitatorem, Magiſtrum & diſcretos ad hoc admiſſos ex communi ærario perſolvantur.

Et ne prædicta onera, propter hanc prohibitam mercedis appropriationem, quiſquam ferre reculet, teneatur unuſquiſque onera hæc, ſcilicet Regentiæ, Sacerdotii aliave communitatis officia & ſarcinas, à ſuperioribus impoſitas gerere, & ad hujuſmodi onerum executionem, mandante ſuperiore ſe diſponere.

Abſtinentia à carnibus & vino.

Et quatenus hic introductorius ad religionis ferendas arctitudines aſſuefactivus modulus ſit, ad jugum Domini ferendum initiativus, & ut animum transferant ad ſapientiam, omnes à carnibus & vino abſtineant; ſtudentibus tamen in Theologia & Sacerdotibus, vino carêre non volentibus, vel non valentibus, modico vini permiſſo.

Officium Horarum.

Omnes inſuper ad ſanctorum myſteriorum habendam intelligentiam & lucem, panem & eſcas deſiderabiles delicatas aut prętioſas non quærant; & ne ſurſum elevandi ſpiritûs aleâ careant, omnes alternatim in quatuor partes diviſi, juxta menſis lunaris quatuor hebdomadas, prius tunc confeſſi, horâ mediæ noctis ad horas canonicas, ſecundum uſum Romanum, ſed in favorem ſtudii & prædicationum ac diſputationum inſtar officii Fratrum Prædicatorum obſervandum, in alto tono inſtar chori legendas ſurgant;

Reliquis omnibus communium partium Communitatis in quartâ vigiliâ noctis, horâ ſcilicet tertiâ, ad Horas Beatiſſimæ Virginis, cum aliquibus adjunctis ſuffragiis reverenter dicendas, ſurgentibus.

Quodque quaſdam alias Ordinationes his præmiſſis junctas ſervarent, & de fideliter ſervando juramenta præſtarent, & præſertim de prompta in omnibus obedientiâ; ſignanter de charitativâ, æquâ, & legalis gratitudinis compentâ, ſcilicet pro eleëmoſinis & miſericordia in eorum eruditione, & compoſitione morum ſuſceptis; alios parvulos poſteros requiſiti erudiant, in moribus dirigant, & ut poterunt alere juvent; tanto quidem tempore, quanto hæc beneficia ante gradum Licentiatûs à prioribus ſuſceperunt.

Nullum tamen Magiſterium, præeminentiam vel gradum ſibi arrogantes, cujuſcumque ſcientiæ fuerint, niſi ad hoc juſſi & vocati, quamdiu erunt membra prædictæ Communitatis, aut eſſe tenebuntur.

Incrementa Domus Standonicæ Pariſienſis.

Et quia prædictus *Joannes*, per ejuſmodi piam pauperum, humilitatis, paupertatis & frugalitatis, gratiâ Dei & pietatis auxiliis, multos ad Chriſtum parvulos ductos comperit; ita quod paucorum annorum intervallis (ut credit) etiam trecenti ex illis ad reformatas Religiones ſint ingreſſi, atque indies ingrediuntur quampluriſmi; aliis ad regendas Scholas, ſimiliaque fructuoſa & pietatis & virtutis opera directis, qui tamen à patre & matre derelicti, omnique auxilio deſtituti, hìc à Domino aſſumpti ſunt, qui ingenii claritudine & bonâ indole donati, per virtutes & Litteras, per vias perfectionis & ſalutis, non ſolum propriæ ſed etiam aliorum, ad quos eruditi & mortificati ſe transferrent, aliàs periclitandi, piiſſimè diriguntur; ac complura Statuta alia, Ordinationes ac ſtabilimenta fecit, prout & quemadmodum in Inſtrumentis deſuper confectis dicitur plenius contineri.

Confirmatio Legati à Latere.

Quas quidem Ordinationes, nec non Statuta, ſtabilimenta & alia Decreta prædicta, Reverendiſſimus in Chriſto Pater *Georgius de Ambaſia*, câdem miſeratione tituli Sancti Sixti, ejuſdem S. R. Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, Rothomagenſis nuncupatus, in Regno Franciæ & aliis provinciis & dominiis, Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatus, Legationis ſuæ, ſive Apoſtolicâ Authoritate deſuper conceſſâ, tam quoad in dicta Domo, quam in aliis ſubjectis Domibus in dicto Regno Franciæ conſtitutis deputatis, confirmavit, ratificavit, & approbavit; defectuſque ſi qui forſan intervenerint in iiſdem ſupplevit, aliàque & alia fecit atque conceſſit, prout in Litteris ejuſdem Georgii Cardinalis & Legati deſuper confectis (quarum tenorem, ac ſi de verbo ad verbum inſertus eſſet, pro ſufficienter expreſſo haberi volumus) plenius aſſeritur contineri.

Cum autem (ſicut eadem petitio ſubjungebat) ex eo, quia in Dominio Illuſtriſſimi Principis & nobis in Chriſto ſin-

Digitized by Google

Confirmatio Domuum Standonicarum Cameraci, Valencenis, Mechliniæ ac Lovanii.

cerè dilecti *Philippi* Archiducis Auſtriæ, certæ domus ſubalternæ ipſius Domûs ſive Collegii *Montis-Acuti*, Pariſienſis, & extra dictum Regnum Franciæ, videlicet in civitate Imperiali *Cameracenſi*, ac oppidis *Valencenenſi*, Cameracenſis, *Mechlinienſi*, & in *Lovanio*, Diœceſis Leodienſis, ejuſdem Congregationis Scholarium, cum ſimilibus Ordinationibus, Statutis, ſtabilimentis & Decretis conſtitutæ & erectæ exiſtunt,

Ac dictus *Joannes* toto cordis affectu cupiat etiam omnia & ſingula præmiſſa, quoad in eiſdem domibus ſubalternis degentes, pro eorum ſubſiſtentia firmiori, ut illibata perſiſtant, confirmari & approbari; illiſque noſtræ Confirmationis robur & munimen adjici;

Quare *pro parte dicti Joannis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut omnia & ſingula præmiſſa quoad prænominatas Domus ſubalternas*, & in eis reſpectivè degentes, eorumque ſucceſſores, in limitibus noſtræ Legationis exiſtentes, confirmare & approbare, ac noſtræ firmitatis robur adjicere; nec non dicto *Joanni* & ſucceſſoribus ſuis, in Domibus prædictis, & perſonis in eis reſpectivè degentibus pro tempore, infrà ſcripta concedere, ac aliàs in præmiſſis opportunè providêre, dignaremur.

Nos igitur, Apoſtolicæ Sedis licet immeriti Legationis officium gerentes, ad illa oculos noſtræ mentis dirigere debemus, per quæ ſalus animarum acquiritur; ut fructus inde percipiatur, & juvenes in bonis moribus & diſciplinis dirigantur, & cultus divinus augeatur; ad illa quoque, quæ juxta Canonum inſtituta facta fore noſcuntur, robur Apoſtolici muniminis adjicimus;

Libenter ipſius *Joannis* ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula præmiſſa, ſicut præmittitur, Statuta, ſtabilimenta, ordinata, Decreta prædicta, nec non circa opus hujuſmodi tam pium fienda, (dummodo à ſacris Canonibus non devient) quo ad prænominatas Domus, & in iiſdem pro tempore reſpective degentes, auctoritate noſtræ Legationis quâ fungimur in hac parte, tenore præſentium confirmamus, ratificamus & approbamus, illiſque Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus.

Supplentes omnes & ſingulos tam Juris quam facti defectus, ſi qui forſitan intervenerint vel intervenient in iiſdem, illaque omnia & ſingula perpetuæ firmitatis robur obtinere, debitè in omnibus & per omnia, perinde ac ſi Litteræ deſuper hujuſmodi conceſſione confectæ forent; illaque omnia & ſingula juxta tenorem Litterarum deſuper confectarum, & quæ forſan per illarum Executores, qui in eis deputari debebunt, Statuta & ordinata fuiſſent, decernimus & declaramus.

Et nihilominus ut Scholares & aliæ perſonæ in dictis Domibus degentes pro laboribus & ſtudiis aliquid deinceps percipere ac magis liberè ſtudio & eruditioni vacare & dare operam virtutibus poſſint, eâdem Auctoritate noſtræ Legationis volumus, decernimus, & declaramus, ac perpetuò concedimus, quod habitantes in domibus prædictis, & ritè converſantes, eorumque loca & bona ſint in protectione Sacroſanctæ Sedis Apoſtolicæ; ac Capellas & oratoria in ipſis domibus erigere valeant, ac in eis Sacratiſſimam Euchariſtiam reverenter conſervare, conſervatam omnibus domus præfatas inhabitantibus, cum expedierit, miniſtrare; Sacerdotes & Confeſſarios de gremio idoneos, alioſve ad id habere, qui eorum confeſſiones audiant, etiam in caſibus Diœceſano reſervatis, cum opus fuerit abſolvendo; qui per Patrem ſeu Magiſtrum dictarum Domorum ad hoc reſpective deputabuntur, ſervatâ ſoli Proviſori prædicto; ſcilicet Priori Carthuſienſi prælato pro tempore exiſtenti, poteſtate & facultate, ut ipſos dictos in iiſdem Domibus degentes à Caſibus Apoſtolicæ Sedi reſervatis, Cenſuris, etiam Irregularitatibus, ſemel in vitâ, & ſemel in mortis articulo, abſolvere & rehabilitare, ac Magiſtrum cujuſlibet Domus ad hoc ſubdelegare valeat.

Facultas erigendi Capellas & Oratoria.

Facultas abſolvendi à reſervatis.

Quodque ipſi in eiſdem Domibus degentes & habitantes Sacerdotes ſemper habeant, qui eis prædicta adminiſtrent, & Divina Officia celebrent; & per Magiſtrum cujuſlibet ipſarum Domorum Ordinariis tamquam idonei præſentati, à quocumque Antiſtite Catholico ſacros Ordines conferente & gratiam Sedis Apoſtolicæ habente, ſine requiſitione Dimiſſorii, etiam ſine Beneficio Eccleſiaſtico, aut alio Titulo, præterquam quod illis ſuper proventibus Domûs, in quâ degunt, de victu & amictu, ſecundum ſtatûs humilitatem decenter provideatur; donec & quouſque aliunde eis de Beneficio Eccleſiaſtico quatuor Marcas argenti in ſuis redditibus & proventibus valente, proviſum fuerit, temporibus ad hoc ſtatutis, ad omnes etiam ſacros Ordines & Presbiteratûs Ordinem promoveri valeant.

Facultas dandi Litteras Dimiſſorias, etiam ſine Titulo Beneficii.

Quod denique pro vitandis morbis contagioſis, vel aliâ neceſſitate urgente, ſe ad campeſtria transferent, habito concluſo loco, in quo exercitia pia faciant, & decenti Oratorio, in quo ſacroſanctam Euchariſtiam præſentem ſemper habeant, & infirmariam, & exiguum pro domorum ſuarum inhabitatoribus dumtaxat cœmiterium, in quo ad infectiones & contagia tam activa quam paſſiva vitanda per prædictos Sacerdotes humari poſſint.

Quodque ut eorum ſtudia aliis animabus, prout prædictus *Joannes* per hoc intendit, Eccleſiæ Dei prodeſſe valeant, illi qui poſt Artium completum ſtudium, ad quinquen-

nium in Theologia in aliqua dictarum Domorum ſtuduerunt aut vitam frugalem & humilem duxerunt, & per Magiſtros dictarum Domorum ad prædicandum deputati fuerunt, omnibus & ſingulis Privilegiis, quibus Fratres Ordinis Minorum & Prædicatorum, qui ad prædicandum & gradus Lectoratûs habendum, ac gradus in Univerſitatibus obtinendum, & parvulos erudiendum, gaudent, gaudeant; actus quoque in Univerſitatibus celebrare, & Verbum Dei ad populum promulgare, in ſuo humilitatis habitu ſolito, aut loco clamidis, in ſuperpellicio & camaldo prædicare poſſint & valeant.

Facultas prædicandi Verbum Dei.

Has etiam gratias ad Domus poſtea ejuſdem Congregationis in limitibus noſtræ Legationis erigendas extendendo. Sed ut præfati in eiſdem Domibus degentes tantis gratiis & privilegiis digni efficiantur, ipſi pauperes ſuum ſtatum & humilitatem inviolabiliter ſervent.

Quod ubi Communitas dictarum Domorum prædictam abſtinentiam in victu, humilitatem in amictu, in temporalibus communitatem, ſtudioſitatem in exercitio, vigilantiam in Divinis Officiis notabiliter paſſim, vel aliquod prædictorum dimitteret; quibuſvis relaxationibus aut diſpenſationum quibuſcumque mediis adeptis non obſtantibus, ex tunc omnibus præmiſſis gratiis & privilegiis privetur & privata cenſeatur; ac proximiori Hoſpitali pauperum de proventibus temporalibus ejuſdem Communitatis ſic delinquentis, juxta Fundatorum voluntatem provideatur.

Pœna appoſita.

Ac etiam, ut ſervetur vera paupertas, & ne ex adipe prodeat iniquitas, ipſi in dictis Domibus degentes & habitantes, majorem proventuum quam ad tenuem & humilem victum & amictum primæ Inſtitutioni conformem neceſſarium, nec quærere nec ſuſcipere valeant, nec debeant.

Similiter juxta primam inſtitutionem ultra numerum, qui eſt in numero Sanctorum Apoſtolorum & diſcipulorum Domini, ſub benigniſſimo Salvatore & ſua Virgine Matre, ſcilicet octuaginta octo proportionabiliter major numerus pauperum erudiendorum non reperiatur; pro quolibet decem florenos Rhenenſes dumtaxat regulariter ſuſcipiendo.

Numerus Standonicorum deſignatus.

Quodque gratiâ inſtabilitatis vitandæ exeuntes prædictas Domus abſque licentia, aut ſtatum dimittentes ante tempus quo ſecundum Statuta perſeverare deberent, poſſent per Conſervatores, aut Magiſtrum ejus Domus, de qua exierunt, per cenſuras Eccleſiaſticas Apoſtolicâ authoritate ad regreſſum, & omnes alii ad obedientiam, appellatione poſtpoſitâ compelli.

Et ſimiliter inutiles & infructuoſi debitè moniti, eadem auctoritate expelli, & rebelles & inobedientes ita coerceri abſque ſtrepitu Judiciario valeant, uſque ad perfectam obedientiam, & ſui ſtatûs ac Statutorum ſuorum obſervationem.

Quæ tamen omnia & ſingula, prædictus *Joannes* quam-diu vixerit, unâ cum Priore Carthuſienſi pro tempore exiſtente, Viſitatore ſeu Proviſore prædicto, de conſilio variare, alterare & mutare poſſit; pro-ut per experientiam ad id neceſſitas comperietur.

Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quibus præfatus Dominus noſter Papa in ſua conceſſione voluit non obſtare.

Volumus autem, & Auctoritate prædictâ decernimus & declaramus, quod tranſumptis præſentium Litterarum coram aliqua authentica perſona factis, & manibus & ſignis unius vel plurium Notariorum publicorum ſubſcriptis & ſignatis, talis & tanta fides in judicio, & extra, & ubique adhibeatur in omnibus & per omnia, ac ſi præſentes Litteræ originaliter . . . .

In quorum fidem præſentes Litteras fieri, noſtrique Sigilli juſſimus appenſione communiri.

Datum in Bruynſwyck Hildeſemenſis Diœceſis Anno Incarnationis Domini milleſimo quingenteſimo ſecundo, x. Kalend. Martii, Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri D. Alexandri divinâ providentiâ Papæ ſexti, anno undecimo. 1502.

De fundatore Domuum Standonicarum ita habent Faſti Academici Lovanienſes, authore Clariſſ. *Valerio Andrea*, pag. 269.

Natus fuit *Joannes Standonck* Machliniæ, tenuiſſimæ fortunæ parentibus (nam pater ejus ſutor erat) duroque & pertinaci labore cum in ſtudiis progreſſum fecit, ut ad ſupremam S. Theologiæ Lauream ſive Magiſterium in celeberrima Univerſitate Pariſienſi meruerit promoveri. Fuit etiam indefeſſus Verbi Dei Eccleſiaſtes, ſermone cùm gallico, tùm vulgari ſive Teutonico. A Pariſienſis Eccleſiæ Canon eis conſtitutus Rector Gymnaſii Montis-Acuti, in primis pauperum atque egentium Scholaſticorum, ad ſe undique confluentium curam habuit. Quibus etiam juxta Gymnaſium ſuum anno 1491. domum conduxit: omneſque ſtata horâ ad Carthuſiam mittebat, ubi eis panis cum paculo jure, ut ceteris mendicis, erogabatur. Proinde excitî ejuſmodi zelo atque exemplo pii aliquot homines, iſdem pauperibus celebrem a fundamentis domum exædificarunt atque dotarunt.

Verum Ludovicus XII Francorum Rex, virum optimum proſcripſit, atque excedere è Regno ſuo ex hac cauſa juſſit. Erat Ludovico uxor Joanna, ſoror Regis præcedentis Caroli VIII. quam invitus duxiſſe dicebatur, quippe compellente patre puellæ Ludovico XI. idcoque corpus illius nunquam tetigiſſe. Hanc mortuo Carolo, metûs prætextu repudiavit, & viduam ejus Annam duxit uxorem, Alexandro VI. Pont. diſpenſante; quibuſdam etiam proceribus aulicis

judicantibus, id Regi licère : ne forte, ſi alium illa maritum acciperet, Ducatus Britanniæ a Corona abalienaretur.

Factum hoc Regis multùm diſplicuiſſe Theologis Pariſienſibus ſcribit *Chriſtianus Maſſæus* in Chronico ad annum 1493. & in primis *Joanni Standonck*; qui quâ erat conſtantia & libertate, fertur hiſce verbis acriter corripuiſſe Regem : *Non licere repudiare uxorem non fornicariam : non licere eâ vivente introducere aliam : non licere habere uxorem fratris.* Joanna interim non ſe oppoſuit : ſed libens acquievit diſpenſationi Pontificiæ, totamque ſe Deo ac divino cultui mancipavit, Fundatrix Ordinis B. Mariæ, qui vulgo Annunciatarum dicitur.

Joannem vero exulem excepit Cameraci *Henricus de Bergis* Epiſcopus : in cujus ampliſſima Diœceſi diſciplinæ Eccleſiaſticæ inſtaurandæ eidem Epiſcopo author fuit, multaque cùm virorum tum feminarum Monaſteria reformavit. Quotidie ad populum ferventiſſimè, nunc Lovanii, nunc Bruxellis, nunc alibi concionabatur, & confluxum maximum habebat.

In hoc ſuo exilio Domos ſive Scholas pauperum, non ſuis opibus, quas nec habuit, hæc habere voluit, ſed illuſtrium aliquot virorum eleemoſinis adjutus, inſtituit Cameraci, Valencenis, Machliniæ & Lovanii : neque deſiit exul caputium ad inſtar pauperum quos Pariſiis reliquerat, geſtare.

Anno 1500 revocatus Pariſios, ad Gymnaſium Montis Acuti & ad ſuum redit pauperum Collegium : ibique vivere deſiit anno 1504. ſeptimo Idus Februarii, ſepultus in Eccleſia Domûs Montis Acuti. Neque aliud, præter hoc, voluit Epitaphium : *Pauperis memimote Standonis.*

Porro Domus Standonica Lovanii etiamnum floret, durante ſemper diſciplinâ a fundatore conſtituta. Vide præfatos Faſtos Academicos.

Domus Mechlinienſis anno 1596 ab Archiepiſcopo *Matthia Hovio* (quondam Lovanii alumno Standonico) converſa fuit in Seminarium Archiepiſcopale, hodieque florentiſſimum. Fundationis Literas habes Tomo III. Diplomatum Belgicorum pag. 219.

Domus Valencenenſis ac Cameracenſis in alios uſus tranſiêre, de quibus Notas vide Tomo III. jam citato.

CAPUT LXXII.

JULIUS II. *Pontifex Eccleſiam Parochialem de Lenniaco S. Quintini (quæ hodie eſt Diœceſis Mechlinienſis ac ſubeſt Decanatui Leeuwenſi S. Petri) unit atque incorporat Decanatui Eccleſiæ Collegiatæ Stæ. Gertrudis Nivellenſis, anno 1507.*

Ex Archivis Archiepiſcopatûs Mechlin.

JULIUS Epiſcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad illa ex plenitudine paſtoralis officii intendimus, per quæ perſonis Eccleſiaſticis, præſertim in dignitatibus constitutis, quæ egeſtatis mole comprimuntur, aut paupertatis onere prægravantur, ut decentius vivere valeant, de congruentis proviſionis ope ſuccurratur & congruè provideatur : cum tantò magis in ipſis paupertatis nota deſpiciatur, quantò majoribus ſint dignitatum titulis inſigniti & decorati.

Dudum ſiquidem omnia beneficia Eccleſiaſtica, cum cura & ſine cura, apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia, & in antea vacatura, collationi & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus : decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quâvis auctoritate ſcienter vel ignoranter contingeret attemptari.

Cum itaque poſtmodum parochialis Eccleſia de Liniaco Sancti Quinctini, Cameracenſis Diœceſis, per liberam reſignationem dilecti Filii Hermanni de Kertimont, nuper ipſius Eccleſiæ Rectoris, de illâ quam tunc obtinebat, per dilectum filium Nicolaum Clericum dictæ Diœceſis procuratorem ſuum, ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, in manibus noſtris ſponte factam, & per nos admiſſam, apud Sedem eandem vacaverit, & vacet ad præſens, nulluſque de illa præter nos hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis.

Et ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Decani & Capituli Eccleſiæ Sanctę Gertrudis Nivellenſis, Leodienſis Diœceſis, petitio continebat, ſi dicta parochialis Eccleſia Decanatui dictæ Eccleſiæ Stæ. Gertrudis, qui inibi dignitas, non tamen principalis exiſtit, & cui cura imminet animarum, & quem dilectus filius *Marbrianus de Orto* ipſius Eccleſiæ Stę. Gertrudis Decanus obtinet, perpetuo uniretur, annecteretur & incorporaretur, profecto dictus *Marbrianus*, & Decanatum ipſum pro tempore obtinens ſe decentius ſuſtentare, ac onera eidem Decanatui pro tempore incumbentia facilius perferre valeret.

Quare pro parte dilectorum Decani & Capituli, aſſerentium, quod ipſi aliàs conſiderantes, quod fructus, redditus & proventus dicti Decanatûs adeo tenues & exiles exiſtebant, quod illi ad ſupportationem onerum eidem Decano incumbentium, non ſuppetebant, non-nullos fructus, redditus, & proventus, quos Capitulum præfatum ex

de *Ronſterez* & de *Meureghem*, villis dictæ Leodienſis Diœceſis, ac eorum appendentiis percipere ſolebant, eidem Decanatui, donec aliqua parochialis Eccleſia, ad præſentationem eorundem Capituli ſpectans, illi perpetuò unire, annectere, & incorporare, aliàſque in præmiſſis opportune providêre, de benignitate Apoſtolicâ dignaremur.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum valorem annuum, ſecundum communem extimationem, & Beneficii cui unio fieri peteretur; alioquin unio non valeret; & quod ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet.

Ipſos Decanum & Capitulum, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine, quâvis occaſione vel cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, nec non dicti Decanatûs fructuum, reddituum & proventuum verum annuum valorem præſentibus pro expreſſo habentes.

Hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, parochialem Eccleſiam prædictam, quæ ad præſentationem eorumdem Capituli, dum pro tempore vacat de antiqua & approbata hactenus pacificè obſervatâ conſuetudine, pertinere dinoſcitur; & cujus fructus, reditus & proventus viginti quatuor ducatorum auri de Camera, ſecundum communem extimationem, valorem annuum, (ut Decanus & Capitulum præfati etiam aſſerunt) non excedunt, ſive præmiſſo ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcumque perſona, ſive per ſimilem reſignationem dicti Hermanni, vel alicujus alterius de illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico & teſtibus ſponte factam, aut per Conſtitutionem felicis recordationis *Joannis Papæ XXII.* noſtri prædeceſſoris, quæ incipit: *Execrabilis*: vel aſſecutionem alterius beneficii Eccleſiaſtici quâvis auctoritate collati, vacet: & ſi tanto tempore vacaverit quod ejus collatio juxta Lateranenſis Concilii ſtatuta ad Sedem prædictam legitime devoluta, ipſaque parochialis Eccleſia diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel aliàs generaliter reſervata, & ſuper ea inter aliquos lis (cujus ſtatum præſentibus haberi voluimus pro expreſſo) pendeat indeciſa: dummodo ejus diſpoſitio ad nos hac vice pertineat; cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis eidem Decanatui auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium, perpetuo unimus, annectimus & incorporamus.

Ita quod liceat eidem *Marbriano*, & pro tempore exiſtenti dictæ Eccleſiæ S. Gertrudis Decano, per ſe vel per alium ſeu alios, Parochialis Eccleſiæ juriumque & pertinentiarum prædictorum, corporalem poſſeſſionem propriâ auctoritate apprehendere & perpetuo retinere, illiuſque fructus, reditus & proventus in ſuos ac Decanatûs & parochialis Eccleſiæ prædictarum uſus & utilitatem convertere, Diœceſani loci & cujuſvis alterius licentiâ ſuper hoc minimè requiſitâ; non obſtante voluntate noſtrâ prædictâ, ac piæ memoriæ *Bonifacii Papæ VIII.* etiam prædeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus contrariis quibuſcunque.

Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi vel aliis Beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus, ſpeciales vel generales dictæ Sedis vel Legatorum ejus Litteras impetrarint, vel alias quomodolibet ſit proceſſum; quas quidem Litteras & proceſſus habitos per eaſdem, & inde ſecuta quæcumque, ad dictam parochialem Eccleſiam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari; & quibuſlibet aliis Privilegiis, Indulgentiis, & Litteris Apoſtolicis, generalibus & ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta, effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris Litteris mentio ſpecialis.

Volumus autem, quod propter Unionem, annexionem, & incorporationem prædictas, dicta parochialis Eccleſia debitis non fraudetur obſequiis, & animarum cura in ea nullatenus negligatur: ſed illius congruè ſupportentur onera conſueta.

Quodque fructus, redditus & proventus ex dictis Villis provenientes, & per eoſdem & Capitulum dicto Decano (ut præfertur) aſſignati, poſtquam hujuſmodi unio plene ſuum debitum ſortita fuerit effectum, in priſtinum & eum ſtatum, in quo antè aſſignationem eandem erant, eò ipſo revertantur. Ad quod præfatus Marbrianus, & ſui Succeſſores, dictum Decanatum pro tempore obtinentes, quoad perceptionem fructuum dicti Decanatûs in eorum abſentia, propter unionem hujuſmodi liberiores non exiſtant, nec eſſe poſſint in futurum, quam hactenus fuerunt. Et inſuper prout eſt irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis auctoritate ſcienter vel ignoranter attemptatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attemptari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ abſolutionis, Unionis, Annectionis, Incorporationis, voluntatis & Decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare

præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptimo, tertio Idus Maij, Pontificatûs noſtri anno quarto. 1507.

Jacobus de Croy Cameracenſis Epiſcopus Bullam hanc Apoſtolicam, eodem anno 1507 acceptavit, uti & Unionem prædictam: ſalvâ ſemper congruâ portione Curato ibidem per Nivellenſem Decanum præbendâ.

Porro in Diœceſi Mechlinienſi ac Decanatu S. Petri Leeuwenſi duplex extat *Lemniacum*, unum *S. Quintini*, (de quo hoc Diplomate) alterum *S. Martini*, in quo Jus Patronatus obtinet Abbas ſeu Præpoſitus Montis-frigidi Bruxellis, Paſtoremque præſentat Regularem.

CAPUT LXXIII.

Bernardinus de Carvajal, S. R. E. Cardinalis Legatus Apoſtolicus in Belgio, conſtituit in Eccleſia Collegiata S. Gertrudis, Bergis ad Zomam, erigi duas novas Capellanias pro Muſicis, anno 1508. Quas quidem ante dotaverant Domini Bergizomenſes, reſervato ſibi Jure Patronatûs.

Ex Archivis Capituli iſtius.

Bernardinus Miſeratione Divinâ Epiſcopus Tuſculanus, Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Sanctę Crucis, Patriarcha Jeroſolimitanus, per univerſam Germaniam, & quæcumque alia loca, ad quæ nos declinare contigerit, SS. Domini noſtri Papæ & Apoſtolicæ Sedis Legatus: dilectis nobis in Chriſto Sancti Petri Lovanienſis, & Sanctæ Gertrudis Bergenſis, Leodienſis Diœceſis, Eccleſiarum Decanis, & Officiali Leodienſi, ſalutem in Domino ſempiternam.

Regimen Legationis officii, ab Apoſtolica Sede nobis commiſſi, nos ſollicitat & inducit, ut circa ſtatum ſingularum Eccleſiarum, præſertim Collegiatarum, ſic ſollicitè intendamus, quod in illis divinus cultus, & numerus perſonarum divinis laudibus inſiſtentium, ad honorem & gloriam omnipotentis Dei ejuſque Genitricis Virginis Mariæ augeri poſſit.

Sane pro parte dilecti nobis in Chriſto Nobilis Viri, *Johannis de Bergis*, moderni Domini Opidi & Territorii de Bergis ſupra Zomam, de Walhain & de Perwys, Leodienſis Diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat,

Quod poſtquam aliàs quondam *Johannes de Bergis* Dominus Opidi & Territorii prædictorum in ejus ultimo, quod condiderat,
Anno 1501 teſtamento *, in Eccleſiâ Sanctæ Gertrudis Opidi & Diœceſis prædictorum, quæ Collegiata & Parochialis exiſtit, unam Miſſam quotidianam perpetuò ad Altare per eum in Eccleſiâ prædictâ fundatum, per duos Sacerdotes, qui inter ſe gratioſè convenerint, & ſingulis Horis Canonicis in dicta Eccleſia decantandis, in habitu convenienti, intereſſe tenerentur, & quotidianis diſtributionibus, prout cæteri Capellani ejuſdem Eccleſiæ gauderent, in honorem & ſub titulo Beatæ Mariæ Virginis dici ac celebrari;

Et exinde duo Officia perpetua, ad inſtar Beneficiorum Caſtralium duobus Sacerdotibus, per Dominos dicti Opidi omni tempore conferenda, conſtitui, & erigi voluerat & ordinaverat, & ad hoc dotem ſufficientem deputaverat.

Præfatus *Johannes* modernus Dominus, veſtigiis *Johannis* defuncti præfati inherendo, unam ſimilem Miſſam in dictâ Eccleſiâ, & ad prædictum Altare perpetuò ſingulis diebus celebrandam, ac duo ſimilia Officia perpetua, pro duobus etiam Sacerdotibus, qui ſimiliter divinis officiis intereſſe deberent, per eumdem *Johannem* modernum Dominum, & ejus in dicto dominio ſucceſſores pleno Jure Laïcali conferenda, unà cum aliis duobus Officiis;

Ita tamen, quod ſi dictos quatuor Sacerdotes in dictis Officiis pro tempore inſtitutos, per 15 dies à dicta Eccleſia continuè, abſque licentiâ ipſius Domini abeſſe, aut minus laudabiliter ſe gerere contingeret, (ſuper quo ejuſdem *Johannis* moderni Domini & Succeſſorum judicio ſtandum eſſet) ipſe *Johannes* modernus Dominus & ſucceſſores, tales ſimul & ſucceſſivè, ad eorum libitum, dictis officiis privare poſſent, & illa aliis bene-meritis Sacerdotibus ſimili Jure conferre poſſent, ordinavit, inſtituit, & fundavit, ac dotem etiam ad hoc ſufficientem aſſignavit.

Et nihilominus pro potiori cautela, dicta quatuor Officia in eâdem Eccleſiâ Apoſtolicâ Auctoritate erigi, & Jus Patronatûs, ſeu illa conferendi ſibi & Succeſſoribus præfatis, eâdem Auctoritate reſervari obtinuit.

Et ſicut eadem expoſitio ſubjungebat,

Johannes modernus Dominus prædictus, zelo devotionis ductus, & divinum cultum in ipsâ Ecclesia augeri & vigere summopere desiderans, duo alia similia Officia Ecclesiastica perpetua & libera, pro duobus etiam Sacerdotibus Cantoribus, ad instar aliorum quatuor Officiorum prædictorum, instituere intendat.

Quare pro parte dicti Johannis moderni Domini nobis fuit humiliter supplicatum, ut in præmissis oportunè providere, de benignitate Sedis Apostolicę dignaremur.

Nos igitur, qui in singulis Ecclesiis divini cultûs augmentum sinceris optamus affectibus, præfatum Johannem modernum Dominum, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, Censuris & pœnis, à Jure vel ab homine quâvis occasione vel causâ latis, (si quibus quomodolibet innodatus existat, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum) harum serie absolventes, & absolutum fore censentes;

Hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestræ committimus & mandamus quatenus vos, vel duo aut unus vestrûm, si est ita, duo alia similia Officia Ecclesiastica perpetua & libera pro duobus aliis Presbyteris, Cantoribus, in musica simplici seu figurata instructis, qui similiter divinis Officiis cum habitu interesse & in Cantu & aliàs in Choro inservire & juramentum fidelitatis, ac reverentiam, & obedientiam, pro-ut alii quatuor Sacerdotes, Decano & Capitulo ipsius Ecclesiæ præstare teneantur.

Erectio Beneficiorum pro Cantoribus, paulò post per Leonem X. Pont. mutata.

Et in eventum absentiæ, Canonico cessante impedimento, & aliàs ut præmittitur, per Johannem modernum Dominum & Successores prefatos amoveri possint, unâ cum aliis quatuor Officiis prædictis; & ad illorum instar sine alicujus præjudicio erigere & instituere, ac illis pro eorum dote census, redditus, & bona alia ad hoc per Johannem modernum Dominum assignanda perpetuò applicare & appropriare,

Jus Patronatûs.

Nec non Jus Patronatûs & præsentandi personas idoneas, ac dicta duo erigenda Officia, tam hac primâ vice, quam aliàs, quotiens perpetuis futuris temporibus simul vel successive vacare contigerit, præfato Johanni moderno Domino, & pro tempore existenti Domino temporali dicti Opidi, Institutionem vero Officiorum erigendorum prędictorum Decano & Capitulo prædictis reservare & concedere, auctoritate Apostolicâ, vigore facultatis Nobis desuper concessę, curetis.

Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non dictæ Ecclesiæ juramento, Confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Mechliniæ, Cameracensis Diœcesis, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octavo, Nonis Octobris, Pontificatûs Domini nostri Julii Papę II. anno quinto. 1508.

De Cardinale Bernardino de Carvajal, Episcopo Ostiensi quondam Legato S. Sedis ad Maximilianum I. Cæs. tam in Germania quam in Belgio, &c. vide Ciaconium Tomo III. pag. 170. item Ugelli Italiam Sacram Tomo I. pag. 78. Fuit aliquando tempus sub Julio II. Pont. quo omnia hujus Cardinalis Acta rescissa fuerunt. Mortuus est Romæ anno 1522.

CAPUT LXXIV.

Acta quædam (hactenus inedita) pertinentia ad Conciliabulum Pisanum, quod Ludovicus XII. Galliæ Rex Lugdunum transtulerat.

I. Epistola Archiepiscoporum & Episcoporum Ecclesiæ Gallicanæ, Lugduni in Conciliabulo congregatorum, ad Carolum de Hautbois *Tornacensem Episcopum, die X. Septembris* 1511. *Qui invitatur, ut Synodo isti Lugdunensi interfit, & summam* 825 *librarum Flandricarum, pro quotâ Diœcesis Tornacensis contribuat, ad ratam LXXX. mille librarum, quæ taxa totalis erat Cleri Gallicani.*

Ecclesia Gallicana, de mandato Christianissimi Domini nostri Francorum Regis in unum legitimè congregata, Reverendo in Christo Patri ac Domino Tornacensi Episcopo, seu vestro in spiritualibus & temporalibus generali Vicario, salutem & sinceram in Domino caritatem.

Noverit vestra Paternitas, quod prædicta Ecclesia Gallicana ibidem Lugduni debitè congregata super hiis quæ Christianissimus ac Principum omnium Ecclesiæ Sanctæ fidelissimus Protector Fidei, etiam ferventissimus amator, Dominus noster Francorum

corum Rex pientiſſimo fidei zelo expoſuefat, ſeu vocis oraculo Illuſtris ac Magnifici Viri & Domini D. *Johannis de Ganaij*, Militis, Domini de Paerſaert, Franciæ Cancellarii, exponi fecerat; & inter cætera, quantum detrimenti Eccleſiæ univerſali ex Generalium Conciliorum intermiſſione acciderit; quodque maximè impreſentiarum illius celebrandi ſubeſt neceſſitas, pro reformatione Eccleſiæ Dei, *tam in capite quam in membris*; cum generale Concilium pro medela & antidoto morborum Eccleſiæ ſit adinventum; ſcrutatis omnium votis, poſt reiteratas collocutiones & deliberationes maturas pro neceſſitate, tuitione, utilitate & tranquillitate commodoque totius univerſalis Eccleſiæ decrevit, ſtatuit, & unanimiter (nemine diſcrepante) ordinavit, ad Concilium univerſale juxta beneplacitum & mandatum Regiæ Majeſtatis effectualiter & quam celeriter fore & eſſe proficiſcendum.

Et ad hoc eadem Regia Majeſtas nonnullos Reverendiſſimos, Reverendos, Venerandoſque Patres & ſcientificos Viros, Dominos Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Juris divini pariter & humani Doctores & Profeſſores, delegit & nominavit.

Verùm cum electi & nominati hujuſmodi, qui zelo domus Dei & Chriſtianæ religionis accenſi, utilitatem & commodum univerſalis Eccleſiæ propriis commodis prę-ponere, ac ſe & ſua innumeris periculis exponere non formidant, non debeant propriis ſumptibus (contra doctrinam Apoſtoli) militare, pro expenſis quas ipſos in hujuſmodi tam ſalubri negotio ſubire neceſſarium & opportunum erit, ſummam & quantitatem *octuaginta millium librarum Turonenſium* ſuper Clero dictæ Eccleſiæ Gallicanæ, exemptis & non exemptis, eorum ad hoc expreſſo accedente conſenſu, per modum caritativi ſubſidii imponendam decrevit & impoſuit; exemptis dumtaxat & in hoc minimè comprehenſis Beneficiis Reverendiſſimorum Dominorum Cardinalium, Reverendiſſimorumque Dominorum Archiepiſcoporum ac Reverendorum Dominorum Epiſcoporum, Abbatum, Magiſtrorum, Doctorum & Profeſſorum, ultra montes ex dicta deliberatione proficiſcentium, ſeu qui jam profecti ſunt, & qui ad hoc profecti electi & deſtinati ſeu nominati extiterint.

Cum igitur Reverende Prę ſul, poſt debitam prædictarum expenſarum calculationem factam viſum ac concluſum fuerit Reverendam Paternitatem veſtram, Capitulum & Clerum veſtrarum civitatis & Diœceſis, exemptis & privilegiatis in hoc comprehenſis, ad ſummam octo centum & viginti quinque librarum in regno Franciæ curſum habentium, fore & eſſe taxandam more ſolito, & ad eandem ſummam taxatum fuerit, prout ex Actis & Inſtrumentis deſuper confectis latius continetur, præfatam Reverendam Paternitatem per viſcera caritatis enixè ſinceroque affectu, & quâ in hac parte fungitur auctoritate, requirit hortatur & admonet dicta Eccleſia Gallicana, quatenus ſummam prædictam octo centum & viginti quinque librarum Turonenſium (ut præmittitur) taxatam & impoſitam, liberè & integrè, ſuper fructibus veſtræ Sedis Epiſcopalis & Menſæ Capitularis Cleroque vobis ſubdito, etiam ſuper exemptos & privilegiatos, vocatis vocari conſuetis, & more ſolito, fideliter ex æquo ſtatuere, habito reſpectu ad Decimam ſuper dicto Clero Eccleſiæ Gallicanæ levari conſuetam, & ad alia quæ erunt conſideranda; (demptis tamen & in hoc minimè comprehenſis Beneficiis Reverendiſſimorum Patrum nominatorum & electorum ad prænominatum Concilium perſonaliter accedentium,) fideliter imponatis, ſeu per Vicarios veſtros imponi faciatis.

Ipſamque ſummam per probos & fideles Viros fide & facultate probatos, ſufficientes & idoneos, ceſſante omni exactione indebita, exigi & levari faciatis; contradictores autem & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam auctoritate ordinariâ quoad ſubditos, quo vero ad exemptos, juris & prædictæ Eccleſiæ Gallicanæ auctoritatibus, quâ fungimur in hac parte; ac per alia Juris remedia, nec non per invocationem brachii ſecularis, ſi opus ſit, appellatione poſtpoſitâ, viriliter & præcitè compellendo.

De quo executioni demandando, Eccleſia prædicta Gallicana eâ auctoritate qua fungitur licentiam & auctoritatem, & cetera ultra ordinariam, vobis concedit & impartitur. Et inde dictam ſummam ſic impoſitam & levatam integrè & abſque diminutione apud Lugdunum in manibus *Claudii Laurencini* & *Joannis Doublon* mercatorum & civium Lugdunenſium Receptorum generalium, ad hoc per fidelem & expreſſum nuncium infra unius menſis ſpatium poſt receptionem præſentium fideliter conſignare curetis; voſque circa præmiſſa taliter habeatis, quod ab prædicta Eccleſia de incuriâ aut negligentia imputari aut incuſari minimè valeatis; aut quod per vos non ſteterit, quo minus tam ſalubre tamque ſanctum & perneceſſarium negotium ſuum optatum ſortiatur effectum; ad Dei honorem & univerſalis Eccleſiæ prædictæ ſplendorem; quam Dominus exaltare & vos præſervare dignetur.

Datum Lugduni, ſub ſigillo Curiæ Officialatûs Lugdunenſis, per dictam Eccleſiam Gallicanam ad hoc accommodato, die decimâ menſis Septembris, anno Domini milleſimo quingenteſimo undecimo. 1511.

Sic ſubſcriptum & ſignatum: de mandato prædictæ Eccleſiæ Gallicanæ, *Bellievre*.

II. Epiſtola exhortatoria Petri Cotrel, *Vicarii Generalis & Archidiaconi Tornacenſis, ad Decanum Chriſtianitatis in Diſtrictu Gandavenſi; de celebratione Concilii generalis Lugduni in Gallia, & de collectis ad hoc neceſſariis: die 25. Octobris 1611.*

Petrus Cotrel, Presbyter, in Legibus Licentiatus, Canonicus & Archidiaconus Brugenſis in Eccleſia Tornacenſi, Vicarius Generalis in ſpiritualibus & temporalibus Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini, D. Karoli Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Tornacenſis Epiſcopi jam in remotis agentis, dilecto & fideli noſtro Decano Chriſtianitatis Gandenſis, ſalutem in Domino.

Cum Eccleſia Gallicana noviſſimè Lugduni congregata, per ſuas patentes Litteras ad nos in abſentia dicti Reverendiſſimi in Chriſto Patris per proprium Nuncium ſeu curſorem directas, & die 13 hujus menſis Octobris receptas, maturâ præhabitâ deliberatione ad ſubveniendum gravibus miſiis & expenſis factis & fiendis per Reverendiſſimos, Reverendos, Venerandoſque Patres & ſcientificos Viros Dominos Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Juris divini pariter & humani Doctores & Profeſſores, qui in Concilio dictæ Eccleſiæ Gallicanæ deputati jam profecti ſunt, ordinaverit inter cætera, ſuper fructibus Sedis Epiſcopalis Tornacenſis, Mentâ Capitulari ac ſingulis Beneficiatis & Clero Tornacenſis Diœceſis, etiam Exemptis & Privilegiatis in hoc comprehenſis, per nos ſeu noſtros ad hoc deputatos levari, ſecundum formam Decimæ in Regno Franciæ levari ſolitæ, ſummam octo-centum & viginti quinque librarum Turonenſium, in eodem Regno curſum habentium, pro eorum quota & portione.

Hinc eſt, quod Nos Petrus Cotrel præfatus, juxta commiſſionem Nobis traditam, & ne de incuria ſeu negligentia imputari aut accuſari valeamus, Vobis mandamus, quatenus omnes & ſingulos Dominos Prælatos & Capitula, exempta & non exempta, Privilegiata & non Privilegiata veſtri Decanatus evocetis, ſeu evocari faciatis ad certam brevem diem, vobis & ipſis commodiorem, ad tunc per eoſdem Dominos Prælatos & Curatos deputandum ex eorum parte aliquem ſeu aliquos, comparituros Tornaci in aula Domus Epiſcopalis, die videlicet 26 hujus menſis Octobris horâ tertiarum de mane, ad ibidem fieri videndum & audiendum Taxam & Quotam cujuſlibet ad rationem dictæ Decimæ & inſequentium hujuſmodi Literarum formam & tenorem: nobis quod in præmiſſis feceritis fideliter & liquidè reſcribendo.

Datum Tornaci ſub Sigillo Vicariatûs dicti Reverendiſſ. in Chriſto Patris, anno Domini milleſimo quingenteſimo undecimo, 1511.
die vigeſimâ quintâ menſis Octobris.

P. S. Nota, quod anno Domini milleſimo tricenteſimo triceſimo ſeptimo fuerint à Domino Papa duo Cardinales miſſi pro pace reformanda inter Regem Franciæ & Regem Angliæ, qui fuerunt in Regno Franciæ per duos annos. Quibus Dominus Papa conceſſit in Regno Franciæ ſubventionem ab antiquo Cardinalibus in Legatione miſſis conſuetam dari à perſonis ad hoc conſuetis. Et ſuper hoc prædicti Cardinales fecerunt moneri Curatos & Capellanos in territorio Flandrenſi; qui nihil dederunt, & dixerunt monitionem non eos ligare. Nam ipſi invenerunt, quod ab antiquo propter parvitatem Beneficiorum ſuorum prædicti Curati & Capellani nichil conſueverunt dare Cardinalibus miſſis in Legatione: & ita obtinuerunt.

III. Epiſtola Encyclica Prælatorum Conciliabuli Piſani Lugdunum tranſlati, ad omnes Galliæ Epiſcopos, à quibus petitur ſubſidium CCLXXX. mille librarum Turonenſium in favorem Ludovici XII. Regis Galliæ, & XL. mille pro continuatione dicti Concilii, & conſtituuntur Cardinalis unus ac duo Epiſcopi ad recipiendam hac Collectam: abſque tamen conſequentia & Vaſorum Sacrorum alienatione &c. Data Lugduni die 7 Julii 1512.

Sacrosancta Generalis Synodus Piſana, in Spiritu Sancto legitimè congregata, univerſalem Eccleſiam repræſentans, Lugdunum ad tempus tranſlata, univerſis & ſingulis Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, in Regno Franciæ & Delphynatu Provinciaque Provinciæ, aliiſque Dominiis chariſſimo Eccleſiæ filio Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo ſubjectis, conſtitutis, ſalutem & omnipotentis Dei benedictionem.

Univerſalis Eccleſia, quam hæc Sacroſancta Synodus repræſentat, providentiâ circumſpectâ nonnulla etiam ardua interdum Eccleſiis & Eccleſiaſticis perſonis onera, ad tempus dum-taxat duratura, cum magnis fluctuatur anguſtiis, imponit, concedit & ordinat, præcipit atque mandat: prout ipſarum qualitatibus debitè penſatis, id in Domino conſpicit ſalubriter expedire.

Cum itaque idem Ludovicus Rex, ſicut nuper nobis exponi fecit, in omnibus Regni ſui & aliorum Dominiorum ſuorum lateribus & limitibus penè ab omnibus Regibus & Principibus circumvicinis, etiam ſibi ſolemnibus pacis & amicitiæ fœderibus conjunctis (dictis fœderibus perperam ruptis & tractis & eluctatis) in Ducatu ſuo Mediolanenſi ſine legitima cauſa quaſi uno impetu invaſus & perturbatus, ita ut à memoria hominum tantum incendium adverſus Regnum & alia Dominia ſua parari viſum non fuerit;

Adeo quod idem Rex, pro tuitione Regni, Dominiorum ac Eccleſiarum & Monaſteriorum in eis conſiſtentium hujuſmodi, magna ſubventionis ope indigere noſcatur, & propterea Sacroſanctam Synodum obnixe rogaverit, ut in ſubventionem hujuſmodi pro Eccleſiarum & Regni tuitione, aliquod validum & efficax ſibi per Eccleſias Regni & Delphinatus ac Provinciæ aliorumque dominiorum ſuorum prædictorum ſolvendum, à Sancta Synodo imponeretur & perciperetur ſubſidium.

Quæ omnia ſancta Synodus attentè proſpiciens, eidem Ludovico Regi, de ſancta univerſali Eccleſia optimè merenti, in præmiſſis, quantum cum Deo poteſt, ſubvenire cupiens, ſibi pro defenſione Regni ac aliorum Dominiorum ſuorum hujuſmodi, ac etiam Eccleſiarum in eis conſiſtentium, nec non aliquali ſuſtentatione ſuppoſitorum ſacroſanctæ Synodi, ſubſidium quidem anno ſuperiori univerſa Eccleſia Gallicana ad ſubſiſtentiam ſacri Concilii ſponte sibi impoſuit; videlicet ſummam *octuaginta millium librarum Turonenſium*; hoc-ipſum ſubſidium ad quadruplum augendo, pro tam extrema & inſtanti neceſſitate, videlicet ſummam *trecentarum & viginti millium* librarum ſimilium faciens, ſuper fructibus redditibus & proventibus juribuſque & emolumentis.

Deinde & ſingularum Primatialium, Archiepiſcopalium, Epiſcopalium & Collegiatarum, aliarumque Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum Regularium locorum, virorum & mulierum, etiam Chartuſienſium & Celeſtinorum, Præmonſtratenſium & Redemptionis captivorum, ac quorumcunque aliorum Ordinum, nec non Hoſpitalium, ſcilicet S Johannis Jheroſolymitani, & aliarum Militiarum, Capitulorum quorumcumque ac prædictorum & quorumvis (certos tamen fructus, redditus & proventus, unde convenienter ſuſtentari poſſint, privilegio Apoſtolico vel aliàs habentium) Mendicantium, Conventualium Congregationum ſeu Univerſitatum eorumdem Ordinum, Prioratuum quoque & dignitatum, Perſonatuum, adminiſtrationum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum Cura & ſine Cura, Secularium & Regularium, virorum & mulierum eorumdem Regni, Delphinatûs & Provinciæ;

Ac aliorum Dominiorum prædictorum, exemptorum & non exemptorum, penſionibuſque annuis quibuſcunque perſonis Eccleſiaſticis, etiam ſi Primatiali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, Abbatiali, vel alia quavis dignitate præfulgeant, aut quovis alio fungantur honore, aſſignatis & aſſignandis Eccleſiis & Monaſteriis, ceteriſque (Beneficiis Eccleſiaſticis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacroſanctam Synodum honorantium & apud eam perſonaliter reſidentium dumtaxat exceptis) juxta taxationem ſeu quotationem per eandem ſanctam Synodum deſuper habitam, & per alias ejus Litteras ſingulis Ordinariis aut Diœceſanis notificandam in his quæ taxata fuerunt; in his vero quæ taxata non extiterunt, juxta providam taxationem, per Diœceſanos eoſdem, vel eorum Vicarios deſuper faciendam, æqualitate etiam quoad penſiones ipſas, juxta quotationem fructuum beneficiorum hujuſmodi ſervatâ.

Subſidium prædictum in ſubventionem tam gravium incendiorum & bellorum præmiſſorum, videlicet *pro ducentis & octuaginta millibus libris* eidem Chriſtianiſſimo Regi; pro reliquis *quadraginta millibus libris* hujuſmodi in aliqualem ſuſtentationem ejuſdem Sacroſanctæ Synodi, nec non alios uſus convertendum, unanimiter in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, auctoritate omnipotentis Dei ac ſuâ, tenore præſentium ſancta generalis Synodus imponit, concedit pariter & aſſignat.

Et nihilominus omnibus & ſingulis Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis eorumdem Regni, Delphinatus, Provinciæ & aliorum Dominiorum, eorumque & cujuſlibet ipſorum Vicariis, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit & mandat, quatenus ipſi quam primum præſentes Litteræ ſeu earum tranſſumpta, manu alicujus Notarii publici ſubſcripta, *& ſigillo proprio Sancti Spiritus, quo Synodus ipſa in ſimilibus utitur*, munita, ad eorum notitiam pervenerint, impoſitione conceſſione & aſſignatione ſubſidii hujuſmodi trecentum viginti millium libras Turonenſes, ut præfertur, Abbatibus, Abbatiſſis, Capitulis & Conventibus, etiam Mendicantium, (certos tamen redditus & proventus pro eorumdem competenti ſuſtentatione, ut fertur, habentium,) Hoſpitalium-

que Sancti Johannis & aliarum Militiarum Magiſtris & Præceptoribus, nec non Prioribus, Prioriſſis, Decanis, Præpoſitis & aliis in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutis, Cathedraliumque etiam Metropolitanarum & Collegiatarum Eccleſiarum ſingulis Canonicis, Parochialiumque Eccleſiarum Rectoribus, vel earum perpetuis Vicariis, ac penſiones hujuſmodi percipientibus, ceteriſque perſonis Eccleſiaſticis ſuarum civitatum & Diœceſium de quibus expedire videbitur, exemptis & non exemptis, quanto citius inthiment & notificent.

Ipſoſque omnes & ſingulos, etiam nominatim & expreſſè, ſi expediat, auctoritate prædicta, & ſub excommunicationis ac aliis ſententiis, Cenſuris & pœnis, ceteriſque juris remediis; quatenus Collectæ & ſubſidii charitativi prædicti portiones ſibi aſſignatas hujuſmodi, infra unius menſis ſpacium, à die inthimationis ejuſdem computandæ, in locis ad hoc deputandis realiter & integrè perſolvant, moneant, cogant & compellant; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

Præterea eadem Sacroſancta Synodus Venerabiles Fratres *Guillermum* * Epiſcopum *Præneſtinum*, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem *Narbonenſem*, ac *Petrum*, † *Lucionenſem*, & *Ægidium*, * *Cathalanenſem* Epiſcopos, cum plena facultate per ſe inſimul vel ſaltem duos eorum, eoldem Primates Archiepiſcopos & Epiſcopos ad parendum præmiſſis, Cenſuræ ac invocationi ſimilibus cogendos & compellendos;

Nec non aliquem probum virum, Eccleſiaſticum vel Secularem, Deum timentem & in talibus expertum, qui eorum & ipſius Sanctæ Synodi nomine, per ſe ſeu alium vel alios, ad hoc idoneum vel idoneos, ab illis qui ſoluturi erunt, juxta quotationem per eandem Sacroſanctam Synodum jam factam & per alias ejus Litteras eis notificandam, omni tamen indebitâ exactione ceſſante, exigere & colligere, ac de receptis & habitis, per eum vel eos, eiſdem Commiſſariis, vel aliis per eos vel ſaltem eorum duos eidem receptori nominandos, tradere & ſolvere habeant, deputandi.

Ipſique receptori aſſerendo eis litteras commiſſionum ſuarum, & quietancias de eis quæ eiſdem perſonis ſic nominandis perſolverint, pro toto ſi totum ſolverint, aliàs pro rata ſolutionis ejuſdem faciendæ & exhibendæ, eiſdem auctoritate & tenore deputat.

Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, etiam Sacrorum Conciliorum generalium (cum tanta neceſſitas nullis legibus ſubjacere debeat) nec non Statutis & conſuetudinibus Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum Regularium locorum, Capitulorum, Conventuum, Hoſpitalium, Congregationum & Univerſitatum, & aliorum locorum Eccleſiaſticorum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolicâ vel quavis alia firmitate roboratis, nec non quibuſcumque Appellationibus deſuper forſan interponendis; quas ex nunc prout ex tunc nullas nulliuſque nocumenti eſſe, eadem Sacroſancta Synodus decrevit; eorumque & ſingulorum eorumdem exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis & indultis, etiam auctoritate Apoſtolicâ conceſſis & approbatis, quorumcunque tenorum exiſtant, per quæ effectus impediri poſſet quomodolibet vel differri.

Quibus omnibus & ſingulis, in quantum præſentibus obviare poſſent, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda foret; illorum tenores hujuſmodi pro expreſſis habentes, hac vice dum-taxat (illis aliàs in ſuo robore permanſuris) eodem tempore & tenore ipſa ſacroſancta Synodus derogavit, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Aut ſi Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Abbatiſſis, Conventibus, Hoſpitalium Magiſtris, Capitulis, Congregationibus, eorumque ac aliis prædictis perſonis, vel quibuſvis aliis, communiter vel diviſim, ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de Indulto hujuſmodi mentionem.

Voluit tamen eadem Sacroſancta Synodus, ac eiſdem auctoritate & tenore decrevit, conceſſionem & impoſitionem hujuſmodi nullo unquam tempore ad conſequentiam aliquam vel exemplum aliud pro futuro hiis temporibus, à quibus Deus tantam hominum perfidiam & perſecutionem auferre dignetur (prout etiam idem Chriſtianiſſimus Rex pro ſe & ſuis Succeſſoribus ſponte voluit & declaravit) trahi minimè poſſe vel debere, calicesque, libros, jocalia, & alia ornamenta Eccleſiaſtica cultui Divino deputata, vel alias res ſacras, propterea minimè diſtrahenda fore vel quomodolibet occupanda. Clauſulæ ſine conſequentia.

Tranſumptis quoque prædictis, ſic ut præfertur ſubſcriptis, & ſigillatis, fidem indubiam ubique adhibendam eſſe, ac ſi eidem præſentes originales preſentatæ forent vel exhibitæ. Quodque ſi contingat (quod abſit) aliquem ex prædictis, vel aliis perſonis prædictis aliquam, ſuſpenſionis, interdicti, excommunicationis aut alias ſententias cenſuras & pœnas prædictas, ob non ſolutionem vel aliàs ratione præmiſſorum & dependentium ab eiſdem, incurrere, iidem Com-

* GUILLELMUS BRIÇONNET Cardinalis Archiepiſc. Narbonenſ. & ante Remenſis.

† PETRUS DE SACIERGES

* ÆGIDIUS DE LUXEMBURGO.

Digitized by Google

Commiſſarii eis, prævia tamen ſatisfactione, beneficium abſolutionis ejuſdem Sacroſanctæ Synodi auctoritate impendere valeant.

Datum Lugduni, in Congregatione noſtra generali, habita in aula Palatii Archiepiſcopalis Lugdunenſis, Nonis Julii; annò à Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo duodecimo. 1512.

Sic ſignatum: N. *Chalmote* * Sacri Concilii Prothonotarius.

* *Nicolaus Chalmot.*, J. U. Doctor Orator & Vice-Cancellarius Academiæ Pictaviensis.

IV. *Epiſtola Prælatorum, Lugduni in Conciliabulo ſedentium, ad Cardinalem Philippum à Luxemburgo Epiſcopum Morinenſem die 7 Julii 1512; quâ eum rogant, ut pro quota Diœceſis ſuæ Morinenſis curet perſolvi ſummam 3300. librarum Turonenſium, ad opus tum Ludovici XII. Regis Galliæ, tum ipſius Concilii.*

SACRO-SANCTA generalis Sinodus Piſana, in Spiritu Sancto legitimè congregata, univerſalem Eccleſiam repræſentans, & Lugdunum ad tempus tranſlata, Venerabili Fratri Epiſcopo Morinenſi ſalutem, & omnipotentis Dei benedictionem.

Hodie ſiquidem eadem Sacroſancta Sinodus attentius conſiderans, quod Regnum Franciæ in præſenti undique per potentiſſimos Principes injuſtè invadebatur & lædebatur, & à nonnullis aliis non minus potentibus invadi viſibiliter formidaretur, eſſetque propterea Chriſtianiſſimo & Chariſſimo Eccleſiæ Filio *Ludovico* Francorum Regi, prout nobis inſtanter expoſuit, ſubventionis auxilium, ut ad defenſionem Regni & Eccleſiarum ipſius fortior conſiſteret, valde neceſſarium, ſimulque de aliquali ſuſtentatione Sacroſanctæ Sinodi, ut manuteneri poſſet, providendum exiſtat; eidem Regi, ad extinguendum tantum incendium, ducentarum octuaginta, & dictæ Sacroſanctæ Sinodo pro ejus ſuppoſitorum aliquali ſuſtentatione, hujuſmodi quadraginta millium librarum Turonenſium, ſuper & fructibus & emolumentis Eccleſiaſticis tunc expreſſis; per ſuas litteras, (quarum copiam præſentibus manu publicâ ſubſcriptam parvoque Sigillo ejuſdem Sacroſanctæ Sinodi munitam, tibi deſtinamus,) conceſſit & impoſuit, juxta providam per eam deſuper habitam deliberationem, per ſingulas ipſius Regni Diœceſes colligendam.

Ipſaque Sacroſancta Sinodus Dioceſim veſtram, Menſâ veſtrâ Epiſcopali comprehenſâ, ad *tria millia & tricentas libras Turonenſes*, ex deliberatione prædicta taxavit ſeu quotavit, ac Commiſſarios deſuper, qui receptorem conſtituere poſſint, deputavit.

Taxa Diœceſis Morinenſis.

Quo-circa eadem Sacroſancta Sinodus circumſpectioni tuæ, de qua in hiis & aliis plenam in Domino fiduciam obtinet, tenore præſentium, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit atque mandat, quatenus vocatis exemptis & aliis non exemptis, qui tibi vocandi videbuntur, taxationem & quotationem prædictas inter te & Eccleſias & Capitula Monaſteriaque & alia Regularia loca Virorum & Mulierum, aliaſque perſonas Eccleſiaſticas, in eiſdem litteris mencionata & expreſſa, omni odio & timore vel favore ceſſante, ſed æquâ charitatis lance penſatâ dividas. Eiſdemque ſic diviſis omnes & ſingulos, qui ad earum ſolutionem tenebuntur, quantum tangere poterit, ad illorum ſolutionem, infra unius menſis ſpacium in eiſdem litteris ad hoc ex certis & evidentibus cauſis præfixum, per Cenſuram Eccleſiaſticam, authoritate ejuſdem Sacroſanctæ Sinodi, invocato etiam ad hoc, ſi expedire videbitur, auxilio brachii ſæcularis, cogas & compellas.

Portionemque te contingentem & illa quæ ab aliis receperis, eidem Receptori juxta Ordinationem eorumdem Commiſſariorum deſuper habendam tradas & aſſignes; quibus ſic traditis & aſſignatis, quictanciâque per ipſum Receptorem cum ipſorum Commiſſariorum Ordinacione hujuſmodi per te recepta & habita, eadem Sacroſancta Sinodus ſe de ſic per te receptis & demum eidem Receptori traditis & ſolutis quictam & liberam, ex nunc prout ex tunc eſſe vult & decernit.

Non obſtantibus omnibus illis, quæ eadem Sacroſancta Sinodus in eiſdem Litteris voluit non obſtare; aut ſi prædictis contribuere debentibus vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim Apoſtolicâ ſit Sede indultum, quod interdici vel ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per Litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Lugduni in Congregatione noſtra generali, habitâ in aula Palatii Archiepiſcopalis Lugdunenſis, Nonis Julii, anno à Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo duodecimo.

Sic ſignatum: N. Chalmote, Sacri Concilii Protonotarius: & Prevoſt, Sacri Concilii Notarius.

Hæc Acta, nunquam antehac edita, cum Belgium noſtrum etiam concernant viſum fuit huic Collectioni Diplomaticæ inſerere: quia vix ullus Auctor Res in Conciliabulo Pitano

geſtas evulgavit, præter Calvinianum quemdam, qui aſſumpto nomine *Melchioris Mondier*, anno 1612. typis Pariſienſibus edi curavit librum in 4. hujus tituli : *Acta primi Concilii Piſani celebrati ad tollendum Schiſma &c.* In quo quidem libro referuntur etiam ſequentia.

I. *Edictum Maximiliani I. Imp. pro Convocatione Concilii Piſani.*

II. *Epiſtola duæ Maximiliani Imp. ad Patres Mediolani conſtitutos.*

III. *Apologia illius Concilii*, authore Philippo Decio J. C. Mediolanenſi.

IV. *Dialogus in morte Julii II. Pont.* (totus impius :) cui titulus, JULIUS. Cenſuit aliquando Doctiſſ. Stephanus Baluzius Dialogum hunc fuiſſe ab Eraſmo confictum : nec ſtylus diſcordat.

Porro de hiſce Actis agit etiam P. Harduinus Tomo IX. Conciliorum Generalium, pag. 1559.

Fuit autem Conciliabulum Piſanum ſequela alterius Pſeudo-Synodi Turonenſis anno 1510 juſſu Regis Ludovici XII. contra Julium II. Pontificem in Gallia celebratæ. Inchoatum fuit Piſis die 16 Maii 1511, faventibus tunc Maximiliano I. Imp. & Rege Ludovico XII.

Præſentes fuere Cardinales quatuor, Carvajalius Hiſpanus, & Briçonnetus, de Pria & de Albreto, Galli ; item alii tres procuratorio nomine, nempe Luxemburgius, Gallus, Borgia Hiſpanus, & Sancti-Severini, Italus, item circiter ſexdecim Epiſcopi & Abbates, ſed omnes Galli. Citatus fuit Julius II. Pontifex, ac paulò poſt ab omni juriſdictione pontificia ſuſpenſus. Eodem anno 1511 Conciliabulum hoc tranſlatum eſt Piſis Mediolanum, indeque Lugdunum. Sed & Maximilianus Imp. Acta omnia Piſani Concilii revocavit & irrita reddidit : & Julius II. anno 1512 Romæ Concilium Lateranenſe Oecumenicum inchoavit ad extirpationem illius Schiſmatis, quod ſub Leone X. Julii ſucceſſore abſolutum eſt. In ſecunda autem Seſſione lecta eſt Bulla condemnationis & reprobrationis dicti Conlii Piſani, omniumque Actorum illius. Vide *Spondanum*, & alios.

Inter Litteras Ludovici XII. Galliæ Regis, anno 1712 Bruxellis impreſſas, extant Tomo II. pag. 235. 238. & 305. Anecdota quædam latinè edita, ad idem Conciliabulum Piſanum pertinentia : nimirum

I. Epiſtola trium Cardinalium ad Carolum Archiducem Auſtriæ, Hiſpan. Regem, de Convocatione Concilii Piſani Kal. Septembr. 1511.

II. Similis argumenti Epiſtola ad Margaretam Belgii Gubernatricem.

III. Epiſtola Henrici VIII. Angliæ Regis ad Maximilianum I. Imp. quâ eum rogat, ut a convocatione Piſana recedat, & Julio II. legitimo Pontifici adhæreat. Dat. Menſe Julio 1511. Porro nihil poteſt legi magis orthodoxum, quam hæc verba Henrici Regis. Utinam in eâ ſententiâ perſtitiſſet !

CAPUT LXXV.

JULIUS II. *Pontifex Eccleſias Secundarias Civitatis ac Diœceſis Leodienſis, tam in Dominio Caroli Archiducis, Brabantiæ Ducis &c. ſitas, quam eidem non ſubjectas, eximit à Juriſdictione Leodienſis Epiſcopi anno* 1512. *Idemque confirmat Papa* LEO X. *anno* 1514.

Originale extat in Archivis Capituli D. Petri Lovanii.

LEo Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Abbati Monaſterii B. Mariæ Parcenſis & Sti. Rumoldi Mechlinienſis, Leodienſis & Cameracenſis Diœceſis, ac Colomenſis & Trajectenſis Decanis Eccleſiarum, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Dudum à felicis recordationis JULIO Papa ſecundo Predeceſſore noſtro emanarunt Litteræ tenoris ſequentis.

Julius Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito paſtoralis officii, Nobis meritis licet inſufficientibus ex alto commiſſi, ad ea libenter intendimus, per quæ perſonarum Eccleſiaſticarum quomodolibet commodis, utilitatibus, ſecuritati, & quieti valeat ſalubriter provideri, & diſponimus & ordinamus, prout id in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Sane pro parte dilectorum Filiorum Decanorum & Capitulorum omnium & ſingulorum Collegiatarum Eccleſiarum Civitatis & Diœceſis Leodienſis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet omnes & ſingulæ Eccleſiæ prædictæ, illarumque Decani & Capitula ac ſinguli Canonici ac perſonæ illis ſuppoſitæ à tanto tempore & citra (cujus contrarium in hominum memoria non exiſtit) fuerunt & ſunt ab omni Juriſdictione & Superioritate, viſitatione, procuratione, correctione, dominio & poteſtate Epiſcopi Leodienſis pro tempore exiſtentis, ſuorum Vicariorum & Officialium penitus exempta, libera, & Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjecta ; ita quod Epiſcopi Leodienſes, Vicarii & Officiales predicti, etiam ratione delicti, contractûs, vel rei, de illis tanquam exemptis & liberis nullatenus ſe intromiſerunt.

Quia tamen multæ ex dictis Eccleſiis etiam parochiales exiſtunt, & nonnullæ ex perſonis dictarum Eccleſiarum Collegiatarum officia ab Epiſcopo Vicariis & Officialibus prædictis ſuſcipiunt, à nonnullis aſſeritur, ipſas Eccleſias & earum perſonas in his quæ curam populi parochiani concernunt, & ratione delictorum quæ dictas per-

ſonas in Officiis per eas ſuſceptis prædictis pro tempore committere contingit, pretextu dictæ conſuetudinis nequaquam fore exemptas & liberas; ac de exemptione libertate & immediata ejuſdem Sedis ſubjectione aliàs quam per longævam conſuetudinem hujuſmodi doceri non poteſt; Decani & Capitula prædicta dubitant, contra exemptionem & libertatem prætatas moleſtari poſſe tempore procedente.

Quare pro parte Decanorum & Capitulorum prædictorum, aſſerentium quod nimis grave eſſet, imò ſcandala plurima exinde provenirent, ſi ipſæ Eccleſiæ & earum perſonæ diverſo Jure, videlicet libertatis & ſubjectionis continerentur: ubi enim ſubjectæ eſſent, noverca juſtitiæ, propter odium libertatis in aliis in eas ſæviret & in eis ſingulis caſibus occurrentibus, aſſiduè dictæ longævæ conſuetudinis probatione arctarentur, & gravarentur.

Quodque nuper Venerabilis Frater noſter modernus Epiſcopus Leodienſis certum Canonicum unius ex dictis Eccleſiis ratione aſſerti ſeu pretenſi delicti, per illum ut Procuratorem cauſſarum Curiæ dicti Epiſcopi, non autem ut Canonicum ejuſdem Eccleſiæ commiſſi, conatus fuit punire ſeu corrigere, & in eum Juriſdictionem exercere, & dictus Canonicus ſe dicta exemptione tuetur; & illius ac forſan aliquarum aliarum ex dictis Eccleſiis perſonarum, earundem viſitationum ſeu alia quavis occaſione vel cauſa, diverſæ lites & cauſæ coram certis Judicibus tam in Romana Curia quam extra eam inter modernum Epiſcopum & Capitula omnium Eccleſiarum hujuſmodi pendent.

Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictæ conſuetudini pro illius ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ Confirmationis adjicere, eamque ac omnia & ſingula ea, etiam quæ curam populi parochiani & delicta in dictis Officiis pro tempore commiſſa concernunt, extendere & ampliare, & omnes ac ſingulas Eccleſias illarumque Decanos & Capitula & ſingulos Canonicos & perſonas prædictas ab omni Juriſdictione, ſuperioritate, correctione, dominio & poteſtate, viſitatione, procuratione, ſubſidiis, jucundis adventibus, impoſitionibus & decimis ſive precariis dicti moderni & pro tempore exiſtentis Epiſcopi Leodienſis, nec non quorumcumque aliorum Archiepiſcoporum & aliorum Ordinariorum Judicum ac omnium Capitulorum Provincialium, Synodalium aliorumque Superiorum quavis auctoritate fungentium ſuorumque Vicariorum, Officialium Procuratorum Nuntiorum & Commiſſariorum de novo prorſus eximere ac totaliter liberare, ac Nobis & dictæ Sedi dumtaxat immediate ſubjicere, ac aliàs in præmiſſis oportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur Decanos & Capitula hujuſmodi ac ipſorum Capitulorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis ſuſpenſionis & interdicti aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis Cenſuris & pœnis à Jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, dictarumque cauſarum ſtatus preſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Conſuetudinem prædictam auctoritate Apoſtolica & ex certa ſcientia & tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac præſentis Scripti patrocinio communimus.

Supplemuſque omnes & ſingulos defectus tam Juris quam facti, ſi qui forſan intervenerint in eadem, ipſamque conſuetudinem ad omnia & ſingula ea quæ curam populi parochiani & delicta in dictis Officiis pro tempore commiſſa concernunt, extendimus & ampliamus.

Nihilominus pro potiori cautela, omnes & ſingulas Eccleſias illorumque Decanos Capitula, ſingulos Canonicos & perſonas prædictos ab omni Juriſdictione, ſuperioritate, correctione, dominio, poteſtate, viſitatione, procuratione, ſubſidio, jucundis adventibus, impoſitionibus & decimis ſive precariis ejuſdem moderni & pro tempore exiſtentis Epiſcopi Leodienſis nec non quorumcumque aliorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum Ordinariorum & Superiorum omniumque Provincialium & Synodalium quavis auctoritate fungentium ſuorumque Vicariorum Officialium Procuratorum Nunciorum, & Commiſſariorum prędictorum, de novo prorſus eximimus & totaliter liberamus, ac nobis & dictæ Sedi duntaxat immediate ſubjicimus.

Ita quod ipſi Archiepiſcopi, Epiſcopi & alii Judices & Superiores eorumque Vicarii Officiales Procuratores Nuncii & Commiſſarii præfati aut eorum aliqui, etiam prætextu quarumvis Litterarum dictæ Sedis quaſcumque clauſulas derogatoriarum derogatorias in ſe continentium, ſeu etiam Ordinaria vel alia quacumque auctoritate pro tempore ſuffulti, in Eccleſias earumque Decanos & Capitula ſingulosque Canonicos & perſonas hujuſmodi aut eorum aliquem, utpote prorſus exemptos etiam ratione delicti contractus vel rei de qua ageretur, ubicumque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipſa conſiſtat, Juriſdictionem Superioritatem Viſitationem Procurationem Correctionem Dominium vel Poteſtatem aliquo modo exercere, aut in eos ſeu eorum aliquem excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti ſeu quaſvis alias ſententias cenſuras & pœnas promulgare nequeant quoquo modo.

Sicque per quoſcumque Judices, Commiſſarios Delegatos Subdelegatos & Cauſarum dicti Palatii Auditores ac Stę. Roma-

Digitized by Google

næ Ecclesiæ Cardinales tam in dicta Curia quam extra eam à quibuscumque causis & quavis earum instantia nunc & pro tempore pendentibus interpretari, sententiari, judicari & definiri debere, sublata eis & cuilibet eorum quavis alia & aliter interpretandi judicandi & sententiandi potestate facultate & auctoritate.

Omnesque & singulos processus sententias censuras & pœnas, quos & quas per Episcopos, Archiepiscopos & alios Ordinarios Judices superiores, eorumque Vicarios, Officiales, Procuratores, Nuncios & Commissarios prædictos, seu eorum aliquem haberi institui aut promulgari nec non quidquid secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter fieri & attentari contigerit, & quæcumque pro tempore inde secuta, nulla irrita & inania nulliusque roboris vel momenti fore & esse decernimus.

Nec non duos, unum scilicet per Civitatis, & alterum per Diœcesis Leodiensis Ecclesias prædictas, pro Ecclesiis extra Dominia Archiducis Austriæ & Brabantiæ pro tempore existentibus,

Ac duos alios ex Decanis supradictis pro omnibus Ecclesiis sub dictis Dominiis dictę Diœcesis assumendos in Visitatores dictarum Ecclesiarum constituimus & deputamus, qui in illis circa illarum personas, tam in capitibus quam in membris quoties oportunum fuerit, debitæ Visitationis officium auctoritate nostra exercere valeant; Ordinarii loci & cujuslibet alterius licentia super hoc minimè requisita.

Ac Sti Petri Leodiensis & ejusdem Sti. Petri Lovaniensis, ac S. Johannis Buscoducensis dictæ Diœcesis Ecclesiarum Decanis nunc & pro tempore existentibus & eorum cuilibet in solidum, ut quascumque personas Ecclesiarum prædictarum à sententia excommunicationis quam ob violentam in personas Ecclesiasticas manuum injectionem incurrere pro tempore contigerit, nec non à quibuscumque earum peccatis, excessibus, criminibus & delictis, de quibus vere corde contriti & ore confessi fuerint, dummodo eidem Sedi specialiter reservata non existant, vel talia non sint propter quæ dicta Sedes veniat merito consulenda, in forma Ecclesiæ consueta, dicta auctoritate absolvere eisque pro modo culpæ pœnitentiam salutarem injungere, ac cum eis super omnibus & singulis quibus dictus Episcopus Leodiensis pro tempore existens quacunque auctoritate posset dispensare, & quibuscumque Sacerdotibus secularibus vel cujuslibet Ordinis regularibus, & curam populi seu alia Privilegia desuper non habentibus vices suas in genere vel in specie committere & subdelegare valeant, plenam & liberam licentiam & facultatem concedimus.

Non obstantibus litibus, causis & aliis præmissis, à felicis recordationis Innocentii Papæ IV. Prædecessoris nostri contra Exemptos, quæ incipit *Volentes*: & quibuslibet aliis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis nec non Litteris prædictis, ac dictarum & Leodiensium Ecclesiarum juramento Confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis Statutis & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis & Litteris Apostolicis Ecclesiis prædictis aut aliàs quovis modo, & Motu proprio & ex certa scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine & Consistorialiter & sub quibuslibet verborum formis & expressionibus & cum quibuslibet etiam derogatoriarum derogatoriis fortioribus efficacioribus & insolitis clausulis irritantibusque & aliis Decretis concessis, ac etiam per nos & dictam Sedem etiam iteratis vicibus approbatis innovatis & de novo similiter concessis.

Quibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus plena expressa specialis specifica & individua ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio habenda, aut alia requisita forma servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat expresse & specialiter derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, quod præsentium litterarum transsumpto manu alicujus publici Notarii subscripto & sigillo alicujus Episcopi vel Episcopalis aut superioris Curiæ munitis ea prorsus fides ubique in judicio & extra adhibeatur, quæ adhiberetur originalibus litteris si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo homini liceat hanc Paginam nostræ absolutionis approbationis confirmationis, communitionis suppletionis extinctionis ampliationis, exemptionis liberationis decreti concessionis derogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo duodecimo, tertio Idus Augusti, 1512.
Pontificatûs nostri Anno nono.

Quo circa discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel tres seu duo vel unus vestrûm, per vos vel alium vel alios præmissa ubi quando & quoties opus fuerit & pro parte Decanorum Capitulorum Canonicorum & personarum Collegiatarum Ecclesiarum prædictarum seu alicujus eorum pro tempore existentium fueritis requisiti, solenniter publicantes eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciatis auctoritate nostra eos &

quem

quemlibet eorum Litteris Julii Predeceſſoris ac approbatione, confirmatione, ſuppletione, extinctione, ampliatione, exemptione, liberatione, decreto, conceſſione, derogatione & voluntate ac aliis premiſſis pacifice frui & gaudere.

Non permittentes eos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebite moleſtari, contradictores quoſlibet & rebelles per Cenſuram Eccleſiaſticam & alia Juris oportuna remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus omnibus ſuprà dictis, aut ſi aliquibus communiter aut divisim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem. Acceſſit Placetum Caroli V. anno 1526.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo quarto-decimo, tertio Kalendas Maii, Pontificatus noſtri anno ſecundo. 1514.

CAPUT LXXVI.

LEO X. *Pont. decernit ſolis Reliquiis S. Huberti, quæ in Andaginenſi Benedictinorum Abbatiâ eidem Sancto Præſuli dicatâ exiſtunt, religioſum cultum exhibendum eſſe; vetat eaſdem Reliquias aliò tranſportari &c. ſub pœnâ excommunicationis Anno* 1515.

Ex Archivis Abbatiæ S. Huberti.

LEO Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Sancti Martini Colonienſis, Sancti Jacobi Leodienſis, ac Sancti Simphoriani Meten. Monaſteriorum Abbatibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Hodie à Nobis emanarunt Litteræ tenoris ſubſequentis.

Leo Epiſcopus Servus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Injunctum Nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officium nos admonet, & inducit, ut ea quæ pro Monaſteriorum omnium manutentione, & perſonarum in illis ſub religionis jugo Domino in ejus beneplacitis famulantium, ac peregrinorum & aliorum pauperum piâ ſubventione proceſſiſſe dicuntur, ut firma perpetuò & illibata permaneant, cùm à Nobis petitur, Apoſtolico munimine roboremus, & alias in his ejuſdem officii partes favorabiliter impendamus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Sanè pro parte dilectorum filiorum moderni Abbatis & Conventus Monaſterii Sancti Huberti in Ardenna, Ordinis Sancti Benedicti Leodienſis Diœceſis, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod in Eccleſia prefati Monaſterii Venerabile Corpus ejuſdem Sancti Huberti Confeſſoris incorruptum, nec in aliqua ſui parte diminutum, prout oculata fide clarè conſtare dignoſcitur, honorificè reconditum exiſtit, & debita cum veneratione conſervatur. Corpus S. Huberti in corruptum.

Cujus meritis & interceſſione, ut piè creditur, Chriſti fideles ſe ibidem devoventes, interdum à demonibus obſeſſi, novem dierum intervallo, ſemotâ diuturniori morâ, liberantur: & rabiei contagione percuſſi, ac alii à morſibus canum rabidorum curantur, & quorum ſenſus quovis modo adempti ſunt, ad ſanitatem pristinam reſtituuntur, & quamplura alia evidentiſſima Altiſſimus inibi operari dignatur miracula. Miracula.

Ac in eadem Eccleſia una laudabilis utriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitas ſub invocatione ipſius Sancti Huberti inſtituta, & auctoritate Apoſtolicâ confirmata extitit: ipſumque Monaſterium in loco ſterili & arido, ubi nec triticum nec vina creſcunt, exiſtit, & per quatuor dietas à mari diſtat, ac propterea piſces ibidem rarò haberi, & pauperes peregrini in copioſo numero devotionis cauſa inibi pro tempore confluentes ſine Chriſti fidelium eleëmoſynis commodè ſuſtentari non poſſunt.

Et licet à tanto tempore, citra cujus initii hominum memoria non exiſtit, pro Religioſorum & perſonarum in eodem Monaſterio divinis obſequiis mancipatorum, & continuam hoſpitalitatem ſervantium, ac pauperum peregrinorum hujuſmodi ſuſtentatione & aliorum onerum eiſdem Abbati & Conventui pro tempore incumbentium ſupportatione per plures mundi partes & præſertim in provinciis circumvicinis quæſtæ ad honorem ipſius Sancti Huberti, per quas major in dies populi ad eundem Sanctum Hubertum accreſcit devotio, per Monachos ipſius Monaſterii, ſeu alias perſonas pro ipſo Monaſterio fieri conſueverunt, ac per Romanos Imperatores & Reges ac alios Principes permiſſi fuerunt.

Quare pro parte dictorum Abbatis & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conſuetudine quæſtandi & inſtitutioni Confraternitatis hujuſmodi robur Apoſtolicæ Confirmationis adjicere, ac alias in præmiſſis oportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur qui ex commiſſo nobis paſto-

rali officio ſingulos Chriſti fideles ad devotionem excitamus, ac Religioni dedi-tis necnon peregrinis & aliis pauperibus de oportunæ ſubventionis auxilio providere ſinceris deſideramus affectibus, modernum Abbatem & Conventum præfatos ac eorum ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, Cenſuris & pœnis à jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, conſuetudinem quæſtandi, ac inſtitutionem Confraternitatis hujuſmodi, necnon ipſius Confraternitatis ſtatuta & ordinationes, ac prout illa concernunt omnia & ſingula in inſtrumentis publicis & litteris deſuper forſan confectis contenta, necnon inde ſequuta quæcumque Apoſtolicâ auctoritate tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac illis perpetuæ firmitatis robur adjicimus, & illa firmiter obſervari debere decernimus, ſupplentes omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem,

Et nihilominus moderno & pro tempore exiſtenti Abbati dicti Monaſterii & Conventui præfatis, quod de cætero quæſtas hujuſmodi per ſe, vel deputatos ab eis, prout retroactis temporibus conſueverunt facere, & eleemoſynas Chriſti fidelium pro præmiſſorum ſubventione petere, exigere, percipere, ac fieri & poſtulari facere liberè ac licitè valeant, plenam & liberam eiſdem auctoritate & tenore facultatem concedimus, & pariter indulgemus.

Necnon venerabilibus fratribus noſtris univerſis & ſingulis Archiepiſcopis & Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, ac aliis quibuſcumque Prælatis ſæcularibus & regularibus, necnon locorum temporalibus Dominis, & Parochialium Eccleſiarum Rectoribus ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam, ſi contra fecerint, eo ipſo incurrant, & à qua nonniſi à Nobis, ſeu Sede Apoſtolica (præterquam in mortis articulo conſtituti) abſolvi poſſint,

Ut quæſtores Monaſterii ſancti Huberti hujuſmodi, ab illius Abbate pro tempore exiſtente & Conventu præfatis per eorum patentes Litteras pro tempore deputatos in eorum Diœceſibus, Territoriis, Parochialibus Eccleſiis, & locis aliis, de quibus fuerit opportunum, benignè recipiant, eiſque quæſtas ſuas hujuſmodi facere, & eleemoſinas poſtulare ac recipere, prout hactenus conſueverunt, permittant, & quoſcumque alios ſub ficto nomine ipſius ſancti Huberti pro quibuſcumque aliis locis quæſtas facere fatagentes prohibeant:

Necnon pro litteris permiſſionis, ſeu *Placet* nuncupatis, ab eiſdem quæſtoribus dicti Monaſterii in Ardenna, ultra unum florenum Rhenenſem, ſeu illius valorem recipere:

Ac ſub ſimili excommunicationis pœna, omnibus & ſingulis aliis Monaſteriorum Abbatibus, Eccleſiarum, Capellarum, ſeu aliorum locorum Rectoribus, ac perſonis aliis, ne quod partem Corporis dicti ſancti Huberti habeant, prædicare, illius occaſione, aut alias ſub nomine ejuſdem ſancti Huberti quæſtas facere de cætero præſumant, diſtrictiùs præcipiendo inhibemus.

Decernentes præſentes Litteras ſub quibuſvis ſuſpenſionibus & revocationibus ſimilium vel diſſimilium conceſſionum & facultatum quæſtandi & eleemoſynas poſtulandi, etiam ratione quarumcumque Indulgentiarum, etiam pro fabrica Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, aut Cruciata, ac Eccleſia Treverenſi pro tempore conceſſarum, & alias quomodolibet & ſub quibuſcumque tenoribus & formis ac clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis, & ex quibuſvis etiam quantumcumque urgentiſſimis cauſis, aut etiam motu proprio, & ex certa ſcientia factis & faciendis nullatenus comprehenſas eſſe, nec in futurum comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas cenſeri debere.

Irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attemptari; nonobſtantibus præmiſſis ac quibuſvis Apoſtolicis, necnon in Provincialibus & Synodalibus Conciliis, editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Cæterum quia difficile foret eaſdem preſentes ad ſingula, de quibus forſan fides facienda foret, loca deferre; volumus & dicta auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu Curiæ Eccleſiaſticæ munitis, eadem prorſus fides in judicio & alibi ubi opus fuerit adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis, adjicionis, decreti, ſuppletionis, conceſſionis, indulti, inhibitionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo quinto-decimo, pridie nonas Septembris, Pontificatus noſtri anno tertio. 1515.

Quo circa diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel

Digitized by Google

duo aut unus veſtrûm per vos vel alium, ſeu alios litteras præfatas, ac omnia & ſingula in eis contenta, ubi & quando expedierit, ac quotiens pro parte moderni & pro tempore exiſtentis Abbatis dicti Monaſterii & Conventus prefatorum fueritis requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciatis auctoritate noſtra litteras, & eis contenta hujuſmodi per cenſuras Eccleſiaſticas firmiter obſervari; non permittentes eoſdem Abbatem & Conventum deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari.

Et nihilominus eos, quos litteras & in eis contenta præfata minimè obſervaſſe, ac illis contraveniſſe vobis conſtiterit, Cenſuras hujuſmodi incurriſſe declaretis, & in eventum declarationis ejuſdem ac legitimis ſuper his ſervatis proceſſibus, Cenſuras ipſas quotiens opus fuerit iteratis vicibus aggravare curetis, & loca in quibus eos morari, ſeu ad quæ declinare contigerit, Eccleſiaſtico ſupponatis interdicto; contradictores quoſlibet & rebelles per eaſdem cenſuras, appellatione poſtpoſitâ compeſcendo; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

Nonobſtantibus omnibus ſupradictis, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo quinto-decimo, pridie Nonas Septembris, Pontificatus noſtri anno tertio. 1515.

CAPUT LXXVII.

LEO X. *Pont. Eccleſiam Parochialem Curtis majoris Begginagii Oppidi Sylvæducenſis unit in perpetuum Menſæ Capitulari Eccleſiæ Collegiatæ dein Cathedralis Sancti Joannis Evangeliſtæ ibidem, anno* 1517.

Ex Archivis Capituli Silvæd. in Capitulo Mechlin. aſſervatis.

LEO Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito Paſtoralis Officii, meritis licet inſufficientibus, ſupernâ diſpoſitione Nobis commiſſi, ad ea noſtræ ſollicitudinis ſtudium libenter convertimus, per quæ ſingulæ Eccleſiaſticæ, præſertim in Collegiatis inſignibus Eccleſiis divinis laudibus inſiſtentes perſonæ, pacis & quietis dulcedine potiantur, ac eis temporales correſpondeant facultates, ex quibus earum neceſſitatibus valeat congruè provideri.

Dudum ſiquidem omnia beneficia Eccleſiaſtica, cum cura & ſine cura apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia, & imantea vacatura, collationi & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus: decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper hiis à quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contingeret attemptari.

Cum itaque poſtmodum Parochialis Eccleſia Curtis majoris Begginagii, Oppidi Buſcoducenſis, Leodienſis Diœceſis, per liberam reſignationem dilecti Filii Rodolphi de Vries Canonici Eccleſiæ S. Johannis Evangeliſtæ dicti Oppidi, nuper ipſius Parochialis Eccleſiæ Rectoris, de illa quam tunc obtinebat, per dilectum filium Jacobum Huberti de Loemel Clericum dictæ Diœceſis, Procuratorem ſuum ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, in manibus noſtris ſponte factam & per Nos admiſſam, apud Sedem Apoſtolicam vacaverit & vacet ad præſens, nulluſque de illa præter Nos hâc vice diſponere potuerit ſive poſſit, reſervatione & Decreto obſiſtentibus ſupradictis;

Et ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum moderni Decani & Capituli, ac Magiſtri * Wilhelmi de Enckenvoert Notarii & Familiaris noſtri, etiam Canonici dictæ Eccleſiæ S. Johannis Evangeliſtæ petitio continebat, cum Decanus & Capitulum ejuſdem Eccleſiæ S. Johannis Evangeliſtæ pro tempore exiſtens partem oblationum quæ in præfata Parochiali Eccleſia pro tempore erogantur percipiant, ac ſuper perceptione oblationum hujuſmodi inter eoſdem Decanum & Capitulum ac Rectores dictæ Parochialis Eccleſiæ, qui pro tempore fuerunt, differentiæ ſæpiùs exortæ, dictique Decanus & Capitulum ex bellorum turbinibus, quibus partes illæ pluribus annis afflictæ fuerunt, plurima dampna paſſi fuerunt; ſi dicta Parochialis Eccleſia Menſæ Capitulari præfatæ Eccleſiæ S. Johannis Evangeliſtæ perpetuò uniretur, annecteretur & incorporaretur, ex hoc profecto differentiis hujuſmodi obviaretur, ac ipſorum Decani & Capituli tranquillo ſtatui, & pro oneribus eis pro tempore incumbentibus facilius ſupportandis, commoditati ſalubrius conſuleretur;

* Guilielmus ab Enckevoort, dein S. R. E. Cardinalis, Epiſc. Ultrajectenſ. Decanus Silvæduc. &c.

Digitized by Google

Pro parte Decani & Capituli, ac qui etiam Scriptor & Cubicularius nostri exiſtit Wilhelmi, prædictorum, asserentium fructus redditus & proventus dictæ Parochialis Ecclesiæ septem marcharum argenti puri, secundum communem æstimationem, valorem annuum non excedere: Nobis humiliter fuit supplicatum, ut eandem Parochialem Ecclesiam præfatæ Mensæ perpetuò unire, annectere, & incorporare, aliasque in præmissis opportunè providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum extimationem prædictam, etiam Beneficii, cui aliud uniri peteretur (alioquin Unio non valeret) & semper in omnibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, Decanum & Capitulum ac *Wilhelmum*, præfatos, & eorum singulos à quibusvis excommunicationis suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine quâvis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, nec non fructuum reddituum & proventuum dictæ Mensæ verum annuum valorem præsentibus pro expresso habentes;

Hujusmodi supplicationibus inclinati Parochialem Ecclesiam prædictam, cui etiam Cura mulierum, *Begginarum* nuncupatarum, in Parochia ejusdem Parochialis Ecclesiæ degentium, imminet animarum, sive præmisso sive alio quovis modo, aut ex alterius cujuscumque personâ, seu per similem resignationem dicti *Rodolphi*, vel cujusvis alterius de illa in Romana Curia vel extra eam, etiam coram Notario publico & testibus sponte factam, aut Constitutionem felicis recordationis Johannis Papæ XXII. Prædecessoris nostri, quæ incipit *Execrabilis*, vel assecutionem alteriùs Beneficii Ecclesiastici quâvis Authoritate Collati vacet, etiam, si tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem præfatam legitimè devoluta, ipsaque Parochialis Ecclesia dispositioni Apostolicæ specialiter vel aliàs generaliter reservata existat; & super ea inter aliquos lis (cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso) pendeat indecisa; dummodo ejus dispositio ad Nos hac vice pertineat; cum omnibus juribus & pertineat'; cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem Mensæ Authoritate Apostolicâ tenore præsentium unimus, annectimus & incorporamus.

Ita quod liceat eisdem Decano & Capitulo per se vel alium seu alios corporalem possessionem Parochialis Ecclesiæ juriumque & pertinentiarum prædictorum propriâ authoritate liberè apprehendere & perpetuò retinere, illiusque fructus redditus & proventûs in suos & Mensæ ac Parochialis Ecclesiæ prædictorum usus & utilitatem convertere.

Nec non eidem Parochiali Ecclesiæ per Presbyterum ydoneum sæcularem, ad hoc per ipsos Decanum & Capitulum deputandum, & ad eorum nutum, quotiens voluerint amovendum, in divinis deservire, & animarum Curam illi imminentem exerceri facere; Diocesani loci, & cujusvis alterius licentiâ super hoc minimè requisitâ. Vicarius Amovibilis.

Non obstantibus priori voluntate nostra prædictâ, ac piæ memoriæ Bonifacii PP. VIII. etiam Prædecessoris nostri, & aliis Apostolicis Constitutionibus contrariis quibuscumque: aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis, in illis partibus, speciales vel generales dictæ Sedis vel Legatorum ejus litteras impetrarint: etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem & Decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum. Quas quidem Litteras & Processus habitos per easdem, ac inde secuta quæcumque ad dictam unitam Ecclesiam volumus non extendi: sed nullum per hoc eis quoad assecutionem Beneficiorum aliorum præjudicium generari.

Et quibuslibet aliis Privilegiis, Indulgentiis & Littèris Apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri: & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis; proviso quod propter unionem, annexionem & incorporationem prædictas, dicta unita Ecclesia debitis non fraudetur obsequiis, & animarum cura in ea nullatenus negligatur, sed ejus congruè supportentur onera consueta.

Nos enim, prout est, irritum decernimus & inane, si secus super hiis à quopiam quâvis authoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attemptari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam nostræ absolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis, & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo decimo septimo, Idibus Maii, Pontificatûs nostri anno quinto. 1517.

CAPUT LXXVIII.

Leo X. *Pontifex, anno 1518 Paſtoratum ſive Plebaniam Eccleſiæ Collegiatæ D. Gudilæ, Bruxellis, unit atque incorporat in perpetuum huic Capitulo.*

Ex Archivis Eccleſiæ D. Gudilæ.

LEO Epiſcopus Servus Servorum Dei. Ad exequendum paſtoralis officii debitum, vigilantibus ſtudiis intendere votis illis, per quę Eccleſiarum omnium, præſertim Collegiatarum inſignium, & perſonarum in illis divinis laudibus inſiſtentium ſtatui, & pro perſonarum illarum decentiore ſuſtentatione & commoditatibus valeat ſalubriter provideri, libenter annuimus, & prout expedire conſpicimus, favoribus proſequimur opportunis.

Dudum ſiquidem omnia Beneficia Eccleſiaſtica cum cura & ſine cura, apud Apoſtolicam Sedem tunc vacantia, & in antea vacatura Collationi & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus: decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contingeret attentari.

Cum itaque poſtmodum Plebania S. Gudilæ oppidi Bruxellenſis Cameracenſis Diœceſis, per liberam reſignationem dilecti filii Petri De Caſtillo, nuper ipſius Eccleſię Plebani, de illa (de qua alias tunc certo modo vacante Apoſtolica ſibi fuit authoritate proviſum illius poſſeſſione per eum non habita) in manibus noſtris ſponte factam,

Et per Nos (quaſcumque ſpeciales vel generales reſervationes etiam mentales, expectativas, & alias gratias, uniones, annexiones & incorporationes perpetuas vel temporales, ſuppreſſiones, extinctiones, & abſque conſenſu, coadjutorum deputationes, nominationes, nominandi & conferendi, uniendi, ſupprimendi & extinguendi, ac alia: citra tamen acceſſus & regreſſus facultates, litteras, mandata, & indulta quæcumque, etiam de dicta Plebania, etiam ſpecialiter, nominatim & expreſſè, etiam cum proviſionibus & aliis diſpoſitionibus etiam ex tunc, prout ex die vacationis illius, & è contra) quibuſvis perſonis, etiam Cardinalibus, ac noſtris & antiquis continuis Commenſalibus & Romanæ Curiæ Officialibus, etiam officia ſua actu exercentibus, & aliàs cujuſcumque dignitatis, ſtatûs, gradûs, ordinis vel conditionis exiſtentibus, & quacumque etiam Epiſcopali, Archiepiſcopali vel alia majore Eccleſię dignitate, & Cardinalatûs honore, ſeu mundana, etiam Reginali, Ducali, vel alia majore dignitate, honore, authoritate & excellentia fungentibus, etiam de quibus, aut quorum dignitate, præeminentia & honore ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua mentio habenda foret:

Seu in eorum, aut Eccleſiarum, Monaſteriorum, Menſarum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum aut Univerſitatum etiam Studiorum generalium favorem: etiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum aut aliorum Principum ſeu Prælatorum contemplatione vel intuitu, aut ob remunerationem laborum & obſequiorum, etiam Nobis & dictæ Sedi impenſorum, aut in recompenſationem jurium ceſſorum vel ablatorum, ſeu quavis alia quantumcumque grandi, maxima urgentiſſima & excogitabili cauſa, & aliàs quomodolibet, etiam motu proprio & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis; etiam Conſiſtorialiter, & cum quibuſvis antelationibus, ſuſpenſionibus, modificationibus, exceptionibus, atteſtationibus, derogationibus, & aliis efficaciſſimis & inſolitis etiam derogatoriarum derogatoriis clauſulis, etiam talibus quod illa nullatenus, aut non niſi ſub certis modo & forma in his contentis, ſuſpendi vel limitari poſſint, irritantibuſque,

Et quod illa ex tunc verè & non fictè effectum fortita ſint, & illis quibus jus in re quæſitum ſit, illoque Beneficio Regulæ de non tollendo jus quæſitum, gaudere, ac gratiæ ipſæ inter eos & nos & Sedem eandem, vim initi Contractus habere debeant: ac aliis Decretis, & aliàs ſub quacumque forma & expreſſione verborum per nos & Sedem eandem conceſſas & conceſſa hactenus.

Eorumque omnium vim & effectum, etiamſi de illis ipſorumque totis tenoribus & datis expreſſa mentio diſpoſitè fieri deberet: alioquin quævis diſpoſitiones de Beneficiis ſub illis comprehenſis, & per nos pro tempore factæ pro nullis & infectis habeantur, hujuſmodi tenores formas & datas, ac decreta in illis appoſita pro ſufficienter expreſſis habentes & ſuſpendentes, & in hujuſmodi vacatione effectum ſortiri aut locum ſibi vendicare non poſſe nec debere decernentes) admiſſam, apud Sedem prædictam vacaverit & vacet ad præſens.

Et ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Joannis Decani & Capituli dictę Eccleſiæ Stæ. Gudilæ petitio continebat; cum Plebanus ejuſdem Eccle-

Vide Bullam Eugenii V Pont. ad an. 1435 supràs.

siæ pro tempore existens (cui onus curæ animarum parochianorum dictæ Ecclesiæ, quæ etiam parochialis est, eidem Plebaniæ imminentis incumbit) & qui ex Indulto seu Statuto Apostolico in utroque seu altero Jurium Doctor vel Licentiatus, aut in Theologia Baccalaureus Formatus esse, ac personaliter atque continuo residere, nec non juramentum desuper tempore acceptionis ipsius Plebaniæ, Decano pro tempore existenti ejusdem Ecclesiæ & præfatis Capitulo præstare debet seu tenetur;

Legatum unius Plebani.

Et cui alias quondam *Alexander de Beringhen*, olim dictæ Ecclesiæ Plebanus & in Decretis Licentiatus, in ejus ultimo quod condidit Testamento, certam domum retro atrium ejusdem Ecclesiæ constitutam & ad ipsum Alexandrum legitimè pertinentem, ac omnes libros tuos in eadem domo ponendos ac conservandos ac utendos, cum omnibus & singulis ipsius domus juribus & pertinenciis, sub censu inde exeunte per eum perpetuis temporibus futuris tenendam & possidendam.

Sic tamen, quod idem Plebanus pro tempore existens, & in ejus non residentia, vel absentia ejus durante, ejus Vice-Plebanus, ut dicti Parochiani illum pro sacrorum administratione & aliàs facilius invenire possint, domum ipsam continuo personaliter inhabitarent:

Prospectus Fundationis Lovanii.

Et sub conditione, si contingeret dictam Plebaniam incorporari vel supprimi, tunc Rectores seu Regentes Facultatum Canonici & Civilis Jurium Universitatis Studii generalis Oppidi Lovanienſis, Leodienſis Diœcesis, absque alia privationis sententia, Domum cum omnibus & singulis juribus & pertinentiis supradictis ac libros prædictos acceptarent & haberent; ipsamque domum plus offerenti venderent, & ex precio seu bonis inde provenientibus emerent aliam domum in dicto Oppido Lovanienſi, ad bonum aërem & convenientem sitam, ad locandum in ea quatuor studentes, unum videlicet in Theologia, duos in Jure Canonico, & quartum in Legibus, certo modo qualifi atos, & ad certum tempus inibi mansuros.

Quibus ex residuo precii sive bonorum domus tunc venditæ, hujusmodi provisio in expensis quotidianis juxta facultatem ipsius residui & aliorum forsitan bonorum advenientium fieret.

Præmissâ tamen ejusdem domus acquirendæ, in qua in eventum incorporationis seu suppressionis Plebaniæ hujusmodi præfatos libros reponi voluit, debita informatione & conservatione) legavit seu reliquit ultra communes obventiones ejusdem Plebaniæ quas solus percipit fere in omnibus proventibus Mensæ Capitularis ipsius Ecclesiæ, cum il ius Decano pro tempore existente & Capitulo præfato.

Ac propterea & aliàs, inter Plebanum pro tempore existentem, ac Decanum ac Capitulum variæ contentiones & differentiæ seu lites sæpius oriantur.

Si dicta Plebania, quæ dum pro tempore vacat ad Collationem, provisionem, præsentationem seu quamvis aliam dispositionem Decani & Capituli de antiqua & approbata hactenusque pacificè observata consuetudine pertinet, cum domo & libris, ac aliis omnibus bonis, juribus, pertinenciis, obventionibus & emolumentis suis, eidem Mensę Capitulari perpetuo uniretur, annecteretur & incorporaretur, ex hoc profecto contentionibus & differentiis obviaretur.

Et nedum Decani pro tempore existentis & Capituli prædictorum, pro eorum decentiore sustentatione, & onerum & hospitalitatis eis pro tempore faciliore supportatione, sed etiam ad Curam animarum hujusmodi exercendam, per eosdem Decanum & Capitulum pro tempore deputato pro Sacramentis ministrandis, ac pro illo ad ea ministranda evocando; & parochianorum prædictorum commoditatibus oportunè consuleretur;

Nobis fuit humiliter supplicatum, ut dictam Plebaniam præfatæ Mensæ, ut præfertur, perpetuo unire, annectere, & incorporare, aliasque in præmissis oportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum omnium valorem secundum æstimationem prædictam etiam Beneficii cui aliud uniri peteretur: alioquin Unio non valeret: & semper in Unionibus commissio fiat ad partes, vocatis vocandis quorum interest, *Joannem* * Decanum & Capitulum præfatos & eorum singulos à quibuscumque excommunicationis suspensionis &c. ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes,

* Erat Joannes Godefridi, à Wemeldingen, J. U. D. Lovan. & Conservator Privilegiorum Universitatis.

Hujusmodi supplicationibus inclinati, Plebaniam prædictam, quæ in dicta Ecclesia forsan Personatus, administratio vel officium existit, sive præmisso, sive alio quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona, sive per simplicem resignationem dicti *Petri*, vel cujusvis alterius, de illa in dicta Curia vel extra eam, etiam coram Notario publico & testibus sponte factam ac Constitutione felicis recordationis Joannis XXII. Papæ prædecessoris nostri, quæ incipit: *Execrabilis*: vel assecutionem alterius Beneficii Ecclesiastici quavis authoritate collati, vacet:

Etiam si tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis Concilii statuta ad Sedem prædictam legitimè devo-

luta ſit; ipſaque Plebania diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter vel aliàs generaliter reſervata exiſtat, & ad illam quis conſueverit per electionem aſſumi,

Super ea quoque inter aliquos lis (cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo) pendeat indeciſa : dummodo ejus diſpoſitio ad Nos hac vice pertineat;

Cum domo, ac illius juribus & pertinenciis, nec non libris per dictum *Alexandrum* olim (ut præfertur) legatis & relictis prædictis, ac omnibus aliis bonis, juribus & pertinenciis, obventionibus & emolumentis ad Plebaniam ipſam, tam infra limites Eccleſiarum ſubalternarum quàm aliàs nunc & pro tempore ſpectantibus pertinentibuſque ac pro illius ratione ſimiliter nunc & pro tempore quomodolibet provenientibus,

Eidem Menſæ Apoſtolicâ authoritate prædictâ, tenore præſentium perpetuò unimus, annectimus & incorporamus.

Ita quod liceat eidem Decano & Capitulo, per ſe, vel alium ſeu alios corporalem poſſeſſionem Plebaniæ & domûs, ac librorum bonorum, jurium, pertinentiarum, obventionum & emolumentorum prædictorum propria authoritate liberè apprehendere & perpetuò retinere, illiusque fructus, redditus & proventus in ſuos ac Menſæ ac Plebaniæ prædictorum uſus & utilitatem convertere, & inter Canonicos pro tempore reſidentes diſtribuere.

Nec non eidem Plebaniæ per aliquem ex Canonicis ipſius Eccleſiæ, ſeu alium Presbyterum idoneum, & juxta Indultum ſeu Statutum prædictum qualificatum, & ad eorum nutum ponendum & amovendum, in divinis deſerviri, & animarum Curam Parochianorum hujuſmodi exerceri facere; Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentiâ ſuper hoc minimè requiſitâ.

Non obſtantibus voluntate noſtra prædicta, ac piæ memoriæ *Bonifacii* Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris noſtri & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac dictæ Eccleſiæ juramento, Confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate alia roboratis Statutis & Conſuetudinibus :

Nec non conditione & voluntate *Alexandri* hujuſmodi, quibus ad hoc ſpecialiter & expreſſè derogamus, ſeu etiam illas in hoc commutamus; ac propter præmiſſa domum cum omnibus juribus & pertinenciis ſuis, & libros prædictos ad Regentes Facultatum hujuſmodi devolvi ſeu devenire, & à dictis Decano & Capitulo adimi nec poſſe nec debere.

Et ſic per quoſcumque Judices & Commiſſarios, etiam per Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & authoritate, judicari & ſententiari & definiri debere decernimus : contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis, de hujuſmodi vel aliis Beneficiis Eccleſiaſticis, in illis partibus ſpeciales vel generales dictæ Sedis vel Legatorum ejus Litteras impetraverint; & ſi per eas ad inhibitionem, & Decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum.

Quas quidem Litteras & Proceſſus habitos per eoſdem ac inde ſecuta quæcumque ad dictam Plebaniam volumus non extendi : ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Beneficiorum aliorum præjudicium generari.

Et quibuſlibet aliis Privilegiis, Indultis & Litteris Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant: per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta, effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri : de quibus quorumque tenoribus totis de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris Litteris mentio ſpecialis.

Volumus autem, quod propter Unionem, annexionem & incorporationem prædictas, dicta Plebania debitis non fraudetur obſequiis, & animarum Cura in ea nullatenus negligatur : ſed ejus congruè ſupportentur onera conſueta;

Et quod dicti libri in domo prædicta vel alia libraria per Decanum & Capitulum prædictos, pro uſu & ſtudio ſubditorum dictæ Eccleſiæ, juxta eorum providam Ordinationem deputandi reponantur & conſertur. Et inſuper irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper bis à quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel impoſterum contigerit attentari.

Nulli ergo omnino hominum &c.

Datum in Inſula Vincentii, Montis-flaſconenſis Diœceſis, anno milleſimo quingenteſimo-decimo octavo, Nonis Octobris, Pontificatûs noſtri ſexto. Et ſignatum ſuper plicam : *A. De Caſtillo.* 1518.

Bullam hanc Placeto ſuo Regio munivit Carolus Caſtellæ Rex (dein Imperator) per Litteras ſignatas Mechliniæ 19 Januarii ſequentis.

CAPUT LXXIX.

LEO X. *Pontifex in Ecclesia Collegiata Bergizomensi anno* 1519. *tres Capellanias convertit in totidem Canonicatus; qui vulgo* Lambertini *sive* Cuperiani *dicebantur, à suo Fundatore* Lamberto Cupers *hujus quondam Ecclesiæ Canonico.*

LEO Episcopus Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Sacrosanctæ, quam Dei Filius Dominus noster Jesus Christus Auctor ipse pietatis instituit, regimini præsidentes Ecclesiæ, pia & salubria fidelium vota, illa præsertim, per quæ Ecclesiarum Ecclesiasticarumque Personarum & locorum omnium decori & venustati consulitur, ac divini cultûs speratur augmentum, pii Patris affectione prosequimur; & ut optatum sortiantur effectum, opem libenter & operam (quantum nobis ex alto conceditur) impendimus efficaces, prout in Domino conspicimus expedire.

Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum *Marcelli Van Otterhoff* & *Henrici Vanderdult*, ac dilectæ in Christo filiæ *Corneliæ Cupers* mulieris relictæ quondam *Christiani* etiam *Van Otterhoff*, Executorum Testamenti quondam *Lamberti* etiam *Cupers* Ecclesiæ Sanctæ Gertrudis Oppidi supra Zomam Leodiensis Diœcesis dum viveret Canonici, & Nobilis Viri *Johannis de Bergis* Domini in temporalibus dicti Oppidi, ac *Johannis de Puteo* perpetui Capellani ad Altare Sancti Lamberti situm in dicta Ecclesia, petitio continebat,

Quod licet olim, cum dictus *Lambertus Cupers* & quondam *Ghisbertus de Womere* Presbyteri, tunc in humanis agentes, de propria eorum salute recogitantes, ac cupientes terrena in cœlestia, & transitoria in æterna felici commertio commutare, pro divini cultûs augmento, videlicet *Lambertus* duas pro duobus, qui octo, & *Ghisbertus* præfati aliam, perpetuas Cappellanias ad dictum Altare, pro alio inibi, perpetuis Capellanis, qui aliam Missam singulis hebdomadis in dicta Ecclesia respectivè celebrare tenerentur, fundassent, & erigi fecissent.

Illisque pro earum dote nonnullos sufficientes redditus ex propriis suis bonis perpetuò assignassent,

Dictusque *Lambertus* considerans defectus circa decantationem Horarum divinarum in eadem Ecclesia pro tempore occurrentes, voluisset & ordinasset, quod duo Canonici Nivellenses, ac tres Vicarii, aliàs Capellani novi nuncupati, ejusdem Ecclesiæ Presbyteri idonei & sufficientes, si in ipsa Ecclesia tempore decantationis Horarum hujusmodi interessent, nonnullas distributiones quotidianas per dictos tres Capellanos faciendas, & à quibus Decanus & alii Canonici dictæ Ecclesiæ secluſi forent, perciperent.

Quodque præfati tres Capellani dictos Vicarios, seu Capellanos idoneos ad cantandum Horas ad effectum lucrandi & percipiendi distributiones hujusmodi admittere; & si minus idonei forent, destituere possent.

Ac eisdem tribus Capellanis certas domos pro eorum habitatione, cum suis pertinentiis, & onere manutenendi alios quatuor pauperes, ad cantandum etiam in eadem Ecclesia divina Officia Presbyteros, qui similes distributiones perciperent, & quibus primo-dicti tres Capellani etiam congruam in eisdem domibus habitationem concedere tenerentur, reliquisset, certis annuis perpetuis redditibus ad distributiones hujusmodi faciendas, per eundem *Lambertum* deputatis & assignatis, præmissa omnia divini cultûs augmentum concernerent.

Et post Fundationem & Erectionem Capellaniarum hujusmodi, *Henricus* unam & *Johannes de Puteo* præfati aliam, per duodecim annos vel circa, Canonici; ac dilectus filius *Cornelius Varent* ad dictum Altare perpetui Capellani, reliquam, Capellanias hujusmodi per certum tempus tenuissent & possedissent, prout adhuc tenent & possident in præsenti; Missas prædictas (ut præmittitur) celebrari ordinatas, per se vel alios celebrando, ac alias ipsis Capellaniis bene & laudabiliter deserviendo, juxta voluntates Fundatorum earumdem.

Tamen postmodum venerabilis Frater noster Bernardinus Episcopus Sabinensis tempore Pontificatûs felicis recordationis Alexandri PP. VI prædecessoris nostri in partibus illis Sedis Apostolicæ de Latere Legatus, habens ad id (ut asserebat) ab eâdem Sede specialem per ejus Litteras facultatem. Vide supra pag. 87.

Illius prætextu, ad supplicationem dilectorum filiorum Decani & Capituli dictæ Ecclesiæ ex certis tunc expressis causis, tres prædictas, & nonnullas alias etiam perpetuas in eâdem Ecclesia Capellanias, (dictis Executoribus & Capellanis ad id non vocatis,

vocatis) eidem Menſæ perpetuò univit, annexuit, & incorporavit.

Ita quod cedentibus vel decedentibus dictarum Capellaniarum poſſeſſoribus, liceret præfatis Decano & Capitulo illarum corporalem poſſeſſionem per ſe vel alium ſeu alios propriâ auctoritate liberè apprehendere & perpetuò retinere, prout in Inſtrumentis & Litteris, tam fundatorum, quam Bernardini Epiſcopi, tunc Legati hujuſmodi, deſuper reſpectivè confectis, pleniùs dicitur contineri.

Cum autem poſtmodum, præfato Alexandro, ac illius Succeſſoribus piæ memoriæ Pio III., & Julio II., etiam Prædeceſſoribus noſtris, ſucceſſive (ſicut Domino placuit) ſortis humanæ conditione de medio ſublatis, Nos qui poſtmodum fuimus divinâ favente clementiâ ad ſummum Apoſtolatûs apicem aſſumpti, omnes Uniones, annexiones & incorporationes, de quibuſvis Beneficiis Eccleſiaſticis Apoſtolicâ vel aliâ quâvis auctoritate factas, quæ ſuum non erant ſortitæ effectum revocavimus; & propterea Unio annexio & incorporatio per Bernardinum Epiſcopum & tunc Legatum factæ hujuſmodi quoad tres primò dictas Capellanias effectum (ut aſſeritur) non ſortitæ, quatenus aſſertio prædicta vera ſit, nullius exiſtant roboris vel momenti.

Petitio Capituli pro Erectione horum trium novorum Canonicatuum.

Et ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi tres primò dictæ Capellaniæ perpetuò ſupprimerentur & extinguerentur, & ex illis in dictâ Eccleſiâ, (in qua nonnulli Canonicatus & Præbendæ jam fore noſcuntur) tres alii novi Canonicatus & tres aliæ novæ Præbendæ, pro tribus aliis novis ejuſdem Eccleſiæ Canonicis Præbendatis, qui onera Capellanis, dictas tres Capellanias obtinentibus, per ipſarum trium Capellaniarum fundatores earum ratione incumbere ordinata, ſupportare tenerentur, & ſtallum in choro, ac locum & vocem activam & paſſivam in Capitulo ejuſdem Eccleſiæ haberent, & almutiis, ac aliis inſigniis Canonicalibus (ad inſtar aliorum ejuſdem Eccleſiæ Canonicorum) uti poſſent, erigerentur & inſtituerentur.

Illiſque ſic tunc erectis, pro eorum dote fructus, redditus, & proventus trium Capellaniarum prædictarum reſpectivè applicarentur & appropriarentur.

Jus Patronatûs.

Ac ſi Jus Patronatûs & præſentandi Decano & Capitulo præfatis perſonas idoneas ad dictos erigendos Canonicatus & Præbendas, quotiens illos pro tempore (primævâ illorum vacatione dumtaxat exceptâ) vacare contingeret, præfato *Johanni de Bergis* & Succeſſoribus ſuis dicti Opidi in temporalibus Dominis perpetuò reſervaretur & concederetur; dictus Johannes de Bergis dotem trium Canonicatuum & Præbendarum erigendorum hujuſmodi condignè augmentaret;

Ac ex hoc profectò ejuſdem Eccleſiæ decori, & venuſtati ejuſdem Eccleſiæ, divinique cultûs in eâdem augmento longè magis conſuleretur; ac dictorum fundatorum piæ voluntates hujuſmodi; & onera tribus Capellaniis prædictis, ac earum poſſeſſoribus pro tempore exiſtentibus, illarum ratione incumbentia prædicta, melius adimplerentur & ſupportarentur.

Quare pro parte *Johannis de Bergis*, Marcelli & Corneliæ Executorum, ac Henrici & Johannis de Puteo Capellanorum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum; ut unionem annexionem & incorporationem per Bernardinum Epiſcopum, & tunc Legatum factas hujuſmodi, pro potiori cautela diſſolvere, ac de novo caſſare & annullare;

Nec non tres Capellanias prædictas perpetuò ſupprimere & extinguere, ac ex illis in dicta Eccleſia tres alios novos Canonicatus & præbendas erigere & inſtituere; aliàſque in præmiſſis oportunè providere; de benignitate Apoſtolicâ dignaremur.

Nos igitur, qui Eccleſiarum omnium; præſertim Collegiatarum inſignium decorem & venuſtatem, divinique cultûs augmentum ubique noſtris potiſſimè temporibus vigêre & augeri, ſinceris deſideriis affectamus; Johannem de Bergis, & Marcellum & Corneliam teſtamenti executores, ac Henricum & Johannem de Puteo Capellanos hujuſmodi, & eorum ſingulos, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, Cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quâvis occaſione vel cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes;

Hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Unionem annexionem & incorporationem per Bernardinum Epiſcopum & tunc Legatum factas hujuſmodi, quoad tres Capellanias, potiori pro cautela, prædictâ autoritate Apoſtolicâ tenore præſentium diſſolvimus, illaſque de novo caſſamus & annullamus, ac ipſas tres Capellanias, eiſdem auctoritate & tenore perpetuo ſupprimimus & extinguimus;

Ac ex illis ſic ſuppreſſis tres alios novos Canonicatus & Præbendas, in dictâ Eccleſiâ, pro tribus aliis novis ipſius Eccleſiæ Canonicis Præbendatis, qui Miſſas celebrare & alia onera eiſdem ſuppreſſis Capellaniis ante illarum ſuppreſſionem incumbentia, juxta Ordinationem Fundatorum hujuſmodi ſupportare, ac ſtallum in choro, locumque ac vocem activam & paſſivam in Capitulo ejuſdem Eccleſiæ habere debeant, nec non Almutiis, & aliis inſignis Canonicalibus in ſeſſionibus, proceſſionibus, & aliis actibus publicis & privatis, ad inſtar aliorum Canonicorum ejuſdem Ec-

Erectio trium novorum Canonicatuum, qui vulgò *Lambertini* dicebantur, à Fundatore Lamberto Cæpers.

cleſiæ, utantur, etiam perpetuò ſine alicujus præjudicio, erigimus & inſtituimus.

Illiſque ſic erectis, pro eorum dote fructus, redditus & proventus dictarum ſuppreſſarum Capellaniarum, quæ inſimul quadraginta Ducatorum auri de Camera ſecundum communem extimationem valorem annuum (ut etiam aſſeritur) non excedunt, ſimiliter perpetuò applicamus & appropriamus.

Jus Patronatûs conceſſum Domino Bergizomenſi.

Nec non Jus Patronatûs & præſentandi Decano & Capitulo Perſonas idoneas ad ſic de novo erectos Canonicatus & Præbendas hujuſmodi, quotiens illos ſimul vel ſucceſſivè (hac primâ vice dumtaxat excepta) per ceſſum vel deceſſum vacare contigerit, Jonanni de Bergis, dummodo, & poſtquam illorum dotem hujuſmodi uſque ad tertiam ejuſdem dotis partem auxerit, ac ſucceſſoribus ſuis præfatis (ipſorum Capituli contradictione non obſtante) etiam perpetuo concedimus & reſervamus.

Quo circa venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Caſertano, & dilectis filiis Abbati Monaſterii Parcenſis extra muros Opidi Lovanienſis, & Præpoſito Eccleſiæ Dinantenſis dictæ Leod. Diœceſis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo aut unus eorum, per ſe vel per alium ſeu alios, præmiſſa omnia & ſingula, ubi quando & quotiens expedire cognoverint, fuerintque deſuper pro parte *Johannis de Bergis*, & Executorum & Capellanorum prædictorum debitè requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtrâ præſentes Litteras & in eis contenta, perpetuis futuris temporibus inviolabiliter obſervari.

Non permittentes eos deſuper per quoſcumque, contra eorumdem præſentium tenorem, quomodolibet indebitè moleſtari; contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam & alia remedia Juris opportuna (appellatione poſtpoſitâ) compeſcendo, invocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachii ſæcularis.

Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non de certo Canonicorum numero, & aliis ejuſdem Eccleſiæ Statutis & conſuetudinibus, juramento, confirmatione Apoſtolicâ vel quâvis firmitate aliâ roboratis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, quod omnia & ſingula præmiſſa in concernentibus præfatum Cornelium, & Capellaniam ante ſuppreſſionem per eum poſſeſſam, hujuſmodi nullum, niſi dicto Cornelio cedente vel decedente, aut Capellaniam ipſam aliàs quomodolibet dimittente, ſortiri debeant effectum.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ abſolutionis, diſſolutionis, caſſationis, annullationis, ſuppreſſionis, extinctionis, erectionis, inſtitutionis, applicationis, appropriationis, ceſſionis, reſervationis, mandati & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo decimo nono, undecimo Kalendas Januarii, Pontificatûs noſtri anno ſeptimo. 1519.

CAPUT LXXX.

LEO X. *Pontifex Bruxellis novam Eccleſiam Parochialem S. Gaugerici erigit, anno* 1520, *ad inſtantiam Caroli V. Cæſaris, Margaretæ Gubernatricis, Cancellarii ac Senatus Brabantiæ, Conſulum ac Magiſtratûs Bruxell., incolarum &c. illiuſque limites, jura, fabricam aliaque decernit.*

Ex Archivis Eccl. D. Gudilæ Bruxellis.

LEO Epiſcopus Servus &c. Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ &c. Sane pro parte dilectorum Filiorum modernorum Cancellarii & Conſulum Ducalis Concilii Ducatus Brabantiæ, & Magiſtrorum Fabricæ Eccleſiæ, Capellæ nuncupatæ Sti. Gaugerici, Oppidi Bruxellenſis Cameracenſis Diœceſis, nec non ipſius oppidi oppidanorum & incolarum ſub regione & diſtrictu loci ejuſdem Sti. Gaugerici degentium, Nobis nuper exhibita petitio continebat,

Quod cum in dicto Oppido (quod inter alia dicti Ducatûs Brabantiæ Oppida & municipia admodum notabile & inſigne exiſtit, & tam magnitudine ambitus, quam populi multitudine à Civitate Colonienſi parum differt, ac in quo, propter loci amœnitatem, aëris temperiem, incolarumque civilitatem, Chariſſimus in Chriſto Filius noſter Carolus Romanorum Rex Illuſtris, qui etiam Dux Brabantiæ exiſtit, & ſui Progenitores, ejuſdem Brabantiæ Duces qui pro tempore fuerunt, à tempore hominum memoriam excedente, ſuam pro

Encomium urbis Bruxell.

majore parte reſidentiam facere ſoliti ſunt.)

Duæ Parochiæ tantùm Bruxellis.

Duæ tantum Parochiales Eccleſiæ, in quibus omnia Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrantur : una videlicet ſub B. Gudulæ, quæ etiam Collegiata, habens Decanum & plures Canonicos inibi Præbendatos & Plebanum, qui dilectorum filiorum illius Parochianorum curam exercet; & alia ſub B. M. de Capella invocatione, quæ ſimplex Parochialis, conſtructæ exiſtant;

Status aliarum Eccleſiarum.

Et dicta Eccleſia Stæ. Gudulæ tres ſub ſe, ſeu de illius pertinentiis exiſtentes Eccleſias, Capellas adjutrices nuncupatas (in quarum qualibet duo Rectores, Portionarii nuncupati, inibi per Decanum pro tempore exiſtentem, & dilectos Filios Capituli ipſius Eccleſiæ S. Gudulæ inſtituti, & ad nutum Plebani & Capituli prædictorum amovibiles, qui etiam Capellani & miniſtri ejuſdem Plebani dicuntur, & inibi Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta dumtaxat, de conſenſu ejuſdem Plebani adminiſtrant, eſſe conſueverunt, & de quarum numero dicta Eccleſia Sti. Gaugerici exiſtit,) in eodem Oppido habeat :

Situs parochiæ S. Gaugerici.

Ipſaque Eccleſia S. Gaugerici in inferiore & multum paludoſo ac quodammodo inſulari loco dicti Oppidi, inter duo flumina ſituata exiſtat, atque longos & latos limites, utpote à dicta Eccleſia D. Gudulæ per ſpatium duorum milliarium Italicorum vel circa diſtantes, ac amplam regionem ſive diſtrictum habeat;

An hæc omnia vera fuerint ignoro.

Et hyemali tempore plerumque, & ferè ſingulis annis, cauſantibus inundationibus dictorum fluminum, qui totalem ipſius Eccleſię S. Gaugerici viciniorem regionem, ſeu ejus majorem partem aquis ſeptam reddunt ſive circumdant; præfati Oppidani & incolæ abſque mortis periculo ſine naviculis ex Eccleſia S. Gaugerici & illius regione hujuſmodi dictam Eccleſiam D. Gudulæ pro Divinis audiendis & aliis Sacramentis Eccleſiaſticis, quæ in dicta Eccleſia D. Gaugerici miniſtrari non poſſunt, recipiendis, adire & ab eâ reverti nequeant.

Propter quę infantes baptizandi abſque ſacri Baptiſmatis ſuſceptione in via interdum deficiunt, & plerique infirmi abſque Extremæ-Unctionis Sacramento decedunt, ac mulieres pauperculæ, quæ in earum puerperiis non admodum lautè vivunt, ut res ipſa exigit, partum ſuum purgaturæ, in via quandoque etiam deficiunt, vel ad dictam Eccleſiam S. Gudulæ ſe conferre omittunt.

Mortuorum cadavera quoque per biduum ac triduum tempore inundationum hujuſmodi inſepulta manent, ſeu maximo pauperum diſpendio alibi ſepeliri coguntur : & alia multa incommoda contingunt, in animarum periculum, ac ipſorum oppidanorum ac incolarum maximam incommoditatem, illorumque devotionis ac divini cultus diminutionem.

Nota antiquitatem.

Si dicta Eccleſia Sti. Gaugerici (quæ multo vetuſtior Eccleſiâ prædictâ S Gudulæ exiſtit, & quam ſingulis annis Decanus & Capitulum præfati cum Clero ejuſdem Eccleſiæ S. Gudulæ Feriâ ſextâ ante Dominicam in Paſſione ſeu Palmarum proceſſionaliter viſitare, & inibi ſuum cantum Paſchalem, ut in vulgo dicitur, in ſignum certæ ſuperioritatis accipere & ſecum deferre conſueverunt) in Parochialem Eccleſiam cum Fonte Baptiſmali, Cæmiterio & aliis juribus & prœeminentiis ad Parochialem Eccleſiam pertinentibus, erigeretur & inſtitueretur,

Dictuſque locus S. Gaugerici cum illius diſtrictu hujuſmodi, à Parochia ejuſdem Eccleſiæ D. Gudulæ ſegregaretur & ſepararetur. Ac eidem Eccleſiæ S. Gaugerici ſic tunc erectæ, pro ejus limitata Parochia, nec non in loco & diſtrictu hujuſmodi nunc & pro tempore habitantes Chriſti fideles, pro illius Parochianis aſſignarentur & concederentur.

Olim duo Paſtores.

Ac quod de cætero dicta erigenda Eccleſia per illius modernos, & illis vitâ functis ſeu aliàs cedentibus, per duos alios illius Rectores perpetuos, qui ab illa (niſi juſta de cauſa) amoveri non poſſint, & æquales Portiones perciperent; ac Rectores Parochialis Eccleſiæ nominarentur & appellarentur, facultatemque & poteſtatem adminiſtrandi omnia & ſingula Sacramenta Eccleſiaſtica, ad inſtar Rectorum aliarum Eccleſiarum parochialium haberent : regi & gubernari.

Nec non annis ſingulis certa quota jurium ſacramentalium, ſepulturarum & aliorum emolumentorum ejuſdem erigendæ Eccleſiæ, quę pro illius gravibus & magnis ædificiorum & ſtructurarum molibus exiſtit erecta : & tum propter ædificii partim vetuſtatem, tum etiam ſoli ſeu fundi imbecillitatem ruinam minatur, Fabricæ hujuſmodi reſtaurationem, donec reparata fuerit, ad diſcretionem dicti moderni Cancellarii ac Mamburnorum ejuſdem Fabricæ pro tempore exiſtentium exponi deberet, ſtatueretur & ordinaretur :

Ipſique moderni & pro tempore exiſtentes ejuſdem erigendæ Eccleſiæ Rectores, ab omnibus ſubjectionibus & oneribus, quibus Eccleſiæ D. Gudulæ ſeu illius Plebano, aut Decano & Capitulo hujuſmodi quomodolibet tenentur, abſolverentur & liberarentur.

Jus Patronatûs.

Nec non Jus Patronatûs & præſentandi ſimul vel ſucceſſive duas perſonas idoneas ad Portiones erigendæ Eccleſiæ hujuſmodi, quoties illas etiam ſimul vel ſucceſſive per ceſſum vel deceſſum modernorum Rectorum hujuſmodi, ac aliàs quovis modo pro tempore vacare contigerit, Decano & Capi-

tulo, ſi in dictam Erectionem, poſtquam deſuper debitè requiſiti fuerint, conſenſerint: aliàs, pro tempore exiſtentibus Magiſtris Fabricæ hujuſmodi, Inſtitutio vero Epiſcopo Cameracenſi pro tempore exiſtenti reſervaretur & concederetur:

Ex hoc profecto animarum periculis hujuſmodi obviaretur, & illarum ſaluti conſuleretur, & incolarum & habitatorum prædictorum commoditatibus provideretur: idque ad divini cultus augmentum, & incolarum hujuſmodi ſpecialem conſolationem, & ipſius Oppidi Bruxellenſis decorem & venuſtatem cederet.

Quare pro parte, tam præfati CAROLI, qui etiam Caſtellæ & Legionis ac Arragonum & Siciliæ Rex exiſtit, & dilectę in Chriſto filiæ Nobilis Mulieris MARGARETÆ dicti Ducatus aliarumque Partium inferioris Germaniæ pro ipſo CAROLO Rege Adminiſtratricis, quam præfatorum modernorum Cancellarii & Conſulum ac Magiſtrorum Fabricæ, nec non Oppidanorum & incolarum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Eccleſiam S. Gaugerici prædictam in Parochialem Eccleſiam, cum Fonte Baptiſmali, Cœmiterio aliiſque juribus & pertinentiis ad Parochialem Eccleſiam pertinentibus, erigere & inſtituere,

Dictumque locum S. Gaugerici cum illius diſtrictu hujuſmodi à Parochia ejuſdem Eccleſiæ Sanctæ Gudulæ ſegregare & ſeparare: ac eidem Eccleſiæ S. Gaugerici ſic tunc erectæ, pro ejus limitata Parochia, nec non in loco & diſtrictu hujuſmodi nunc & pro tempore habitantes Chriſti fideles pro illius Parochianis aſſignare & concedere; ac quod de cætero dicta erigenda Eccleſia, per illius modernos, & illis vitâ functis ſeu aliàs cedentibus, per duos alios Rectores perpetuos (ut præfertur) regi & gubernari,

Ac annis ſingulis certa quota jurium Sacramentalium, ſepulturarum & aliorum emolumentorum ejuſdem erigendæ Eccleſię pro illis, ſeu ejus Fabricæ hujuſmodi reſtauratione, donec reparata fuerit, ad diſcretionem moderni Cancellarii ac pro tempore Magiſtrorum Fabricæ prædictorum exponi debeat, ſtatuere & ordinare,

Ipſoſque modernos & pro tempore exiſtentes ejuſdem erigendæ Eccleſiæ Rectores, ab omnibus ſubjectionibus & oneribus, quibus dictæ Eccleſiæ S. Gudulæ ſeu illius Plebano aut Decano & Capitulo hujuſmodi quomodolibet tenentur, abſolvere & liberare: nec non Jus Patronatûs & præſentandi ſimul vel ſucceſſivè duas perſonas idoneas ad Portiones hujuſmodi erigendæ Eccleſiæ, quoties illas etiam ſimul vel ſucceſſivè per ceſſum aut deceſſum modernorum Rectorum hujuſmodi, vel aliàs quovis modo pro tempore vacare contigerit, Decano & Capitulo, ſi in dictam Erectionem, poſtquam deſuper debitè requiſiti fuerint, conſenſerint: aliàs pro tempore exiſtentibus Magiſtris Fabricæ hujuſmodi, Inſtitutionem vero Epiſcopo Cameracenſi pro tempore exiſtenti, reſervare & concedere, aliàſque in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui omnibus Chriſti fidelibus periculorum materiam libenter ſubmovemus; ac eorum animarum ſaluti & commoditati, divinique cultus augmento & decori prout poſſumus conſulimus; modernos Cancellarium & Conſules, ac Magiſtros Fabricæ civeſque ac incolas prædictos ac eorum ſingulos à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi Supplicationibus inclinati,

Dictum hujus Bullæ.

Eccleſiam S. Gaugerici prædictam in Parochialem Eccleſiam, cum Fonte Baptiſmali, Cœmiterio & aliis juribus & pertinentiis ad Parochialem Eccleſiam pertinentibus, authoritate Apoſtolica tenore præſentium erigimus & inſtituimus.

Dictumque locum S. Gaugerici, cum illius diſtrictu ſive regione, à Parochia Eccleſiæ D. Gudulæ hujuſmodi perpetuò ſegregamus & ſeparamus; ac locum ipſum eidem Eccleſiæ S. Gaugerici ſic erectæ pro ejus limitata Parochia, nec non loci & diſtrictus ſive regionis hujuſmodi nunc & pro tempore exiſtentes incolas & habitatores pro illius Parochianis etiam perpetuo concedimus & aſſignamus: illique pro ejus dote, bona per eoſdem incolas & habitatores propterea ipſi erectæ Eccleſiæ pro tempore donanda & aſſignanda, ſimiliter perpetuò applicamus & appropriamus.

Et nihilominus quod de cætero dicta Eccleſia S. Gaugerici per illius modernos, & illis vita functis ſeu alias cedentibus, per duos illius Rectores perpetuos, qui ab illa, (niſi juſta de cauſa) à quoquam amoveri nequeant, & æquales Portiones percipiant, ac Rectores parochialis Eccleſiæ nominentur & appellentur, facultatemque & poteſtatem adminiſtrandi Sacramenta Eccleſiaſtica omnia & ſingula, ad inſtar Rectorum aliarum Eccleſiarum parochialium habeant, regi & gubernari,

Quodque annis ſingulis certa quota jurium Sacramentalium, ſepulturarum & aliorum emolumentorum ejuſdem Eccleſiæ Sti. Gaugerici, pro illius ſeu ejus Fabricę hujuſmodi inſtauratione, donec decenter reparata fuerit, ad diſcretionem moderni Cancellarii, ac Magiſtrorum Fabricæ ejuſdem pro tempore exiſtentium prædictorum, per ipſos Rectores exponi debeat, authoritate & tenore prædictis, etiam perpetuò ſtatuimus & ordinamus.

Ipſoſque modernos & pro tempore exiſtentes Rectores ejuſdem Eccleſiæ S. Gaugerici ab omnibus ſubjectionibus & oneribus quibus Eccleſiæ S. Gudulæ ſeu illius Ple-

Jus Patronatûs.

Plebano aut Decano & Capitulo hujuſmodi quomodolibet tenentur, abſolvimus & liberamus.

Nec non Jus Patronatûs & præſentandi ſimul vel ſucceſſive duas perſonas idoneas, ad Portiones Eccleſiæ S. Gaugerici hujuſmodi, quoties illas ſimul vel ſucceſſive, per ceſſum aut deceſſum modernorum Rectorum prædictorum, ac aliàs quovis modo pro tempore vacare contigerit, Decano & Capitulo, ſi in dictam Erectionem, poſtquam deſuper debitè requiſiti fuerint, conſenſum ſuum præbuerint: alioquin pro tempore exiſtentibus Magiſtris Fabricæ hujuſmodi, Inſtitutionem vero Epiſcopo Cameracenſi pro tempore exiſtenti, reſervamus & concedimus; non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Eccleſiæ S. Gudulæ juramento, Confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & conſuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis & Litteris Apoſtolicis, Decano, Plebano & Capitulo prædictis quomodolibet conceſſis, approbatis & confirmatis. Quibus etiam, ſi de illis eorumque totis tenoribus & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas principales idem importantes, expreſſa mentio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hâc vicè dumtaxat, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter & expreſſè authoritate prædicta derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo liceat &c.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ M. D. XX. XV. Kalendas Maii, Pontificatûs noſtri anno octavo.

CAPUT LXXXI.

LAURENTIUS PUCCIUS, *S. R. E. Cardinalis ac Major Pœnitentiarius, tranſlationem Monialium Ordinis S. Dominici è Monaſterio Wordrichemenſi* * *(quod erat in Oppidulo hujus nominis ad Wahalim fluvium, è regione Gorcomii) ad Hoſpitale Thamiſienſe in Waſia, recenſet atque confirmat anno* 1521, *eaſdemque ab obedientia ac juriſdictione Ordinis Prædicatorum eximit, ac ſubmittit Epiſcopo Tornacenſi.*

* Vide Hiſtoriam Epiſcopatûs Sylvæducenſ. pag. 317.

Ex Archivis Epiſcopatûs Gandavenſ.

LAURENTIUS Miſeratione divina Tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis; dilectis in Chriſto Prioriſſæ & Monialibus ſeu Sororibus Domûs ſeu Hoſpitalis loci de Thamiſia, Tornacenſis Diœceſis, ſub Regula Tertii Ordinis Sancti Dominici, de Pœnitentia nuncupati, degentibus, ſalutem in Domino.

Ex parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod licet aliàs Vos de Monaſterio de Woudrichem Trajectenſis Diœceſis, Ordinis prędicti, in quo Altiſſimo laudabiliter famulando degebatis, cauſantibus certis ſiniſtris perturbationibus in partibus illis tunc vigentibus, & regionem illam atrociter affligentibus, ad dictum locum Commiſſariis, per dilectum nobis in Chriſto Magiſtrum *Johannem Clerée*, tunc dicti Ordinis Generalem, ad viſitandum deſtinatis, id volentibus & concedentibus ac de permiſſione & voluntate dilectorum etiam nobis in Chriſto *Rotandi Le Fevre* tunc Domini temporalis dicti loci de Thamiſia, & *Hadewichæ* ejus conjugis, hoc ob ſingularem devotionis affectum quem ad Ordinem prædictum gerebant, ſummopere affectantium, tranſlatæ fueritis, inibique novam Domum ſeu Monaſterium ſub gratiis & privilegiis omnibus dicto Monaſterio de Woudrichem conceſſis erexeritis;

Diplom. Belg. Tom. III. pag. 719.

Inter quæ extat & caveri dicitur expreſſè quod illius Prioriſſa & Moniales unum idoneum Confeſſorem inamovibilem dicti Ordinis eligere poſſint, quæ quidem Privilegia per bonæ memoriæ Raymundum Sanctæ Mariæ novæ Presbyterum Cardinalem ad univerſam Germaniam Apoſtolicæ Sedis Legatum de Latere confirmata fuerunt. Quorum quidem Privilegiorum vigore, quemdam dicti Ordinis Fratrem Hermanum in veſtrum Confeſſorem elegeratis & ſub illius cura & protectione aliquamdiu vixeratis;

Nihilominus Provinciæ Veſtræ Provincialis certis de cauſis, ad id animum ſuum moventibus, eumdem veſtrum Confeſſorem, licet indebitè, ad clauſtrum revocavit; ac prætextu certarum diſcordiarum inter Vos & eumdem Confeſſorem ex una, ac Fratres Domûs Fratrum Prædicatorum Antverpienſis, Cameracenſis Diœceſis, ex altera partibus exortarum, Vos à ſua obedientia & cura totaliter & omnino abſcidit & diſmembravit, vos Paſtoris ſolatio deſtitutas relinquendo.

Cum autem, ſicut eadem veſtra ſubjungebat petitio, deſideratis, ne Paſtore & protectione carentes, vos à recto tramite declinare contingat, ſub protectione, & correctione ac obedientia & ſuperioritate venerabilis in Chriſto Patris Dei gratiâ Epiſcopi Tornacenſis loci Ordinarii, qui vobis de idoneo Confeſſore dicti Ordinis per vos eligendo conſentire debeat, ſubjici, ſupplicari igitur feciſtis humiliter, vobis ſuper his per Sedem Apoſtolicam de opportuno remedio provideri.

Nos igitur auctoritate Domini Papæ cujus primariè curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato, ſuper hoc vivæ vocis oraculo Nobis facto, Vos & dictæ Domus ſeu Monaſterii de Thamiſia Prioriſſam & Moniales pro tempore exiſtentes, ſub dicti loci Ordinarii, nunc & pro tempore exiſtentis, qui vobis de ſufficienti & idoneo dicti Ordinis Confeſſore *, per vos eligendo, conſentire pebeat obedientia correctione, viſitatione, ſuperioritate & protectione ſubmittimus, ac eidem immediatè ſubjectas & ſubmiſſas eſſe decernimus, abſciſſione & diſmembratione per dictum Provincialem, modo præmiſſo, factas, nec non omnia & ſingula Indulta & Privilegia veſtra approbantes & confirmantes, Voſque & Confeſſorem veſtrum pro tempore, ab illius & aliorum Ordinis prædicti ſuperiorum & Fratrum aliarumque perſonarum * penitus eximentes.

* Provideat.

* Juriſdictione.

Quocirca venerabilibus in Chriſto Patribus Dei gratia Epiſcopo Sti. Leonis Domini Papæ primario ad præſens in Romana Curia-reſidenti, & ejuſdem loci Ordinario vel ejus Vicario in ſpiritualibus vel Officiali generali, & diſcreto viro Præpoſito Collegiatæ Eccleſiæ Dionantenſis Leodienſis Diœceſis & eorum cuilibet, eiſdem auctoritate & mandato committimus & mandamus, quatenus Generali, Provincialibus, Prioribus & aliis ſuperioribus, ac Fratribus dicti Ordinis, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnâ, inhibeant ſeu inhibeat, ne in Vos & Confeſſorem veſtrum juriſdictionem, viſitationem aut ſuperioritatem exercere quoquomodo præſumant.

Ac vobis & Confeſſori veſtro per eumdem loci Ordinarium approbato & approbando in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes non permittant Vos contra tenorem præſentium per eoſdem Generalem, Provinciales, Priores, aut alios Superiores & Fratres nunc & pro tempore exiſtentes in perſonis, bonis, & rebus veſtris publicè vel occultè, directè vel indirectè, tacitè vel expreſſè quovis quæſito colore vel ingenio, moleſtari, perturbari, aut quomodolibet inquietari: contradictores quoſlibet & rebelles per ſententias cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias, & alia oportuna Juris remedia compeſcendo; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis ac dicti Ordinis & illius Regularum, locorum Statutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Privilegiis quoque & Indultis ac Litteris Apoſtolicis eis & eorum Superioribus conceſſis, confirmatis & innovatis, etiam ſi in illis caveatur expreſſè quod pro illorum ſufficienti derogatione de eis ſpecialis ſpecifica & expreſſa mentio habenda ſit. Quibus omnibus partibus ſpecialiter & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub ſigillo Officii Pœnitentiariæ, quarto Kal. Octob. Pontificatûs Domini Leonis Papę decimi, anno nono.

CAPUT LXXXII.

ADRIANUS VI. *Pont. Magiſtro ſeu Commendatori Domus de Juncis * Equitum Ordinis Teutonici, confirmat Eccleſiam, Patronatum ac decimas loci de Geldorp, in diſtrictu Sylvæducenſi, anno* 1523.

* Vernaculè Bieſſen, apùd Trajectum Moſæ.

ADRIANUS Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Commendatori & Conventui Domus ſeu Baliviæ de Juncis Hoſpitalis Hieroſolimitani Beatæ Mariæ Teutonicorum Oppidi Trajectenſis, Leodienſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

His quæ pro ſuſtentatione onerum pro tempore incumbentium facta, & longo tempore obſervata fuiſſe, & in præſentiarum obſervari dicuntur, ne in recidivæ contentionis ſcrupulum relabantur, ſed firma & illibata perpetuò perſiſtant, libenter cum à nobis petitur, Apoſtolici muneris adjicimus roboris firmitatem.

Sanè pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod vos providè conſiderantes gravia onera Domui ſeu Baliviæ de Juncis Hoſpitalis Hieroſolimitani B. Mariæ Theutonicorum Oppidi Trajectenſis Leodienſis Diœceſis tam ordinariè pro ſuſtentatione Religioſorum Hoſpitalis hujuſ-

Digitized by Google

modi, quam etiam ob defenſionem fidei Chriſtianæ, & continuam oppugnationem quam adverſus infideles continuè geritis incumbentia, quæ neceſſario ſufferre habetis, aliàs retroactis temporibus certam partem fructuum etiam decimalium Parochialis Eccleſiæ loci de Geldrop dictæ Diœceſis, quæ ut aſſeritis, de Jure Patronatus veſtri, in cujus poſſeſſione eſtis, eſſe dinoſcitur, & ad quam dum pro tempore vacat unum ex Religioſis dictæ Domus nominare, & loci Ordinario præſentare, ad præſentationem hujuſmodi in Rectorem dictæ Eccleſiæ inſtituendum conſueviſtis, pro oneribus hujuſmodi facilius ſupportandis; ſalvâ & remanente congrua portione Rectori dictæ Eccleſiæ pro tempore exiſtenti honeſtè de reliquis fructibus, redditibus & proventibus dictæ Eccleſiæ, ſe ſuſtentandi, applicaſtis & incorporaſtis. Ac applicationis & incorporationis prædictarum vigore per triginta annos vel circa in pacifica & quieta poſſeſſione partem fructuum applicationum hujuſmodi percipiendi & levandi extitiſtis, prout eſtis de præſenti.

Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut applicationi & incorporationi prædictis robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, aliàſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui commoditatibus ſingulorum Chriſti Fidelium & præſertim Religioſorum, pro fide Catholica indefeſſis viribus, & continuo labore adverſus Chriſtianæ Fidei hoſtes militantium, quantum cum Deo poſſumus, libenter conſulimus, Vos & veſtrûm ſingulos à quibuſvis excommunicationis ſuſpenſionis & interdicti aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati eſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, applicationem & incorporationem prædictas ac inde ſecuta quæcumque autoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus & confirmamus.

Supplentes omnes & ſingulos defectus tam juris quam facti, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem; non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Domus ſeu Baliviæ hujuſmodi juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ abſolutionis, approbationis confirmationis & ſuppletionis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo vigeſimo tertio, tertio menſis Aprilis, Pontificatûs noſtri anno primo.

ADRIANUS VI. Ultrajectinus Belga, olim S. Theol. Doctor Lovanii, deceſſit Romæ anno 1523. Pontificatûs tertio. Latuit hæc ejus Bulla Gaſparum Burmannum; quam aliàs Analectis ſuis inſeruiſſet: quæ de eodem Pontifice eruditè collegit Ultrajecti anno 1727.

GELDORP, Municipium Diœceſis Sylvæducenſis, quinto ab eadem urbe milliari. Anno 1462 Philippus de Hoorn Toparcha de Geldorp &c. Jus Patronatûs Eccleſiæ de Geldorp conceſſit FF. Ordinis Teutonici. Litteras hujus Donationis, unà cum inſertis literis vernaculis Arnoldi Ducis Geltriæ ac Juliaci, de eodem anno, vide in Hiſtoria vernacula Ultis Silvæducenſis, per Jacobum ab Oudenhove, Parte 2. pag. 39.

CAPUT LXXXIII.

CLEMENS VII. & PAULUS III. *Romani Pontt. laudant conſtantiam Senatûs Populique Colonienſis in manutenenda Fide Catholica, anno 1531. & 1541.*

CLEMENS VII. Servus ſervorum Dei, dilectis S. P. Q. C. Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Quod ſemper à pietate veſtra exſpectavimus ſuppliceſque à Deo imploravimus, ut veſtra Civitas (olim Romani Imperii inſignis Colonia, deindeque Chriſtianæ pietatis ſolida in iſtis Regionibus columna, pollens opibus, robuſta viribus, celebrata Literis) in tanta circumſtantium hæreſum propinquitate ſe illæſam Deo conſervaret, & ſi qua ſui parte corruiſſet, Dei munere cito conſurgeret; id cum ſumma noſtra lætitia, veſtra maximè filii Senatus pietate & conſtantia factum eſſe, & continuo fieri audivimus, idque ad Nos jam undequaque nunciatur.

Agimus itaque Divinæ miſericordiæ gratias, quod inſignem ac percelebrem veſtram

civitatem à ſathanæ venenis turata eſt, & ſanctam Coloniam re & nomine effecit. Vobis autem filii quas poſſumus laudes paterno affectu reddimus, quanquam impares veſtris meritis judicavimus; veſtra enim virtus & conſtantia non ſolum ſibi ad ſalutem, verum cæteris proficeret ad exemplum, ſecuturis auctoritatem tam inſignis tamque eximiæ, nedum in Germania ſed etiam in cuncta Europa, civitatis.

Vos verò filii dilectiſſimi utinam occaſionem aliquando habeatis noſtrum erga vos paternum ac peculiarem amorem exhibendi. Cuncta vobis quidem anniteremur ſigna oſtendere paternæ noſtræ erga vos & ſerventiſſimæ charitatis.

Hortamur magis ex abundantia affectus noſtri, quam quod neceſſe id vobis cum arbitramur, ut in cepto pietatis curſu perſiſtatis, primum conſulturi ſaluti, deinde etiam gloriæ veſtræ, atque à Deo ipſo (cuius veram Religionem à Patribus acceptam tuemini) immarceſſibiles meritorum cumulos adepturi. A Nobis verò & Sereniſſimo Cæſare omnia expectaturi, quæ ab amantiſſimis Parentibus in pientiſſimos filios conferri poſſunt.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris M. D. XXXI. die XXIX. Novembris, Pontificatus noſtri anno IX.

Bulla Pauli III. Pont.

DIlectis filiis Burgimagiſtris, Magiſtratibus & Senatui Colonienſi Paulus Papa III.

Dilecti filii, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Etſi præterita veſtra officia, quæ Deo & Fidei Catholicæ, atque huic Sanctæ Sedi tribuiſtis, maxima antea erant, tamen his noviſſimè per vos geſtis tantum cumulum meritorum erga Deum & veram Religionem veſtrorum adjeciſtis, quantum Nos ſatis dignâ laudatione complecti poſſe diffidimus. Veſtra enim illa pietas & conſtantia ſemper laudata & in ore omnium celebris, nuper ſplendidius fulſit, cum veſter Archiepiſcopus (ſi is hoc nomine jam dignus eſt) corrupta ſua Diœceſi, etiam ſuam civitatem veſtram corrumpere atque à veteri fide atque uſu Catholicæ Eccleſiæ avertere conatus eſt. Ei enim & viriliter reſtitiſtis, & poſtmodum non deſtitiſtis omni ſtudio ac diligentia ſuadere ut à tanto ſcelere deſiſteret. Hermannus Comes à Weda.

Benedictus igitur Deus Pater miſericordiarum & conſolationis, qui vos in tribulatione conſolari dignatur, qui ſi hoc tempore peccatis ita exigentibus permiſit venena etiam antidota nobis conceſſit. Ejus proindè miſericordiam imploremus, ut ipſe qui Vobis tantum immiſit robur, addat & felicitatem, quo fructum percipere veſtræ virtutis & Deo ſervire quietè poſſitis, ad honorem nominis ſancti ſui; quod & futurum in ejus clementia confidimus.

Quapropter vos filii hortamur, & per Dominum Jeſum qui in vobis habitat rogamus, ut in cæpta pietate & conſtantia perſeveretis, modis omnibus providentes atque impedientes, ne Lutherani Concionatores, nunc in vicinis locis rugientes & quærentes quem devorent, in veſtra civitate prædicare aut populum ſeducere poſſint.

Confidimus enim in Domino Jeſu Chriſto, qui ad tempus attollit impios, ut gravius corruant & proſternantur, ut humiliati exaltentur, faciantque cum tentatione proventum. Quod cito rem facturus, . . . cauſam ſuam judicabit, & conſtantiam ac fidem veſtram, quam & in tot fluctibus ſervaſtis, largo ſuo gratitudinis fonte remunerabit, per tranquillam hic & felicem vitam in terris, poſteaque multo beatiorem & feliciorem in cælis.

Nos autem neque auxiliis, neque favore, neque neceſſariis ad hæc proviſionibus, quantum ad noſtrum pertinebit officium, vobis deerimus.

Datum Bononiæ, ſub annulo Piſcatoris die prima Junii 1543. Pontificatus noſtri anno nono.

CAPUT LXXXIV.

CLEMENS VII. *Pontifex confirmat anno 1533. fundationem XIII. Præbendarum, cum Præpoſito ac Decano in Eccleſia S. Nicolai, Avenis, Hannoniæ Oppido, ex pia inſtitutione D. Ludovicæ de Albret Dominæ de Avenis, nec non de conſenſu Abbatis Lætienſis, ejuſdem Eccleſiæ Patroni &c.*

Ex Archivis Capituli Avenenſis.

CLEMENS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo Cameracenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Sacri Apoſtolatus miniſterio, meritis licet imparibus, ſupernâ diſponente clementiâ, præſidentes, inter multiplices curas, quibus pro rerum negotiorumque varietate diſtrahimur, illam libenter amplectimur, per quam noſtræ proviſionis auſpiciis ſingulæ Eccleſiæ, præſertim

ſertim inſignes, dignioribus titulis decorentur, & in iis divinus cultus, ac Miniſtrorum Eccleſiaſticorum numerus incrementum ſuſcipiant; & ut ad id tendentia vota optatum conſequantur effectum, opem & operam efficaces impendimus: prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Sanè pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Nobilis mulieris *Ludovicæ* Dominæ in temporalibus villæ de Avelnes, Cameracenſis Diœceſis, quondam *Caroli de Croy*, dum viveret Principis de Chimay, dictæ Villæ in temporalibus Domini, Relictæ, petitio continebat: quod cum Parochialis Eccleſia dictæ Villæ ſatis inſignis exiſtat, & ipſa *Ludovica* piâ devotione ducta, in câdem Eccleſiâ, ad quam ſingularem gerit devotionis affectum, Horas Canonicas diurnas & nocturnas per certos Vicarios inibi ex ejus Fundatione deputatos, devotè recitare faciat: ſi dicta Eccleſia in Collegiatam Eccleſiam, cum Sigillo & archa ſeu capſâ communibus, ac aliis Collegialibus inſigniis, & in illâ una Præpoſitura principalis pro uno Præpoſito, & unus Decanatus non principalis inibi Dignitates pro uno Decano, qui Præpoſiti & Canonicorum ac aliorum Habituatorum pro tempore exiſtentium;

Nec non tredecim Canonicatus & totidem Præbendæ pro iiſdem Præpoſito & Decano, ac aliis undecim Canonicis, quorum primus dilectorum filiorum parochianorum ipſius Eccleſiæ curam haberet & exerceret, ac illis Sacramenta Eccleſiaſtica adminiſtraret, quique omnes inſimul Capitulum ipſius Eccleſiæ facerent & conſtituerent: & in ipſa Eccleſia Horas Canonicas & alia Officia diurna & nocturna ad inſtar Cleri aliarum Collegiatarum Eccleſiarum partium illarum celebrarent, erigerentur & inſtituerentur,

Ac Menſæ Capitulari ipſius Eccleſiæ, pro dictorum Præpoſituræ ac Decanatûs, nec non Canonicatuum & Præbendarum dote, fructus, redditus & proventus ipſius Eccleſiæ perpetuo applicarentur & appropriarentur,

Nec non Jus Patronatûs & præſentandi dilectum filium modernum Rectorem dictæ Eccleſiæ ad Decanatum ab ejus primævâ Erectione, ac perſonas idoneas ad Præpoſituram, ac ſingulos Canonicatus & Præbendas hujuſmodi, quotiens illos tam ab eorum primæva Erectione quam deinceps vacare contigerit, præfatæ *Ludovicæ* ac hæredibus & ſucceſſoribus ſuis dictæ Villæ in temporalibus Dominis pro tempore exiſtentibus, perpetuo reſervaretur & concederetur;

Dicta *Ludovica* pro uberiori dote hujuſmodi bona alia ad eam legitimè pertinentia aſſignaret, ac ex hoc tam Eccleſia quam Villa hujuſmodi non parum decoraretur, & in ipſa Eccleſia divinus cultus cum populi devotione & animarum ſalute, non modicum inibi ſuſciperet incrementum.

Quare pro parte præfatæ *Ludovicæ*, aſſerentis, præſentationem perſonæ idoneæ ad dictam Eccleſiam, dum pro tempore vacat, ſeu illius collationem, & quamvis aliam diſpoſitionem ad Abbatem pro tempore exiſtentem Monaſterii Lætienſis, Ordinis Sancti Benedicti dictæ Diœceſis, de antiquâ & approbatâ hactenuſque pacificè obſervatâ conſuetudine, pertinere; ipſiuſque Eccleſiæ fructus, redditus & proventus viginti quatuor ducatorum auri de Camerâ, ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum non excedere, Abbas Lætienſis Patronus Eccleſiæ Avenenſis.

Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictam Eccleſiam in Collegiatam, ac in eâ unam Præpoſituram principalem pro uno Præpoſito, & unum Decanatum non principalem inibi Dignitates pro uno Decano, ac tredecim Canonicatus & totidem Præbendas pro Præpoſito & Decano ac undecim Canonicis, ut præfertur, erigere & inſtituere, ac dictæ Menſæ Capitulari fructus, redditus & proventus Eccleſiæ, ac bona per eandem *Ludovicam* aſſignanda, hujuſmodi perpetuò applicare & appropriare;

Nec non Jus Patronatûs ac præſentandi eundem Rectorem ad dictum Decanatum ab ejus primævâ erectione, & alias perſonas idoneas ad Præpoſituram, nec non ſingulos Canonicatus & Præbendas prædictas, quotiens illos, ut præmittitur, vacare contigerit, eidem *Ludovicæ*, ac ejus hæredibus & Succeſſoribus præfatis, perpetuò reſervare & concedere, aliàſque in præmiſſis opportunè providere, de bonitate Apoſtolicâ dignaremur.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod ſemper in Unionibus vocarentur quorum intereſſet, quique Eccleſiarum quarumlibet decorem, & in illis divini cultûs augmentum noſtris potiſſimè temporibus, ſinceris deſideramus affectibus, de præmiſſis certam notitiam non habentes, ipſamque *Ludovicam* à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel homine, quavis occaſione vel cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodata exiſtat, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutam fore cenſentes:

Hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus de præmiſſis nobis expoſitis, authoritate noſtra per te-ipſum te diligenter informes. Et ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, ac ejuſdem moderni Rectoris ad hoc expreſſus accedat aſſenſus, Eccleſiam prædictam in

Collegiatam, cum Sigillo & archâ ſeu capſâ communibus ac aliis Collegialibus inſigniis.

Nec non in eâ unam Præpoſituram principalem, pro uno Præpoſito, & unum Decanatum non principalem inibi Dignitates pro uno Decano, qui Præpoſiti & Canonicorum ac aliorum Habituatorum, nec non tredecim Canonicatus & totidem Præbendas, pro Præpoſito & Decano præfatis ac aliis undecim Canonicis, quorum primus Parochianorum eorumdem curam habeat & exerceat, ac illis Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare debeat.

Qui quidem Præpoſitus, Decanus & Canonici inſimul Capitulum ipſius Eccleſiæ faciant & conſtituant, & in eâdem Eccleſiâ divina Officia celebrare teneantur; ſine alicujus præjudicio, erigere & inſtituere, ac ipſius Eccleſiæ fructus, redditus & proventus, nec non per ipſam *Ludovicam* aſſignanda bona hujuſmodi, cum aſſignata fuerint eidem Menſæ Capitulari, pro dote Præpoſituræ & Decanatûs & Canonicatuum hujuſmodi, juxta providam eorumdem Capituli deſuper faciendam ordinationem convertenda, perpetuò applicare & appropriare;

Nec non poſtquam dicta *Ludovica* Præpoſituram & Decanatum & Canonicatus & Præbendas antedictos ſufficienter dotaverit, Jus Patronatûs & præſentandi eundem Rectorem ad Decanatum ab ejus primæva Erectione, ac perſonas idoneas ad Præpoſituram, necnon ad ſingulos Canonicatus & Præbendas prædictos, quotiens illos tam à primævâ Erectione hujuſmodi quam deinceps pro tempore vacare contigerit, per Decanum ipſius Eccleſiæ aut Epiſcopum Cameracenſem pro tempore exiſtentem, ſeu Sedem Apoſtolicam, prout eidem *Ludovicæ* videbitur, ad præſentationes hujuſmodi inſtituendos, *Ludovicæ* ſuiſque hæredibus & Succeſſoribus præfatis dictæ Villę in temporalibus Dominis perpetuo reſervare & concedere;

Quodque ipſo Decanatu (dictâ prima vacatione dumtaxat exceptâ) aliàs quovis modo pro tempore vacante, præfati Capitulum, unum ex eiſdem Canonicis in Decanum ipſius Eccleſiæ eligere, & præfatus Epiſcopus Cameracenſis Electionem ipſam confirmare, debeant, ſtatuere & ordinare,

Nec non Eccleſiæ & Prępoſito & Decano, Capitulo, Canonicis & Habituatis præfatis, ut omnibus & ſingulis Privilegiis, immunitatibus, prærogativis, exemptionibus, gratiis, favoribus & Indultis quibus aliæ Collegiatæ Eccleſię illarumque Capitula, Canonici & perſonæ de jure vel conſuetudine ac aliàs quomodolibet utuntur potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere, poterunt quomodolibet, in futurum uti, potiri & gaudere.

Ac ipſis Capitulo, ut pro ſalubri directione & felici ſtatu dictæ Eccleſiæ illiuſque perſonarum ac divinorum Officiorum in eâ celebratione, quæcumque Ordinationes & Statuta rationabilia & honeſta, ac à ſacris Canonibus non deviantia, cum conſilio & voluntate dictę *Ludovicæ*, & pro tempore exiſtentis ejuſdem Villæ in temporalibus Domini, facere & edere, illaque mutare, limitare & tollere; ac alia de novo facere, quotiens ipſis pro utilitate ipſius Eccleſiæ viſum fuerit, liberè & licitè valeant, plenam & liberam facultatem concedere, & indulgere eadem authoritate noſtra procures.

Et nihilominus ſi Erectionem, inſtitutionem, applicationem, appropriationem, reſervationem, conceſſionem, Statutum, Ordinationem & Indultum hujuſmodi per te vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, eiſdem Præpoſito, Decano & Capitulo ac *Ludovicæ*, nec non heredibus & ſucceſſoribus, in prędmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtens, facias eadem authoritate noſtrâ, Erectionem, Inſtitutionem, & applicationem, reſervationem, conceſſionem, Statutum & Ordinationem, ac alia præmiſſa firmiter obſervari;

Ac Præpoſitum, Decanum & Capitulum, nec non *Ludovicum*, ac hæredes & Succeſſores præfatos, illis pacificè gaudere; non permittentes eos deſuper per quoſcumque contra præſentium tenorem quomodolibet indebitè moleſtari; contradictores quoſlibet & rebelles per Cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, (appellatione poſtpoſitâ) compeſcendo; ac legitimis ſuper his habendis, ſervatis proceſſibus, cenſuras & pœnas ipſas iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

Non obſtantibus voluntate noſtra priori prædicta, ac aliis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque; aut ſi aliquibus communiter vel diviſim à dictâ ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per Litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de Indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicę milleſimo quingenteſimo trigeſimo tertio, Kalendis Auguſti, Pontificatûs noſtri anno decimo. 1533.

CAPUT LXXXV.

PAULUS III. *Pontifex, anno 1541 ad inſtantiam D.* JOANNIS CARONDELET *Archiepiſcopi Panormitani nec non Præpoſiti Eccleſiæ St. Donatiani Brugis, approbat Tranſactionem quoad limites Juriſdictionis Præpoſitalis ac Canonicalis, initam cum Magiſtratu Brugenſi.*

Ex Archivis Epiſcopat. Brugenſ.

PAULUS Epiſcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Hiis, quæ pro bono pacis & quietis inter perſonas quaſlibet, concordiâ terminata fuiſſe dicuntur, ut illibata perſiſtant, libenter cum à Nobis petitur, Apoſtolici munimus adjicimus firmitatem.

Sanè pro parte Venerabilis Fratris noſtri Johannis Archiepiſcopi Panormitani, qui, ut aſſerit, Præpoſituram Eccleſiæ S. Donatiani oppidi Brugenſis Tornacenſis Diœceſis ex diſpenſatione Apoſtolica obtinet, ac dilectorum Filiorum Decani, Capituli, Officiariorum & Juſticiariorum Eccleſiæ, nec non tam pro ſe quàm tota univerſitate dicti Oppidi Scoltheti, Burgimagiſtrorum, Scabinorum, Conſiliariorum, Theſaurariorum, & aliorum etiam Officiariorum ac Juſticiariorum Oppidi prædicti nobis nuper exhibita petitio continebat,

Quod aliàs ad lites, cauſas, quæſtiones, & controverſias jam dudum inter tunc Præpoſitum, ac Decanum, Capitulum, Officiarios, & Juſtitiarios Eccleſiæ ex una, nec non Scolthetum, Burgimagiſtros, Scabinos, Conſiliarios, Theſaurarios, & alios etiam Officiarios ac Juſtitiarios præfatos Oppidi eorundem ex altera partibus ſubortas, & quæ impoſterùm ſuboriri poſſent, tam causâ terminorum, & limitum Dominii & territorii Præpoſituræ prædictæ & dictæ Eccleſiæ Canonicaturæ exiſtentium intra diſtrictum præfati Oppidi, ac nonnullorum actuum Juſtitiæ & Juriſdictionis, quos quælibet dictarum Partium aſſerebat ſe poſſe facere in & ſuper præfatis limitibus, tanquam ad ſe jure ſuo proprio pertinentibus & ſpectantibus, quàm eorum, & quâvis aliâ occaſione coram quibuſcumque Judicibus motas & pendentes, amicabiliter extinguendum, & totaliter concordandum & pacificandum, pro quiete & pace cujuſlibet illorum, gravibuſque laboribus & expenſis, quos eos propterea ſubire oporteret, parcendum,

Intervenientibus nonnullis probis viris, etiam in temporalibus Dominis, etiam ſpecialiter ad hoc per Cæſaream Majeſtatem commiſſis & deputatis, de communi eorum & cujuſlibet ipſorum conſenſu tam pro ſe, quam pro ſuis reſpectivè Succeſſoribus, omnibus melioribus modo, viâ, jure, cauſâ & formâ, quibus meliùs & efficaciùs potuerunt & debuerunt, non coacti, neque aliquâ ſiniſtrâ machinatione circumventi, ſed ſpontè, liberè & ex certis eorum ſcientiis, ac propriis & ſpontaneis motu & voluntatibus, maturiſque deliberationibus & conſiliis præhabitis, Apoſtolicæ Sedis beneplacito in omnibus ſemper ſalvo, tranſegerunt, convenerunt, peregerunt, & concordaverunt in eum, qui ſequitur, modum.

Imprimis quòd Scolthetus, Burgimagiſtri, Scabini, Conſiliarii, Theſaurarii, & alii Officiarii & Juſticiarii ipſius Oppidi deberent fateri & recognoſcere eos limites & terminos, quos & quales dilectus filius Baptiſta Lomelinus dictæ Majeſtatis Oſtiarius ad requiſitionem eorumdem Johannis Archiepiſcopi & Capituli deſignaverat & renunciaverat, ac ipſi Univerſitati in ſcriptis exhibuerat, ad Præpoſitum ipſius Eccleſiæ pro tempore exiſtentem & præfatum Capitulum pertinere & ſpectare:

Qui quidem Oſtiarius prædictos terminos finium causâ in utrarumque partium vel earum procuratorum preſentia poneret & ſtatueret, juxta formam & tenorem prioris per eum factæ deſignationis & renunciationis; utriſque nichilominus partibus hinc inde remanentibus ſalvis quoad limites & terminos tam in præfata priori deſignatione expreſſos, quam non expreſſos, quos dicti Præpoſitus & Capitulum prætendebant habere extrà portas & mœnia ejuſdem Oppidi, & ſine præjudicio alterius juris in illis,

Super quibus tamen limitibus & generaliter ſuper omnibus & ſingulis locis earumdem Præpoſituræ, & Canonicaturæ, ſituatis & jacentibus intrà diſtrictum Civitatis, Municipatum & Scabinatum dicti Oppidi, Præpoſitus verò ac Decanus & Capitulum præfati ſinerent & conſentirent, ac paterentur in ipſius Oppidi, reipublicæ bonum favorem & utilitatem, Scolthetum, Burgimagiſtros, Scabinos, & alios dicti Oppidi Juſtitiarios & Officiales prædictos habere, facere, & exercere ea, quæ ſequuntur.

Primo: quodſubhaſtatores ſive præcones & æſtimatores preſati Oppidi ſoli & in ſolidum poſſent illic facere quaſcumque venditiones, ſubhaſtationes, auctiones, & æſtimationes, quas contingeret ibidem fieri debere, omnium & quorumcumque bonorum mobilium & immobilium, tam hominum

fallitorum & fallitarum, domorum mortuariarum, quam etiam eorum, qui bonis renunciaſſent & ceſſiſſent, abſque eo quod propterea opus eſſet petere vel rogare licentiam ab eiſdem Præpoſito, Decano, & Capitulo, aut eorum Officiariorum aliquo.

Verum cognitio inveſtituræ, traditionis, ceſſionis, & tranſportûs ſeu tranſlationis domorum, terrarum, rerumque immobilium ſub Præpoſitura & Canonicatura prædictis jacentium remaneret Prępoſito, & Capitulo, ac ipſius Eccleſiæ Officiariis prætatis, & ad eos ſpectaret,

Salvo quod venditio ſive ſubhaſtatio bonorum immobilium, quam illic contingeret fieri in vim alicujus ſententiæ ſive rei judicatæ, aut alicujus recognitionis judicialis, fieret & fieri deberet per Officiarium ejus loci ſive juriſdictionis, cui competeret exequi, & facere adimplere ejuſdem ſententiæ condemnationem,

Et poſſet ille Officiarius facere publicari talem venditionem in prædicto Oppido per eos homines, quorum illic officium eſt & ſua voce & tintinnabuli ſonitu publicas venditiones, ſubhaſtationes & auctiones publicare & proclamare, & pro venditionibus taliter ad auctionem per Officiarios prædictarum Præpoſituræ & Canonicaturæ, ac etiam per ſubhaſtatores factis ipſi iidem Officiarii haberent promptam & paratam executionem.

Quę tamen executio fieri deberet per Officiarios illius loci ſive juriſdictionis, ubi eam fieri contingeret in perſona ſubhaſtatoris pro Denariis ex venditione procedentibus in termino ſolito & conſueto, ac etiam in perſona emptorum, eiſdem modo & formâ, quibus uti conſueviſſent activè & paſſivè Municipes, Cives nuncupati, ejuſdem Oppidi.

Secundò: quod Primarii ſive Decani, & Officiarii Collegiorum ſive Sodalitiorum Artificum facti & creati in præfato Oppido, ſuper ejus Artificibus & Policia poſſent in domibus & locis intrà limites Præpoſituræ & Canonicaturæ hujuſmodi in dicto Oppido exiſtentibus inquirere & inquiſitiones facere in omnes & ſingulos Artifices ibi habitantes aut mechanicam exercentes & adverſus Leges & Statuta Municipalia facientes mulctare, juxta formam & tenorem eorum Statutorum deſuper pro tempore factorum & faciendorum.

Tertiò: quod ipſius Oppidi Officiarii præfati & portarum Obſervatores poſſent exequi, capere, & apprehendere ſuper territorio Præpoſituræ & Canonicaturæ prædictarum in eodem Oppido ejuſque Scabinatu jacente omnes & ſingulos, qui quovis modo facerent contra prohibitionem ejus Statutorum Municipalium. Et cognitio talis executionis, apprehenſionis, ſive capturæ maneret & ſpectaret ad Legiſlatores præfati Oppidi. Salvo quod ſubditi & officiarii ipſarum Præpoſituræ & Canonicaturæ, qui extra Oppidum & Scabinatum prædictum irent potatum, fraudantes ejuſdem Oppidi Collectas & Aſſiſias, conformarentur & haberentur, ac cum eis ageretur, ſicut eatenus conſuetum erat cum ſubditis Territorii de Franco nuncupati.

Quartò quod ſtipites clauſuræ ſive impedimenta per dictos Legiſlatores ſuper aliquibus Præpoſituræ ſive Canonicaturæ earumdem locis vel limitibus erecta ſeu poſita, ſive adhuc pro commodo & utilitate aut fortificatione dicti Oppidi, arbitrio eorumdem Legiſlatorum; ex tunc impoſterum ponenda, poſſent perpetuò ibi ſtare, & manere, ac manuteneri, ſi opus foret; abſque eo quod propterea opus eſſet rogare ſive impetrare aliquam licentiam à præfatis Præpoſito ſive Capitulo.

Quintò: quod præfati Legiſlatores haberent & retinerent cognitionem omnium domorum mortuariarum eorum municipum, ſeu etiam intra limites Juriſdictionis Præpoſituræ & Canonicaturæ prædictarum, in oppido & Scabinatu præfatis tunc & pro tempore exiſtentium, ac etiam bonorum municipum ibi fallitorum; reſervatâ tamen illis Præpoſituræ & Canonicaturæ hujuſmodi executionum ſaiſinarum ſive arreſtorum, quæ contingeret ibidem fieri, cognitione & judicaturâ.

Cæterum quod Præpoſitus & Capitulum prefati cederent & renunciarent omni tali juriſdictioni eis quovis modo competenti in dicti Oppidi Domo Scabinali, Scribatu Criminali, Theſauraria, ac in platea ſtrata & ponte jacentibus ante & juxta prædictam Theſaurariam, portis, muris, mæniis, foſſatis, & aggeribus, ac etiam in priſoniis & carceribus. In quibus quidem locis cognitio & judicatura maneret & ſpectaret ad prefatos Legiſlatores.

In omnium vero ſupra-narratorum & plurium aliorum negotiorum, cauſarum, & rerum in publico Inſtrumento deſuper confecto ac in hujuſmodi Tranſactione & Concordia plenius ſtipulatorum & contentorum recompenſam, Scolthetus, Burgimagiſtri, Scabini, Conſiliarii, & Theſaurarii, ac Univerſitas ſupradicti in perpetuum eiſdem Præpoſito & Capitulo cenſum & reditum annuum octoginta florenorum Carolinorum, duabus libris Pariſienſis Monetæ Flandrię pro quolibet floreno computatis, annis ſingulis pro una in Beati Joannis Baptiſtæ & altera medietatibus ejuſdem redditûs in Domini Noſtri Jeſu Chriſti Nativitatum feſtivitatibus pendere & ſolvere tenerentur.

Et inſuper dictæ Partes omnia & ſingula ſupradicta ſic utriſque Partibus placita, commoda, & acceptata per eamdem Majeſtatem laudari & approbari, ſeque reſpecti-

vé

vè per ipſius Majeſtatis ſententiam & Arreſtum ad obſervationem omnium prædictorum condemnari obtinuerunt & paſſæ ſunt: prout in ſcripturis publicis deſuper confectis dicitur plenius contineri.

Quare pro parte tam Joannis Archiepiſcopi, Decani, Capituli, quam Scoltheti, Burgimagiſtrorum, Scabinorum, Conſiliariorum, Theſaurariorum, & aliorum Officiariorum & Juſticiariorum hujuſmodi nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Tranſactioni, conventioni, pacto, & concordiæ hujuſmodi pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur noſtræ approbationis adjicere, aliàſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, quorum eſt, quæ pacis ſunt & concordiæ, effectui votivo ſalubriter demandare, Joannem Archiepiſcopum, Decanum, Capitulum, Scolthetum, Burgimagiſtros, Scabinos, Conſiliarios, Theſaurarios, & alios Officiarios ac Juſticiarios præfatos, ac eorum ſingulos à quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis & Interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quâvis occaſione, vel causâ latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ac dictarum ſcripturarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes,

Hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Tranſactionem, conventionem, pactum & concordiam hujuſmodi, ac puncta & articulos in eis, nec non prout illa concernunt omnia & ſingula in ipſis ſcripturis contenta, licita tamen & honeſta, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium perpetuò approbamus & confirmamus, ac per utramque partium prædictarum inviolabiliter obſervari debere,

Ipſaſque Partes ad illorum obſervationem & complementum omni viâ juris, ſub quibuſvis cenſuris & pœnis cogi & compelli, nec ab eorum obſervatione reſilire poſſe decernimus; ſupplentes omnes & ſingulos tam juris quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem.

Quo-circa dilectis Filiis Sancti Andreæ extra, & Sancti Bartholomæi de Eechout intra Oppidum prętatum, Monaſteriorum Abbatibus, ac Officiali Tornacenſi per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios præſentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties ſuper hoc pro parte Partium prædictarum vel alterius earum deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtrâ Litteras, & in eis contenta hujuſmodi, firmiter obſervari, ac eaſdem reſpectivè Partes illis pacificè gaudere,

Non permittentes unam Partium prædictarum per alteram, vel è contrà, aut eaſdem Partes per quoſcumque deſuper quomodolibet indebitè moleſtari; contradictores quoſlibet & rebelles, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, ac legitimis deſuper habendis ſervatis proceſſibus, Cenſuras & pœnas ipſis etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiæ & Univerſitatis ſeu Municipii prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis & conſuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis & Litteris Apoſtolicis, illis, & ſeu dictis Partibus aut quibuſlibet aliis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis irritantibus & aliis Decretis, etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innovatis.

Quibus omnibus, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, vel aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hâc vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſè derogamus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi Partibus ipſis vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per Litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc Paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis, decreti, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo, nono Kalendas Martii, Pontificatûs noſtri octavo. 1541.

CAPUT LXXXVI.

PAULUS III. *Pontifex recenſet atque confirmat anno* 1541 *Fundationem aliaque Privilegia Monialium Stæ. Eliſabethæ Ordinis Sti. Auguſtini, Bruxellis per Eliſabetham Brabantiæ Duciſſam ab anno* 1402 *inchoata.*

Ex Archivis Archiepiſc. Mechlin.

PAULUS Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectis in Chriſto Filiabus, Prioriſſæ & Conventui Monialium per Prioriſſam gubernari ſoliti, ſanctæ Eliſabeth in Monte Syon, Oppidi Bruxellenſis, Ordinis S. Auguſtini, Cameracenſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ex parte veſtra fuit propoſitum coram Nobis, quod poſtquam olim, videlicet anno milleſimo quadringenteſimo ſecundo, 1402. bonæ memoriæ Joannes tunc Epiſcopus Cameracenſis, contemplatione quondam Eliſabeth dum viveret Burgundiæ & Brabantiæ Duciſſæ Fundatricis Monaſterii Monialium S. Eliſabeth in Monte Syon Oppidi Bruxellenſis, Ordinis S. Auguſtini, Cameracenſis Diœceſis, ut Vos ſalubrius & commodius Altiſſimo famulatum reddere valeretis, tunc Decanum Chriſtianitatis nuncupatum, in dicto Oppido pro tempore reſidentem, cum aſſiſtentia unius honeſti & approbatæ vitæ dicti Ordinis Religioſi primò, & deinde milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſexto 1436. etiam tunc Priorem Viridis Vallis ejuſdem Diœceſis, & ſucceſſivè etiam bonæ memoriæ Joannes de Burgundia Joannis Epiſcopi Cameracenſis immediatus ſucceſſor, loco ejuſdem Prioris Viridis, Priorem Rubeæ Vallis dictæ Diœceſis pro tempore exiſtentem, ipſius Monaſterii Viſitatores, cum facultatibus tunc expreſſis elegerant & deputaverant;

Poſtremò piæ memoriæ Eugenius PP. IV. Prædeceſſor noſter milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quarto Domini noſtri Jeſu Chriſti reſpectivè annis, veſtris tunc ſupplicationibus inclinatus, Vobis, quod de conſilio & aſſenſu alicujus Prælati Eccleſiaſtici eidem Monaſterio unum vel duos ut præfertur bonæ conditionis & famæ Presbyteros ſæculares, vel Regulares dicti Monaſterii Viſitatores & gubernatores, cum facultatibus ſimiliter tunc expreſſis eligere valeretis, quamdiu Regularis obſervantia in dicto Monaſterio vigeret, conceſſerat & indulſerat; compertum eſt ob diverſorum Viſitatorum varietatem & à proprio Paſtore diviſionem, Monaſterium prædictum in ſuo tranquillo & quieto regimine, prout eo tempore quo à ſuo proprio Paſtore ut præmittitur regebatur, perſiſtere, & Vos Divino obſequio cui eſtis mancipatæ famulatum reddere, ut deſideratis & tenemini, non valetis.

Et ſicuti eadem petitio ſubjungebat, deficiente cura veri Paſtoris, qui cognoſcit oves ſuas, totum ovile diſpargitur, & à quo Vos totaliter non receſſiſtis, neque recedere intenditis.

Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus pro ſalubri dicti Monaſterii directione & regimine Vobis in præmiſſis providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur veſtris ſupplicationibus hujuſmodi inclinati, Vobis ut de cætero unum vel plures Viſitatorem ſeu Viſitatores, gubernatores, Confeſſorem & Capellanum, Presbyteros ſæculares vel Regulares, qui dictum Monaſterium viſitare ac in ſpiritualibus & temporalibus regere & gubernare, Confeſſiones audire, Miſſas & alia divina officia celebrare, & Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare in eodem Monaſteria debeant, de conſilio tamen & aſſenſu Epiſcopi Cameracenſis pro tempore exiſtentis, eligere poſſitis & valeatis, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium de ſpeciali gratiâ concedimus pariter & indulgemus.

Quodque tam vos quam Viſitatores, gubernatores, Confeſſores & Capellani ipſius Monaſterii, etiam pro tempore exiſtentes, in omnibus & in ſingulis controverſiis & differentiis, ac quibuſvis neceſſitatibus pro tempore occurrentibus, ad eundem Epiſcopum recurrere, & illius moderationi, ordinationi & decreto ſtare, & parêre teneamini & debeatis.

Sicque per quoſcumque Judices etiam ſacri Palatii Apoſtolici Cauſſarum Auditores, ſublatâ eis & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi & interpretandi facultate & authoritate judicari & definiri debêre, nec non quidquid ſecus attentari contigerit, irritum decernimus & inane.

Non obſtantibus præmiſſis, ac felicis recordationis Eugenii PP. IV. Prædeceſſoris hujuſmodi, nec non in Provincialibus & Synodalibus, Conciliis generalibus vel ſpecialibus, Conſtitutionibus & Ordinationibus, Apoſtolicis quoque Indultis & Litteris Apoſtolicis, Monaſterio & Ordini hujuſmodi, in contrarium quomodolibet conceſſis, etiam juramento, vel quâvis aliâ fir-

mitate roboratis Statutis & Conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ conceſſionis, Indulti & Decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicę milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo, VIII. Kal. Julii, Pontificatûs noſtri anno ſeptimo.

CAPUT LXXXVII.

PAULUS III. *Perſonatum Eccleſiæ Parochialis loci de Schyndel, in Majoratu Sylvæducenſi (olim pertinentem ad diſpoſitionem Præpoſiti Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Servatii Trajecti ad Moſam) incorporat anno* 1545. *Sacræ Facultati Theologicæ Lovanienſi, ad opus Burſariorum in Collegiis Majori, Minori & Pontificio ibidem.*

Ex Archivis Silvæduc. in Capitulo Mechlin. aſſervatis.

PAULUS Epiſcopus Servus ſervorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo Feltrenſi, & dilectis filiis Decano Eccleſiæ S. Petri Lovanienſis, Leodienſis Diœceſis, ac Officiali Cameracenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Hodie emanarunt à Nobis Litteræ, ſubſequentis tenoris.

Paulus Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Altitudo divinæ providentiæ, à qua bona omnia procedunt, ea in ſuorum fidelium animis frequenter ingerit, per quæ ejus agnitio ad humanæ ſalutis præſidium latius dilatari, divinique nominis & Fidei Catholicæ cultus protendi, omniſque proſperitas humanæ conditionis augeri valeat, & Fides ipſa Catholica roborari.

Unde nos, quibus câdem providentiâ univerſalis Eccleſiæ regimen eſt commiſſum, attendentes, quod per Litterarum ſtudia Fides ipſa roboratur atque protegitur & ampliatur, perſonarum quarumlibet, præſertim Catholicorum Principum, nobis & Apoſtolicæ Sedi devotorum votis, quæ ad id tendere conſpicimus, ut votivos ſortiantur effectus, cum à Nobis petitur, Apoſtolici favoris ſuffragium ſolertiùs impertimur, aliàſque deſuper diſponimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Sane chariſſimus in Chriſto Filius noſter *Carolus* Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, tam ſuo quam dilectorum filiorum *Philippi de Spina* Perſonæ Perſonatûs Parochialis Eccleſiæ S. Servatii loci de *Schyndel*, & modernorum Decani ac Magiſtrorum Collegii Univerſitatis generalis Studii Theologię Oppidi Lovanienſis, Leodienſis Diœceſis, nominibus Nobis nuper exponi fecit,

Quod licet jam dudum in eodem Oppido Univerſitas Studii generalis Suppoſitorum multitudine, & Viris non ſolum in Theologia, verum etiam in omni genere diſciplinarum inſigniter eruditis florentiſſima vigeat, eaque & quinque Facultatibus, quarum prima eſt Theologiæ, tanquam Membris ſuis conſtet: & in ea per Magiſtros, Licentiatos & Baccalaureos in Theologia plurimæ fiant Theologiæ hujuſmodi Lectiones & Diſputationes, ac alia exercitia ex quibus Viri in S. Theologia optimè eruditi & ſtrenuè exercitati; ſicque eruditi & exercitati contagioſæ hæreſium peſti hoc miſerabili & calamitoſo ſæculo indies latiùs ſerpenti reſiſtere poſſint; prout hactenus cum Dei adjutorio in illis partibus magno cum fructu reſtiterunt;

Status Studii Theologici.

Nihilominus cum in regione Inferioris Germaniæ, quæ latiſſima & populoſiſſima exiſtit, unica ſit Univerſitas prædicta, & in ea ſint pauca Collegia, illorumque Burſę ſeu Portiones pauciores quam numerus pauperum Scholarium Studio Theologię ſe dedentium requirat & hujus calamitoſi ſæculi neceſſitas expoſtulet, & pleræque ex Burſis ſeu Portionibus hujuſmodi adeo tenues exiſtant, ut ad neceſſariam ſuſtentationem pauperum Scholarium hujuſmodi non ſufficiant;

Præſertim cum ſtudium Theologiæ hujuſmodi non leviter & ſummis tantùm labiis deguſtari debeat, ſed multis annis in eo verſandum, & diu noctuque inſiſtendum ſit, ut exinde ſolidus fructus defenſioni Fidei Catholicæ utilis reportetur, pluresque exinde Scholares pauperes ſtudio hujuſmodi initiati, ob longas & graves illius impenſas, à bono ſtudendi propoſito non reſiliant, ſeu illud jam bene inſtitutum omittere cogantur; tot quot pro defenſione ipſius Catholicæ Fidei his temporibus neceſſarii eſſent, Magiſtri & Licentiati in Theologia non evadunt.

Quamvis eos paucos præfatus *Carolus* Imperator, qui & Hiſpaniarum Rex, nec non illarum Partium in temporalibus Dominus exiſtit, ad Eccleſias Parochiales Juris-Patronatûs ſui ut plurimùm præſentet; ſicque ex Univerſitate hujuſmodi deſideratus fructus, & qui ex eâ aliàs colligi poſſet, non colligitur, nec hæreſibus prædictis eâ quâ deberet efficaciâ reſiſtitur.

Et ſi Perſonatus dictæ Eccleſiæ, quem præfatus *Philippus* * obtinet, Collegio & Univerſitati pro tempore exiſtentium Decani & Magiſtrorum, ac aliarum perſonarum Facultatis Theologicæ Studii hujuſmodi, tam pro Erectione quatuor novarum Burſarum ſeu portionum, pro quatuor pauperibus Scholaribus, in Artibus Magiſtris, virtute & ſcientiâ præſtantibus, de quibus Verbum Dei Chriſti fidelibus annunciandum, illudque defendendi major ſpes eluceſceret, Theologiæ ſtudio in Univerſitate hujuſmodi operam daturis, quam pro ſupplemento tenuiorum Burſarum ſeu Portionum prædictarum, pro ſimilibus Scholaribus in Facultate hujuſmodi fundatarum;

*Erat etiam Decanus S. Joannis Silvæduc.

Ita ut neceſſariæ ſuſtentationi Scholarium illas pro tempore poſſidentium, ſeu percipientium, arbitrio Decani & Magiſtrorum ac aliarum Perſonarum Facultatis hujuſmodi ſufficerent, perpetuò uniretur, annecteretur & incorporaretur, profectò ex Univerſitate prædicta major Facultatis Theologicæ, Magiſtrorum & Licentiatorum, ac aliorum in ea doctorum Virorum numerus evaderet; & eorum medio peſti hæreſium hujuſmodi efficacius reſiſti poſſet.

Quare idem *Carolus*, Imperator, Rex & Dominus, aſſerens, fructus, redditus & proventus dicti Perſonatûs ducentorum & quinquaginta Ducatorum auri de Camera, ſecundum communem æſtimationem valorem annuum non excedere, dictis nominibus Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut dictum Perſonatum Collegio & Univerſitati prædictis perpetuò unire, ac aliàs in præmiſſis providere, de benignitate Apoſtolicâ dignaremur.

Valor Perſonatûs.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes Beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur verum annuum valorem, ſecundùm eandem extimationem, & Beneficii, cui aliud uniri peteretur (alioqui Unio non valeret) & ſemper in Unionibus Commiſſio fieret ad Partes, vocatis quorum intereſſet; quique perſonis Litterarum ſtudiis, per quę divini nominis & Fidei Catholicæ cultus protenditur, juſticia colitur, & Reſpublica Chriſtiana utiliter geritur, inſiſtentibus, opportunæ commoditatis auxilia libenter impendimus, *Philippum*, Decanum, Magiſtros, & alias perſonas Facultatis hujuſmodi, ac eorum ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & Interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, Cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quâvis occaſione vel cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ac fructuum, reddituum, proventuum dicti Collegii verum annuum valorem præſentibus pro expreſſo habentes,

Hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Perſonatum prædictum, qui ſine Cura exiſtit, & ad quem, dum pro tempore vacat, præſentatio Perſonæ idoneæ per Archidiaconum Campinienſem in Eccleſia Leodienſi ad Præpoſitum pro tempore exiſtentem Eccleſiæ ejuſdem Sti. Servatii Oppidi Trajectenſis dictæ Diœceſis aſſeritur legitimè pertinere; cum primùm illum per ceſſum vel deceſſum, ſeu quamvis aliam dimiſſionem præfati *Philippi*, etiam apud Sedem Apoſtolicam prædictam, aut aliàs quovis modo, etiam in aliquo ex menſibus nobis & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti per Apoſtolicas ſeu Cancellariæ Apoſtolicæ Regulas pro tempore reſervatis, aut Ordinariis Collatoribus, & per eaſdem Conſtitutiones ſeu Litteras alternativarum, aut alia Privilegia conceſſis hactenus, & in poſterum concedendis, vacare contigerit, etiam ſi actu nunc quovis modo & ex cujuſcumque perſonę, ſeu per liberam reſignationem cujuſvis de illo in Romana Curiâ, vel extra eam, coram Notario publico & teſtibus ſponte factam, aut aſſecutionem alterius Beneficii Eccleſiaſtici ordinariâ Authoritate collati vacet;

Status Perſonatûs de Schyndel.

Etiam ſi tanto tempore vacaverit, quod ejus Collatio juxta Lateranenſis Statuta Concilii ad Sedem præfatam legitimè devoluta, ipſeque Perſonatus diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter reſervatus exiſtat, & ſuper eo inter aliquos lis (cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo) pendeat indeciſa;

Cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis (reſervatis ex illis unâ Marchâ argenti puri Archidiacono Campiniæ pro intereſſe ſuo, & viginti quinque florenis Caroli, duodecim Ducatos auri cum dimidio alterius ſimilis Ducati, ut idem Carolus Imperator etiam aſſerit, conſtituentibus, Rectori pro tempore exiſtenti Scholæ loci de Schyndel hujuſmodi, pro ejuſdem Rectoris manutentione, ad hoc ut pueros & filios incolarum dicti loci in bonis moribus & ſcientiis diligentius imbuat, eis per Decanum & Magiſtros ac alias perſonas Facultatis Theologicæ hujuſmodi, in feſto Nativitatis Domini noſtri J. C. annis ſingulis perpetuis futuris temporibus perſolvendis) Collegio & Univerſitati prædictis;

Ita quod liceat eiſdem Decano ac Magiſtris

ſtris, & aliis perſonis ejuſdem Facultatis Theologicæ ex nunc prout ex tunc & è contra, cum vacaverit ut præfertur, corporalem poſſeſſionem Perſonatûs juriumque & pertinentiarum prædictorum, per ſe, vel alium ſeu alios, propria auctoritate liberè apprehendere; illiuſque fructus reditus & proventus in uſus prædictos convertere, Diœceſani loci, vel cujuſvis alterius licentiâ ſuper hoc minimè requiſitâ, Authoritate Apoſtolicâ tenore præſentium perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus.

Ac Venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Leodienſi, & præfatis Archidiacono ac Præpoſito, & illi vel illis, ad quem vel ad quos diſpoſitio dicti Perſonatûs quomodolibet ſpectat, ne de illius cum vacaverit, etiam ſi actu nunc vacet, Collatione, Proviſione, Præſentatione ſeu Inſtitutione; vel quâvis aliâ diſpoſitione, etiam prætextu quarumcumque facultatum, Privilegiorum & Indultorum Apoſtolicorum eis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis quomodolibet conceſſorum ſe intromittere quoquo modo præſumant, diſtrictiùs inhibemus.

Nec non ex nunc omnes & ſingulas Collationes, Proviſiones, Commendas, electiones, præſentationes, inſtitutiones, acceptationes, uniones, ſurrogationes, expectativas, reſervationes, cæteraſque gratias & quaſcumque alias diſpoſitiones de Perſonatu hujuſmodi, etiam nunc vacante ſeu cum vacaverit, cuicumque perſonæ, ſeu quibuſvis perſonis Eccleſiaſticis, etiam collitigantibus, & poſſeſſoribus, ſeu Beneficiis, vel piis locis aut aliàs quomodolibet, & quorumcumque aliorum Indultorum, gratiarum & Litterarum Apoſtolicarum vigore, per Nos & Sedem præfatam, aut aliàs quomodolibet, etiam nunc vacaturo, vel actu vacante, factas & faciendas, etiam in quibus de Unione hujuſmodi ſpecialis, ſpecifica & expreſſa & individua mentio facta fuerit, nullas & invalidas, nullioſque roboris efficaciæ & momenti fore, fuiſſe & eſſe:

Sicque per quoſcumque Judices, quâvis Authoritate fungentes, ſublatâ eis & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi & interpretandi facultate & authoritate, judicari & diffiniri debêre, decernimus & declaramus.

Nec non Decano & Magiſtris, ac aliis perſonis Facultatis Theologicæ hujuſmodi, eaſdem quatuor erigendas, & aliàs augendas Burſas ſeu portiones hujuſmodi, ſecundum leges & Statuta preſcripta, ſeu per eos præſcribenda Scholaribus (ut præfertur) qualificatis, perpetuo conferendi, & plenariè de illis diſponendi.

Eaſdemque Burſas ſeu portiones pro tempore obtinentes juxta eorum demerita puniendi, & eos Burſis ſeu portionibus prædictis, cauſâ cognitâ privandi, ac alios magis idoneos in eorum locum ſubſtituendi;

Nec non dictæ Eccleſiæ perpetuam Vicariam; in quâ ac aliis Beneficiis, ad Præſentationem pro tempore exiſtentis Perſonæ dicti Perſonatûs, etiam legitimè ſpectantibus, perſonarum pro tempore præſentatarum Inſtitutio ad dictum Archidiaconum pro tempore exiſtentem etiam legitimè ſpectare aſſeritur; & alia Beneficia Eccleſiaſtica ad Collationem, proviſionem, præſentationem electionem Inſtitutionem, & quamvis aliam diſpoſitionem, pro tempore Perſonatum hujuſmodi obtinentis ſpectantia & pertinentia, illorum pro tempore occurrente vacatione, perſonis idoneis etiam conferendi, & de illis diſponendi; eiſdem præſentibus facultatem concedimus. Vicaria perpetua in Schyndel.

Ac quod Vicarius dictæ Eccleſiæ pro tempore exiſtens, de cætero in dicta Eccleſia continuò reſidêre, & Vicariæ hujuſmodi per ſe-ipſum deſervire teneatur: & ſi non reſederit, & à dicta Eccleſia abſque expreſſâ licentiâ pro tempore exiſtentium Decani & Magiſtrorum, ac aliorum prædictorum abſens fuerit, ex tunc dictâ Vicariâ privatus exiſtat, illaque vacare cenſeatur eo ipſo: ipſique Decanus & Magiſtri ad illius proviſionem ex tunc procedere, & illam perſonæ idoneæ conferre poſſint & valeant, Auctoritate Apoſtolicâ & tenore prędictis; perpetuò ſtatuimus & ordinamus.

Non obſtantibus priori voluntate noſtrâ prædictâ ac Lateranenſis Concilii noviſſimè celebrati, Uniones perpetuas (niſi in caſibus à jure permiſſis) fieri prohibentis: nec non fel. record. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, & quibuſvis aliis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis. Clauſulæ ordinariæ derogatoriæ.

Nec non fundatione dicti Perſonatûs, Privilegiis quoque Indultis & Litteris Apoſtolicis; nec non quibuſvis ſpecialibus vel generalibus etiam mentalibus reſervationibus, expectativis, ac de providendo mandatis, Litteris alternativis, & aliis gratiis, Unionibus, etiam perpetuis, & abſque conſenſu, Coadjutorum deputationibus, facultatibus & indultis, etiam cum proviſionibus & aliis diſpoſitionibus, quibuſvis perſonis, etiam S. R. E. Cardinalibus, & præfatis Ordinariis Collatoribus, ac etiam & antiquis & deſcriptis Familiaribus, continuis Commenſalibus noſtris, Cameræ & Rotæ Auditoribus, Referendariis, Litterarum earumdem Apoſtolicarum Abbreviatoribus & ſcriptoribus, ac aliis dictæ Curiæ Officialibus, etiam officia ſua actu exercentibus, & illorum omnium, ac quorumvis aliorum Collegiis; etiam Imperatoris, Regum, Ducum vel aliorum Principum, aut cujuſvis alterius Perſonæ contemplatione, vel intuitu, aut in prædictorum ſeu aliorum vel etiam in nullius favorem

Digitized by Google

aut commodum, etiam motu proprio & ex certa ſcientia ac de Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, etiam ob remunerationem laborum & obſequiorum, ac in recompenſam jurium ceſſorum & ablatorum, ac ex quibuſvis aliis, etiam urgentiſſimis cauſſis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis antelationibus, exemptionibus, ſuſpenſionibus, reſtitutionibus, declarationibus, atteſtationibus, ac aliis etiam derogatoriarum derogatoriis clauſulis, nec non irritantibus, & aliis, etiam quod hujuſmodi reſervationes, expectativæ, Indulta, & gratiæ etiam ex tunc plenarium effectum ſortita ſint, & illis quibus conceſſa ſunt, plenum jus in re acquiſitum ſit, & beneficio Regulæ de non tollendo jus quæſitum, gaudêre debeant; illaque non niſi ſub certis modo & formâ ſuſpendi vel revocari poſſint, aliiſque efficacioribus, etiam vim contractûs inducentibus Decretis, in genere & in ſpecie, etiam per Nos & Sedem præfatam ac illius Legatos conceſſis & concedendis.

Quas & quæ, illorumque omnium vim & effectum, quoad hoc omnino ſuſpendimus, & in dicto Perſonatu effectum ſortiri, aut locum ſibi vendicare non poſſe nec debere, decernimus.

Illiſque, nec non Fundationi, Statutis, Privilegiis & Indultis prædictis, tenores illorum (ac ſi de verbo ad verbum inſererentur) præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes (illis aliàs in ſuo robore permanſuris) hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſè derogamus contrariis quibuſcumque: aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi vel aliis Beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales vel generales dictæ Sedis vel Legatorum ejus Litteras impetraverint, etiam ſi per eas ad inhibitionem, reſervationem & Decretum, vel aliàs quomodolibet ſit proceſſum.

Quas quidem Litteras & proceſſus habitos per eaſdem, ac inde ſecuta quæcumque, ad dictum Perſonatum volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Beneficiorum aliorum præjudicium generari.

Et quibuſlibet aliis Privilegiis, Indulgentiis & Litteris Apoſtolicis, generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris Litteris mentio ſpecialis;

Proviſo quod propter Unionem, annexionem & incorporationem, prædictus Perſonatus debitis non fraudetur obſequiis, ſed ejus congruè ſupportentur onera conſueta.

Nos enim Unionem, annexionem & incorporationem hujuſmodi, ad hoc ut ſub quibusvis ſimilium vel diſſimilium unionum effectum non ſortitarum ſuſpenſionibus & revocationibus, ac Conſtitutionibus, ſeu Cancellariæ Regulis quomodolibet pro tempore factis & editis, non comprehendantur, ex nunc verè & non fictè ſuum plenarium effectum ſortitas, & quoties hujuſmodi ſuſpenſiones, revocationes, Conſtitutiones & Regulæ emanarunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, & de novo factas exiſtere ac cenſeri debere: nec non, ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis Authoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ abſolutionis, Unionis, annexionis, incorporationis, inhibitionis, Decreti, declarationis, conceſſionis, Statuti, Ordinationis, ſuſpenſionis, derogationis & voluntatis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto, pridie Nonas Decembris, Pontificatûs noſtri anno duodecimo. 1545.

Quo circa diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus &c. *Sequuntur clauſulæ executoriales ſtyli ordinarii, directæ ad Executores in proœmio hujus Bullæ deſignatos.*

Schynoel, Eccleſia S. Servatii, Parochialis, in Diœceſi olim Leodienſi, nunc Sylvæducenſi, ſubeſt Archipresbyteratui Ortthenſi. Facultas Theologica Lovanienſis illic uſque hodie Decimas aliaque bona obtinet, & Paſtorem Catholicum conſtituit: ſed ſimul obligatur ad competentiam Miniſtro & Cuſtodi acatholicis tribuendam.

CAPUT LXXXVIII.

Acta Convocationis Cleri Brabantiæ, pro Contributione in favorem Doctorum Theologorum, è Belgio deputatorum juſſu CAROLI V. *Cæſaris ad Concilium Tridentinum, anno* 1551.

Maria Regina Hungar. Soror Caroli V.

COmme la Royne *, par expreſſe ordonnance de l'Empereur auroit faict aſſembler en la ville de Bruſſelles au XXII. jour de May dernier tous les Chapitres Collegiaulx du Pays de Brabant, & leur faict remonstrer, comme noſtre Sainct Pere le Pape * moderne à l'honneur de Dieu &c. auroit derechef indict le Sainct Concile general eſtre tenu en la Cité de Trente environ le mois de May dernier, & faict requerir Sa Majeſté Imperiale tenir main, que ceulx de ſes Royaulmes & Pays patrimoniaulx de par-deça faiſſent debvoir d'y envoyer leurs Commis & Deputez;

*Julius III. Pont.

A quoy icelle Sa Majeſté deſirant ſatisfaire, avoit deja choiſi aulcuns bons perſonnaiges de qualité, pour y aller & comparer de par ſes Royaulmes d'Eſpagne; & deſiroit que le ſemblable ſe fiſt par-deça, faiſant requerir auxdicts du Clergie de Brabant de choiſir aulcuns bons perſonnaiges de qualité & de litterature pour en ce vacquer, & en advertir Sa Majeſté Reginale.

Et au ſurplus conſentir de fournir leur cotte & contingent en la deſpence qu'il faudra ſupporter pour ledit envoy, portant pour la Clergie de Brabant à *ſix-cents* Carolus *par mois.*

Quota Cleri Brab.

A quoy, après aulcunes Conſultes & retraites ſur ce tenues par leſdits du Clergie de Brabant, ont finalement liberalement conſenti & accordé, furnir & ſatisfaire leur cotte & contingent d'icelle deſpence pour tout le tems que leſdits Deputez vaqueront en icelle Legation de Concille, avecq leur raiſonnable retour.

Et requerans au ſurplus d'Acte d'acceptation d'icelluy, avec clauſe de non prejudice aux libertez & exemptions qu'ils pretendent avoir au contraire, & qu'il ne ſerat tiré en conſequence.

Meſmes que l'intention de la Royne ne ſerat, d'aucunement les vouloir aſſujectir au conſentement des Prelats & Abbez dudit Pays de Brabant. Et qu'ils pourroit commettre quelque Deputé, pour faire le taux particulier; y joinct ung Commis * que ladicte Majeſté vouldroit ordonner.

Petrus Van Hamme, Receptor Statuum Brab. in Diſtrictu Lovan.

Sadicte Majeſté aiant ledit Accord pour agreable, l'a accepté par ceſtes, declarant par le méſme, qu'il ne portera aucun prejudice à leurs libertez & pretendues exemptions, & qu'il ne ſera tiré à conſequence, au prejudice de leurs Succeſſeurs.

Et que ſoubs umbre dudit Accord ils ne ſeront aſſervis ne tenus ou reputez plus ſubjects à ſemblables Contributions, qu'ils n'eſtoient auparavant ledit Accord; & demeureront en l'ancieſne liberté qu'il pretendoient avoir auparavant. Et que ſon intention n'eſt de les aſſubjecter au conſentement deſdits Prelats, & qu'ils pourront commettre quelque Deputé, pour faire ladite Taxation particuliere, y joinct ung Commis, que Sadite Majeſté commettra.

Faict à Bruſſelles le 5. jour de Juillet XV. cent cinquante-ung; ſubſigné, MARIA. *Par ordonnance de Sa Majeſté:* Verreycken. 1551.

Similem Convocationem Cleri Flandriæ, ad ſubveniendum expenſis pro itinere Deputatorum è Belgio ad Concilium Tridentinum, ab anno 1544, habes Tomo III. horum Diplomatum Belgic. pag. 460.

Item nomina octo Deputatorum, quos Maria Hungariæ Regina, Belgii Gubernatrix, anno 1551. juſſu Caroli V. Cæſaris ad idem Concilium Tridentinum ablegavit, habentur in præfato Tomo III. pag. 465.

CAPUT LXXXIX.

PAULI IV. *Pont. Breve ad Salvatorem Pacinium Epiſcopum Cluſinum, datum Romæ die X. Julii* 1559, *quo deſtinatur Nuncius Extraordinarius in Belgium, cauſâ Erectionis novorum Epiſcopatuum.*

Additio ad Tomum III Diplom. Belg pag. 538. ubi de Erectione novorum Epiſcopat. Belgii agitur.

VEnerabili Fratri Salvatori Epiſcopo Cluſino, noſtro & Apoſtolicæ Sedis in Regnis Hiſpaniarum Nuncio, PAULUS PP. IV.

Venerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum Nos nuper in Regione inferioris Germaniæ chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici ditioni jure hæreditario ſubjectâ, nonnullas Metropolitanas & Cathedrales Eccleſias, de Fratrum noſtrorum conſilio, Apoſtolicâ Authoritate erexeri-

mus, illiſque certa ejuſdem regionis loca, quæ à Diœceſibus certorum tunc expreſſorum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum diſmembravimus, juxta diſtinctionem & limitationem, per Nuntium noſtrum ad id à Nobis deſuper deputandum, pro ſuis Provinciis & Diœceſibus conceſſerimus : ac dotem ipſis Eccleſiis ex bonis & decimis certorum Monaſteriorum & Præpoſiturarum aſſignandam judicio noſtro reliquerimus :

Conſiderantes quod tu, qui antequam in Hiſpaniam proficiſcaris, de proximo ad ipſius Germaniæ partes, pro nonnullis noſtris & hujus Sanctæ Sedis negotiis apud eundem Philippum Regem, inibi ad præſens reſidentem, tractandis & procurandis es acceſſurus ;

Tibi tenore præſentium committimus & mandamus, quatenus cùm primum ad Regionem ipſam te contuleris, habitâ prius per te deſuper maturâ ac diligenti informatione, quantum tibi ſufficere videbitur ; Perſonas idoneas & fideles, de quarum probitate & experientia te confidere poſſe judicaveris, ad Provincias & Diœceſes ipſas diſtinguendas & limitandas, ac dictam dotem ab ipſis Monaſteriis & Præpoſituris diſmembrandam, ac prædictis Eccleſiis aſſignandam, & alàs negocium hujuſmodi diligenter & accuratè peragendum & faciendum, eligas & deputes, eaſque ſic electas ad dicta loca pro ipſius negotii expeditione quanto-citius deſtinare procures.

Nos enim tibi, & perſonis, ut præfertur deputandis, Provincias & Diœceſes ipſas diſtinguendi & limitandi, ac dotem hujuſmodi ab ipſis Monaſteriis & Præpoſituris diſmembrandi, ac dictis Eccleſiis (ut præfertur) aſſignandi, omniaque & ſingula alia in præmiſſis & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna, faciendi, gerendi, & exequendi plenam & liberam, authoritate & tenore prædictis, facultatem concedimus & poteſtatem ; in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die x. Julii M. D. LIX. Pontificatûs Noſtri anno quinto.

Sign. *Franciſcus de Aragonia.*

CAPUT XC.

Stus. Pius V. *Pont. anno* 1568. *concedit Gilberto d'Ongnies Tornacenſi Epiſcopo Facultatem conferendi Præbendas omnes ſingulas & quovis menſe vacaturas, in Eccleſia ſua Cathedrali ; verum-tamen non niſi Doctoribus vel Licentiatis in Theol. vel Jure, vel Nobilibus Perſonis.*

PIUS Epiſcopus Servus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Supernæ diſpoſitionis arbitrio Romanus Pontifex in excelſo militantis Eccleſiæ conſtitutus, erga ſtatum Eccleſiarum quarumlibet, præſertim inſignium Cathedralium, providamque Canonicatuum & Præbendarum in eis exiſtentium, Collationem & diſpoſitionem, aciem Paſtoralis ſolicitudinis frequenter intendit ; & ad ea, per quæ Eccleſiæ ipſæ perſonarum utilium fulciuntur præſidiis, officii ſui partes, prout rerum temporumque neceſſitas exigit, propenſius impartitur.

Gilbertus d'Oignies conſecratus Anno 1565 mortuus 1574.

Sane, cum ſicut accepimus, Venerabilis frater noſter *Guilbertus* Epiſcopus *Tornacenſis*, pro Eccleſiæ ſuæ ſalubri directione ſollicitus, apprimè conſiderans, quod licet in Eccleſia ſua Tornacenſi ſuperioribus annis, propter ſingularem Virorum in ea Beneficia obtinentium pietatem, vitæ ac morum integritatem nec non doctrinam & generis Nobilitatem, non ſolum divini cultûs obſervantia viguerit, ſed etiam Eccleſiaſticæ dignitatis authoribus plurimùm floruerit,

Cum tamen poſtmodum, propter Epiſcoporum qui deinceps fuerunt abſentiam, ipſius Eccleſiæ Canonicatus & Præbendæ, qui antea non niſi perſonis doctrinâ pietate & generis nobilitate patentibus conferri ſolebant, eorum abſentiâ durante ad homines parum idoneos magna ex parte pervenerint ; & propterea cupiat ad illius profectum, & honoris conſervationem, ut Canonicatus & Præbendæ hujuſmodi non niſi perſonis aut de Nobili genere ex utroque parente procreatis, aut Viris Litteratis, quorum auxilio & conſilio ipſius Eccleſiæ negotia utiliter & ſalubriter dirigi valeant, conferantur.

Nos præmiſſis paterno quo decet affectu conſulere ſatagentes, ac ejuſdem Eccleſiæ decorem & utilitatem ſollicitis ſtudiis procurare cupientes, Motu proprio, non ad ipſius *Guilberti* Epiſcopi vel alterius pro eo nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quod dein-

deinceps perpetuis futuris temporibus omnes & ſinguli Eccleſiæ Tornacenſis Canonicatus & Præbendę, quos ex nunc in antea per ceſſum vel deceſſum, ſeu quamvis aliam dimiſſionem illos obtinentium, tam in Romana Curia quam extra eam, in quibuſcumque menſibus, ſimul vel ſucceſſivè, vacare contigerit, non niſi perſonis ex Nobili genere ex utroque parente procreatis, aut qui congruo ſtudiorum tempore in aliqua Univerſitate famoſa, in qua Studium vigeat, peractis, prævio rigoroſo examine, ſacræ Theologiæ vel Decretorum aut Juris Civilis Magiſterii vel Doctoratus aut aut Licentiaturæ gradum adepti fuerint, tam per præfatum *Guilbertum*, & pro tempore exiſtentem Epiſcopum Tornacenſem, quam Nos & Sedem prædictam conferri poſſint, Authoritate Apoſtolica, tenore præſentium, ſtatuimus & ordinamus.

Decernentes ex nunc omnes ac ſingulos, aliter quam ut præfertur faciendos diſpoſitiones ac proceſſus ſententias & Cenſuras deſuper pro tempore decretos & latos, nec non univerſum id & quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis autoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irrita & inania, nulliuſque roboris vel momenti

Ac Statuto & Ordinationi hujuſmodi, etiam per quaſcumque Litteras Apoſtolicas, etiam quaſvis clauſulas generales vel ſpeciales & derogatoriarum derogatorias, efficaciores & inſolitas ac etiam irritantes, decreta ſub quacumque verborum expreſſione in ſe continentes, nullatenus derogari poſſe, nec derogatum cenſeri; niſi earumdem tenor de verbo ad verbum, & nihil omiſſo inſertus, ac cauſa urgens & ſufficiens expreſſa & per trinas diſtinctas Litteras eumdem tenorem obtinentes, tribus ſimiliter diſtinctis vicibus præfato Epiſcopo legitime intimata & inſinuata fuerit; ac expreſſe appareat Romanum Pontificem illis expreſſè derogare velle; & aliter factæ derogationes nemini ſuffragentur. Quodque præfatus Epiſcopus, ſeu ipſius Eccleſiæ Capitulum, Litteris derogatoriis hujuſmodi, & decretis ſuper illis proceſſibus, ac illorum Executoribus & ſub-executoribus, eorumque mandatis & monitionibus parere minime teneantur: ſed eis firmiter reſiſtere, & Litterarum hujuſmodi executionem omnino impedire, nec externè reſiſtentes hujuſmodi Cenſuris Eccleſiaſticis, per eoſdem Executores & Subexecutores innodari poſſint.

Præſentes quoque Litteras nullo unquam tempore de ſurreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ vel quodam alio defectu notari, impugnari vel invalidari minimè poſſe, ſed ſemper validas & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios effectus ſortiri & inviolabiliter obſervari, vimque validi & efficacis contractus, etiam cum juramento initi ſortiri debere; ſicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis authoritate fungentes, ſublatâ eis & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi & interpretandi facultate & authoritate, judicari & definiri debere;

Ac ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis Apoſtolicis, nec non ex Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus, Conſtitutionibus & Ordinationibus, ac etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis & Conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtri Statuti, Ordinationis, & Decreti infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octavo, Idibus Junii, Pontificatûs noſtri anno tertio. 1568.

CAPUT XCI.

Acta pro Erectione novi Epiſcopatûs in Oppido Luxemburgenſi anno 1572, promotore Clariſs. Viro Joanne Fonck, Sanctioris Conſilii Senatore.

Ex Archivis Archiepiſc. Mechlin.

INſtruction pour Vous Meſſire Jean Fonck, Prevot de Ste. Marie & Archidiacre d'Utrecht, Conſeillier & Maitre Ordinaire aux Requeſtes du Roy Notre Sire en ſon Conſeil Privé, de ce que aurez à remonſtrer, traicter & negotier devers les Archeveque de Treves & Eveſque de Liege, touchant l'Erection d'un Eveſché au Pays de Luxembourg.

Premierement vous leur preſenterez reſpectivement nos Lettres de Credence, que Vous ſeront baillées. En vertu deſquelles (après nos deues recommandations, hoſneſtes offres & courtoyſies) leur remonſtrerez en brief & pertinent langage la bonne & ſaincte intention de Sa Majeſté endroict ceſt affaire, comme ne tendant fors qu'a augmentation, honneur & reputation de l'Eſtat

Eccleſiaſtique, ou conſervation de l'ancienne Religion Catholique & ſalvation des ſujects de Sadite Majeſté audit Duché de Luxembourg.

Du après leur repreſenterez bien clairement & ſerieuſement les pregnantes raiſons, pour leſquelles Sa Majeſté a par cy devant eſté meue & occaſionnée de requerir devers le St. Siege Apoſtolicque, pour l'Erection de quelques aultres Evechez en ſes Pays de par deça; & entre autres la diminution, qui ſe voit journellement de notre ancienne Foy Catholique, & accroiſſement des Sectes, Sectaires & abominables opinions, regnans encores pour le jourd'huy.

Auſſi que (comme il eſt notoire à un chacun) s'eſt veu du tems de l'Archevecque de Coulogne Hermannus de Wedde, que aiant juriſdiction ſpirituelle en pluſieurs Provinces de l'obéiſſance de ſa Majeſté, il y a envoié pluſieurs Predicans Lutheriens, Calviniſtes & aultres heretiques, & faict ſemer beaucoup de livres ſcandaleux & pernicieux, pour y ſeduire les ſujets de ſa Majeſté, & les ſuſciter, conciter, & rendre rebelles contre les Ordonnances d'icelle ſa Majeſté faictes & publiées ſur le faict de la conſervation de l'ancienne ſaincte Foy Catholicque.

Hermannus Elector Colon. apoſtata.

Et en oultre, que lors, entre tant d'autres raiſons, a auſſi eſté conſideré la grande multitude des ſujects de Sa Majeſté, & qu'iceulx ne pouvoient bonnement, ny comme il étoit requis, eſtre gouverné endroict le ſpirituel, & deffendus & preſervez de tant de ſeducteurs pernicieux par peu d'Eveques & Superintendants ſpirituels. D'autant même que ces Evecques étoient reſidants loing de leurs ouailles, & hors les limites du Pays de Saditte Majeſté.

D'avantaige leur remonſtrerez ſe debvoir conſiderer la grande multitude des Villes, chaſteaux, villages, & places appartenants audict Pays de Luxembourg, & que comme quant à la ſpiritualité ils ſont ſoubz beaucoup & divers Eveſques, à ſçavoir Treves, Liege, Mets, Verdun, Reims & autres. Il advient communement auſſi, que en exercice de leurs juriſdictions Eccleſiaſtiques ſe commectent beaucoup de diverſitez, à grand prejudice de l'ancienne Foy, & negligence des ſujects de Sa Majeſté. Laquelle ce voyant & conſiderant, & deſirant y eſtre remedié, a eſté neceſſitée faire communicquer avec noſtre Saint Pere le Pape comme Chief de l'Egliſe Chreſtienne univerſelle ſur des moyens propres, par leſquels en ce temps tant dangereux les ſubjects dudict Duché de Luxembourg pourroient etre maintenus & conſervez dans l'ancienne Foy Catholicque.

Status Ducatus Luxemburg.

Par laquelle communication, après meure deliberation, s'eſt trouvé que pour le preſent il n'y auroit remede de plus grand profict & aſſeurance, que d'ordonner un Evecque particulier en la Ville de Luxembourg, comme chief-Ville dudict Duché, pour ſpirituelle conſolation & aſſiſtance des ſujets d'icelluy, & faire eſtablir ledict Eveſché Authoritate Apoſtolicâ.

Ce que toutes fois Sa Majeſté n'a voulu que fuſt effectué, ny en ſollicitée l'execution (orez que ſelon droict eſcript n'eſtoit beſoing) que preallablement elle n'euſt amplement fais entendre auxdicts Seigneurs Archevecque & Evéque ſes bonnes & ſainctes propoſition, pretention, deliberation & intention, pour comme Protecteurs de la Saincte Foy ancienne, & amateurs du bien Chreſtien y ſeconder de leur raiſonnable conſentement.

Et affin que ledit Seigneur Archeveſque puiſt clairement & reellement veoir & remarquer la bonne & ſincere affection & confidence de Sa Majeſté envers lui & ſes ſucceſſeurs, lui declarerez ouvertement, n'eſtre l'intention par ceſte Erection d'Eveſché aucunement le prejudicier en ſa Juriſdiction ancienne, ains au contraire l'accroiſtre.

D'autant que Sadicte Majeſté eſt contente & intentionnée de requerir Sa Sainctеté de entierement ſoubmettre & aſſujectir ledit nouveau Eveſché avec touttes ſes appartenances audit Seigneur Archeveſque & a ſes ſucceſſeurs, Jure Metropolitico.

Avec laquelle Declaration & preſentation vous lui direz, que Nous nous confions du tout, que non ſeulement il vouara ſe contenter, ains auſſi advancer la bonne volunté & intention de Sadite Majeſté en ceſt endroict, comme tendant a confirmation de ladite Sainte Foy anciene, & advertir incontinent Sa Sainteté de ceſte preſente communication.

Et ceſtes raiſons ſuſdites remonſtrerez Vous auſſi audit Seigneur de Liege, & pardeſſus icelles, repreſenterez la bonne & vraye affection de Sa Majeſté envers lui, & qu'icelle eſt bien deliberée a ſon temps, la lui faire veoir par œuvres, tant par accroiſſement de honneur, & reputation, que par liberalité. Et que a ce tiendrons voluntiers la main envers Sa Majeſté autant qu'en nous ſera.

Et par deſſus ce que deſſus, pourrez l'aſſeurer l'intention de Sa Majeſté nullement eſtre, lui oſter ou diminuer aucun prouffict ou revenu annuel, ains au contraire pourra ſouffrir & ſera content, que ledit Seigneur Eveſque face communiquer avec Sa Sainctité ſur des moyens, par leſquels les annuelles rentes & proufficts lui ſoient conſervez.

Attendu que Sa Majeſté ne pretend autre choſe, fors que ſes ſujects puiſſent en ce temps tant dangereux avoir auprés d'eux le conſolateur & Paſteur de leurs ames, & par leur regard & ſoing eſtre preſervez contre tous ſeducteurs.

Et finablement que Sa Majeſté eſt pareillement contente, que les Archidiacres de Liege demeurent en leurs anciennes poſſeſſions. Et qu'il fait bien a eſperer, que Sa Sainctеté, pour advancement & conſervation de noſtre Sainte Foy Catholicque ſera bien induiſable a diſpenſer, que les Archidiacres ſuſdits ayant leur Juriſdiction audit Duché de Luxembourg, puiſſent continuer leurs Viſitations accouſtumées, & auſſi eſtre tenus pour Archidiacres du nouvel Eveſché de Luxembourg; non-obſtant que cela

Jura Archidiaconorum Leodienſ.

n'a eſté ordonné ou diſpenſé ès autres nouveaux Eveſchez.

Et par deſſus ce que deſſus, Vous leur direz, remonſtrerez & repreſenterez tout ce que adviſerez pour ſervir a ce qui ſe pretend pour un œuvre ſi bon, ſainct & ſalutaire; reſpondant aux objections & arguments qui Vous ſeront faits, comme trouverez devoir eſtre fait, pour bien informer & diſpoſer leſdits Princes a ſeconder ceſte bonne intention de Sa Majeſté. Et ferez bonne & particuliere note de toutte voſtre Negotiation, pour nous en ſavoir faire bien ample raport a voſtre retour, que deſirons nous le pluſtoſt que bonnement faire pourrez. A laquelle fin uſerez de toute bonne diligence.

Faict a Bruſſelles ſoubs noſtre nom, le 22 jour de Janvier M. D. LXXII. Stylo Curiæ.

Plus bas eſtoit eſcript: F. A. Duc d'Alve: *& ſoubſigné*: Berty.

Extat etiam prolixus ejuſdem rei Conceptus editus per ipſos Luxemburgenſes, in nova Collectione Diplomatum Belgicorum Tomo III. pag. 257. ſed malè citatur annus 1600, loco 1572.

Idem ille *Joannes Fonck van Amerongben*, erat Amersfortius Batavus, J. U. Doctor, Præpoſitus Eccleſiæ Collegiatæ B. M. V. Ultrajecti, Conſilii Sanctioris Conſiliarius, &c. ac tandem obiit nominatus ad Gandavenſem Epiſcopatum. Vide ejus Encomium T. I. Flandriæ Sanderi novæ Edit. pag. 221.

Subſequitur Copia Itinerarii, quod ante-fatus Dominus Joannes Fonckius ſibi confecerat; deſcripta ex minutâ manu ipſius confectâ.

Legatio Trevirenſis, & Leodienſis.

Die Converſionis Sti. Pauli fui ſummo mane profectus Bruxellis, qui fuit 25 Januarii 1572.

Die ultimâ Januarii vênimus Confluentiam. Poſtridie deſtinavi Nuncium ad Principem *, qui ultra Rhenum agebat in Montbour, haud procul à Dilbourg.

* Is erat Jacobus ab Eis, Elector & Archiep. Trevir.

Tertio die, hoc eſt, 2. Februarii, venit Dominus Philippus à Naſſau, qui me duxit in Hermelſtein, juſſus ibidem expectare adventum Principis, qui venit ſequenti die, hoc eſt, 3. Februarii, idque ſub veſperam & tempus cœnæ.

Die 4. ejuſdem expoſui quæ in mandatis habui, exorſus à ſalutatione, officiorumque oblatione, nec non gratiarum actione, quod Legatis Bavaricis mandatum fuerat de pertrahendis Ditionibus inferioribus in fœdus. Rogatumque, ut certior factus de eventu deliberationis perſcriberet.

Continuò inchoatum negotium Epiſcopatûs Luxemburgenſis, & dicta quæ fuêre in Inſtructione, ad unguem.

Poſtremò additum de Molbring & Schoneck, hoc eſt, ubi negotium maturuerit, & veritas rei & ſtatus cauſæ detectus, non defuturam omnis benevolentiæ exhibitionem. Et hæc ex ordine dicta Principi ſoli & ſeorſim in colloquio ſecreto.

Reſponſum. Gratiæ actæ ob ſalutationem &c. Quod ad ſecundum, de Legatis Bavaricis, ſe lubenter feciſſe, & reſcripturum, cum quid audierit de ſucceſſu. Tamen obſtare quendam, (hoc eſt Moguntinum) fortaſſis non tam proprio quam alieno inſtinctu, & forſan illorum qui minimè deberent impedire ob jus ſanguinis.

Quoad tertium; omnem mutationem eſſe periculoſam, remque illam ſecum tracturam multa incommoda, præſertim in locis quæ pro indiviſo poſſidentur, & de jurisdictione Archidiaconorum Capituli Majoris. Tamen ſe cogitaturum & deliberaturum maturius.

Replicatum: quoad periculum ex mutatione, illud ceſſare, prout experientiâ jam comprobatum, in aliis Epiſcopatibus Flandriæ, quorum ſucceſſus feliciſſimi & pleni fructibus.

Item quoad Juriſdictionem Ordinarii, ſi quid decederet, illud accreturum ex aliâ parte, videlicet quod totus Epiſcopatus ſubjiciendus, hoc eſt, illud quod Leodienſis & alii poſſiderent.

Item eodem die, ſcilicet 4., Princeps habuit conſilium cum Officiali, Cancellario & aliquot aliis Conſiliariis. Tandem ſub noctem ad me deſtinatus Officialis, qui rem valde exaggeravit, non ſolum circa reſpicientia ipſum Archiepiſcopum, verum etiam Capitulum, quin imo & Suffraganeos, quorum protectio & defenſio ad Archiepiſcopum ſpectaret, tamquam Metropolitanum.

Item facile ſe intelligere quorſum res evaſura ſit & profectura. Quod Epiſcopatus Luxemburgi fieret Suffrageneus, hoc eſt nihili, propter Placeta, quibus impediri poſſent Appellationes &c.

Item rem communicandam neceſſariò cum Capitulo, cujus, in novatione rei tanti momenti judicium percunctandum, & aſſenſus requirendus.

Item Archidiaconis plurimum deceſſurum, præſertim in Inveſtituris, & aliis conſuetis emolumentis.

Item ſcire cupiens quo devolverentur Appellationes ab Archidiaconis, ad novum Epiſcopum, an vero (ut ſolet) ad Trevirenſem?

Item objecit de Parochiis in limitibus conſtitutis, quæ decimas haberent in ditione Luxemburgenſi: & quod novus E-

Digitized by Google

piſcopus vellet illas decimas applicare ſuis Parochiis ſub Luxemburgo ſitis.

Item de locis communiter poſſeſſis à Principatu & Ducatu Luxemburgenſi.

Item de locis controverſis & nondum deciſis, in quibus Principatui Trevirenſi reſervatur Jus in petitorio.

Item viſus fuit deſuper velle mecum tranſigere, & pacto caveri, quæ ratio impoſterum exercicii Juriſdictionis & gubernationis futura.

Item 5 Februarii accitus fuit alius Conſiliarius Dominus Eeckius, & venit Dominus Archidiaconus Majoris Eccleſiæ Trevirenſis Dominus Guilielmus Quadt: & rurſum cum Principe-met longum habui ſermonem, idque incontinenti poſt prandium. Qui certè viſus fuit inſtitutum ſuæ Majeſtatis non improbare, quod ſtudeat ſubditorum ſuorum ſaluti conſulere quam certiſſimè; tamen finaliter nihil concluſit.

Item 6 Februarii, Dominus Naſſau attulit minutam Litterarum reſponſoriarum; quæ quidem ſimilia videbantur continêre. Quod Princeps nollet illam cauſſam cum ſua Majeſtate ſubtiliter diſputare, ſed rem ſe permittere Pontifici tamquam univerſalis Eccleſiæ capiti. Cæterum in concluſione fuit poſtea non nihil alterata.

Item 7 Februarii diſceſſimus ex Hermelſteyn, & comitati guardiâ venimus Coloniam.

Item quia poſtridie non habebatur Senatus, coactus fui expectare uſque in ſequentem diem lunæ, qui fuit 11 ejuſdem. Quo die auditus fui à Senatu, videlicet uno Conſule Domino Pilgraven, & duobus Quæſtoribus videlicet Domino Geel, & Domino Liskerck, duobus Syndicis, videlicet Beſtdorp & Steendyck, & uno alteroque Secretariorum.

Item allatum fuit poſtea reſponſum, quod Senatus propoſitionem, hoc eſt, congratulationem ob detectum ſcelus, & cohortationem ad perſeverantiam & conſtantiam, nec non oblationem conſilii & auxilii, caſu quo major neceſſitas ingruiſſet, optimè intellexiſſet; ac proinde Regi Ducique immortales ageret gratias. Offerentes vice verſâ quidquid in eorum poteſtate foret, ad obſequium ſuæ Majeſtatis.

Etiam promittentes, ſe quoad viverent, Fidem Catholicam viriliter & fortiter defenſuros, & pro illius conſtanti obſervatione vitam, bona & honorem expoſituros cuivis periculo, quatenus neceſſarium fuiſſet.

Declararunt præterea, quomodo conventicula detecta, & quanto ſtudio obſtitiſſent, nec non de concionatore uti homine Presbytero tradito Archiepiſcopo, qui poſtea proſcripſit. Et coactus fuit precibus Lantgraviorum, Palatini, Marchionis Badenſis illum tradere quaſi in donum, uti hominem facinoroſum. Et ad petitionem Legatorum de erigendo templo pro exercitio religionis novæ, ſimpliciter & conſtanter iterum atque iterum res negata.

Item die Veneris, 15 Februarii, diſceſſi Coloniâ, deductus octo equis, & noſtri per Conſulem ex ſingulari favore dimiſſi.

Item Dominico die, 17 ejuſdem, veni Trajecto Leodium.

Item 19 Februarii, die Martis, propoſui Principi Leodienſi * de negotio, præcedente biduo priore propter bacchanalia otio conſumpto.

* Epiſcopus Leodienſis erat Gerardus à Groesbeeck, dein S. R. E. Cardinalis.

Item 20 Februarii, qui primus fuit Quadrageſimę, poſt prandium tunc Epiſcopus curavit accerſiri quoſdam ex capitibus Capituli, quibus capita Legationis & ſummam rei aperuit; quique deinceps rem retulerunt ad Capitulum. Et fuere aliquot deputati, qui deinceps cum Epiſcopo de negotio communicarent & diſceptarent.

Item 21 Februarii, die Jovis poſt prandium, reverſi fuerunt Deputati Capitulares, qui diu & per multas horas communicarunt cum Epiſcopo.

Quâ quidem communicatione finitâ, ſub noctem venit ad me Epiſcopus & Archidiaconus * Torrentius.

* Lævinus Torrentius erat tunc Archidiaconus Brabantiæ, deinde Epiſcopus Antverpienſis.

Cæpitque me Epiſcopus percunctari duabus de rebus, videlicet utrum in mandatis haberem, de requirendo expreſſo conſenſu Epiſcopi & Capituli; an vero quod ipſum tantum facerem conſcium de deliberatione Regiâ, & ipſius in erigendo Epiſcopatu deſiderio.

Secundò; an de negotio cum Deputatis Capituli poſtridie communicare & diſputare cupiebam.

Quoad primum reſpondi, me de conſenſu expreſſo Litteris ſpecificando haud magnoperè laborare: tantum id acturum veniſſe, quo intelligeret piam intentionem ſuæ Majeſtatis in erigendo novo Epiſcopatu, nec non ut cauſarum quibus ſua Majeſtas moveatur, ipſum Epiſcopum certiorem facerem: ſuamque Majeſtatem certo ſibi perſuadere, illas eſſe tam graves & prægnantes, quod meritò ipſum Epiſcopum movere & inducere debeant, ad conſentiendum, & approbandum intentionem & pium inſtitutum Regium.

Et ſi nihilominus ad declinandum forſan obloquia & invidiam ſuorum Capitularium & ſubditorum, expreſſum & liberum conſenſum ad Ducem perſcribere nollet, ſaltem quod memor Regiæ benevolentiæ erga ipſum, nec non propenſionis animi quam merito habere deberet erga bonum publicum & conſervationem veteris Religionis, rem univerſam reverenter permitteret provido judicio ſanctæ Sedis, & ne ſtuderet negotium iſtud Regium hiſce temporibus adeo neceſſarium apud Pontificem impugnare.

Quoad

Digitized by Google

Quoad ſecundum, dixi mihi nihil mandatum ad Capitulum.

Et quamquam alioquin Litteræ fiduciariæ mihi datæ fuiſſent ad illos, cæterum facilè me prævidêre, rem in multas & obſtinatas oppoſitiones immiſſuram fore, ſi pendebit ex arbitrio Capituli. Tamen ſe Epiſcopum poſſe conferre & communicare quibuſcum vellet. Nec dubitare me, quin ſi conniti vellet, facilè poſſet ad exitum bonum rem deducere, & abſque contentione tranſigere.

Præſertim cum Rex nihil ipſis Capitularibus detractum, aut ex proventibus imminutum cupiat: quin-imo è contra contentus ſit, quod Archidiaconi in priſtina Juriſdictione, & Epiſcopus in conſuetis emolumentis perſeverarent, & paratus ſit ejus rei effectum & executionis diſpenſationem & proviſionem ac diſpoſitionem apud Sanctam Sedem promovêre. Et ob id, ſalvis manentibus proventibus, tantum onera detrahenda Epiſcopatui.

Item 22 Februarii ante prandium denuò reverſi fuerunt Deputati Capituli, & communicatione protractâ uſque ad horam prandii, ſumpto prandio ſciſcitatus fui Epiſcopum pro reſponſo & finali determinatione negotii, aſſerens me diu abfuiſſe, & domum verſus properare.

Quâ quidem occaſione, ex protracto ſermone viſus fuit Epiſcopus infraſcripta exaggerare.

Eccleſiam ſuperioribus Epiſcopatibus ſatis ſuperque fuiſſe ſpoliatam.

Item eſſe antiquam, quæ ſubditos Regis Religionis rudimenta docuiſſet, nec gravius affligi debêre.

Item rem ſibi fore magnæ contumeliæ & diminutionis ſuæ Authoritatis apud ſubditos, quod ſub ipſius gubernatione undique Principatus anguſtaretur; multos ſuſpicaturos, quaſi qui ſuam Ditionem proderet: præſertim nullâ adhuc ſecutâ compenſatione rerum temporalium ablatarum.

Item hanc ipſam partem Ditionis Luxemburgenſis quæ avellenda foret, eſſe viciniorem Eccleſiæ Leodienſi, quam Civitati Luxemburgenſi, ubi reſidebit Epiſcopus; & ob id meliùs retinendam illius portionem & ejuſdem gubernationem penes Eccleſiam Leodienſem, quam applicandam Luxemburgenſi: præſertim cum quaſi præ foribus Civitatis Leodienſis illa pars prædicti Ducatûs incipiat.

Reſpondi ad ſingula: hoc eſt, nihil factum ad contumeliam; ſed publicam ſalutem populi ejuſcemodi prædictorum Epiſcopatuum Erectionem olim poſtulaſſe, nec Rempublicam Belgicam aliter ſervari, & ab erroribus purgari potuiſſe. Et ob id ſubditorum judicia minimè expaveſcenda. Et conſequenter ad alia.

Item 23, cepi decumbere ex catarrho, & manſit valetudo offenſa uſque ad diem martis, hoc eſt 26. Tunc me dedi itineri Lovanium verſus, idque cum guardiâ, propter incertitudinem itinerum & multitudinem graſſatorum.

Et pridie diſceſſûs hoc eſt 25 poſt prandium, Epiſcopus attulit reſponſum ſuæ Reſolutionis, tam vivâ voce quam litteris.

Sequitur tenor Litterarum prædictarum Illuſtriſſimi Domini Gerardi à Groesbeeck Leodienſis Epiſcopi, ad Ducem Albanum

MONSEIGNEUR.

J'ay à ces derniers jours receu la lettre de credence de Voſtre Excellence, que m'a apporté Meſſire Jeban Vonck, Prevoſt de noſtre Dame à Utrecht, Conſeillier de Sa Majeſté Catholicque, & de lui entendu ce que Votre Excellence lui avoit donné en charge de me declarer à l'endroict de l'Erection de la nouvelle Eveſché de Luxembourg.

Et comme j'ay avec autant de plaiſir entendu par la declaration dudict Prevot, que entierement j'avois eu touſjours & ay pour aſſuré le bon zele & pieuſe intention de Sadite Majeſté à la promotion & exaltation de noſtre Sainctte Foy Catholique, ſe monſtrant meſmes ouvertement en tous endroicts du monde par les peines, travaux, & deſpens qu'il plaiſt à Sadite Majeſté continuellement y mettre.

Par ainſy euſſe-je ſouhaitté avec elle très-addonnée affection & deſir qui m'en reſte, de m'emploier au ſervice de Sa Majeſté.

Premierement, que ce que Voſtre Excellence a courtoiſement voulu faire par ledit Prevoſt à l'endroict de ladite Erection, euſt auſſi eſté faict cy-devant au tems des Erections pieça faictes des autres nouvelles Eveſchez

Et en ſecond lieu, que j'euſſe peu eſtre de la part de Voſtre Excellence adverty pluſtoſt de celui affaire de Luxembourg, devant que noſtre Sainct Pere le Pape m'euſt envoié le Bref, dont j'eſcrivis dernierement à Voſtre Excellence. Auquel Bref, & ſignament comme par icelle Sa Sainctteté commandoit haſte, pour ſatisfaire à mon debvoir envers Sa Sainctteté, n'ay peu faillir d'obeir, dont lui ont eſté pieça envoiées de ma part & de mon Chapitre, ſuivant noſtre obligation & ſerment vers ceſte Egliſe, les raiſons tendantes au maintien de la Juriſdiction & dignité d'icelle Egliſe.

Leſquelles raiſons avec toutte ceſte matiere avons remis au bon & equitable jugement de Sa Majeſté. Et neanmoins conformement à la perpetuelle devotion mienne & de ma dicte Egliſe au ſervice de Saditte Majeſté, ſommes pour

envoier en bref, Dieu aidant, vers Voſtre Excellence touchant ceſte matiere, en laquelle eſperons qu'icelle verra tout ouvertement, que de ce coté ne ſe cherche que toute equité & raiſon; laquelle nous fait eſperer de effectuellement obtenir la declaration que de la part de Sa Majeſté Voſtre Excellence a faict faire par ledit Prevoſt a l'endroict de la benigne & favorable affection de Sadicte Majeſté vers icelle Egliſe.

Ainſi que il plaira a Voſtre Excellence, ce que deſſus & qu'en depend entendre plus a plain dudict Prevot. Auquel partant me remettant en ceſt endroict, feray fin par mes humbles recommandations en la bonne grace de Voſtre Excellence, & prieray le Createur donner Monſieur a icelle en parfaicte ſanté longue & heureuſe vie.

De Liege le 25 de Febvrier 1572.

De Voſtre Excellence l'entierement a lui faire humble ſervice Gerard Eveſque de Liege.

La ſuperſcription étoit telle : *A Monſieur Monſieur le Duc d'Alve &c. Lieutenant Gouverneur &c. Capitaine general pour Sa Majeſté Catholicque en ſes Pays-bas &c.*

Et éltoient leſdites Lettres ſeellées du petit ſeel dudit Eveſque, portant ceſte inſcription : Gerardus a Groesbeeck Epiſ. Leod. Dux Bull. Com. Loſſ.

Proſecutio Legationis Clariſſimi Domini Fonckii.

QUæ vivâ voce dicta fuerunt à præfato Epiſcopo, inventa non fuerunt in Adverſariis Domini Fonck conſequenter deſcripta. In alia tamen Charta ſeparata, adhuc deprehenſa fuerunt ſequentia.

Maternus Petri diſcipulus Epiſcopus Tongrenſis, erector primus Epiſcopatûs : unde Eccleſia Leodienſis meruit appellari primo-genita Filia Eccleſiæ Romanæ, & multis Privilegiis & ſpecialibus favoribus eſt decorata.

Item Carolum Magnum, etſi permagna cupiebat pro civitate Aquenſi, tamen illam non ſubſtraxiſſe gubernio ſpirituali Eccleſiæ Leodienſis.

Item Concordiam initam de anno 1300 aut circa, cum Ducibus Burgundiæ & Principibus undequaque vicinis ſuper exercitio Juriſdictionis Eccleſiaſticæ.

Item eandem confirmatam, aut ſimilem erectam tempore Caroli V. illamque tempore Pauli tertii Apoſtolicâ Authoritate confirmatam, & tempore Julii tertii Litteras Apoſtolicas ad ſupplicationem ejuſdem Caroli fuiſſe expeditas.

Item repetita querimonia ſuperiorum Epiſcopatuum, cum oppugnatione ſingularum cauſſarum, in Bulla Erectionis expreſſarum.

Item declaratio diverſitatis caſuum in Cap. *Salvator*, & in Ditione Leodienſi nequaquam verificabilis; in eo præſertim, quod Epiſcopi Leodienſes ex ſuis bonis multa loca pia erexerint, ut ſeptem Collegia in Civitate, & quatuor Abbatias, item Collegium in Huyo, in Tongeren &c., ac paſſim aliis locis ſparſis per Provinciam.

Item Ducatum Luxemburgenſem, & maximè Limburgenſem quaſi attingere ad milliare mœnia Civitatis, & â nullo commodius quam â Leodienſi poſſe gubernari.

Item furorem Geuſianorum primò omnium ab Epiſcopo Leodienſi fuiſſe repreſſum & extinctum, nec Ditionem Epiſcopi curæ permiſſam unquam habuiſſe hæreſim, præterquam in duobus locis expoſitis commercio, ut Haſſeleto & Trajecto. Idem ſecuturum fuiſſe & fore in aliis, ſi permitteretur libera gubernatio, & non impediretur â Miniſtris Regiis.

Item Papam Pium IV. commendaſſe negotium compoſitionis ſuperiorum Epiſcopatuum Regi : attamen fruſtra : nec tamen defuiſſe diligentiam in proſecutione.

Item Ditionem ſpectare ad Imperium; multa detracta : tamen contributiones manere æquales.

Item querimoniam non fuiſſe factam Imperio, ne cauſa eſſet majorum incommodorum; cum non deſint, qui eas occaſiones malignè aucupantur. Idem petiiſſe Pium IV. ne ſcilicet fieret.

Item Eccleſiam pulchro ordine hierarchico fuiſſe diviſam in ſeptem Archidaconatus; qui tanquam oculi Epiſcopi inter ſe partiti Provincias rectè ante multos annos gubernarunt.

Idem damnum ex novo Epiſcopatu accepturos Archidiaconos Ardennæ, Famennæ & Condroſii; quin-imo unum ex iiſdem prorſus extinguendum.

Item in fine omnia permiſſa prudenti judicio ſuæ Sanctitatis.

Copia Inſtructionis pro formandis Litteris ad Oratorem in Romana Curia pro Rege Catholico reſidentem.

9 Decembris 1571. Luxemburgenſis Epiſcopatus

„ *AL Ambaſſador de Roma ſe potera reſpondere, che come S. Senoria aviſa*
„ *que el Papa nel negotio del nueve Veſcovato*
„ *di Luxemburg à monſtrato inclinatione di*
„ *volerlo communicare con la parte intereſſata,*
„ *cioé con l'Arcevoſcovo de Treveres & l'E-*
„ *veſcovo de Liege per tanto S. Excellentia de-*
„ *fidera con el primo diſpaccio eſſere aviſato,*
„ *ſi S. Santita gia avera ſcritto à coſtoro,*

„ o no : *Perche en evento que non ſera ſcritto*
„ *convien ogni modo procurare apreſſo S. San-*
„ *tita que per buen reſpetto del ſcivere s'abſten-*
„ *gi, al manco fin à tanto que S. Majeſta*
„ *ne ſia primeramente aviſato : poi que in*
„ *queſto meza ſe potera aliquanto preparare la*
„ *materia apreſſo le ſuſdetti Veſcovi, acchio-*
„ *che tanto più agevolmente ſe reſolvino à con-*
„ *formarſi con la buona mente & ottimo ze-*
„ *lo de S. Majeſta in queſto negotio.*
„ *Et à contrario ſe per forte le Lettere de S.*
„ *Santita gia ſerano mandate, ſera biſogno*
„ *mandenere el Papa bene edificato in queſto ne-*
„ *gotio, & eſpettare la reſpoſta delli Veſcovi,*
„ *quale havuta & inteſa farne parte à S. Excel-*
„ *lencia accioche ſe prepari la reſpoſta, quale*
„ *al tempo ſuo gli ſera mandata.*
„ *Quanto al ſecundo, toicanto il ſupplemen-*
„ *to della dote del Veſcovado d'Ipre, ſe potra*
„ *fare conſapevole, S. Sanctita qualmente*
„ *quella Prepoſitura dal tempo immemorabile*
„ *ſempre fia ſtata conferita e proviſta per Elet-*
„ *tione delli Religioſi, fatta alla recommenda-*
„ *tione de Sua Majeſta como legitimo ſucceſ-*
„ *ſore delli Conti di Fiandra, fin al canto que*
„ *alla glorioſa mem. Carolo quinto, & alla S.*
„ *Majeſta della Sede Apoſtolica fia ſtata con-*
„ *ceſſo il Privilegio della Nominacione, ſenſa*
„ *que dapoi alcun altro ſe fia intromeſſo nella*
„ *Collacione.*

CAPUT XCII.

S. Pius V. *Papa inſigniter commendat conſtantiam Eccleſiæ & Civitatis Leodienſis, in tuenda Fide Catholica, anno* 1571.

Non extat inter Epiſtolas Pii V. Antverp. editas.

PIUS Papa Quintus. Dilecti filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Magnâ nos in Domino lætitia affecit dilectus filius *Levinus Torrentius* *, Internuncius Veſter, Vir, quemadmodum nobis quoque perſpectus eſt, & probus & in negotiis veſtris procurandis diligens; cum de veſtra in Nos Sanctamque hanc Sedem devotione atque obſervantia ea Nobis propoſuiſſet, quæ cum vetere iſtius Civitatis inſtituto, priſtinoque veſtro Religionis Catholicæ juvandæ ſtudio egregiè conſentiunt.

*Ex Archidiac. Brabantiæ Epiſc. Antverp.

Ex quo & illud cognovimus, quam fortem quamque egregiam operam, adverſus hæreticos noviſſimè tumultuantes, Nobis ac Reipublicæ toti Chriſtianæ præſtiteritis.

In ea ipſa re ſicut fortitudinem pietatemque veſtram in eodem Domino laudamus, ita vos paternè hortamur, ut majorum veſtrorum exemplo incitati, in obedientia hujus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ conſtanter perſeveretis, cumque Venerabili Fratre noſtro Epiſcopo veſtro in rebus iſtius Civitatis gubernandis concordi animo conſentiatis. Ita & Patriæ veſtræ quieti tranquillitatique optimè conſuletis, & ad eam perturbandam hæreticis omnem aditum præcludetis.

Gerardus à Groeſbeeck, S. R. E. Card.

Quo quidem veſtro facto non ſolum (quod caput eſt) divinam Civitati veſtræ gratiam conciliabitis: ſed etiam Nos ipſos ad majora gratificanda propenſiores reddetis.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die IV. Maii 1571. Pontificatûs noſtri anno ſexto.

CAPUT XCIII.

Status Cathedralis Capituli Groningenſis, in Belgio Fœderato; ſive Dubia & Quæſtiones, quæ collegit & diſputavit Capitulum, ſummoque Pontifici exhibuit, tempore primi ſui Epiſcopi D. Joannis Knyf, anno 1575.

D. Joannis Knyf I. Groning. Epiſc.

DUbia & quæſtiones per Dominum Joannem Eeltz Decanum ac Paſtorem, ex mandato Reverendiſſ. * collectæ, quæ in Capitulo Groningenſi novo, non ſine pacis ac concordiæ antiquæ Sacerdotum turbatione, ipſiuſque Eccleſiæ ſcandalo, ex Bulla Erectionis præfati Capituli, diverſâ diverſorum interpretatione ortæ ſunt; propter quas Legatum ad Urbem mittere decretum eſt; quo ad Dei gloriam, & Eccleſiæ & Capituli Groningenſis firmam fundationem & ædificationem, pacemque ac concordiam Sacerdotum reſtituendam & in perpetuum conſtabiliendam, ipſiuſque ſummi Pontificis de omnibus & ſingulis interpretationem, declarationem ac ſententiam inquirere valeamus.

Imprimis quum Bulla Reverendiſſ. Do-

Digitized by Google

De Authoritate Epiſcopi, ac Decani Capituli.

mino Epiſcopo det locum & vocem in Capitulo ſuper Decanum, Quæritur? an ideo non poſſit & debeat hic conſuetam habere Authoritatem & poteſtatem, quam habent in aliis Capitulis & Collegiis Decani: convocandi nimirum & regendi Capitulum; corrigendi & puniendi Canonicos, aliaque omnia faciendi, quæ ad boni Decani officium pertinere dinoſcuntur: ſed an omnia ac ſingula ſemper in præſentia Epiſcopi, & non niſi ipſo volente & mandante facere debeat: ut quæ Decanus ratione officii facit, Epiſcopus vel infringere vel infirmare poſſit aut debeat. Et breviter, quod Epiſcopi, & quod Decani & Capituli officium eſſe debeat?

De electione & proventibus Decani.

Item quæritur, an non præfato Decano pro laboribus tuendaque dignitate, uti paſſim obſervatur in omnibus Capitulis, duplex portio aſſignari debuerit aut debeat. Et utrum in Decanum non niſi Graduatus eligi debeat; vel an potius quiſquis ad illam dignitatem maximè idoneus videatur, ſive Graduatus, ſive non fuerit, eligi poſſit ac debeat.

De diviſione bonorum, ex Monaſteriis ac Vicariis provenientium.

Secundo; quod præcipue Capitulum turbavit & turbat; quum bona duorum Monaſteriorum, *Wittewerumenſis* & *Eſenſis* pro decem Canonicatibus ac Præbendis certo modo affectis, nec non & bona Vicariarum & Capellaniarum pinguiorum Eccleſiæ S. Martini pro Canonicatibus & Præbendis non ita affectis aſſignata ſint; (prout patet in Bulla) Controvertitur inter Graduatos & alios Canonicos, & quæritur, an omnium horum bonorum, Monaſteriorum ac Vicariarum, una debeat eſſe Maſſa totius Capituli communis, ex qua omnibus Canonicis, ſine diſcrimine Guaduati vel non Graduati, portiones aſſignari debeant; vel an bona Monaſteriorum ita pro Præbendis affectis aſſignata ſint, ut illa omnia & ſingula ſolis decem Graduatis, bona autem Vicariarum aliis Canonicis tantùm cedere debeant. Ita ut non una Menſa Capitularis, ſed duæ diſtinctæ in Bulla eſſe Menſæ ac Maſſæ intelligantur: uti à Reverendiſſimo hactenus intellectum fuit.

Quod ſi vero declaretur, unam debere omnium eſſe Maſſam, amplius quæritur, an omnium Canonicorum Graduatorum ac non Graduatorum æquales ex illa Canonicatus ac Præbendæ conſtitui, vel an Graduatorum majores eſſe debeant.

Porro ſi declaratum fuerit, duas diſtinctas in Bulla eſſe Maſſas, oſtendendum erit ſuæ Sanctitati, ipſam, quod attiſiet ad valorem bonorum ipſorum Monaſteriorum, ac Vicariarum ſeu Capellaniarum, male fuiſſe informatam; quæ ignoraſſe videtur, Vicariarum bona tam exigua eſſe, ſicuti revera ſunt. Et contra non putavit tam magna eſſe Monaſteriorum bona uti ſunt; quæ ſane pluſquam alterum tantum valent, quam mille Ducatos, qui valor in Bulla exprimitur.

Status bonorum utriuſque.

Etenim ſane ſine omni mendacio ſolius Monaſterii *Wittewerumenſis* bona circiter duo millia Ducatorum valent, bonis *Eſenſibus* exceptis, &c.

At contra bona Vicariarum deputatarum in Canonicatus circiter ſexcentos Carolinos tantùm valent: ita quod ſi diſtinctæ duæ horum bonorum Maſſæ eſſe deberent, & ex bonis Monaſteriorum Canonici non Graduati cum Graduatis participare non poſſent, ſequeretur, quod unus Canonicatus Graduatus fere tantùm valeret (utique ſane ſi omnia bona *Eſenſia* Capitulo data eſſe intelligantur) quantum tota non Graduatorum maſſa.

Quod ſi vero Graduati omnia Monaſteriorum bona ſoli percipere (uti putant) debent, neceſſarium eſſet, tam tenuem non Graduatorum Maſſam augeri, quo Canonici non Graduati ex ea etiam vitam ſuſtentare poſſint. Ad quod ſane cuique eorum trecentis ad minus Carolinis, in tanta qualis hic eſt annonæ omniumque rerum caritate opus eſſet.

Orat ergo Capitulum, ut ſua Sanctitas, juxta mentem Bullæ, vel aliàs nunc meliùs de Statu Eccleſiæ Groningenſis informata, mentem ſuam declaret, aut aliàs ſtatuere & ordinare dignetur; ut omnes Graduati & non Graduati pro ſtatu & qualitate proque neceſſitatibus ſuis habere poſſint; quo fiat ut in concordia & pace vivant, Deoque ſervire poſſint.

Tertiò; quum bona Monaſteriorum pro decem Graduatis, & bona Vicariarum pinguiorum pro totidem Canonicatibus & Præbendis in Bulla aſſignentur: Quæritur, de adverbio *Totidem*, ad quid referri debeat: utrum ad proximè præcedentem numerum decem Graduatorum: ut ſit ſententia, quod uti decem Graduati eſſe debent, ita alii etiam decem eſſe debeant, qui Graduati eſſe non teneantur, ut viginti Canonicos in toto eſſe debere intelligi debeat, ſicuti ab Epiſcopo intellectum fuit, qui ideo decem

Hæc deſcripſi ad longum prout primitus concepta erant, ſecundum duo diverſa MSS. (quæ aſſervantur etiamnum in Archivio Curiæ Archiepiſcopalis Mechlin.) & licet in his multa calamo transfixa fuerint, ut ſcriptum contraxius Romam mitteretur; attamen pro pleniore illorum turbatorum temporum notitiâ, viſum fuit operæ precium, etiam deleta tranſſcribere.

Bulla Erectionis Epiſcopatûs Groningenſis anno 1560 per Pium IV. Pont. cum incorporatione Abbatiæ Adwardienſis Ordinis Ciſterc. extat apud Heuſſenium Tomo II. in Deſcriptione Epiſcopatus Groningani.

Mutatio dotis Epiſcopatus Groningenſis, per Transactionem inter Epiſcopum Knyffium & Abbatem Adwardienſem, & Ceſſionem certorum bonorum, anno 1576 Romæ approbata, extat apud eundem Heuſſenium ut ſupra pag. 28.

Vica-

Digitized by Google

Vicarias in decem Canonicatus deputavit.

Vel utrum potius adverbium præfatum *Totidem* ad ipſas Vicarias ſpectet ? ut ſit ſententia, quod ſine determinato numero tot debeant eſſe Canonicatus non Graduati, quot Vicarias Epiſcopus ad hoc deſignaturus eſſet, ſive ille plures ſive pauciores quam decem deſignaret. Utra harum ſententiarum cum mente ſuæ Sanctitatis magis conveniat, quæritur ?

Præterea quæritur, an poſt inaugurationem Epiſcopi, quum Capitulum erigeretur, & Paſtores ac Monachi de *Wittewerum* in Canonicos crearentur, non etiam ſtatim Vicariæ in Canonicatus deputari, ac illarum poſſeſſores in Canonicos creari debuerint; vel an hanc cauſam Epiſcopus pro ſuo beneplacito differre potuerit; quod non ſine magno damno horum Canonicorum (uti putant) factum eſt.

De Vicariis Eccleſiæ. Porro etiam quæritur, an qui antea Vicarii fuerunt, & nunc, Vicariis eorum in Canonicatus erectis, Eccleſiæ Sancti Martini Canonici creati ſunt, an hi nihilominus debeant cum Paſtoribus Sanctæ Walburgis Eccleſiæ Parochiali deſervire, ut ſimul ſint Canonici & Vicarii; quod ſane nimis oneroſum foret.

Hactenus quidem utrique Eccleſiæ inſerviunt, & licet contra mentem ſummi Pontificis id fieri non dubitent, tamen facere hoc coguntur, propter alia quæ hinc habent emolumenta, ſine quibus ex tenuiſſimis ſuis Canonicatibus (quum Graduati bona Monaſteriorum ſibi ſolis retinent ac uſurpant) vivere nullatenus poſſent.

Quæritur ergo, quæ fuerit & ſit in hac cauſa mens ſummi Pontificis, an non ex Eccleſia Cathedrali, cujus ſunt Canonici, vivere, & ei ſoli inſervire, & an non Paſtores Eccleſiæ Parochiali cum aliis Vicariis non autem Canonicis deſervire debeant, ne Canonici duobus Dominis inſervire cogantur, & Eccleſiarum miniſterium confundatur; ſed utraque Eccleſia ſuos certos & proprios habeat miniſtros.

Quod ſi autem non niſi uni Cathedrali Eccleſiæ præfati Canonici deſervire teneantur, quæritur adhuc, an igitur etiam ab omnibus abſoluti eſſe debeant, ad quæ ex fundationibus ipſarum Vicariarum teneri ſolent, à Miſſis ſcilicet & ab adminiſtratione Sacramentorum, ad quam juxta fundationem cum Paſtoribus obligantur; niſi forte has caſſatas eſſe per Bullam, intelligi debeat.

De Canonis Graduatis. Item quæritur, an præ iiſdem Canonicis ipſi Graduati propter promotionem aliquam præeminentiam & præcedentiam, uti hanc ſibi ſumpſerunt, in ſeniorum Eccleſiæ, qui multis annis ante illos Eccleſiæ deſervierunt, ac frigus & æſtum diei in illa pertulerunt, contemptum, habere debeant; vel an potius omnes Canonici ejuſdem honoris (exceptis tamen iis qui in dignitate ſunt conſtituti) eſſe, & ſecundum ſenium ſtare & incedere debeant.

Porro quæritur, an in miniſterio & officio Eccleſiaſtico, omnes non oporteat eſſe æquales, ut non amplius onerentur non Graduati quam Graduati, ſicuti hactenus factum eſt: non aliter quam ſi non Graduati Graduatorum ac quondam Monachorum eſſent Sacellani. De quo ſuæ Sanctitati conqueruntur illi, qui in fructibus minus, in laboribus hactenus amplius participarunt.

De Abbate Wittewerumenſi. Quartò. Quia Abbati quondam in Wittewerum in Bulla optio data fuit, ut aut Archidiaconus & Canonicus eſſe, aut in Religione, accepta ſufficienti ad vitam penſione, permanere poſſet: Ille in Erectione Capituli Religionem cum penſione trecentorum Dalerorum annué elegit. Poſtea autem, anno nunc elapſo aut circiter, conqueſtus eſt Epiſcopo & Capitulo, ſe erraſſe in illa electione, neque ſatis plenè ac fideliter jus quod ipſi ex Bulla competebat, indicatum fuiſſe: quod ſi bene fuiſſet cognitum, alteram ſe conditionem fuiſſe electurum.

Præterea conqueſtus fuit, non poſſe ſe commodum & tutum locum in Monaſterio aliquo ſuæ Religionis invenire, propter piratarum crebras incurſiones, & alia pericula, quibus illa loca (quod verum eſt) hoc tempore belli ſunt expoſita.

Petiit ergo, ut ſibi habitum mutare, ac aliàs eadem libertate uti & frui liceret, quæ ipſi & ſuis Monachis in Bulla conceſſa fuit.

Epiſcopus & Capitulum, habitâ deſuper cum vicino etiam Epiſcopo Leovardienſi deliberatione, tale negotium eſſe judicarunt, quod illud (quantum quidem eſſet in illorum poteſtate, & quantum ſummus Pontifex hoc ratum habere vellet) illi non deberent denegare. Quapropter Canonicum honoris illum deſignarunt, ſuper penſione ſua tantiſper, dum vacaret Canonicatus verus, qui illi dari poſſet.

Quia ergo dubitatur, an poſt primam electionem ab illo taliter qualiter factam, potuerit illi alteram Capitulum concedere; petitur, ut hæc ſummus Pontifex rata habere velit; maximè cum ille Capitulo valde utilis, imo neceſſarius ſit, ſit propter bonorum ipſius Monaſterii notitiam, quam illo nemo habet meliorem. Quam ob cauſam etiam ipſi Capitulum bonorum præfatorum adminiſtrationem commiſit. Ad hæc, aliàs etiam Capitulo ac Epiſcopo atque ipſi Eccleſiæ uſui eſſe poteſt. Quod ſi vero Sanctitas ſua rata hæc habere noluerit (uti non ſperatur) ille habitum ſuum reſumere paratus erit.

Quod hic quinto loco proponi- Quintò. Quum duo Monaſteria, unum apud *Eſens* & in ejus Dominio, alterum prope Damam, *Wittewerum* vocatum, pro

tur, in altero MS. positum fuit loco primo. Et vicissim quod in hocce scripto primum descripsimus, quintum occupat locum in altero.

decem affectis Canonicatibus Mensæ & Massę Capitulari Ecclesiæ Groningensis applicata ac data sint: non nihil dubitatur. Quum enim illud in variis Dominiis bona sua sita habeat, partim in ipso Dominio Esensi, partim in Comitatu Embdensi, partim in agro Groningano, partim alibi; hactenus Capitulum non nisi illa, quæ minima bonorum pars est, obtinere potuit, quæ in agro Groningano sita sunt; idque ideo, quia hæc solum data, quæ in ditione Regiæ Hispaniarum Majestatis sita sunt, nonnulli suspicantur. (* Cætera autem quæ extra ditionem Regis sunt, ab hæreticis occupantur.) Scire ergo Capitulum laborat ac desiderat, hac de causa suæ Sanctitatis mentem & sententiam; quo tandem omnium bonorum, sibi (uti putat) debitorum, possessionem petere & obtinere valeat.

* Ita in alio Manuscripto.

De Archidiacono Groningensi & ejus Jurisdictione.

Sextò. Quum in Bulla dicatur, quod unus debeat esse ex designatione Episcopi Archidiaconus, unus Archipresbyter &c. Quæritur, an perpetuo hæc designatio penes Episcopum esse debeat, vel pro prima vice tantum esse debuerit; ut in posterum designatio vel electio hęc apud omnes simul Graduatos esse debeat; quemadmodum in ipsis hoc Canonicatibus ordinatum, in Bulla invenitur.

Deinde quum Bulla Archidiacono Jurisdictionem Archidiaconalem in universa Diœcesi Groningensi plenariam, quam habent vel habere debent cœteri Archidiaconi Trajectenses, de jure vel de consuetudine, tribuat; controvertitur inter Episcopum & Archidiaconum & alios Graduatos de sensu & intellectu præfatorum.

Desumptio ex Diœc. Traject. Monaster. & Osnaburg.

Quum enim nova Diœcesis Groningensis constet ex partibus, quæ olim diversorum fuere Episcopatuum, utpote ex quibusdam quæ Trajectensis, ex aliis quæ Monasterienses, aliis quæ Osnabrugensis fuerunt Diœcesis; putat Archidiaconus in omnibus his partibus, quæ nunc Groningensis sunt Diœcesis, sibi deberi Jurisdictionem: propterea quod in Bulla dicatur: *in universa Diœcesi Groningensi.*

At contra Episcopus verbum illud *Universa* ad universas illas partes restringendum existimat, quæ ad Trajectensem Ecclesiam pertinuerunt. In cæteris partibus Archidiacono nihil deberi putat: eo quod verisimile non putet in illis partibus aliquid illi datum, in quibus olim omnem Jurisdictionem Episcopi habuerunt & exercuerunt. Ad hæc, in hac controversia Concilium Tridentinum etiam pro Episcopo facere putatur. Quæ ergo fuerit, vel sit sententia summi Pontificis in hac causa, quęritur?

Porro sive in tota Diœcesi, sive in parte Archidiaconus jurisdictionem habere debeat, quæritur iterum, an etiam (uti Archidiaconus præsumit) quia Jurisdictio data, ideo etiam Jus instituendi & visitandi, vel in parte vel in tota Diœcesi habere debeat. Ideo nimirum, quia Trajectenses olim in suis partibus illa habuerunt: quę tamen in cæteris partibus Monasterienses & Osnabrugenses Episcopi habuerunt.

Et sane, quia solius Jurisdictionis in Bulla mentio fit; & diversa videantur *Jurisdictio*, *Institutio* & *Visitatio*, non tam latè patere vel extendi debere Jus Archidiaconi, (ut ille arbitratur) multi sentiunt.

Primùm, quia (quod ad Visitationem pertinere videri potest) Bulla illi & tribus aliis Graduatis Clericos ad sacros Ordines, & Pastores ad exercitium officii pastoralis admittendi dederit potestatem. Et quod ad Institutionem pertinere videtur, ejus jus & onus, quum ab Episcopo ad hoc requiruntur, per Bullam duobus Canonicis Graduatis est impositum.

Secundò: in his etiam Concilium Tridentinum, & Jus antiquorum Monasterienses & Osnabrugensis Episcoporum Archidiacono adversari videntur.

Quæritur ergo de his omnibus, quæ sit sententia summi Pontificis; & quid in iis observari debeat, quo nec Episcopus, nec Archidiaconus, nec cæteri Graduati in suo jure defraudentur; sed suo quisque jure uti & frui possit.

Ad Jus autem instituendi quod pertinet, (ad quemcumque vel quoscumque id pertinuerit) quæritur: an recte fiat, quod juxta olim observatam consuetudinem, taxatum ab institutis vel institutis aliquid ex fructibus Beneficiorum accipiat; quum hoc videri possit prohibitum per Concilium Tridentinum; uti sane in Concilio Provinciali Mechlinensi etiam prohibetur, in quo nihli nisi pro solo sigillo accipere concessum est.

De Persona Personatûs.

Præterea cum Persona Personatus Ecclesiæ Sti. Martini in septem suburbanis quibusdam pagis ad civitatem pertinentibus; ac tres ipsius civitatis Groningensis Pastores Jura quædam, ex antiquissima consuetudine per Episcopum Trajectensem ac etiam ipsam Sedem Apostolicam approbata & confirmata habeant, quæ nunc alii ad se translata per Bullam putant; Quæritur, an summus Pontifex (quem illa ignorasse non dubitatur) Personæ & Pastoribus præfatis illa voluerit ac intenderit adimere, qui (ut ex aliis multis in Bulla apparet) nemini sua jura aliàs adimere voluisse videtur.

De duobus Pastoribus Groningensis.

Septimò. Quum summus Pontifex duos Rectores quondam Ecclesiæ S. Martini tanquam Graduatos (licet alter eorum ita omnino Graduatus non sit, uti Bulla præsupponit, utpote tantùm Artium Magister, sed nobilis ac senex multùm reverendus) inter Graduatos ex designatione Episcopi annumerari voluerit; aliter hoc Episcopus (aliis etiam doctis consultis) intelligere non potuit, quam quod uti ipsi Episcopo propter dotem Episcopalem inter Graduatos Ca-

nonicatus & Præbenda eſt aſſignata, ita etiam præfatis Rectoribus, præter portionem Paſtoralem, Canonicatus & Præbenda ſit aſſignata, cujus ratione illi, ſicuti alii Graduati, Epiſcopo in negotiis Eccleſiæ aſſiſtere & inſervire teneantur. Et juxta hunc intellectum Rectores ipſos inter Graduatos adnumeravit, & Canonicatum & Præbendam dedit.

Non enim rationi & veritati conſentaneum viſum fuit, quod Summus Pontifex Rectoribus præfatis majus onus, quam olim illis incubuit imponere voluerit, pro quo non etiam novum commodum & emolumentum illis tribueret.

Cæterum cum nunc à quibuſdam dubitetur, utrum in hac cauſa rectè ſummi Pontificis mentem Epiſcopus ſit aſſecutus, quæritur, hoccine an alio modo id intelligendum fuerit?

Quod ſi autem rectè intellectum eſt, dubitatur nihilominus, utrum tantum illis Rectoribus, quos in introitu ſuo in Eccleſia invenit Epiſcopus, quique ei Eccleſiam tradere juſſi ſunt, Canonicatus & Præbenda dari debuerit; vel an etiam ſucceſſoribus illorum perpetuis futuris temporibus dari debeat; ut cum portione paſtorali Canonicatus & Præbenda, uti cum Epiſcopatu unita ſit.

Quod ſi ita eſt, quum ſane Rectores per omnia, ita ut in Bulla præſupponitur, qualificati ex fundationibus vel aliàs eſſe non teneantur, ampliùs dubitatur & quęritur, ſi aliquis in poſterum non Doctor, vel Licentiatus Theologiæ vel Decretorum, in Paſtorem eligatur, quid tum fieri oporteat? An talis nihilominus inter Graduatos ſit numerandus, & Canonicatum & Præbendam habere debeat.

Porro autem, ſi talis non fuit ſententia ſummi Pontificis, quod Rectores moderni & ſucceſſores Canonicatum & Præbendam habere debeant, non iniquum nec inconveniens foret, quod hoc adhuc ita ordinaretur. Quapropter petitur, ut ſuæ Sanctitati placeat hoc ſtatuere & ordinare; attento quod Rectores, pro ſua quæ ſemper fuit in Eccleſia Groningana maxima authoritate, Epiſcopum in cauſis Eccleſiæ plurimùm juvare poſſunt.

Ad hæc, attento quod altera Paſtoralis portio tam eſt ſobria, quod ſucceſſores cariſſimis his temporibus ex ea ſolùm vivere non poterunt, verumtamen petitur, ut ea lege id ſtatuatur, ut nemo poſthac niſi juxta Bullam Graduatus in Paſtorem eligatur: niſi tamen fortaſſis non inveniretur, qui aliàs electoribus idoneus videretur. Quo quidem caſu, juxta veterem conſuetudinem, juxta fundationes Paſtorituum, qualificatus eligi, & nihilominus inter Graduatos numerari, ac cum illis Canonicatum & Præbendam habere poſſit.

Cæterum quum ex tali Unione Canonicatûs & Præbendæ cum Portionibus Paſtoralibus, ſive Unio illa jam facta intelligatur, vel adhuc fieret, altera Portio nimium ſit locupletata, vel locupletaretur; propterea quod illa jam ante (quod etiam ſummum Pontificem fortaſſis latuit) Perſonatum quemdam bonum unitum habuit, ut ad ſuſtentandum Paſtorem ſine alio augmento ſuffecerit & ſufficiat; petitur, ut factâ cum utraque portione Unione Canonicatus & Præbendæ, Unio Paſtoratus & Perſonatus diſſolvatur, ac Perſonatus in Decanatum (poſt ceſſum vel deceſſum moderni poſſeſſoris) mutetur & erigatur. De Erectione Perſonatûs in Decanatum.

Hoc enim honorificum & utile Capitulo foret; ideo, quod præfatus Perſonatus jura quædam habet, (de quibus ante mentio facta eſt) quæ nunc, exiſtente Eccleſia S. Martini Cathedrali, melius Decano Capituli quam Paſtori competerent, & Capitulo tum ex communi Maſſa amplius Decano tribuere neceſſum non foret.

Ad hæc, quædam æqualitas quoad proventus hac ratione inter Decanum & Paſtores conſtitueretur, ita ut honeſtè pro ſuo ſtatu horum quilibet vivere poſſet.

Quod ſi vero hæc ſuæ Sanctitati (uti non expectatur) diſplicuerint, petitur, ut ſaltem placeat modernis Rectoribus, ad vitam ipſorum, Canonicatum & Præbendam ab Epiſcopo datam confirmare. Attento quod ipſi nunc ſunt in poſſeſſione, & plurimum cum Epiſcopo hactenus in Eccleſię & Capituli negotiis laborarunt, & amplius quantum valent laborare parati ſunt.

Sin autem hanc gratiam præfatis Rectoribus ſua Sanctitas facere noluerit, alter illorum, qui nunc etiam Decanus eſt, juxta Bullam, quæ viros Graduatos requirit & vitâ & doctrinâ ſpectatos, abunde qualificatus, utpote Vir inculpatiſſimę vitæ ac Decretorum Legumque Doctor, nec non etiam in Theologia haud parum verſatus, inſuper (quod etiam in quibuſdam requirit Bulla) nobilis Groningenſis, petit per ſummum Pontificem Canonicatum & Præbendam ab Epiſcopo aſſignatam ſibi conferri, vel in ea ſe confirmari, paratus Paſtoratum dimittere, & ex Canonica Portione & Decanatu ſolis vivere (Abſit arrogantia & etiam invidia.) Negotium Decani Eccleſ. Cathedralis.

Octavo. Quum in Bulla Rectoribus olim Eccleſiæ S. Martini Epiſcopo & Capitulo Eccleſiam tradere, & officium Paſtorale in vicina S. Walburgis Eccleſia ut Parochiali exercere mandatum ſit, quæritur: an illi in poſterum etiam, ut olim S. Martini & S. Walburgis Paſtores, vel an S. Walburgis tantùm dici debeant? Quod ſi ita eſt, quæritur, an non ab Eccleſia S. Martini, quoad officium concionandi exonerati & liberi eſſe debeant, quum illud illis in Eccleſia parochiali, & Epiſcopo & Capitulo in Eccleſia Cathedrali incumbere videatur? De Eccleſia Cathed. S. Martini & Paroch. S. Walburgis.

De Concionibus.

Porro dubitatur, an non etiam Graduati Canonici, maximè Theologiæ Professores, in concionibus Episcopum adjuvare teneantur? Quum ei in Bulla tamquam coöperarii in causis Ecclesiæ (quæ concionando præcipuè ædificatur) dati sint; vel si ad conciones non tenebuntur, an non saltem ad docendum & legendum teneantur? Maximè si qui sunt, qui Canonicatum hac lege, juxta Statuta hac de re Concilii Tridentini receperunt, quo docendo & legendo non minus illi quam non Graduati, qui concionibus pro veteri illorum (quum adhuc Vicarii tantùm essent) consuetudine operam dant, Ecclesiam ædificare valeant: quum utique propter majorem ædificationem Ecclesiæ novi Episcopatus & Canonicatus erecti esse videntur; licet votis pii instituti parum adhuc satisfiat.

Nonò. Quum in Bulla Nobilibus exequias in majori Ecclesia celebrare concessum sit, dubitatur & quæritur de horum Oblationibus, quibus cedere, Capitulo-ne an Pastoribus debeant.

De Collatione Præbendarum Graduatarum.

Decimo. Quod ad Collationem attinet Canonicatuum & Præbendarum affectarum, dicitur in Bulla, quod hac primâ vice per Episcopum dumtaxat conferri debeant. Quum ergo non simpliciter dicatur, *primâ vice*, sed *hac primâ vice*, propter verbum *hac*, illud de tempore primæ Capituli erectionis intelligendum videri potest. Et ideo dubitatur de illis Præbendis, quas nunc illi, qui Monachi fuerunt, obtinent, quid fieri debeat, quando illas vacare continget? An tum per Graduatos omnes simul, vel per Episcopum solum conferri debeant.

De distributionibus in Choro faciendis.

Ultimò. Quum in Bulla ordinatum sit, quod omnium Præbendarum fructus dividendi sint in duas partes æquales, quarum medietas in choro præsentibus tantùm distribui debeat, quæritur, si non una bonorum Monasteriorum (de quo ante quæsitum est) Massa, sed duæ distinctæ esse debeant, an consequenter duæ etiam in choro Bursæ esse debeant? Una, ex qua medietas bonorum Monasteriorum ipsis Graduatis, altera ex qua medietas bonorum Vicariarum cæteris non Graduatis distribui debeat? Vel an utraque medietas in unam Bursam conjici debeat, ex qua æqualiter, sine discrimine Graduatis & non Graduatis, præsentię dari debeant?

Exceptio pro Episcopo & Decano.

Item; quum summus Pontifex omnium Præbendarum sine aliqua exceptione fructus dividi pro præsentiis voluerit, quæritur, an non ab hac conditione meritò Episcopi & Decani, (qui aliis sæpe negotiis occupantur, ut semper ad Horas adesse non possint) Præbendæ exemptæ & immunes esse non debeant?

Ad hæc, quum Bulla medietatem, Concilium Tridentinum tertiam partem fructuum in præsentiis dividi velit, quid magis sequi conveniat, quæritur.

Præterea, an absentium præsentiæ præsentibus accrescere, vel juxta idem Concilium Capitulo cedere debeant, quod illas ad onera & necessitates pro tempore emergentes impendere possit, quæritur.

De omnibus & singulis his Quæstionibus, Dubiis, & Controversiis, propter pacem Ecclesiæ, Capitulum summum Pontificem judicavit merito esse consulendum.

Orat ergo ac obnixè obsecrat suam Sanctitatem Episcopus, Decanus & Capitulum Groningense, ut declaret, quæ fuerit & sit de omnibus præfatis mens & sententia suæ Sanctitatis; & quid in omnibus fieri debeat; ne (uti proh! dolor hactenus) de his Confratres inter se habeant quod contendant, & Ecclesia discordiarum undis ac fluctibus concuti desinat, ac Sacerdotes in pace & concordia cultum divinum peragere valeant.

Et si (quod præcipue discordias excitavit) non una sed duæ Massæ Capitulares esse debent, orant præfati, ut sua Sanctitas authoritatem det Episcopo & Capitulo (si aliàs ex Concilio Tridentino illam non habent) ut liberiores aliquas Præbendas ex aliis Diœcesis Groningensis Ecclesiis ad Cathedralem transferre, ac unire cum tenuioribus Canonicatibus valeant; ut quilibet non Graduatus trecentos Carolinos habere possit; minus enim si habeant, profecto honestè vivere non poterunt.

Postremo. Quum nondum possideat Capitulum omnia bona, quæ sibi data existimat, & Præbendæ affectæ adhuc satis sint parvæ, maximè quia pensionibus gravantur quę Abbati quondam in *Wittewerum*, & aliis juxta Bullam de iis ordinata solvuntur, & quum Vicariæ in Canonicatus erectæ sint tenuissimæ, & aliis insuper pluribus gravaminibus Capitulum in principio Erectionis sit gravatum, coactus est Episcopus, propter æs alienum, quod quidam defuncti ideo contraxerunt & reliquerunt, in favorem creditorum Annum gratiæ (quantum quidem potuit) Canonicis concedere.

De Anno gratiæ.

Orat ergo Capitulum, ut placeat suæ Sanctitati hoc confirmare, saltem pro Corpore Præbendæ; ut (ne quid per hoc discedat cultui divino) successorès præsentias, hæredes defunctorum ipsum Corpus habere possint, quo ex eo ęs alienum Canonicorum, si quid relinquitur, dissolvi valeat.

Suę Sanctitati Obedientissimi filii,
Episcopus, Decanus, ac Canonici
Ecclesiæ Cathedralis Groningensis,
Anno 1575.

Ad calcem habebatur.

De his & reliquis Dominus Westendorpius Dominum Præsidem Viglium & Episcopum Sonnium obiter consulere posset: qui ex parte Bullæ authores fuerunt, & sine dubio mentem summi Pontificis norunt.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT XCIV.

SIXTUS V. *Pontifex concedit anno* 1585 *Capitulo Cathedralis Eccleſiæ Leodienſis, aliarumque Collegiatarum Civitatis ac Diœceſis illius, Indultum eligendi ad eorum Præpoſituras & Abbatias ſæculares; eâ tamen lege, ut alios quam dictæ Cathedralis Eccleſiæ Leodienſis Canonicos actu Præbendatos & reſidentes eligere iis non liceat.*

SIXTUS Epiſcopus Servus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Super Gregem Dominicum noſtræ vigilantiæ divinitus creditum, prout Nobis conceditur, intenti, ad ea quæ ad dignitates quaſcumque præſertim in Cathedralibus poſt Pontificales majores, & in Collegiatis Eccleſiis principales, perſonæ dignæ & idoneæ ſublatis litium amfractibus eligi valeant libenter intendimus, & in hoc noſtræ ſollicitudinis partes favorabiliter impartimur.

Exhibita ſiquidem Nobis pro parte dilectorum filiorum Wynandi à Wyngarde Præpoſiti majoris, & illius, necnon Sæcularium & Collegiatarum Eccleſiarum Civitatis & Diœceſis Leodienſis petitio continebat, quod cum ipſa Capitula prætextu litterarum felicis recordationis Eugenii Papæ quarti Prædeceſſoris noſtri, quas vim Concordatorum inter Eccleſias & Sedem Apoſtolicam habere prætendunt, ac quibus inter alia caveri dicitur expreſſè Electiones ad dignitatem Majorem poſt Pontificalem, & principales in Collegiatis electivas per tempora à Jure ſtatuta expectari, illaſque approbari & confirmari debere, prout juſtitia & æquitas ſuadebit.

Ac prætextu etiam Litterarum piæ memoriæ Pii ſecundi & Sixti quarti, & forſan aliorum etiam Romanorum Pontt. quibus inter alia idem etiam de novo indultum, & conceſſum eſſe dicitur; quibus etiam Litteris prædicti Sixti Prædeceſſoris antiqua Conſuetudo approbata prætenditur, quod tam Majoris, quam etiam ferè omnium aliarum prædictarum Eccleſiarum Civitatis, & Diœceſis hujuſmodi, Major & principales dignitates prædictæ aliis quam Canonicis actu Præbendatis ipſius Majoris Eccleſiæ conferri aut commendari nequiverint;

Quodque ab iiſdem dignitatibus omnes aliæ præter certas in dictis prætenſis Concordatis & Indultis ac Privilegiis expreſſas Reſervationes ſunt excluſæ, occurrentibus pro tempore vacationibus dignitatum tam Majoris, quam principalium dignitatum in hujuſmodi perſonarum idoneārum ad illas electiones ad ſe legitimè pertinere prætendant. Ac poſtea inter proviſos de illis auctoritate Apoſtolica, & Electos à prætactis Capitulis ad eaſdem dignitates variæ ſæpè lites, & controverſiæ oriantur; prout nuper cum de Tongrenſi per quondam Joannis Witten, de Martii; Amanienſis, & Viſetenſis locorum dictæ Diœceſis Eccleſiarum Præpoſituris per quondam Philippi à Corſwaremia ipſarum Eccleſiarum Tongrenſis & Amanienſis & Viſetenſis reſpectivè Præpoſitorum de Aprilis menſibus Anni Domini milleſimi quingenteſimi octuageſimi quarti extra Romanam Curiam defunctorum obitus vacantibus,

Dilectus filius Magiſter Franciſcus Oranus Clericus Leodienſis, Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditor, & Capellanus noſter ſibi per recolendæ memoriæ Gregorium Papam decimum tertium ſimiliter Prædeceſſorem noſtrum provideri obtinuerit, & per earumdem Tongrenſis, Amanienſis, Viſetenſis Eccleſiarum Capitula Wynandum prædictum, ac dilectos filios Conrardum à Gaver, & Joannem de Oesbach dictæ Majoris Eccleſiæ Canonicos ad Præpoſituras hujuſmodi, ut præfertur, vacantes, elegerint;

Ac dictus Franciſcus Auditor eoſdem Wynandum, Conrardum, & Joannem, aut jam moleſtare cœpit, aut certè periculum eſt, ne inter eos occaſione præmiſſorum lites, & controverſiæ oriantur.

Quare ut litibus, controverſiis & moleſtiis hujuſmodi finis aliquando imponatur, & in poſterum ſuſcitandis controverſis via præcludatur, pro parte tam Wynandi, qui hac de cauſa à Capitulis prædictis ad Nos & Sedem prædictam miſſus magnis etiam ſumptibus & laboribus pro conſervandis & tuendis juribus eorundem Capitulorum ad Urbem acceſſit, & dicto Gregorio Prædeceſſori noſtro Jura, Privilegia & Concordata, quæ pro eiſdem Capitulis jam pridem, ut præfertur, à prædicta Sede impetrata fuiſſe prętendit, exhibuit.

Et pro parte Capitulorum, ac Conrardi & Joannis prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui Eccleſiaſticarum perſona-

rum quarumlibet quieti libenter consulimus, Wynandum, Conrardum & Joannem, & Capitula hujusmodi, & illorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes,

Hujusmodi supplicationibus inclinati, quascumque lites controversias & molestias & causas hujusmodi, super præmissis vel aliis Præposituris prædictis, vel illarum occasione coram quibuscumque Judicibus Ordinariis vel Delegatis, tam in dicta Curia, quam extra eam inter prætactos Wynandum, Conrardum, Joannem, ac quosvis alios ad dignitates hujusmodi ab iisdem Capitulis electos ex una, & dictum Franciscum Auditorem, vel alios Auctoritate Apostolica provisos ex altera partibus in quacumque instantia pendentes, aut si quas imposterum moveri contigerit, quoad hoc dumtaxat, an jus eligendi personas idoneas ad illas dum pro tempore vacant ipsis Capitulis competat, & an sub Reservationibus Apostolicis ipsæ dignitates comprehendantur,

Ad Nos evocantes, aliasque quoad præmissa dumtaxat penitus cassantes & extinguentes, ac partibus collitigantibus desuper silentium imponentes, & iisdem Judicibus, ne in illis ad ulteriora procedant, districtius inhibentes, Electiones à Capitulis prædictis aliàs ritè & Canonicè factas, validas & efficaces in suo robore permanere,

Neque dignitates ipsas electivas hujusmodi sub Cancellariæ Apostolicæ Regula dignitatum hujusmodi reservatoria, aut aliis in Corpore Juris non clausis Reservationibus Apostolicis comprehensas esse; ita ut neque per Regulam hujusmodi, neque per quascumque alias Reservationes in Corpore Juris non clausas ipsæ Electiones jam factæ infirmari, aut minus validè dici aut censeri possint, dicta Auctoritate tenore præsentium decernimus.

Præterea eadem prætensa Concordata seu Indulta, & Prædecessorum nostrorum hujusmodi Litteras in hac parte moderantes & ampliantes, loco illorum imposterum in iisdem Capitulis omnium, tam Majoris, quam aliarum Ecclesiarum Civitatis & Diœcesis prætactorum, & illarum singulis occurrentibus vacationibus Præpositurarum seu Abbatiarum Sæcularium nuncupatarum earundem Ecclesiarum principalium dignitatum (nisi illæ per Reservationes in corpore Juris clausas, aut ex personis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Notariorum Sedis Apostolicæ de numero participantium nuncupatorum, Auditoris Contradictarum, Correctoris Litterarum Apostolicarum, Auditoris Causarum Palatii prætacti, Curiæ Causarum Camerę Apostolicæ Auditoris, & ejusdem Cameræ Clericorum, Accolitorum, Cubiculariorum, Abbreviatorum, Scriptorum Apostolicorum ad numerum centum & unius & aliorum Scriptorum minoris gratiæ numero viginti quatuor, ac omnium Virorum familiarium, & continuorum Commensalium nostrorum, & Romanorum Pontificum pro tempore existentium, ac prætactorum Cardinalium quamdiu illorum vera familiaritas duraverit illas obtinentium, pro tempore vacantes dispositioni Apostolicæ reservatæ fuerint) ad liberam electionem personarum idonearum ad dignitates ejusmodi procedere liberè & licite valeant, auctoritate & tenore prœmissis concedimus & indulgemus.

Confirmatio Electionum.

Nec non quod Electio ipsa intra triginta dies à die vacationis ejusmodi computandos omninò fieri, & confirmatio intra sex menses à die electionis numerandos à Romano Pontifice pro tempore existente (à quo confirmari vel infirmari debeant, prout æquitas & justitia suadebit) petenda sit.

Ac Electiones ipsas post triginta dies factas, vel quarum confirmatio intra sex menses hujusmodi petita non fuerit, nullas & invalidas, nulliusque roboris & momenti eo ipso esse: ita ut de ipsis dignitatibus per Romanum Pontificem pro tempore existentem dumtaxat liberè disponi possit, etiam decernimus.

Proviso tamen, quod sic confirmati Ordinariis ipsis debita præstent juramenta, obsequia, & alia ad quæ de consuetudine & jure tenentur.

Ecclesiæ Colleg. Diœces. Leodiens.

Insuper ne ad Præposituram Majoris Ecclesiæ prædictæ, quæ inibi dignitas major est post Pontificalem, vel ad Sanctorum Petri, Martini, Pauli, Sanctæ Crucis, Joannis, Dionysii & Bartholomæi Civitatis, necnon Tongrensis, Huensis & Fossensis, Beatæ Mariæ Trajectensis & Eyckensis, & Visetensis, Amanensis, Cinacensis, Dionantensis, Tudinensis locorum dictæ Diœcesis, & B. M Namurcensis Ecclesiarum Præposituras, seu Abbatias sæculares (quæ inibi principales sunt dignitates) alię personæ præter-quam Canonici ejusdem Majoris Ecclesiæ actu Præbendati, ac personaliter in ea residentes, etiamsi dignitatem aliam in Ecclesia Majori, ad cujus dignitatem Majorem vel principalem electi fuerint, vel in prætacta Majori, ac aliis Ecclesiis prætactis obtinuerint, eligi possint aut debeant.

Et ne quis illorum plures quam unam ex Præposituris seu Abbatiis Sæcularibus, vel dignitatibus ejusmodi insimul retinere possit; ita ut (sine præjudicio eorum qui plures illarum ad præsens canonicè obtinent)

Digitized by Google

ſi quem unam ex illis obtinentem ad alteram impoſterum eligi contingat, Electio quidem ritè & canonicè facta valeat: ſed intra ſex menſes numerandos à die acceptæ poſſeſſionis ſecunda prius obtenta eo ipſo vacare cenſeatur, perpetuo inhibemus & interdicimus.

Decernentes alias quam prædictas in Corpore Juris clauſas, & ratione perſonarum ſuperius nominatim expreſſarum, à Nobis vel Prædeceſſoribus, ſeu Succeſſoribus noſtris pro tempore factas & faciendas ſpeciales, vel generales de vacantibus & vacaturis Beneficiis Eccleſiaſticis, & dignitatibus ejuſmodi Reſervationes etiam per Cancellariæ præfatæ Regulas, vel alias quaſcumque Conſtitutiones, vel Ordinationes Apoſtolicas etiam perpetuas, vel temporales, etiamſi in eis electivæ, & dignitates nominatim, & in ſpecie reſervatæ, ac Indulta & gratiæ ejuſmodi in ſpecie fuerint reſervatæ, ad dictas dignitates minimè extendi, ſed quoties illæ emanaverint, toties ipſa Capitula in ſuum priſtinum Jus reſtituta & integra cenſeri,

Nec non quaſcumque collationes, proviſiones, Commendas vel quaſcumque alias diſpoſitiones etiam cum ſpeciali derogatione præſentium, & etiam aliorum prætactorum Concordatorum, Privilegiorum & Indultorum, prætactis dignitatibus Auctoritate Apoſtolica prędicta quibuſvis perſonis faciendis, nullum omninò perſonis ad illas canonicè, & infra tempus præſcriptum electis, ut præfertur, confirmatis, & petentibus præjudicium adferre,

Eaſdemque præſentes vim Concordatorum, & efficacis ac validi Contractus, ſeu Pacti, per Nos & Sedem prætactam cum dictis Capitulis initi obtinere, & de ſubreptionis vel obreptionis vitio etiam ex eo quod ii, quorum intereſt, vocati & auditi non fuerint, intentionis noſtræ, aut alio quovis defectu notari vel impugnari, ſeu invalidari.

Et Conventionem ejuſmodi perinde ac ſi conſiſtorialiter, & de conſenſu dictæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & ex cauſa oneroſa facta eſſet, ſine expreſſo conſenſu eorum, quorum intereſt, aut alio quovis prætextu ac quęſito colore, revocari, aut reſcindi non poſſe.

Nec Capitula ipſa ad exhibendum ulterius præmiſſa Concordata & Privilegia, quę aſſerunt ſibi à prędictis noſtris Prædeceſſoribus conceſſa, & verificandum ſe eſſe in quaſi poſſeſſione juris eligendi hujuſmodi ullo tempore teneri, ſed eiſdem præſentibus uti liberè & licitè poſſe.

Sicque per quoſcumque Judices Ordinarios & Delegatos, ac etiam Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & Cauſarum dicti Palatii Auditores, ſublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; irritum quoque, & inane quidquid ſuper his à quocumque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus Regula de non tollendo jure quæſito, ac aliis ejuſdem Cancellariæ Regulis ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non dictarum Eccleſiarum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & Conſuetudinibus Privilegiis quoque Indultis, & Litteris Apoſtolicis quibuſvis perſonis,

Necnon prętenſis Concordatis & Indultis prætactis, quatenus præmiſſis in aliquo adverſentur, quomodolibet conceſſis approbatis, & innovatis.

Quibus omnibus, etiam ſi de illis eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica expreſſa & individua mentio, ſeu quævis alia expreſſio ad hoc ſervanda foret, illorumque tenores, etiamſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſpecie, ſpecialiter & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, quod ad dignitates prætactas pro tempore electi ante illorum Electionis Confirmationem, ſeu proviſionem à Sede Apoſtolica habendam, nullo modo in Præpoſituris, ſeu Abbatiis prætactis, earumque fructibus, rebus, bonis, aut adminiſtratione ſe ingerere poſſint: aliàs eorum electio hujuſmodi nulla ſit eo ipſo.

Nulli ergo omninò hominum liceat Paginam hanc noſtræ abſolutionis, caſſationis, extinctionis, ſuppreſſionis, moderationis, ampliationis, conceſſionis, indulti, interdicti, derogationis, voluntatis, inhibitionis & decretorum infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto, Nonis Maii, Pontificatûs noſtri anno primo.

Extant alia ejuſdem argumenti Indulta, Pii II. Pont. anno 1458 Urbani VIII. anno 1626. & Innocentii XII. anno 1695. ad calcem Diſſertationum Canonicarum *Matthiæ Guilielmi de Louvrex*, Juris-Conſulti Leodienſis clariſſimi. In quibus Capituli Cathedralis Leodienſis dignitas atque præeminentia aſſeritur.

CAPUT XCV.

SIXTUS V. *Pontifex concedit Prioriſſæ ac Monialibus Monaſterii Stæ. Annæ, dicti de Roſmalen, Ordinis S. Auguſtini, facultatem transferendi ſe ad Monaſterium FF. Bogardorum intra urbem Sylvæducenſem, à præfatis Bogardis derelictum, & Pontificiâ Authoritate ſuppreſſum anno 1585. Quod Monaſterium anno 1607. ceſſit PP. Societatis Jeſu in eadem urbe Sylvæducenſi.*

Ex Archivis Capituli Silvæduc. Mechliniæ depoſitis.

SIXTUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo Buſcoducenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Æquum reputamus & rationi conſonum, ut ea quæ de Romani Pontificis gratia proceſſerunt, licet ejus ſuperveniente obitu, Litteræ Apoſtolicę ſuper illis confectæ non fuerint, ſuum ſortiantur effectum.

Dudum ſiquidem felicis recordationis Gregorio Papæ XIII. Prædeceſſori noſtro pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſæ & Conventus Monaſterii Monialium per Prioriſſam gubernari ſoliti ſanctæ Annæ in pago de Roſmalen, Ordinis Sancti Auguſtini, Buſcoducenſis Diœceſis expoſito, quod cum ipſæ dictum Monaſterium à decem vel undecim annis propter militum excurſiones, ac belli temporumque malignitatem & injuriam, quibus Patria illa à Fidei orthodoxæ hoſtibus, aliiſque illius patriæ perduellionibus miſerrimè conflictabatur, deſerere, & ad civitatem Buſcoducenſem, per unum milliare vel circa à dicto pago diſtantem, de licentia Superioris, ne diutiùs prędæ & facinoribus talium hominum exponerentur, ſe recipere, & inibi domos laïcales conductivas inhabitare prope domum Fratrum Bogardorum nuncupatorum, tertiæ Regulæ Sti. Franciſci, coactæ fuerant;

Status Monaſterii Bogardorum.

Et cum in dicta domo à viginti octo annis vel circa, nullus propter ejuſdem domûs paupertatem profeſſionem expreſſè emiſiſſet, exceptis dumtaxat duobus, quorum unus à multo tempore in confeſſoratum Monialium cujuſdam Monaſterii deputatus fuerat, alter vero ſolus dictam domum rehebat & gubernabat. Et in Eccleſia domus hujuſmodi propter Fratrum carentiam divinum Officium juxta eorumdem Fratrum inſtituta cum amplius non celebraretur, ipſæ Prioriſſa & Conventus plateatim publicè tranſeundo ad dictam Eccleſiam accedere conſueverant, & inibi divina Officia juxta ejuſdem Ordinis Sti. Auguſtini inſtituta peregerant, & tunc peragerent; ac dicta domus & illius ædificia ita vetuſtate collabantur, ut ruinam minarentur; ac illius fructus, redditus & proventus ita eſſent tenues ac exigui, ut illi pro illius reſtauratione non ſufficerent.

Ac Prioriſſæ & Conventui prædictis ad præfatum earum Monaſterium ſine maxima diſciplinæ Eccleſiaſticæ jactura redeundi ſpes nulla ſupererat. Et ſi Ordo dictæ Regulę in eadem domo, & Monaſterium præfatum perpetuò ſupprimeretur & extingueretur, ipſaque Domus in Monaſterium Monialium dicti Ordinis Sti. Auguſtini ſub invocatione ejuſdem Sanctæ Annæ erigeretur & inſtitueretur, nec non Prioriſſa & Conventus hujuſmodi ad dictum Monaſterium ſic erigendum, cum ſuis ornamentis eccleſiaſticis, nec non ſacra profanaque ſupellectili, fructibus, cenſibus, poſſeſſionibus, prædiis & aliis rebus mobilibus & immobilibus, privilegiis & juribus univerſis transferrentur,

Ac fructus, redditus & proventus dictæ Domûs eidem Monaſterio ſic erigendo perpetuò applicarentur & appropriarentur, ex hoc juxta formam Concilii Tridentini debitæ clauſuræ Monialium, ac earumdem Prioriſſæ & Conventûs quieti & ſecuritati conſcientiarum cum divini cultus incremento plurimùm conſultum fuiſſet.

Et pro parte earumdem Prioriſſæ & Conventus, tunc aſſerentium fructus redditus & proventus domus præfatæ viginti quatuor ducatorum auri de camera ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedere, præfato Prædeceſſori humiliter ſupplicato, quatenus earum ſtatui in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaretur.

Idem Prædeceſſor, qui dudum antea inter alia voluerat, quod petentes Beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, ſecundum extimationem præfatam, etiam Beneficii cui aliud uniri peteretur (alioquin unio non valeret) certam de præmiſſis notitiam non habens, ac Prioriſſam & ſingulares perſonas Conventus hujuſmodi à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis

Digitized by Google

nis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſterent, ad effectum infraſcriptorum dumtaxat conſequendum abſolvens & abſolutas fore cenſens; nec non verum annuum valorem dicti Monaſterii pro expreſſo habens, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, ſub data videlicet Idibus Martii, Pontificatûs ſui anno duodecimo, voluit & conceſſit Fraternitati tuæ dari in mandatis, quatenus Te de præmiſſis Auctoritate Apoſtolicâ diligenter informares.

Et ſi per informationem eamdem præmiſſa vera eſſe reperires (ſuper quo dictus Prædeceſſor conſcientiam tuam etiam onerari voluit) in dicta Domo Ordinem tertiæ Regulæ præfatum, nec non antiquum Monaſterium hujuſmodi, ſi infraſcriptam Erectionem per Te fieri contingeret, etiam perpetuò ſupprimere, & eamdem Domum, poſtquam illa cum ſuis ſtructuris & ædificiis, cum clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis aliiſque officinis neceſſariis pro convenienti habitatione Prioriſſæ & Conventus hujuſmodi ampliata & debita clauſura munita foret, in Monaſterium Monialium ejuſdem Ordinis Sti. Auguſtini ſub dicta invocatione, cum aliis ſuis qualitatibus, ſine alicujus præjudicio, cum ad id dictorum Fratrum tunc accederet aſſenſus, ſimiliter perpetuo erigere, ac tam Monaſterii ſic ſuppreſſi quam Domus prædia & alia bona dicto Monaſterio erigendo pariter perpetuò applicare & appropriare;

Nec non Prioriſſam & Conventum hujuſmodi cum omnibus & ſingulis illorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, dotibus, actionibus, bonis mobilibus & immobilibus ac pertinentiis univerſis, nec non calicibus, crucibus, tabernaculis, Sanctorum Reliquiis, campanis, paramentis, ornamentis & munimentis eccleſiaſticis, Privilegiis aliiſque rebus univerſis ad Monaſterium erigendum hujuſmodi tranſferre, & primo-dictum Monaſterium, dummodo illius Eccleſia ad profanos uſus non reduceretur, & in ea per Presbyterum idoneum, per Ordinarium approbandum, Miſſa certis diebus hebdomadatim celebraretur, diruere & profanare;

Dictis vero duobus Fratribus, reſervatis eiſdem portionibus quoad viverent quas ante præmiſſa habebant, de dicto Ordine tertiæ Regulæ ad Ordinem Sti. Auguſtini hujuſmodi, licentiâ cujuſvis minimè requiſitâ transferendi, & ad Monaſterium ejuſdem Ordinis S. Auguſtini ubi benevolos invenirent receptores tranſeundi, licentiam concedere Auctoritate Apoſtolicâ curares.

Bogardi tranſlati ad Ordinem S. Auguſt.

Decernens Litteras tunc deſuper confiendas nullo unquam tempore, quovis prætextu vel ingenio, etiam quia in præmiſſis intereſſe habentes vocati non fuiſſent, de ſubreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, ſeu intentionis ſuæ defectu notari vel impugnari poſſe, ſed ſemper illas validas & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus voluntate priori dicti Prædeceſſoris, ac Lateranenſis Concilii noviſſimè celebrati, Uniones perpetuas, niſi à caſibus in jure permiſſis fieri prohibentis, ac aliis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii & Domûs ac Ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & Conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Ne autem de abſolutione, voluntate, conceſſione, & Decreto prædictis, pro eo quod ſuper illis dicti Prædeceſſoris, ejus ſuperveniente obitu, Literæ confectæ non fuerint, valeat quomodolibet hæſitari, ipſæque Prioriſſa & Conventus illorum fruſtrarentur effectu, volentes, & ſimiliter dicta Auctoritate decernentes, quod abſolutio, voluntas, conceſſio & Decretum Prædeceſſoris hujuſmodi perinde à dicta die Iduum Martii ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis dicti Prædeceſſoris Litteræ ſub ejuſdem dici data confectæ fuiſſent; prout ſuperius enarratur.

Quodque præſentes Litteræ ad probandam plenè abſolutionem voluntatem conceſſionem & Decretum Prædeceſſoris hujuſmodi ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur, eidem Fraternitati * tuæ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus de eiſdem præmiſſis te auctoritate noſtra diligenter informes. Et ſi per informationem eandem præmiſſa vera eſſe repereris, ſuper quo conſcientiam tuam oneramus, in eadem Domo Ordinem tertiæ Regulę nec non antiquum Monaſterium hujuſmodi, ſi Erectionem prædictam per Te fieri contigerit, ut præfertur, perpetuo ſupprimere,

* Is erat Clemens Crabeels III. Epiſc. Silvæduc.

Eamdemque Domum in Monaeſtrium Monialium ejuſdem Ordinis S. Auguſtini ſub invocatione prædicta, erigere, nec non fructus, redditus, proventus, cenſus, poſſeſſiones, prædia, & bona prædicta eidem Monaſterio erigendo applicare & appropriare, ac Prioriſſam & Conventum prædictos ad Monaſterium erigendum hujuſmodi transferre, nec non antiquum Monaſterium prædictum diruere & profanare, ac dictos duos Fratres ad Ordinem S. Auguſtini hujuſmodi transferre Auctoritate noſtra prædicta cures, juxta voluntatem & conceſſionem dicti Prædeceſſoris, & non obſtantibus omnibus ſupradictis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto, Kal. Maii, Pontificatûs noſtri anno primo.

CAPUT XCVI.

CAROLUS A LOTHARINGIA, *S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus Virdunenſis, Authoritate Apoſtolicâ deputatus Executor Bullæ Gregorii XIII. Pont. Prioratum de* Munhault, *vulgo* Munoz, *Ordinis S. Benedicti in Diœceſi Trevirenſi, ad limites Ducatûs Luxemburgenſis (olim dependentem ab Abbatia S. Vitoni Virdunenſi) in perpetuum unit atque incorporat Collegio PP. Societatis Jeſu Leodienſi, anno 1586.*

Anno 1738 communic. Inſulis in Congreſſu.

NOS CAROLUS A LOTHARINGIA, Miſeratione divina ſanctæ Mariæ in Dominica, Cardinalis, Vademontanus nuncupatus, Epiſcopus & Comes Virdunenſis, nec non Epiſcopatûs ac Comitatus Tullenſis Adminiſtrator, Apoſtolica Authoritate ſpecialiter deputatus, ſacri Romani Imperii Princeps &c.

Cum aliàs, poſtquam quondam *Lambertus de Ora*, dum viveret Canonicus Eccleſiæ Leodienſis, qui Prioratum loci de *Muſnault*, Ordinis S. Benedicti, Treverenſis Diœceſis, à Monaſterio ejuſdem Ordinis S. Vitoni Virdunenſi, Epiſcopatui noſtro Virdunenſi perpetuò unito dependentem, ex conceſſione Apoſtolica in Commendam ad ejus vitam obtinebat, Commendæ hujuſmodi ſibi de illo factæ, nec non omni ac cuicumque juri & actioni ſibi in dicto Prioratu, vel ad illum quomodolibet competenti, atque etiam cuicumque liti & cauſæ, deſuper quomodolibet & ubilibet forſan pendenti, in manibus fælicis recordationis GREGORII Papæ decimi tertii ceſſerat;

Idem GREGORIUS Papa tunc in humanis agens, ceſſione hujuſmodi admiſſâ, Prioratum prædictum, per ceſſionem ipſam illius Commendâ prædictâ ceſſante, eo quod ante eandem Commendam vacaret, aut alàs quovis modo, & ex cujuſcumque perſona vacantem, cum illi forſan annexis ac omnibus juribus, pertinentiis ac appendiciis ſuis univerſis, demptâ tamen temporali Juriſdictione illi connexâ, ad preces bonæ memoriæ GERARDI tunc Epiſcopi Leodienſis, ac dilecti nobis in Chriſto Præpoſiti Generalis, etiam tunc exiſtentis, Societatis Jeſu, Collegio Presbiterorum Regularium ejuſdem Societatis in civitate Leodienſi tunc inſtituendo, nunc vero inſtituto, pro illius dote, ac ejus pro tempore exiſtentium Rectoris ac perſonarum ſuſtentatione Apoſtolicâ Authoritate perpetuò univerit, annexuerit & incorporaverit; prout in Litteris Apoſtolicis deſuper confectis pleniùs continetur.

Gerardus à Groesbeeck S. R. E. Cardinalis.

Unio pro Collegio Societ. Jeſu Leodii.

Nos, inquam, ad quos, ac pro tempore exiſtentes Epiſcopos Virdunenſes Collatio, proviſio, ac omnimoda diſpoſitio dicti Prioratus, ſeu ad illum præſentatio perſonæ idoneæ (dum vacat) ratione prædicti Monaſterii, ut præfertur, uniti, ſpectat & pertinet ab antiquo; pro eo, quem erga dictam Societatem ac illius perſonas ſingulas gerimus devotionis affectu ac ſtudio ſingulari, Unionem, Annexionem & Incorporationem prædictas ratas atque gratas habentes, illis, ac prout eas concernunt dumtaxat, omnibus ac ſingulis in dictis Litteris Apoſtolicis contentis, ac in favorem præfatæ Societatis per eas conceſſis gratiis, ac ut etiam Juriſdictio prædicta, cujus applicationem & approbationem in dictis Litteris Apoſtolicis contentam minimè approbamus, eidem Collegio, & non Menſæ Epiſcopali Leodienſi applicata ſit, & eſſe cenſeatur appropriata;

Conceditur etiam Dominium & Juriſdictio temporalis.

Ipſique dictæ Societatis Rector & Patres dictâ Juriſdictione ac omnibus & ſingulis facultatibus, aliiſque juribus & emolumentis fruatur, potiatur & gaudeat, quibus Priores ejuſdem Prioratus, qui pro tempore fuerunt, hactenus uſi, potiti & gaviſi ſunt, atque Dominium & uſum-fructum habuerunt, liberaliter & ingenuè conſentimus, noſtrumque benignè conſenſum præbemus pariter & aſſenſum.

Volumus autem nihilominus, quod ſi aliquo tempore contingeret, Collegium prædictum Leodii fundatum deleri, aut Congregationem Presbiterorum dictæ Societatis in eo inſtitutam ceſſare, aliòve extra Diœceſim Leodienſem, præterquam ad noſtram Virdunenſem, transferri, quod Prioratus ipſe in priorem ſtatum revertatur; ac priſtinum Jus in eo noſtrum Nobis ac Monaſterio prædicto recuperatum ſit & reſtitutum, ac fore ac eſſe cenſeatur,

Recognitio erga Abbatiam S. Vitoni.

Quodque iidem Patres dicti Collegii, quamdiu eundem Prioratum obtinuerint, teneantur ſingulis annis ſolvere præfato Monaſterio unum Francum Monetæ Lotharingiæ annui & perpetui cenſus, pro juris noſtri recognitone.

Digitized by Google

In quorum omnium & ſingulorum fidem ac teſtimonium, præſentes Litteras manu noſtrâ ſubſcriptas fieri, ac per Secretarium noſtrum infra-ſcriptum ſubſignari, Sigillique noſtri, quo in ſimilibus utimur, juſſimus ac fecimus appenſione communiri.

Datum Virduni, in Palatio noſtro Epiſcopali, anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto, decimo Kalendas
1586. Octobris.

Conſenſus Prioris ac Monachorum Abbatiæ Sti. Vitoni Virdunenſis in prædictam Unionem Prioratus de Munhault, anno 1586.

NOs Prior & Conventus Monaſterii S. Vitoni Virdunenſis, Ordinis S. Benedicti. Cum aliàs, ut nobis relatum fuit, recolendæ memoriæ Gregorius Papa decimus tertius, dum in humanis ageret, Prioratum loci de Muſnault, dicti Ordinis, Treverenſis Diœceſis, â Monaſterio noſtro prædicto S. Vitoni Virdunenſi dependentem, ac certo tunc expreſſo modo apud Sedem Apoſtolicam vacantem, cum illi annexis, ac omnibus juribus, pertinentiis & appendiciis ſuis, Collegio Societatis Jeſu, in Civitate Leodienſi, tum inſtituendo, ac nunc (ut accepimus) inſtituto & fundato, pro illius dote & perſonarum in eo pro tempore degentium ſuſtentatione, Apoſtolicâ authoritate perpetuò univerit, annexuerit & incorporaverit, prout in Litteris Apoſtolicis deſuper confectis pleniùs continetur;

Authoritatem & animi propenſitatem Reverendiſ. & Illuſtriſ. Domini Cardinalis Vademontii, Superioris noſtri, erga eandem Societatem ejuſque perſonas omnes lubenter ſequentes ac imitari ſtudentes, Unioni, annexioni & Incorporationi prædictis de dicto Prioratu, ut præmittitur, factis, in omnibus & per omnia, ac cum iiſdem conditionibus, articulis, modificationibus præſtationis ſeu ſolutionis cenſus annui & perpetui unius Franci Monetę Lotharingiæ præfato noſtro Monaſterio ſingulis quoque annis in Feſto S. Martini undecimâ Novembris expenſis dicti Collegii hîc Virduni perſolvendi (ſicuti in Litteris prædicti Reverendiſ. Cardinalis latiûs continetur) ac uti & quemadmodum præfatus Reverendiſ. Cardinalis Prælatus & Superior noſter hodie fecit, & Nos unanimiter ac propenſa voluntate conſentimus, noſtrumque conſenſum pariter & aſſenſum benignè præſtamus.

In cujus rei fidem ac teſtimonium, præſentes Litteras Notarii infraſcripti manu ſubſcriptas fieri, ſigilloque Conventûs noſtri fecimus & curavimus communiri.

Datum Virduni, in præfato Monaſterio ac Conventu noſtro, anno à Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto, die vero Menſis Septembris vigeſima tertiâ.

Munau ſive Munhault, Municipium ac Toparchia haud procul ab oppido Bullonienſi; de quo etiamnum controvertitur, cujus ſupremo Dominio ſubjiciatur. Subſunt illi tres pagi; *Watrinſart*, *Lamberſart* & *Wez*, aliæque plures præeminentiæ.

Fuit olim ſub protectione ſeu *Salva-gardia* Ducis Bullionii, item Ducis Lotharingiæ, ac Comitis Chinacenſis: ſed paſſim velut Terra libera ſiva neutra habebatur.

Godefridus Senior, ſive Barbatus, Bullonii Dux, olim Munovienſi dominio potiebatur. Stemma ejus exhibetur Tomo I. Diplom. Belgic. Miræi pag. 76. fundavitque Prioratum S. Petri Bullonienſem, pro Abbatia S. Huberti, & S. Dagoberti Sathanacenſem pro Abbatia Gorzienſi. Vide Diplomata apud Miræum.

Ejus filius Hermannus pari pietate fundavit Munovii inſignem Prioratum, quem anno 1005. ſubjecit Abbatiæ Sti. Vitoni Virdunenſi apud Lotaringos, Ordinis S. Benedicti. Unde olim Priores Monachos habuit, uſque ad annum 1522, quo cæpit habere Commendatarios.

Anno 1559 Lambertus Oranus, vulgo d'Heure, Cathedralis Eccleſiæ Leodienſis Canonicus, factus eſt ejuſdem Commendatarius, obiitque anno 1579; dum idem Prioratus per Abbatem S. Vitoni collatus fuit *Benedicto à Marchia* Priori Munſterienſi apud Luxemburgum, qui regiâ authoritate Conſilii Luxemburgenſis manuteneri poſtulavit.

Inter hæc petiit Gerardus à Groesbeeck Leodienſis Epiſcopus à Gregorio XIII. Pont. Unionem Prioratûs Munovienſis cum novo Seminario Epiſcopali Leodienſi, cujus Erectionem meditabatur. Verum per Bullam alteram ejuſdem Papæ Gregorii XIII. datam anno 1574. X. Kal. Junii unitus fuit Collegio Societatis Jeſu Leodienſi, unà cum omni dominio atque præeminentia. Eodem tempore contigit Unio Prioratûs S. Severini in Condruſio: de quo vide Diplomata Belgica Miræi Tomo II. pag. 812.

Abbatiæ S. Vitoni; (vulgo *S. Vanne*) Ordinis S. Benedicti Virduni in Lotharingia titulus ac proventus uniti fuerunt anno 1574. Menſæ Epiſcopali Virdunenſi. Quo non obſtante, facta eſt caput celeberrimæ Congregationis Benedictinorum ſtrictioris Obſervantiæ, ſub titulo *SS. Vitoni & Hidulphi.*

CAPUT XCVII.

CLEMENS VIII. *Pontifex confirmat Exemptionem Abbatiæ S. Bertini, Ordinis S. Benedicti Audomaropoli, anno* 1595. *multaſque controverſias inter Capitulum Cathedrale Audomarenſe, ac præfatam Abbatiam determinat, quoad Proceſſiones, uſum Pontificalium &c.*

Ex Motivo Juris Abbatiæ S. Bertini.

CLEMENS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Inter cætera cordis noſtri deſiderabilia, id intenſis exoptamus affectibus, ut inter cunctos Chriſti fideles, præciſis quarumlibet diſcordiarum materiis, charitatem concordia nutriat, & pacem charitatis firmet amœnitas. Pro quo tam ſalubri bono his quæ propterea providè facta fuiſſe conſpicimus, ut illibata perſiſtant, libenter, cum à nobis petitur, Apoſtolici adjicimus muniminis firmitatem.

Sanè pro parte dilectorum filiorum Abbatis & Conventus Monaſterii Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecti, Sancti Bertini Audomarenſis, Ordinis Sancti Benedicti, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum aliâs lis & controverſia inter Abbatem & Conventum prædictos ex una, ac dilectos filios Decanum & Capitulum Eccleſiæ Audomarenſis ex altera partibus, ſuper præcedentia, occaſione erectionis dictæ Eccleſiæ in Cathedralem, rebuſque aliis, in actis cauſæ hujuſmodi deductis orta fuiſſet, & diù coram diverſis Judicibus Apoſtolicis non ſine gravi utriuſque partis diſpendio & populi ſcandalo indeciſa pependiſſet;

Tandem Decanus, Capitulum, necnon Abbas & Conventus prædicti ad amputandos litium amfractus & ſcandala evitanda in bonę memoriæ Joannem Franciſcum Epiſcopum Vercellenſem, tum in illis partibus dictæ Sedis Nuncium in Civitate Audomarenſi reſidentem, cum ampliſſima facultate decidendi, etiam remedio appellationis renuntiando, compromiſerunt;

Qui Decano & Capitulo, ac Abbate & Conventu prædictis auditis, per ſuum Laudum & Compromiſſi ſententiam decrevit & declaravit, quod ex conditionibus Compromiſſo hujuſmodi appoſitis nullum præjudicium unquam inferri poſſit Privilegiis atque Exemptionibus Eccleſiæ & Monaſterii prædictorum, & quod in Supplicationibus ſeu proceſſionibus cæteriſque actibus publicis Epiſcopus Audomarenſis ac Decanus & Canonici dictæ Eccleſiæ à latere dextero, ipſi verò Abbas & Conventus à ſiniſtro ſemper & ubique procederent; & quod in die Sanctiſſimi Corporis Chriſti, Abbas & Conventus hujuſmodi convenirent ad dictam Eccleſiam, undè ſupplicatio ſeu proceſſio initium ſumeret, excipientibus eos dictis Canonicis, ut moris eſt, & ad eamdem Eccleſiam proceſſionem comitarentur.

Tum autem ipſo Epiſcopo Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum geſtante, ſolus Abbas clauderet proceſſionem ante umbellam. In iis verò ſupplicationibus ſeu proceſſionibus quæ vel Romani Pontificis juſſu, vel Regia Majeſtate inſtante indicerentur (aliis proceſſionibus intereſſe Abbatem & Conventum prædictos minimè teneri declarando) tunc ſervaretur in omnibus antiqua alternativa conſuetudo & viciſſitudo, præter id quod ſupra de latere dextero & ſiniſtro conſtitutum eſt.

Pariter quoque ubi Corpora Sanctorum Audomari & Bertini in proceſſione deferenda eſſent, antiqua conſuetudo viciſſitudoque etiam obſervaretur, & dictum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in proceſſionibus publicis à digniori, ab ipſo Epiſcopo videlicet, ſi præſens eſſet, ſin minus ab ipſo Abbate, vel eo abſente à Decano, tum à Priore dicti Monaſterii deferretur. Et quando ipſe Abbas in Eccleſiâ dicti Monaſterii, Epiſcopo prædicto præſente, celebraret, antequam benedictionem impartiretur, eidem Epiſcopo cum mitra reverentiam facere deberet; & abſente dicto Epiſcopo, in eâdem Eccleſiâ Audomarenſi ipſo die Feſto Corporis Chriſti celebrare non gravaretur requiſitus.

Cum autem habendæ eſſent ſupplicationes, quibus certus dies præfixus non eſſet, tunc ex humanitate, atque etiam ut aliqua commodi dictorum Abbatis & Conventus ratio haberetur, Decanus & Capitulum prædicti cum Abbate & Conventu hujuſmodi convenirent, quo die & qua ratione ſupplicationes haberi deberent. Indictio autem ipſarum ſupplicationum omninò ad Epiſcopum, Decanum & Capitulum prædictos pertineret.

Quam quidem Sententiam, ſic latam & publicatam, dictus Joannes Franciſcus Epiſcopus, præſente ibidem etiam bonæ memoriæ Sixio tunc Epiſcopo Audomarenſi, tunc ſuperſtite, & præmiſſis omnibus

nibus annuente, inviolabiliter ab utraque parte hujuſmodi ſub pœnâ quingentorum aureorum, pro una dictæ Sedi, & altera medietatibus alteri parti obſervanti applicandorum, obſervari voluit & mandavit, ac Sixius Epiſcopus & Decanus & Capitulum, nec non Abbas & Conventus hujuſmodi eadem obſervarent, prout in publicis deſuper confectis ſcripturis plenius dicitur contineri.

Quare pro parte Abbatis & Conventûs prædictorum, aſſerentium Compromiſſum hujuſmodi pro pace & quiete eorumdem Decani & Capituli nec non Abbatis & Conventûs factum fuiſſe, nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenùs Compromiſſo hujuſmodi & Sententiæ, ne in poſterum de validitate illorum dubitari & novas lites deſuper forſan erui contingat, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, aliàſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos qui pacem & quietem inter Chriſti fideles ſinceris deſideramus affectibus, Abbatem & ſingulares perſonas Conventûs hujuſmodi à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Compromiſſum & Sententiam, aliaque præmiſſa Apoſtolicâ Authoritate tenore præſentium perpetuò confirmamus & approbamus, illiſque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus.

Ac omnes & ſingulos tam juris quam facti, & ſolemnitatum de jure uſu vel conſuetudine, aut aliàs quomodolibet neceſſariarum & requiſitarum, ac quoſvis alios etiam quantumvis ſubſtantiales defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes Compromiſſum & ſententiam aliaque præmiſſa omnia & ſingula perpetuò valida & efficacia eſſe & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac tam per Epiſcopum & Decanum & Capitulum, quam Abbatem & Conventum prædictos, modernos & pro tempore exiſtentes, omneſque alios & ſingulos ad quos nunc quomodolibet ſpectat & ſpectare poterit in futurum, perpetuò, firmiter & inviolabiliter obſervari & adimpleri debere;

Nec ab illis ſub quocumque prætextu cauſâ & occaſione reſiliri, aut recedi unquam poſſe, ſicque per quoſcumque Judices etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales & Legatos etiam de Latere judicari & definiri debere, nec non irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis autoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus præmiſſis, nec non in Provincialibus & Synodalibus, ac univerſalibus Conciliis, editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiæ Audomarenſis necnon Monaſterii & Ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, Statutis & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque Indultis & Litteris Apoſtolicis dictæ Eccleſiæ Audomarenſi, Præſuli & Capitulo prædictis, aliiſque ſuperioribus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus & aliis decretis in genere vel in ſpecie, ac aliâs in contrarium quomodolibet conceſſis.

Quibus omnibus, etſi de illis illorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua ac de verbo ad verbum, non autem per clauſuras generales idem importantes, mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliquâ alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hâc vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc Paginam noſtræ abſolutionis, confirmationis, approbationis, adjectionis, ſuppletionis, decreti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo nonageſimo quinto, octavo Calendas Martii, Pontificatûs noſtri anno quinto.

His non obſtantibus, reſumpta fuit controverſia inter Epiſcopum Audomarenſem ejuſque Capitulum Cathedrale, & Abbatem S. Bertini ab anno 1735. multaque utrimque Motiva Juris evulgata ſunt, è quibus imprimis elucidantur Antiquitates Eccleſiæ Audomarenſis. Propoſiti noſtri eſt, citare Diplomata; aliis deciſionem cauſæ, aliudve quodvis judicium relinquimus.

CAPUT XCVIII.

OCTAVIUS FRANGIPANES *Episcopus Tricaricensis, & antea Calatinus, Nuncius Apostolicus in Belgio, exponit miserandum statum Diœcesis Groninganæ apud Batavos, Literisque gravissimis monet* ARNOLDUM NYLEN *II. illius Urbis Episcopum, ut Religionem Catholicam inibi restauret, anno* 1598.

Ex Archivis Gruningani, Mechliniæ depositis.

REverendissimo Patri nobis in Christo dilecto, ARNOLDO NYLEN Episcopo Gruningensi designato, OCTAVIUS Episcopus Tricaricensis, Nuncius Apostolicus salutem.

Etsi in compluribus aliis iram Dei in Nos sceleribus nostris meritissimè provocatam experiamur, tum potissimum in amissione Catholicæ Religionis, & abolitione avitæ Fidei, juxta comminationem Propheticam id accidit. Cujus dicti fidele & patens nimis testimonium præbent & perhibent innumeræ pœnè Europæ & Belgii Civitates, quæ blando pravæ hæreseos veneno effascinatæ, dereliquerunt fontem aquę vivæ, & foderunt sibi cisternas non valentes continere aquam.

In quarum numerum Gruningana Civitas, non ita pridem Catholicâ Religione famosissima (etsi nunc avitâ Fide non planè ignota) communi omnium luctu referenda est.

Verum enim-vero, licet dolendum sit, in ea malorum & perversorum hominum nequitiam abundasse, & etiamnum abundare, pia tamen gaudia, & preces devoto animo exinde concipiendę & nuncupandæ sunt præpotenti Deo, quod non omnes viam suam corruperint, sed sint, qui signato à Majoribus nostris Catholicæ Religionis tramiti fideliter insistant, nec adhuc fucata religio sinceræ Fidei prævaluerit.

Unde & Reverendissimam Paternitatem vestram in Domino Jesu Christo seriò hortandam duximus, ut talentum suum à supernо hujus universi Patre-familias tibi concreditum animabus ibidem degentibus lucrifaciendis expendas, jacentes erigendo, debiles fovendo, & stabiles confirmando, certissimâ spe præmium fideli Evangelico servo repromissum consequendi. Quod ut facilius, & majori cum fructu fiat, subsequentes hasce Regulas Reverendissimæ P. Vestræ transmittendas duximus; quarum medio gregis Dominici oves falsis & impiis præstigiatoris stigii dolis abactas, ad communem Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ caulam revoces, reducas, reductas conserves, demum florentissimum olim Ecclesiæ illius Statum instaures, pias illius fundationes ab impiorum usurpatione vindices, omniumque bonorum Ecclesiasticorum rationem summam habeas.

Cum spoliatus ante omnia in integrum restitui debeat, in primis tibi laborandum erit, ut Episcopium, sive Aula Episcopalis, à Magistratu politico anno Domini 1577, post mortem Reverendissimi Domini Joannis Knyf primi Episcopi, Ecclesiæ erepta, recuperetur, tibique illius realis & actualis possessio concedatur. De Aula Episcop.

Deinde, quùm hæreticis civitatem occupantibus, irregulares quidam Monachi suæ sortis Religiosum Abbatem nominarunt Joannem Husingium nomine, cura primo quoque tempore, ut dotem Episcopalem ad summam 6000 florenorum (prout tunc moneta currebat) in bonis immobilibus, agris & possessionibus certis, ad ipsorum Monasterium pleno jure pertinentibus, sine omni onere, in Episcopi perpetuum usum transferant; sicut Abbas Pater Arnoldus Landt, & tres Visitatores Abbates in Clarecamp, Geritigen-Cloester, Grise-Monnicken, anno 1574. 2. die Decembris consensu Apostolicæ Sedis Regisque Catholici approbatione propriis sigillis, ac manuum subsignationibus consenserunt, promiserunt, confirmarunt. De dote Episcopali, super Abbatia Adwardiensi.

Et quia Abbas & Conventuales vivente & mortuo Episcopo à die factæ Transactionis supradictæ usque ad annum 1594. 24. diem Julii (quo civitas à Rebellibus est occupata) ne teruncium solvere voluerunt, sed tam ipsi quam alii totius territorii Gruningensis Prælati tunc superstites suæ Majestatis perduellibus adhærentes, præfatum contractum ruperunt, & (ne in posterum institueretur Episcopus) totam solennem illam promissionem pessumdederunt: constituantur arbitri, qui quantum de viginti illis annis, quibus Conventuales in Adewardt Transactioni non satisfecerunt, in promptis pecuniis numerare teneantur, statuant. Si vero præfati Arbitri causam decidere nequeunt, nostro arbitrio lis finiatur.

Quod si deductis oneribus, & solutis gravaminibus Conventus Adewardianus propter inordinatum regimen & exulcerata tempora Dotem Episcopi solvere non possit juxta Bullam Erectionis Episcopatus Gruningensis, & cedat bonis, proventus, emo-

Digitized by Google

lumenta, præeminentias, Jurisdictiones; re-ipsa Ordinario tradat, ut ex illis Religiosos Monasticè viventes honestè frugaliterque alat, & quod supereſt, pro sua Mensa reservet.

Similiter Pastorale pedum, cæteraque ornamenta Episcopalia à Nobili Viro Matthia Oert Satrapa Weddensi jure extorqueat, & quod de Capituli bonis injustè usurpavit, ex suis reditibus restituere compellatur.

De FF. Minoribus. Insuper, cum intellexerimus Conventum Fratrum Ordinis D. Francisci satis amplis ædificiis in Civitate exstructum, sub institutione Colonienſis Provinciæ hactenus fuisse, in qua propter bella intestina Inferioris Germaniæ, tum quoque hæresim vicinorum, Religiosi pauci idonei ad emendandos in Monasterio præfato corruptos mores maximo scandalo civium Catholicorum ab annis aliquot invectos, reperiri possint, instabis apud Sanctitatem suam, ut præfatum Monasterium in hæreditaria Inferioris Germaniæ Provincia sub Archiepiscopatu Ultrajectensi situm, Sedis Apostolicę Decreto reliquis ejusdem Ordinis, & Regulæ subjiciatur.

De PP. Societ. Jesu. Præterea diligenter laborabis, ut Societatis Patribus à Senatu evocatis, Monasteria tria, Marnense, Appingedama, & S. Hieronimi in Civitate prædicta, iisdem sub sigillis & Litteris publicis assignata, realiter tradantur, utque ibidem ex proventibus, redditibus & fructibus, Collegium loco commodo erigere, & vitę sustentationem honestam consequi possint.

Post hæc inquires, quis sit Monasteriorum status, quot & quales Fratres & Sorores in singulis Monasteriis inveniantur, cujus sint ætatis, an novitii, an provectioris ætatis, cujus eruditionis pietatisque, quibus moribus præditi, qui & quanti sint annui proventus, quæ gravamina, onera, debita. Et conferas cum Prælatis, qua potissimum ratione credant & sperent suis Monasteriis, Religioni, & pietati consuli posse, & de omnibus Nos requisitus certiores reddas.

Monaste-Singulare Groningæ. Monasterium autem Nobilium Virginum in Cœmiterio S. Francisci vulgo nominatum, cum nullius Cœnobitæ velint esse Ordinis, nec professionem aliquam faciant, nec minimum Religionis exercitium admittant, nec veste à laïcis dignoscantur, ad primœvam Institutionem revocentur. Hæreticę autem Virgines, quæ ex illa Congregatione non sine gravissimo scandalo Calvinistarum conciones frequentant, cum illis communicant, & cum infandissimis Ecclesiæ hostibus commessantur, multamque in noctem subinde potitant atque tripudiant, è præfato Monasterio sine solutione pensionis alicujus eliminentur, nec quicquam efferri patiatur nisi quod in illarum cellulis invenitur. Duę autem illæ Virgines Ursula Westendorp & Hermana Entes, quæ in fide Catholica constantes permansêre, benigno & hilari vultu suscipias, nec quæ ad vitæ sustentationem necessaria sunt, illis deesse patiaris. Si tamen ex junioribus non relapsæ nec incorrigibiles aut pertinaces, quæ seniorum vafritie & hæreticorum blanditiis in cœno peccatorum sunt involutæ, unde benè instructæ lubenter emergerent, hiis, modò Monasticæ vitę reformationem assumere velint, non esse claudendum Dei misericordiæ gremium dicimus; nam longe facilius est reddere Deo rationem de præstita misericordia superabundante, quam proximo nimia illata crudelitate.

Insuper reliqui Religiosi, ut in qua Religione Deo militant suæ professionis habitu dignoscantur, vestes sœculares, exquisitas, turgidas, colaria, indusia acu operosè depicta, quę non sine gravissimo sœcularium scandalo & piorum hominum nausea portare à Statibus sunt compulsi, post mensem aut ad summum sex hebdomadas deponant, & secundum Regulam quam professi sunt, in pleno Ordinis habitu mundo & honesto, quoad cappas nigras vel albas, scapularia usque ad talos vel pedes, tunicas, caligas (ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant) incedere non graventur.

Et quia infectus Magistratus sub pœna arbitraria omne Catholicæ Religionis exercitium severissimè interdixit, labora è contrario, ut personæ regulares sine alicujus exceptione ad Monasticæ vitæ, & Regularum suarum observantiam officium diurnum atque nocturnum in uno conclavi à te designando, articulatim distinctè & pro posse attentè persolvant. Missam pro vivis & defunctis publicitùs, præsente sui Ordinis cœtu, singulis diebus celebrent; & Prælati, qui in opere tam divino ac necessario negligentes inveniantur, nostrâ Authoritate strictissimè puniantur; ut quos divinus timor à malo non revocat, temporalis saltem pœna à peccato cohibeat.

De Apostatis. Intelleximus quoque propter Calvinisticum pernicioſum dogma, multos in utroque sexu Apostatas à Religione, quam solemni Ecclesiæ ritu & ordinatione professi sunt, resiliisse, & aratrum, ad quod manum miserant deseruisse, & ad mundum rediisse & in multis gravissimè exorbitasse. Eâdem Authoritate Apostolicâ præcipies omnium Monasteriorum Abbatibus, Commendatoribus, Præpositis, Prioribus (cujuscumque Ordinis ac Religionis sint) ne laïci illorum communione animarum periculis involvantur, ut Apostatas suos, qui jugum Religionis excusserunt, statim ad sua Monasteria retrahere procurent & severè in eos animadvertant. Quos tamen, si fuerint nimia prole gravati & corrupti, ut nulla emendationis spes videatur residua, è Dio-

Digitized by Google

cesi (invocato ad hoc brachii sæcularis auxilio) expelli, sine omni dissimulatione faciant.

Si qui verò dispensationis, aut quorumvis Privilegiorum prætèxtu, suorum Superiorum conabuntur subterfugere obedientiam, volumus ut ii intra unius mensis spacium à tua insinuatione sua diplomata, dispensationes, & privilegia tibi perspicienda & examinanda demonstrent. Alioquin enim tali diplomate non gaudentes, sumptibus suorum Prælatorum per brachium sœculare ad carcerem rapiantur, & severâ animadversione juxta propria Statuta puniantur.

Qui verò de Superioris sui licentia extra Monasterii sui sepia manserint & peccato incontinentiæ deliquerint, aut, quod sacrilegium est pessimum, publicè concubinas alere inventi fuerint, hos tamquam Sedis Apostolicæ Subdelegatus ad propria Monasteria sub canonica disciplina puniendos remittes, nec secundum Patrum Statuta deinceps unquam Ecclesiastici gradus officium administrare concedes.

Si vero inveneris (quod dicitur) aliquos Ecclesiæ Prælatos, qui quasi specimen & exemplar se præbere deberent, fœminas (ex quibus ante Prælaturas proles excitaverunt) ad cubicula sua subinde vocare, cum illis commessare, & suspicione hominum incontinenter vivere, nisi admoniti statim resipiscant, tamquam Concilii Tridentini certissimus Subdelegatus, hujusmodi sues & pestes Religionis, dignitatibus, officiisque privabis, ad Ordinis sui observantiam remittes, & ut lachrimarum imbre peccata abluant, ad tempus carceri mancipabis.

Et ut peccatorum occasiones amputentur, imo suspiciones, quibus subtilitas diaboli sub prætextu mutuæ dilectionis incautas animas irretire consuevit, præscindantur; secundum Conciliorum Decreta, maneant tam Prælati quam Religiosi (qui hactenus mixtim in privatis ædibus habitaverunt) ab omni virginum familiaritate alieni, remoti, & sejuncti omnino; neque cum eis quam par erit frequentius, nisi quando hoc pietati & sanctissimis moribus profuerit, colloquantur; multo minus ad sua prandia vel vespertinas cœnas, ne dicam commessationes & ebrietates, invitent; ne ita ampliùs apud discolos Religiosorum vita tamquam minus pia diffametur, contemnatur, & despiciatur.

Moniales autem, quæ stantibus his turbis datam fidem fecerunt irritam, & contemptâ pudicitiâ sub honesti matrimonii prætextu turpiter vivunt, prout magis minusve deliquerunt, secundum proprias quas professæ sunt Constitutiones puniantur districtius; ut sic horrens reliquis incutiatur timor, & alieno malo sibi præcavere, & sapere discant.

De malis Pastoribus.

Cum autem constat multos Pastores abjurata Catholica Religione circa Fidem naufragium passos, ante omnia fœdifragi Apostatæ, infandique illi Ecclesiæ hostes summa severitate Ecclesiis suis pellantur, nunquam admittendi postmodum. Nam qui in Religione invenitur bis terve polypus, simulator & hypocrita, nunquam bonus Christi minister & fidelis verbi præco futurus videtur.

Ad hæc nullum ad Ecclesiæ gubernacula admittes, qui concionatorem agat, Sacramenta administret, aut juventutem erudiat, nisi priùs examinetur, professionem Fidei edat, libros omnes de hæresi suspectos suis ædibus ejiciat, & Catholicè in Romana Ecclesia per omnia se victurum sanctè polliceatur & promittat. Qui iidem si postea Spiritui Sancto mentiti fuerint, tam dignitate quam officio priventur.

Qui vero Clericali honore sunt insigniti, & in sortem Domini legitimè vocati, incedant cum corona Clericali, & secundum Canones deponant sœculares vestes, succinctas, breves, desciscas, turgidas, fastum & superbiam manifestam præbentes; nisi velint secundum Constitutionem Concilii Tridentini & Clementis quinti in Concilio Viennensi factam graviter puniri.

De jejuniis.

Fama percrebuit, rurales Pastores ferè omnes, & Prælatos plerosque Apostolorum Constitutiones evertere, & antiquissima Ecclesiæ Dei Jejunia suaviter ridere, & ciborum delectum inverecundè & impiè cum imbecillium gravissimo certissimoque offendiculo contemnere, Sponsamque Christi dilectissimam in prandiis & cœnis suis ream erroris agere. Contra hos tanquam disciplinæ Ecclesiasticæ irrisores, & hæreticorum fautores, legitimis pœnis procedes, & si semel atque iterum moniti se non emendaverint, ab Ecclesia projiciantur.

De Sacrificio Missæ.

Intelleximus quoque, Rurales Pastores (etiam antequam illis dominaretur fidei hostis) tam irreverenter & coactè sacrosanctum Missæ Sacrificium peregisse, ut hystrionem potius quam inter Deum & homines sequestrem sese exhiberent; non-nullos sine casula, albâ, orario, & manipulo, aut omisso etiam Canone, nescio quas Antiphonas, aut Præfationes cantilasse, quorum mens polluta & contaminata est & perditio non dormit. Tolles hos, & similes gravissimos abusus (propter quos Deus nos punire videtur) & facies Pastores & Curatos omnibus diebus Dominicis & Festivis, quando nimirum ex Constitutione Ecclesiæ, populus Christianus Ecclesias suas frequentare, & divinis Officiis interesse tenetur, sacrosanctum & tremendum Missæ Sacrificium, secundum Ortho doxæ Romanæ Ecclesiæ instituta, cum omnibus & singulis precibus & cœremoniis, debitâ reve-

Digitized by Google

reverentiâ & devotione celebrare, ſicuti pacatis optimis & florentiſſimis temporibus fieri ſolet.

Si quis neceſſaria ad Sacrificium, utpote caſulam, calicem, miſſale, vinum, hoſtiam, candelas aut ampullas deeſſe conqueritur, ſequeſtrentur Eccleſiæ reditus, & Paſtor ſuis reditibus privetur, donec Eccleſiæ de omnibus fuerit proviſum.

Eccleſia autem ſi hæreticorum furiis diruta ac proſtrata fuerit, aut aliàs relicta majoribus ruinis periclitetur, poteris ex Conſtitutione Concilii Tridentini ex ejuſdem reditibus, fructibus, & proventibus, ad eandem Eccleſiam quocunque modo pertinentibus, collapſam, ruinoſam, ſive etiam ruinam minantem reficere & inſtaurare.

Si reditus ſufficientes ad hoc pium opus perficiendum tibi deeſſe perſpexeris, auxilio Civilis Magiſtratus parochianos ad contributionem pro Eccleſiæ inſtauratione compelles, quacumque etiam appellatione, exemptione, aut contradictione poſtpoſita; impiè enim illud inſtaurandum contemnit prophana poſteritas, quod tanto fervore & impenſis exſtruxit avita pietas.

Quod ſi reditus Monaſteriorum & Eccleſiarum fuerint ab hæreticis invaſi, gravati, aut etiam ab Ædilibus & Patronis alienati, vel in longum tempus non ſine ſummo & particuliari damno elocati, convocabis authoritate Concilii Tridentini omnium Monaſteriorum, Eccleſiarum, Beneficiorum Prælatos, Patronos, Curatores & Collatores, & exactam rationem de tota adminiſtratione exiges; emphiteoticas elocationes (maximè ſi contra Regis Catholici Diploma Gruningæ anno 1568. publicatum fuerint contractę) invalidas ac nullas declarabis.

Inſuper fraudulentos illos helluones, qui ſe quæſitis fraudibus technis & impoſturis Eccleſiaſticorum bonis immiſcuerunt, tanquam fures ac ſacrilegos, donec plenè ſatisfecerint, damnumque omne reſtituerint, communione Chriſtianorum privabis.

Sed nec pauculis hiſce lineolis circumſcriptam cupimus Reverendiſſ. Paternitatis tuæ prudentiam & induſtriam; nec enim inſcii ſumus documenta hæc minimè ſufficere conſolidandis & reſtaurandis iis quę effrenis & efferata impiorum malitia & perverſitas labefecit & deſtruxit. Sat interim nobis prævidiſſe & calcandam Reformationis à Reverendiſſima P. T. inſtituendæ ſemitam prævio pede deſignaſſe, cæteraque zelo, pietati & prudentiæ tuæ, de qua in Domino plurimum confidimus, commiſiſſe. Præpotens Deus piis tuis conatibus hanc in rem emanaturis divino ſuo favore aſpiret, Teque Eccleſiæ ſuæ & Religionis Catholicæ bono ſuperſtitem conſervet. Vale.

E Domo Reſidentiæ noſtræ, Bruxellis ſecunda Novembris anno 1598. *Signatum erat* : Octavius Epiſcopus Tricaricenſis Nuntius Apoſtolicus.

CAPUT XCIX.

OCTAVIUS FRANGIPANUS, *Tricaricenſis Epiſcopus, Nuncius Apoſtolicus in Belgio, refert Bullam* CLEMENTIS VIII. *Papæ datam anno* 1603 *ad inſtantiam* ALBERTI *&* ISABELLÆ *Principum Belgii, pro fundandis Monaſteriis Monialium Ordinis Stæ. Brigittæ per totum Belgium, ac ſignanter pro Monaſterio Inſulenſi, fundato per* NICOLAUM DE MONTMORENCY *Baronem de Haveskercke, &* ANNAM DE CROY *ejus Conjugem.*

OCTAVIUS Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Tricaricenſis, SS. Domini noſtri Clementis divinâ providentiâ Papæ Octavi, ejuſdemque S. Sedis in Belgarum Provinciis, Civitatibus & locis omnibus Nuncius, cum poteſtate Legati de Latere Notum facimus, nos eâ qua decuit reverentia Literas ejuſdem SS. in Chriſto Patris, in forma Brevis &c. recepiſſe, hujus tenoris.

CLEMENS Papa Octavus, ad perpetuam rei memoriam. Nuper dilectæ in Chriſto filiæ, Nobilis Mulieris ISABELLÆ Infantis Hiſpaniarum & Principiſſæ Flandriæ nomine Nobis expoſitum fuit, in Belgii & aliis Inferioris Germanię partibus ipſi Iſabellæ ſubjectis diverſa utriuſque ſexus Monaſteria Ordinis ſeu Inſtituti Stæ. Brigidæ reperiri. Sed ipſius Ordinis ſeu Inſtituti, Authoritate Apoſtolicâ confirmati, quodam Statuto prohibitum eſſe, ne alia ejuſdem Ordinis vel Inſtituti Monaſteria ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia & authoritate fundari poſſint.

Cum autem (ſicut ea expoſitio ſubjungebat) nonnulli cupiant nova dicti Ordinis vel Inſtituti Monaſteria fundare; propterea dicta Iſabella Infans & Principiſſa nobis humiliter ſupplicari fecit, ut noſtro & Apoſtolicæ Sedis Nuncio in illis partibus nunc & pro tempore exiſtenti, ac locorum Or-

dinariis opportunam ad hoc facultatem de benignitate Apoſtolica concedere dignaremur.

Nos igitur, piis ac devotis ejuſdem Iſabellæ Infantis & Principiſſæ ſupplicationibus in hac parte benignè annuentes, moderno & pro tempore exiſtenti noſtro & Apoſtolicæ Sedis in eiſdem Germaniæ inferioris partibus Nuncio, ac Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis, ut conjunctim aut diviſim, in locis quibuſcumque quoad Nuncium noſtrum, quo vero ad Ordinarios in ſuis quiſque Civitatibus & Diœceſibus Statuta, Regulas & Inſtituta dicti Ordinis ſeu Inſtituti Sanctæ Brigidæ diligenter examinare;

Et ſi illa licita & honeſta ſacriſque Canonibus & Conc. Trid. Decretis non contraria, & ab Apoſtolicâ Sede approbata fuerint, Monaſteria tam virorum quam mulierum Ordinis ſeu Inſtituti Stæ. Brigidæ hujuſmodi, ſervatâ SS. Canonum & generalium Conciliorum forma, ſine tamen cujuſquam præjudicio, & poſtquam vocatis & auditis aliorum in eiſdem civitatibus & locis exiſtentium Conventuum ſeu Monaſteriorum Superioribus ſeu procuratoribus, & aliis intereſſe habentibus & cauſâ (ſervatis ſervandis) cognitâ conſtiterit in eiſdem civitatibus & locis nova hujuſmodi erigenda Monaſteria ſine aliorum detrimento erigi & commodè ſuſtentari poſſe (& non aliàs) fundare & erigere;

Ac in hujuſmodi Fundationibus & Erectionibus quæcumque pro eorumdem Monaſteriorum proſpero regimine & gubernio, ad Dei laudem, & ejuſdem Ordinis ſeu Inſtituti propagationem neceſſaria eſſe judicaverint, ſtatuere ordinare facere & exequi liberè & licitè valeant, Auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium licentiam & facultatem concedimus & impartimur.

Non obſtantibus prædicto & quibuſvis aliis ejuſdem Ordinis ſeu Inſtituti S. Brigidæ, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica & quavis firmitate alia roboratis Statutis & conſuetudinibus; nec non quibuſvis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ſub quibuſcumque Cenſuris & formis, & cum quibuſvis clauſulis & decretis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis confirmatis & innovatis.

Quibus omnibus & ſingulis, etſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, ſpecialis ſpecifica & ad verbum expreſſa mentio habenda eſſet, tenores hujuſmodi præſentibus pro ſufficiente rexpreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die vigeſima... M.D.C.III. 1603. Pontificatûs noſtri anno duodecimo. *Subſcriptum*: M. Vestrius Barbianus.

QUibus quidem Litteris Apoſtolicis Nobis per Nobiles & generoſos Dominum Nicolaum de Montmorency Baronem de Haveskercke Dominum de Vendegies &c. & Dominam Annam de Croy ejus uxorem exhibitis, ab eiſdem Nobis humiliter expoſitum fuit, quod ipſi divinâ opitulante gratiâ, ſecundùm formam in præmiſſis Litteris Apoſtolicis expreſſam, in Oppido ſeu territorio Inſulenſi, Tornacenſis Diœceſis, novum Monaſterium Ordinis Sanctæ Brigittæ, ſeu Brigidæ, fundare intendant.

Primæ Monales è Monaſt. Teneramundano.

Quodque ex nunc Dominam Abbatiſſam cum quatuor aliis Monialibus ſimilis Monaſterii Oppidi Teneramundani, Gandavenſis Diœceſis, modo per ſuos Superiores id eis permittatur, ad dictam novam Plantationem & fundationem conſentientes habeant, & de dote cum Illuſtriſſ. Ordinario loci, ſcilicet Epiſcopo Tornacenſi, amodo convenerint: prout patet per Inſtrumentum deſuper confectum.

Sed eſſe quædam quæ ſecundum S. Concilii Tridentini Decreta, & aliàs pro majori pietatis & religionis incremento, in dicti Ordinis Statutis immutanda.

Imprimis, ut in hoc novo Monaſterio ſolæ ſint Moniales & Sorores, abſque Fratrum ſeu Religioſorum virorum ejuſdem Ordinis admiſſione. Neque adſtringantur ad tantum numerum Religioſarum atque tantos reditus, quam dicti Ordinis Conſtitutiones præſcribunt: ſed id arbitrio Ordinarii relinquatur.

Item injungatur, ut quæ deinceps aſſumentur Religioſæ, profeſſionem expreſſè faciant ſecundùm Regulam S. Auguſtini & Conſtitutiones S. Brigittæ. In quibus tamen Conſtitutionibus dicto Ordinario relinquatur poteſtas mutandi, moderandi & conſtituendi: prout temporis & loci ratio ad convenientiorem Religionis directionem poſtulare videbitur.

Deinde ut deinceps annus Probationis earumdem non ſecundum dictas veteres Conſtitutiones fiat, ſed ſecundum Concilium Tridentinum.

Et licet dictæ Conſtitutiones permittant Religioſis certis diebus eſum carnium: quia tamen quantum in ſe eſt prædictæ Religioſæ, quæ ad hoc novum Inſtitutum paratę ſunt, bene vellent penitus à carnibus abſtinere, dignaremur hoc illic per integrum annum liberum facere & pro experientia rei & cum Ordinarii judicio certum aliquid tum conſtituatur.

Præterea ut ultra conſueta Ordinis Officia, liceat Abbatiſſæ certas horas piis Meditationibus aliiſque ſpiritualibus exercitiis deputare; quibus ad honorem Dei, pro ſua ac Benefactorum ſuorum, nec non Ec-

Digitized by Google

cleſiæ, Principum & Reipublicæ, atque pro omnium vivorum & defunctorum ſalute orantes devotè incumbant.

Et ut illæ ſibi poſſint de conſenſu Ordinarii Confeſſarium deligere debitè approbatum, ſive Religioſum, ſive Sacerdotem ſæcularem; præter quem tamen licitum illis ſit, quandocumque ex rationabili cauſa Abbatiſſæ id videbitur, alii quoque, ſeu aliis, ſimiliter tamen approbatis, confiteri. Atque ad eundem modum illis permitti quorumcumque approbatorum Concionatorum, qui ipſis ex charitate prædicare volent, ſermones audire, nec non & collationes particulares ad cratem habere, etiam inter ſolam & ſolum pro majori libertate & fructu animarum ſuarum; accedente tamen Abbatiſſæ conſenſu.

Denique licitum ſit præfatis Fundatoribus iſtud Monaſterium ingredi, atque etiam loco ſeparato commorari. Idemque & ſuis Succeſſoribus liceat: dummodo per Reverendiſſimum Dominum Ordinarium approbetur.

Super quibus & omnibus ſingulis examinandis, concedendis, ſtatuendis & approbandis, noſtram Authoritatem ad effectum ſupra commemoratum impertiri petebant.

Præmiſſis itaque omnibus à Nobis perlectis & maturè examinatis, nec non cum RR. DD. Gandavenſi & Tornacenſi Epiſcopis, & Magiſtratu dicti Oppidi Inſulenſis ſæpius communicatis; qui omnes declarabant, ſe in iſtam novi Monaſterii Erectionem libenter conſentire; & conſiderato quod hoc Monaſterium ſine aliorum detrimento ſic erigi & ſuſtentari poſſit.

Hinc eſt, quod de conſilio primariorum Officiariorum dictæ Diœceſis Gandavenſis, & plurium PP. Franciſcanorum, Societatis Nominis Jeſu, & Capucinorum, prætactæ Dotationis curam & diſpoſitionem Reverendiſſimo D. Epiſcopo Tornacenſi tanquam Ordinario loci relinquendo, prædictorum ſupplicantium piis votis annuentes, eoſdemque NICOLAUM & ANNAM, nec non omnes & quaſcumque ejuſdem Monaſterii pro tempore Religioſas, Authoritate Apoſtolica nobis conceſſa, à quibuſvis excommunicationis... & ad effectum abſolventes, prædicta omnia & ſingula laudamus & approbamus; illiſque Apoſtolicæ firmitatis robur, omnes & ſingulos tam juris quam facti defectus, ſi qui forte intervenerint, ſupplentes, adjicimus.

Et ita ab omnibus pro proſpero dicti Monaſterii regimine ad Dei laudem & ejuſdem Ordinis ſeu Inſtituti propagationem obſervari debere, atque adimpleri, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo, eadem authoritate mandamus. Non obſtantibus omnibus illis, quæ idem SS. Dominus noſter in prædicto ſuo Brevi non obſtare debite decrevit.

In quorum omnium præmiſſorum fidem robur ac teſtimonium, præſentes per Notarium publicum rogati ſubſcripſimus, & Sigilli noſtri impreſſione juſſimus communiri.

Datum Gandavi Flandriæ, quintâ Septembris M. D. C. IV. Pontificatûs ejuſdem SS. Domini noſtri Clementis VIII. anno ejus decimo-tertio. 1604.

Signatum: OCTAVIUS Epiſcopus Tricaricenſis, Nuncius Apoſtolicus.

CAPUT C.

PAULUS V. *Pontifex decernit Jura Epiſcopi Tornacenſis ſuper Eccleſias ſubjectas Capitulo ejus Cathedrali, aliaque eò ſpectantia, anno* 1609.

VEnerabili Fratri Epiſcopo Tornacenſi Paulus Papa V. Venerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Exigit paſtoralis officii noſtri debitum, ut ſi quæ inter perſonas Eccleſiaſticas oriatur controverſia, illam paſtoralis ſollicitudinis providentia præcidamus.

Cum itaque, ſicut Nobis innotuit, Venerabiles Fratres noſtri S. R. E. Cardinales Concilii Tridentini Interpretes, pro terminandis differentiis quæ inter Te, ſeu pro tempore exiſtentem Epiſcopum Tornacenſem, & dilectos filios Decanum & Capitulum Eccleſiæ Tornacenſis, ſuper jure viſitandi Eccleſias, & approbandi Confeſſarios ac aliis infraſcriptis cum populi ſcandalo ſolent exoriri, declaraverint tibi & pro tempore exiſtenti Epiſcopo Tornacenſi licere quaſcumque ſæculares tuæ Diœceſis Eccleſias viſitare, juxta Cap. VIII. Seſſ. VII. ejuſdem Concilii, non obſtante immemorabili præſcriptione Capituli, quam dictum Capitulum VIII. expreſſè ſuſtulit.

Jus item approbandi Confeſſarios ad confeſſiones audiendas, atque licentiam concedendi Regularibus, qui in Eccleſiis non ſuorum Ordinum ſacras conciones ſunt habituri, nec non benedictionem eis qui prædicaturi ſunt, in Eccleſiis ſuorum Ordinum, ad Te & pro tempore exiſtentem Epiſcopum hujuſmodi, non autem ad Decanum vel Capitulum, & in Cathedrali deputationem prędicatoris ad eundem Epiſcopum etiam contraria conſuetudine immemorabili non obſtante,

Ac publicationem Indulgentiarum ad Te & pro tempore exiſtentem Epiſcopum prædictum, adhibitis duobus ex Capitulo, non obſtante ſimiliter Ordinaria Juriſdictione Capituli, aut quibuſcumque illius Privilegiis ante dictum Concilium obtentis, pertinere.

Parochialium verò Eccleſiarum, quamvis de Jure Patronatus Decani & Capituli fuerint, Concurſum omninò eſſe coram Te & pro tempore exiſtente Epiſcopo inſtituendum, juxtà Decretum Cap. XVIII. Seſſ. XXIV. Quo etiam decernitur, ad quem pertineat eo caſu electio dignioris, cum inſtitutio pertinet ad Epiſcopum, atque item cum ſpectat ad alios.

Nos diſſenſionibus prædictis finem imponere, & ſcandalis hujuſmodi obviare cupientes, Fraternitati tuæ per præſentes mandamus, ut eoſdem Decanum & Capitulum auctoritate noſtra moneas, ut Declarationi Cardinalium hujuſmodi de cætero ut par eſt obediant. Quod ſi facere recuſaverint, vel quoquo modo neglexerint, eoſdem per cenſuras Eccleſiaſticas, & pœnas etiam pecuniarias, arbitrio tuo infligendas & applicandas, omni & quacunque appellatione poſtpoſita, eadem auctoritate noſtra cogas & compellas. Super quo tibi plenam & liberam facultatem & auctoritatem per eaſdem præſentes impartimur.

Non obſtantibus præmiſſis, & quibuſvis Conſtitutionibus Ordinationibuſque Apoſtolicâ vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis & Litteris Apoſtolicis, eiſdem Decano & Capitulo, vel quibuſvis aliis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis ac irritantibus & aliis decretis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Etiam ſi per ea ſpecialiter illis ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per Litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem.

Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris die IX. Maii, M. D. C. IX. Pontificatûs noſtri anno quarto.

CAPUT CI.

PAULUS V. *Pontifex mandat Decano & Capitulo Cathedralis Eccleſiæ Tornacenſis, per Breve datum anno* 1611. *ut ſeſe conforment Decreto Apoſtolico, ante biennium miſſo ad Epiſcopum Tornacenſem.*

DIlecti filii ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Inter multas hujus ſæculi tribulationes quas in fluctuante B. Petri navicula gubernanda peccatis noſtris facientibus patimur, humilitatem noſtram nullæ magis contriſtant & conturbant, quam quę ab amicis & proximis noſtris Nobis conficiuntur. Ita ut jure cogamur cum propheta gemere: quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique; tu verò homo unanimis qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, in Domo Domini ambulavimus cum conſenſu.

Vos ſane divina gratiâ non ſolum unum nobiſcum Deum invocatis & unum Chriſtum creditis, ſed etiam unum Calicem bibitis, unum panem frangitis, unumque Evangelium legitis. Tamen cum acceperimus, licet verbo honorificetis, factis tamen Mandata noſtra & Apoſtolicæ Sedis negligere, & deteriora committere, quantum hoc contriſtaverit & perturbaverit Nos, ipſi cogitate.

Si quidem cum anno M. D. C. IX. menſe Maio de nonnullis à Venerabili Fratre Michaele Epiſcopo veſtro â nobis quæſitis, per Venerabiles Fratres noſtros S. R. E. Cardinales ſacri Concilii Tridentini Interpretes reſponderi feciſſemus, eorum reſponſa, Litteris noſtris Apoſtolicis in huiuſmodi forma Brevis datis die 9 Maii eiuſdem anni comprehenſa, ad eundem Michaelem Epiſcopui miſimus, & à vobis obſervari mandavimus. Vos verô nihilominus non modò Mandatis noſtris huiuſmodi, quanquam juſtiſſimis & ſacri Concilii Tridentini convenientibus Decretis non obtemperaſtis, ſed omnia alia non ſemel egiſtis, cum gravi Dei & Apoſtolicæ Sedis offenſa, ſalutis animarum veſtrarum detrimento, & ſcandalo aliorum.

Quamobrem etſi idem Venerabilis Frater auctoritate noſtra ulciſci poterat inobedientiam veſtram, tamen paterna clementia vobiſcum agendum duxit. Quod & Nos, quibus cum ſummi Apoſtolatus officio non minus mandatum eſt à Domino de Vobis, neque minus illo Vos diligimus, paterna charitate ſimiliter tractare volentes, non ſolum vos hortamur, ſed etiam in Domino

mone-

Digitized by Google

monemus ac enixe requirimus, ut Ordinis veſtri, ófficii, ſalutis ac ſinceræ erga Nos & Apoſtolicam Sedem devotionis, ac obedientiæ quam re-ipſa ſemper oſtendiſtis, memores, & Dei & Apoſtolicæ Sedis honorem ſpectantes, tam juſtis Decretis parere diutiùs non detrectetis, quinimo conſcientiis veſtris pro hactenus hujus rei cauſa vel occaſione commiſſis ſollicitè conſulentes, non præbeatis inimicis Crucis Chriſti qui circumſtant, vos inſultandi & ſubſannandi occaſionem, ſed filiali obſequio, & obedientia, quod Sacrorum Canonum & Tridentinę Synodi Sanctiones decernunt & Apoſtolica Sedes mandat, promptè, ut par eſt pias & Eccleſiaſticas perſonas agere, impleatis.

Quod ſi, ut in Domino ſperamus, præſtiteritis, obſequium Chriſto & Beato Petro debitum, Animabus veſtris pacem, & Nobis gaudium feceritis.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris, die 30 Julii, 1611. Pontificatûs noſtri anno ſeptimo.

CAPUT CII.

GREGORIUS XV. *Pontifex decernit varia Jura controverſa inter Maximilianum Ganda-Villanum Tornacenſem Epiſcopum, ejuſque Capitulum Cathedrale, anno 1622.*

GREGORIUS PAPA XV. Ad perpetuam rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem in Beati Petri Principis Apoſtolorum ſede â Domino conſtitutum, ut ea quæ per S. R. E. Cardinales in partem Apoſtolicæ ſollicitudinis vocatos, pro ſedandis litibus & controverſiis inter perſonas Eccleſiaſticas vertentibus, maturè & conſultè decreta & reſoluta ſunt, ſuum ſortiantur effectum, opportunè providere, & aliàs Paſtoralis Officii ſui partes deſuper favorabiliter interponere, prout rerum & perſonarum qualitatibus debitè penſatis, conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

Cùm itaque, ſicut Venerabilis Frater Maximilianus Epiſcopus Tornacenſis Nobis nuper exponi fecit, licet aliàs Venerabiles Fratres noſtri S. R. E. Cardinales Sacri Concilii Tridentini Interpretes, ſuper nonnullis controverſiis inter tunc exiſtentem Epiſcopum Tornacenſem ex unâ, ac dilectos Filios Decanum & Capitulum Eccleſiæ Tornacenſis ex altera partibus, vertentibus, ſæpius declaraverint, licere eidem Epiſcopo Tornacenſi quaſcunque ſæculares ſuæ Diœceſis Eccleſias etiam Exemptas viſitare juxta Caput 8. Seſſ. 7. ejuſdem Concilii, non obſtante immemorabili præſcriptione ipſius Capituli, jus item approbandi confeſſarios ad confeſſiones audiendas, atque licentiam concedendi Regularibus, qui in Eccleſiis non ſuorum Ordinum ſacras conciones ſunt habituri, necnon benedictionem iis qui prædicaturi ſunt in Eccleſiis ſuorum Ordinum, ad eundem ſeu pro tempore exiſtentem Epiſcopum Tornacenſem, non autem ad Decanum & Capitulum præfatos pertinere, in Cathedrali deputationem Prædicatoris ad ipſum Epiſcopum, non obſtante contraria conſuetudine etiam immemorabili, publicationem Indulgentiarum ad ſolum Epiſcopum, etiam pro tempore exiſtentem hujuſmodi, adhibitis duobus de Capitulo ipſius Eccleſiæ, non obſtante ordinaria juriſdictione ejuſdem Capituli, aut quibuſcumque illius Privilegiis per ante dictum Concilium obtentis, pertinere.

Parochialium verò Eccleſiarum, quamvis de Jure Patronatus Decani & Capituli præfatorum fuerint, Concurſum omninò coram ipſo Epiſcopo Tornacenſi, etiam pro tempore exiſtente inſtituendum juxta Decretum ejuſdem Concilii Cap. XVIII. Seſſ. XXIV. in quo etiam decernitur ad quem pertineat eo caſu electio dignioris, cum inſtitutio pertinet ad Epiſcopum, atque item cum ſpectat ad alios;

Et felicis recordationis Paulus Papa V. prædeceſſor noſter, eaſdem Declarationes per ſuas in ſimili forma Brevis, ſub die nona Maii 1609 expeditas Litteras obſervari mandaverit, nihilominus Decanus & Capitulum prædicti executioni Declarationum & Litterarum hujuſmodi ſeſe hactenus oppoſuerint, ſub prætextu quod in illis, eorumque conceſſione non fuiſſent auditi.

Et propterea controverſiis hujuſmodi denuò ad Sedem Apoſtolicam remiſſis, tam Epiſcopus, quam Decanus & Capitulum prædicti rationes & ſcripturas executionem prædictam reſpectivè concernentes, tunc Sedis Apoſtolicæ in Belgicis ditionibus exiſtenti Nuntio ad Sedem prædictam tranſmittendas conſignaverint,

Eaſque dictus Paulus prædeceſſor dilectis filiis noſtris Joanni Garcię SS. quatuor Coronatorum Millino, bonæ memoriæ Horatio Sancti Salvatoris in Lauro Lancellotto, & Scipioni Sanctæ Suſannæ, dicto-

que Horatio Cardinale vita functo, Petro Sancti Thomæ in Parione titulorum Presbyteris Cardinalibus Camporeo respectivè nuncupatis, examinandas commiserit,

Iidemque Joannes Garcias, Horatius, Scipio, & Petrus Cardinales biennii spatio & ultra rationes & scripturas hujusmodi, cæteraque omnia & singula hinc inde latè deducta & allegata diligentissimè examinarint, ac Procuratores & Advocatos partium tam in voce, quàm in scriptis audierint.

Tandemque prædictarum controversiarum resolutione ad Congregationem eorundem Cardinalium dicti Concilii Interpretum per Nos remissa, ideoque omnibus rationibus & scripturis partium hujusmodi ad eandem Congregationem transmissis & examinatis, prędicti ejusdem Congregationis Cardinales, perspectis scripturis & juribus Capituli Tornacensis hujusmodi, atque auditâ eorumdem Joannis Garciæ, Scipionis, & Petri Cardinalium ut suprà Deputatorum relatione, resolutiones, ac Litteras Apostolicas hujusmodi, non obstantibus in contrarium adductis, esse omninò exequendas declaraverint, prout in Decreto per ipsos facto dicitur contineri.

Nos, litibus & Controversiis præfatis quantum cum Domino possumus finem imponere, dictumque Maximilianum Episcopum specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à jure vel ab homine, quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes,

Nec non Litterarum præfatarum tenores præsentibus pro expressis habentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum hujusmodi Apostolica Auctoritate tenore præsentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decernentes Decretum hujusmodi, nec non prædictas & præsentes Litteras, valida, firma, efficacia esse & fore, plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit inviolabiliter observari, & adimpleri debere, nec non irritum & inane quicquid secus super his à quoquam quovis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus Joanni Francisco Archiepiscopo Patracensi moderno, & pro tempore existenti nostro & Sedis Apostolicæ in Belgicis ditionibus Nuntio, ac Atrebatensi & Gandavensi Episcopis, per præsentes committimus & mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se, vel alium seu alios, faciant Auctoritate nostra resolutiones & declarationes hujusmodi nec non prædictas Pauli prædecessoris ac præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, ab eisdem Capitulo & Canonicis, cæterisque ad quos spectat, inviolabiliter observari;

Contradictores quoslibet & rebelles, ac præmissis non parentes, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione postpositâ compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sœcularis.

Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, quibusvis dictæ Ecclesiæ Tornacensis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & consuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & Litteris Apostolicis eidem Ecclesiæ, ac Decano & Capitulo, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

Quibus omnibus & singulis, eorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 21 Maii M. D. C. XXII. Pontificatûs nostri anno secundo.

Digitized by Google

CAPUT CIII.

URBANUS VIII. *Pont. anno* 1626 *ad inſtantiam Sereniſſ.* Iſabellæ *Belgarum Principis &* Antonii de Hennin *Iprenſis Epiſcopi, decernit Dignitates omnes, quæ ſunt in Eccleſia Iprenſi, poſſe conferri iis, qui ſunt de Membro Sti. Martini aut Furnenſi, æque ac Morinenſibus: ſi modo Doctores ſint aut Licentiati.*

URBANUS PAPA VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex æqui bonique ſupremus aſſertor, à Salvatore & Domino noſtro, qui charitas eſt & Deus pacis, ſuper univerſas orbis Eccleſias conſtitutus, ut felici illarum regimini, gubernio, atque directioni divinique cultus in eis augmento, juxta creditum ſibi Apoſtolicæ ſervitutis officium jugiter invigilet, ea interdum quæ à Sede Apoſtolica ſancita ſunt, ipſâ ſubinde rerum experientiâ ſuadente, alterat & immutat, in hiſque ſollicitudinis, & providentiæ ſuæ ſtudium interponit; prout pia Eccleſiarum, Præſulum & Catholicorum Principum vota id poſcunt, & ipſe, omnibus rerum temporumque qualitatibus debitè penſatis, conſpicit ſalubriter in Domino expedire. Aliàs ſiquidem à felicis recordationis Pio Papa IV. Prædeceſſore noſtro emanarunt Litteræ tenoris ſubſequentis; videlicet.

Pius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. De Statu Eccleſiarum omnium &c.

Sequitur Bulla Erectionis Epiſcopatûs Iprenſis, de anno 1560. *per totum hîc inſerta. Ex Tomo II. Diplom. Miræi, pag.* 1077.

Cum autem, ſicut venerabilis Frater Antonius Epiſcopus Iprenſis nobis nuper exponi fecit, inter Martinianos & Furnenſes Eccleſiæ Iprenſis Canonicos prædictos non raro plures ad ſupradictas Dignitates obtinendas aptiores ac magis habiles, quam inter Morinenſes Canonicos hujuſmodi inveniuntur; & propterea ut majori ipſius Eccleſiæ ejuſque Capituli decori atque ornamento opportunis rationibus perampliùs conſulatur, operæ pretium futurum exiſtimet, ſi Martiniani, & Furnenſes, æque ac Morinenſes Canonici præfati ad ſupradictas Dignitates de cætero obtinendas, ſi illi tamen Doctores vel Licentiati ac aliàs habiles exiſtant, idonei Apoſtolica auctoritate declarentur.

Nobis propterea tam præfatus Antonius Epiſcopus, quam dilecta in Chriſto filia Nobilis Mulier ISABELLA CLARA EUGENIA Infans Hiſpaniarum, humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſuper præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, piis Anthonii Epiſcopi & ISABELLÆ CLARÆ EUGENIÆ Infantis præfatorum deſideriis, quantum cum Deo poſſumus annuere, eoſque ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis ſuſpenſionis & interdicti aliaſque Eccleſiaſticis Sententiis cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quâvis occaſione vel cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati,

De Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacri Concilii Tridentini interpretum conſilio,

„ Quod de cætero perpetuis futuris tem-
„ poribus Canonici Martiniani & Furnen-
„ ſes præfatæ Eccleſiæ Iprenſis, ſi Docto-
„ res vel Licentiati, ac aliàs habiles exi-
„ ſtant, ad ſupradictas dignitates, æque
„ ac Morinenſes Canonici dictæ Eccleſiæ
„ Iprenſis obtinendas idonei ſint, & eſſe
cenſeantur; taleſque ab omnibus & ſingulis ad quos nunc quomodolibet ſpectat, & pro tempore ſpectabit habeantur & haberi debeant.

Præſentes vero Litteras ac omnia & ſingula in eis contenta nullo unquam tempore, etiam ex eo, quod Morinenſes Canonici præfati, ſeu quicumque alii, in præmiſſis intereſſe habentes vel habere prætendentes, ad hoc vocati & auditi non fuerint, de ſubreptionis vel obreptionis ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quovis defectu notari, aut ad viam & terminos juris reduci nullatenus poſſe, ſed ea omnia & ſingula perpetuò valida, firma & efficacia eſſe & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere;

Ac Martinianis & Furnenſibus Canonicis præfatis, in omnibus & per omnia pleniſſimè ſuffragari, ſicque & non aliter per quoſcumque Judices Ordinarios & Delegatos, & etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Audi-

tores ubique judicari & diffiniri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quocumque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quo-circa Venerabili Fratri Joanni Franciſco Archiepiſcopo Patracenſi, moderno & pro tempore exiſtenti noſtro & Sedis Apoſtolicæ in Belgicis Ditionibus Nuntio, per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſe per ſe vel alium ſeu alios præſentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte Martinianorum & Furnenſium Canonicorum præfatorum, ſeu alicujus eorum fuerit requiſitus, ſolemniter publicans, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtens, faciat Auctoritate noſtra Martinianos & Furnenſes Canonicos præfatos, & eorum quemlibet, præmiſſorum omnium & ſingulorum effectu pacificè frui & gaudere, non permittens eos deſuper à quocumque quavis auctoritate quomodolibet indebite moleſtari,

Contradictores quoſlibet & rebelles, per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, invocato ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſæcularis.

Pii IV. Bulla. Nonobſtantibus præinſertis Pii Prædeceſſoris Litteris, quoad ea quæ præſentibus contrariantur,

Nec non venerabilis memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, de una & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, aliiſque Conſtitutionibus Apoſtolicis, nec non dictæ Eccleſiæ Iprenſis etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis & Litteris Apoſtolicis, eidem Eccleſiæ, illius Capitulo, Canonicis, & quibuſvis aliis ſub quibuſcumque tenoribus & formis ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis confirmatis & innovatis. Clauſulæ derogatoriæ.

Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda eſſet, illorum tenoribus præſentibus pro expreſſis ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque; aut ſi præfatis vel quibuſvis alijs communiter aut diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per Litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die primâ martii M. D. C. XXVI. Pontificatûs noſtri anno tertio. 1626.

Bulla hæc nullam obtinuit executionem aut effectum; Lis enim fuit ardua ac diuturna inter Epiſcopum Hennin ac Graduatos, cui etiam Ant. Sanderus aliquando immixtus fuit pro dignitate Scholaſtici, collatâ Carpenterio, qui erat de Membro Martinenſi.

CAPUT CIV.

URBANUS VIII. *Pontifex confirmat anno 1636 Erectionem Collegii Hibernorum Inſulis in Flandria.*

URBANUS Papa VIII. ad futuram rei memoriam. Nuper pro parte dilectorum filiorum Collegialium Collegii Hybernorum Oppidi Inſulenſis, * Tornacenſis Diœceſis, nobis expoſitum fuit, quod à venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus negocio Propagandæ Fidei præpoſitis, emanavit Decretum tenoris ſubſequentis, videlicet. * Erectum fuit ab anno 1610.

Decretum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide habitę die IV. Martii 1636 referente Eminentiſſimo D. Cardinale Antonio ad inſtantiam Hybernorum, ut Collegium Lillæ in Belgio erectum, mediante Fratre Franciſco * Capucino, declaretur eſſe commune omnibus Regni Hyberniæ Provinciis. * P. Franciſcus Nugent, Ord. Capucin.

Sacra Congregatio, viſa Viſitatione dicti Collegii, in qua dicitur Collegium præfatum fuiſſe erectum pro ſolis duabus Provinciis, Lagenia ſcilicet & Media, inſtantiam præfatam, utpote contra Fundationem, rejecit.

Cum autem (ſicut eadem Expoſitio ſubjungebat) præfati Collegiales Decretum hujuſmodi pro firmiori illius ſubſiſtentia & validitate Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri ſummopere deſiderent, Nos illos ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas

sonas à quibusvis excommunicationis suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, ceu & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolutos fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Cardinalium consilio Decretum prœinsertum, cum omnibus & singulis in eo contentis Apostolica Auctoritate tenore præsentium confirmamus & approbamus; illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; ac omnes & singulos tam juris quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus.

Decernentes illud nec non præsentes Litteras valida, firma & efficacia existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, sicque per quoscumque Judices ordinarios & delegatos & Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die xx. Julii M. D. C. XXXVI. Pontificatûs nostri anno tertio.

CAPUT CV.

URBANUS VIII. *Pont. Archidiaconatum Cathedralis Ecclesiæ Namurcensis, petente Episcopo Engelberto Des-bois, in duos dividit, scilicet Comitatûs Namurcensis & Gallo-Brabantiæ, Archidiaconatus, anno* 1641.

Ex Archivis Eccl. Namurc.

URBANUS Episcopus, Servus servorum Dei, dilecto filio Officiali venerabilis Fratris nostri Episcopi Leodiensis salutem & Apostolicam benedictionem. Super universas orbis Ecclesias, eo disponente qui cunctis imperat, meritis licet imparibus constituti, ad ea, per quæ nostræ provisionis auspiciis Cathedrales Ecclesiæ majori dignitatum numero decorentur, & in eis divinus cultus incrementum suscipiat, libenter intendimus; ac aliàs desuper disponimus, prout rerum, personarum & temporum qualitatibus debitè pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Cum itaque, sicut exhibita nobis pro parte Venerabilis Fratris nostri Episcopi Namurcensis petitio continebat, Archidiaconatus Ecclesiæ Namurcensis, qui inibi dignitas, non tamen post Pontificalem major existit, cujusque dum pro tempore vacat, collatio, provisio & omnimoda alia dispositio ad pro tempore existentem Episcopum Namurcensem, cessantibus reservationibus & affectionibus Apostolicis spectat & pertinet; per obitum illius ultimi possessoris extra Romanam Curiam defuncti vacaverit, & vacet ad Episcopi collationem;

Ecclesia vero Namurcensis, quæ Suffraganea Metropolitanæ Ecclesiæ Cameracensis existit, amplam jurisdictionem in duas Provincias, nimirum Comitatum Namurcensem & Ducatum Lotharicnsem Gallo-Brabantiæ distinctam habeat; & cuilibet Provinciæ unus Officialis, alter ab altero

Duché de Lothier.

independens, à dicto Episcopo pro tempore existente deputatus sit; in ipsa tamen Ecclesia Namurcensi prædictus Archidiaconus solus institutus reperiatur; licet dicta Metropolitana quatuor, aliæ vero ejus Suffraganeæ, nempe Atrebatensis, Tornacensis, & Audomarensis Ecclesiæ duobus Archidiaconatibus decoratæ sint;

Primo-dictus Archidiaconus sat uberibus fructibus, ad septingentos florenos monetæ illarum partium annuatim ascendentibus, pro competenti duorum Archidiaconatuum, & illos pro tempore obtinentium sustentatione sufficiat;

Rationique consonum videatur, ut quemadmodum cuilibet Provinciæ prædictæ ob diversa populis illic habitantibus de non evocando ad judicium extra eorum Provinciam competentia Privilegia, distinctus attribui debuit Officialis, sic & particularis Archidiaconus, propter Fidei Catholicæ per proprios pastores exercitium in dicto Ducatu Brabantiæ per hæreticorum præsentiam sæpius impeditum, attribuatur; & hac ratione decori & venustati dictæ Ecclesiæ Namurcensis divinique cultus in ea augmento consulatur; prout dilecti filii Capitulum & Canonici dictæ Ecclesiæ Namurcensis desuper publicum Attestationis documentum ediderunt.

Quare pro parte ejusdem moderni Episcopi Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus Archidiaconatum dictæ Ecclesiæ Namurcensis in duos Archidiaconatus, ut infra, dividere, & providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui Ecclesiarum quarumli-

bet Cathedralium decori ac divini cultus incremento libenter conſulimus, præfatum modernum Epiſcopum à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti aliiſque Eccleſiaſticis cenſuris à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, attentâ etiam inſtantiâ dilecti filii Nobilis viri apud Nos pro chariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo Hiſpaniarum Rege Catholico Oratoris deſuper facta;

Diſcretioni tuæ (cum ſicut dilectus modernus Epiſcopus Namurcenſis aſſerit, Venerab. Frater noſter Epiſcopus Leodienſis vicinior Ordinarius exiſtat) per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus conſtito tibi legitimè de narratis, Archidiaconatum Eccleſiæ Namurcenſis hujuſmodi, ut præfertur, vacantem, & diſpoſitioni Apoſtolicæ non reſervatum neque affectum, * in duos Archidiaconatus, unum nimirum de Comitatu Namurcenſi, alterum de Ducatu Lotharii ſeu Gallo-Brabantiæ, etiam reſpective nuncupandos, aſſignato cuilibet cum Juriſdictionibus, honoribus & oneribus in qualibet Provincia præfata ſuo diſtrictu, & loco in choro, juxta Archidiaconalis dignitatis exigentiam,

* Inſtitutio duorum Archidiaconatuum.

Nec non turno conferendi Beneficia Eccleſiaſtica & officia ad Archidiaconi dictæ Eccleſiæ Namurcenſis pro tempore exiſtentis collationem, ceſſantibus reſervationibus & affectionibus Apoſtolicis, ſpectantia, alternativè & juxta diviſionem à dicto Epiſcopo Namurcenſi faciendam,

Et diviſis inter ambos æqualiter fructibus, redditibus proventibus ac diſtributionibus quotidianis, aliiſque emolumentis quibuſcumque, tam ordinariis quam extraordinariis ac certis & incertis, à quibuſcumque quacumque de cauſa ſingulis ipſorum diviſim ſeu conjunctim ſolvi ſolitis & debitis, & in uno libro ſeu regiſtro communi annotandis, & quotannis calculandis, & alteri cui Ordinarius loci voluerit adjudicatâ præeminentiâ, ſalvoque jure eidem Ordinario, illos pro tempore, ceſſantibus reſervationibus & affectionibus Apoſtolicis, eodem prorſus modo conferendi, quo ipſi nunc prænominati Archidiaconatus collatio competit & competere poterat, auctoritate noſtrâ perpetuò ſine alicujus præjudicio, & dummodo Capituli & Canonicorum Eccleſiæ Namurcenſis hujuſmodi ad id accedat aſſenſus, & dictus Archidiaconatus, ut præfertur vacans, diſpoſitioni Apoſtolicæ reſervatus aut affectus non ſit.

Et quilibet ex Archidiaconis hujuſmodi habeat in redditu ſaltem trecentos & quinquaginta florenos pares, & quoad diviſionem turni conferendi, ſine præjudicio reſervationum & affectionum Apoſtolicarum, ſed illis ſemper ſalvis & illæſis permanentibus, dividas ac ſepares.

Et in ipſa Eccleſia Namurcenſi ultra illum, qui nunc in ea erectus eſt, & de Comitatu Namurcenſi deinceps nuncupabitur, alium Archidiaconum, qui in ea dignitas, non tamen major poſt Pontificalem ſit, & de Ducatu Lotharii ſeu de Gallo-Brabantia nuncupetur, eâdem Auctoritate noſtra etiam perpetuò, ſine alicujus præjudicio, erigas & inſtituas. Eique ſic erecto & inſtituto pro congrua illius dote, illumque pro tempore obtinentis ſuſtentatione, medietatem fructuum, reddituum, proventuum, & diſtributionum quotidianarum dicti Archidiaconatus antiqui, ad trecentos & quinquaginta florenos monetæ hujuſmodi annuatim, ut dictus modernus Epiſcopus aſſerit, aſcendentis, ſimiliter perpetuo applices & appropries.

Nos enim, ſi diviſionem, ac Erectionem & inſtitutionem, applicationem, & appropriationem præfatas per Te præſentium vigore fieri contigerit, ut præfertur, eaſdem præſentes Litteras ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus aut aliis contrariis diſpoſitionibus, per Nos & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, per quaſcumque Conſtitutiones Apoſtolicas aut Cancellariæ Apoſtolicæ Litteras, pro tempore quomodolibet ſub quibuſcumque expreſſionibus & formis cum quibuſcumque derogatoriarum derogatoriis aliiſque efficacioribus efficaciſſimis inſolitis clauſulis, editas & edendas minimè comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas;

Et quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & validiſſimum, ac eum in quo antea quomodolibet erant ſtatum reſtituas, reponas & plenariè reintegres, ac de novo etiam ſub quacumque poſteriori data, per Epiſcopum Namurcenſem pro tempore exiſtentem, quandocumque eligendâ, conceſſas, ſemperque & perpetuo efficaces fore & eſſe,

Sicque per quoſcumque Judices Ordinarios & Delegatos & Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos & Subdelegatos, dictæque Sedis Nuntios judicari & definiri debere; ac quidquid ſecus ſuper his à quocumque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit alterari, irritum & inane decernimus:

Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, dictæ Eccleſiæ Namurcenſis etiam juramento confirmatione Apoſtolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis & conſuetudinibus contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ M. D. C. XLI. decimo tertio Kalendas Julii, Pontificatûs noſtri XVIII.

CAPUT CVI.

ALEXANDER VII. *Pontifex ad Eccleſiam B. M. V. Oratorii Aſpricollenſis, Diœceſis Mechlinienſis, tranſmittit anno* 1662 *Tapetem auro contextum, perpetuò ibidem exponendum; in memoriam quod olim Nuncius Apoſtolicus Miraculoſam Dei-paræ Imaginem hîc veneratus fuiſſet.*

ALEXANDER PAPA VII. Ad perpetuam rei memoriam. Excelſa meritorum inſignia, quibus glorioſiſſima cœli Regina Dei Genetrix Virgo Maria immaculata, quaſi Stella matutina refulget, intra pectoris noſtri arcana devotæ conſiderationis indagine recolentes, dignum arbitramur & congruum, ut ejuſdem ſacratiſſimæ Virginis Eccleſiam, Aſpricollis ſeu Montis Acuti nuncupatam, Mechlinienſis Diœceſis, quam dum in minoribus conſtituti munere Nuntii Sedis Apoſtolicæ in partibus inferioris Germaniæ, conciliandæ inter Reges & Principes Chriſtianos Pacis ergo fungebamur, venerabundi adivimus, & ubi Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebravimus, aliquo Pontificiæ noſtræ liberalitatis munere decoremus.

Motu itaque proprio, ac ex certa ſcientiâ & merâ liberalitate noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, eidem Eccleſiæ S. Mariæ Aſpricollis ſeu Montis Acuti, Tapetem, dilectis filiis Præpoſito & Presbyteris Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii, ipſius Eccleſiæ Rectoribus, à dilecto etiam filio, Hieronymo, Abbate Sanctæ Mariæ Montis Regalis, noſtro in Belgio Internuntio, tradendum & conſignandum, purè liberè & ſimpliciter, ac donatione purâ ſimplici liberâ & irrevocabili, quæ fieri dicitur inter vivos, perpetuò valiturâ, & alio omni quo poſſumus meliori & validiori modo, tenore præſentium damus concedimus & elargimur.

Ac ut Tapes hujuſmodi perpetuò ibidem conſervetur, præfatis Præpoſito & Presbyteris, ne eundem Tapetem, quovis prætextu, cauſâ, & occaſione, quibuſvis Eccleſiis, Monaſteriis & locis piis, ac perſonis quibuſlibet, ad quemcumque uſum commodare, vel precario concedere, & aliàs quomodolibet extrahere, diſtrahere & alienare, ſeu ut commodetur, concedatur, extrahatur, diſtrahatur vel alienetur, permittere audeant ſeu præſumant, ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, quoad Congregationem, & excommunicationis latæ ſententiæ, quoad ſingulos Presbyteros præfatos, pœnis per contrafacientes eo ipſo, abſque alia declaratione incurrendis, perpetuo prohibemus.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam quatenus opus ſit illâ ſel. rec. Pii PP. IV. Prædeceſſoris noſtri, de gratiis qualecumque intereſſe Cameræ Apoſtolicę concernentibus, in eadem Camera præſentandis & regiſtrandis; ita ut præſentes Litteras ibidem præſentari & regiſtrari numquam neceſſe ſit, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 17 Aprilis 1662 Pontificatûs noſtri anno ſeptimo.

CAPUT CVII.

Incendium Urbis Ruræmondenſis ab Epiſcopo EUGENIO ALBERTO ALLAMONTIO *exponitur anno* 1665 ALEXANDRO VII. *Pont. cujus Breve conſolatorium ſubſequitur.*

BEatiſſime Pater. Sanctitati Veſtræ, poſt humillima ſanctorum pedum ſuorum oſcula, juxta officii mei debitum exponendum duxi, quomodo integra Civitas Ruræmundenſis (cujus indignum de V. S. providentia ago Epiſcopum) ultimâ menſis Maii elapſi, exiſtente Dominicâ Sanctiſſimæ Trinitatis, Cathedrali Eccleſiâ, pauciſſimiſque exceptis ædibus, igne fortuito in cineres redacta ſit. Inter quæ tàm Aula Epiſcopalis, quàm omnia ejuſdem Archivia, Beneficiorum documenta, Actorum, Inſtitutionum, Decretorum, Viſitationum, Ordinatorum Regiſtra, cum tota mea ſup-

pellectile conceremata ſunt, ità ut tectum, quò de nocte recurram, non habeam.

Supplex quapropter Sanctitatem Veſtram rogarem, ſi fortè dignaretur miſericordiâ mota, per Nuntium Apoſtolicum Madritenſem, & Legatum Catholicæ Majeſtatis in Urbe reſidentem, Hiſpaniarum Regem diſponere ad prædictæ Aulæ Epiſcopalis reædificationem; cum ego potiſſimum ad id faciendum impotens planè reperiar, uti latius ab Illuſtriſſimo & Rev. Domino Hieronymo de Vecchiis, Abbate Montis Regalis ultimo Belgii noſtri Internuncio, harum latore, intelligere erit.

Quam mihi præſtandam gratiam continuis meis apud Deum precibus promereri conabor, illum rogaturus, ut S. V. diu ſibi & Eccleſiæ ſuæ ſervet incolumem. Maneo uſque ad ultimum vitæ meæ halitum, Beatiſſime Pater, Sanctitatis Veſtræ, &c.

Ruræmundę, 6 die menſis Junii, 1665.

ALEXANDER, Papa VII. Venerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Ruræmondenſis Civitatis lugubre ac pœnè exitiale incendium ex literis Fraternitatis tuæ, non ſine paterni cordis gravi ſenſu, profectò cognovimus. Porrò dolorem ob adeo triſtem & omni miſeratione dignum caſum, auget etiam non parum in animo noſtro, cum ingens mœror, tum etiam damnum, & calamitas præcipuè tua, cui ob inſignem ſpectatæ pietatis zelique præſtantiam, proſpera cuncta & felicia ſanè cupiiſſemus.

Cœterum officia, quæ poſtulas in Hiſpania, præaccuratè interponentur. Interim iſtic ex dilecto Filio, Internuntio noſtro, nonnullum amoris in Te Pontificii pignus accipies. In reliquo non dubitamus, quin erga miſeros cives, tam ſuperſtites, quàm etiam defunctos, omnia, quæ res hujuſmodi poſtulat, Paſtoralis caritatis & vigilis curæ munia, pro viribus impleveris, aut impleturus etiam ſis.

Quod etſi ſponte facturus fuiſſes, tamen ut abundantius, & diligentiùs adhuc efficias, & cuncta tam ſpiritualia, quam temporalia levamenta, quæ maximè poterunt, ſingulis, pro eorum neceſſitatibus, exhibere ſtudeas, etiam atque etiam Te hortamur, ſeduloque monemus.

Poſtremò miſericordiarum Patrem Deum enixè precamur, ut quà populis afflictis iſtis, quà Fraternitati tuæ cladem tantam amplâ conſolationum ſuarum vice ſartam, tectam & repenſam eſſe benignè velit.

In quem finem Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Venerabilis Frater, ac Diœceſanis tuis peramanter impertimur.

Datum Romæ, apud ſanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 18. Julii, 1665. Pontificatûs noſtri anno undecimo.

LITTERÆ RESPONSORIÆ.

SAnctiſſime Pater. Stella illa paterni in omnes animi, quâ S. V. radios ſuæ benignitatis in filios ſuos latè diffundit, Montes Italiæ tranſcendens, apparuit non ita pridem Regioni Belgicæ, Meque ac Populum mihi commiſſum, clementiâ ſuæ lucis exhilaravit, diſſipavitque mœroris tenebras, quas miſeris affuderat nuperum incendium, dum illius damna per me reparat S. V. multorumque indigentiæ proinde ſuccurrit, imitata in eo glorioſum Chriſti Martyrem, cujus hodie feſtum recolimus, qui theſauros Eccleſię in pauperum ſinus profuderat.

Uberrimos verò referet opportuna liberalitas Sanctitatis Veſtræ, debitam in primis beneficio gratitudinem, quâ Ego, Clerus ac Populus univerſus Ruræmondenſis Deum omnipotentem ſupplices rogamus, ut Eccleſiæ ſuæ incolumem diu ſervet S. V. Cujus ſacris pedibus advolutus, eoſdem ſubmiſſâ veneratione deoſculor.

Ruræmondæ, x. Auguſti, M. D. C. LXV. 1665.

CAPUT CVIII.

CLEMENS IX. *Pontifex* LUDOVICO XIV. *Galliæ Regi concedit Indultum nominandi ad Epiſcopatum Atrebatenſem, anno* 1668.

CHariſſime in Chriſto Fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Motiva conceſſionis.

Præclara Majeſtatis tuæ, ac progenitorum, & Majorum tuorum Regum Chriſtianiſſimorum, Principum longè cariſſimorum, invictiſſimorum egregiorum Sedis Apoſtolicæ cultorum pia merita exigunt, ac præcipuus, quo eandem Majeſtatem tuam filiali erga Nos & eamdem Sedem obſervantia ac pietate, Orthodoxæ Fidei conſervandæ & propagandæ zelo, aliiſque Rege Chriſtianiſſimo dignis virtutibus atque decoribus multipliciter præfulgentem proſequimur, paternæ charitatis affectus nos urget atque impellit, ut tibi, tuiſque ſucceſſoribus Regibus Chriſtianiſſimis luculenta

Pon-

Digitized by Google

Pontificiæ noſtræ benignitatis dona largiamur: firma ſpe, atque fiducia in Domino freti, fore ut tam Tu, quàm ſucceſſores tui Reges prædicti, viæ Anteceſſorum Regum veſtigiis impreſſæ inhærentes, populos ditioni veſtræ creditos in Fide Catholica, ac vetere erga Sedem prædictam obedientia, continère pari laude conaturi, Conſtitutioneſque Apoſtolicas in univerſis Dominis veſtris debitæ ſemper executioni mandari, ac Sedis ejuſdem honorem & Authoritatem illibatos conſervari omni ſtudio ſitis curaturi.

Incipit Pontificia Conceſſio Regi & ſucceſſoribus data.

Volentes itaque tibi, qui ut accepimus, civitatem Atrebatenſem de preſenti poſſides, tuiſque ſucceſſoribus Regibus Francorum Chriſtianiſſimis, quo regiam benevolentiam erga perſonas bene meritas, vobiſque gratas & acceptas exercere valeatis, gratiam facere ſpecialem, ac ſperantes Te, ac illos in nominandis ad Eccleſiam Atrebatenſem, nunc & pro tempore Paſtoris ſolatio deſtitutam, perſonis, quæ vitæ integritate, religione, fide, & doctrina præſtent, ac Epiſcopalis muneris prærogativa dignæ ſint, ſummamque diligentiam ſemper adhibituros, nec conſcientiam veſtram hac in re ullo modo lædi paſſuros eſſe; motu proprio, ac certa ſcientia noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine,

Conceditur jus nominandi ad Eccleſiam Atrebatenſem perſonam idoneam à Romano Pontifice inſtituendam.

Tibi, tuiſque ſucceſſoribus Regibus Francorum Chriſtianiſſimis, qui pro tempore eandem Civitatem Atrebatenſem poſſederint, * jus nominandi perſonam idoneam, in Theologia Magiſtrum, aut in Decretis Doctorem, ſeu Licentiatum, nobilium Univerſitatum more, diligenti examine præcedente promotum, ad Eccleſiam Atrebatenſem prædictam, nunc vacantem, † & quotieſcumque illam vacare contigerit, nobis & Romano Pontifici qui pro tempore fuerit, per nos & eundem Pontificem in Epiſcopum Atrebatenſem, ad nominationem hujuſmodi inſtituendum, tenore præſentium in perpetuum reſervamus, atque concedimus; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

* Clauſulæ derogatiæ.

* Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac prædictæ Eccleſiæ Atrebatenſis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis & Conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis, etiam eidem Eccleſiæ ejuſque Capitulo, ac quibuſvis aliis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam motu proprio, ac ex certa ſcientia, ac conſiſtorialiter conceſſis, ac etiam iteratis vicibus comfirmatis, & innovatis.

Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, illaque adverſus præmiſſa ſuffragari nullo modo poſſe, ſeu debere decernimus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 9 Aprilis 1668. Pontificatus noſtri anno primo.

† Nulla vacatio excipitur, nec etiam quælibet includitur, quamvis in alio Indulto vacatio in Curia & apud Sedem includatur, & in Concordatis Bononienſibus vacatio obitus in Curia ſpecialiter excepta fuerit, unde videtur incluſa, maxime, cum agatur de dignitate electiva quæ etiam ex mente gloſſæ cap. 2. de Præbend. in 6. vacationi in Curia nequaquam ſubeſt, ut videre eſt in eadem gloſſa, & in prænotatis ad Pragmaticam Sanctionem S. Ludovici.

Simile Indultum à Clemente IX. conceſſum fuit eidem Regi, die 27 Auguſti ejuſdem anno 1668 pro facultate nominandi ad Epiſcopatum Tornacenſem. Extat apud Pinſſon Tractatu de Indultis Tomo II. pag. 604. ejuſdem omnino tenoris, ſicuti hoc Indultum Atrebatenſe, ſupra editum, mutatis ſolum iis, quæ Sedem Tornacenſem in individuo concernunt.

Vacaverat autem Epiſcopatus Atrebatenſis ab anno 1635. per obitum *Pauli Bondot*, Epiſcopi. In cujus locum Philippus IV. Hiſpan. Rex deſignarat *Nicolaum du Fief*, Sanctioris Conſilii Bruxellis aſſeſſorem, Cathedralis Eccleſiæ Tornacenſis Canonicum. Sed cum Ludovicus XIII. Galliæ Rex Atrebatum anno 1640 vi armorum occupaſſet, D. *DuFief* ad ſui Epiſcopatûs poſſeſſionem admitti non potuit; aut forte noluit.

Porro primus à Ludovico XIV. ad eundem nominatus fuit *Stephanus Moreau*, Pariſinus, Doctor Sorbonicus &c. Hic die 20 Octobr. 1668 conſecratus, ſolemnem in urbem ſuam Atrebatenſem ingreſſum commendavit inauditâ hactenus (ob nullum Regaliæ Jus) promotione duorum Archidiaconorum, Scholaſtici, & XXVI. Canonicorum, quorum aliquæ Præbendæ vacârant annis 33. quibus & ipſa Sedes Epiſcopalis vacaverat.

CAPUT CIX.

CLEMENS IX. *Papa concedit* LUDOVICO XIV. *Galliæ Regi Indultum nominandi ad quæcumque Beneficia Conſiſtorialia in Belgio conſiſtentia, anno* 1668.

Motiva ut in præcedenti Indulto.

CHariſſime in Chriſto Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Præclara Majeſtatis tuæ, ac progenitorum & Majorum tuorum Regum Chriſtianiſſimorum, Principum longè clariſſimorum, invictiſſimorumque Chriſti Athletarum, ac egregiorum Sedis Apoſtolicæ cultorum promerita exigunt,

Ac præcipuus, quo eandem Majeſtatem tuam filiali erga nos & eamdem Sedem obſervantia ac pietate, orthodoxæ Fidei conſervandæ & propagandæ zelo, aliiſque Rege Chriſtianiſſimo dignis virtutibus atque decoribus multipliciter præfulgentem proſequimur, paternæ charitatis affectus nos urget atque impellit, ut tibi luculenta Pontificiæ noſtræ benignitatis dona largiamur: firma ſpe, atque fiducia in Domino freti, fore ut Tu, viæ eorumdem Majorum tuorum veſtigiis impreſſæ inhærens, populos ditioni veſtræ creditos, in Fide Catholica, ac vetere erga Sedem prædictam obedientia continere pari laude conaturus, Conſtitutioneſque Apoſtolicas in univerſis dominiis tuis debitæ ſemper executioni mandari, ac Sedis ejuſdem honorem & authoritatem illibatos conſervari, omni ſtudio ſis curaturus.

Hic referuntur omnes ditiones quas Rex Chriſtianiſſimus ſibi & regno de novo adjecit, cum acceſſionibus appendicibus, & adjunctis, in Flandria, & aliis Provinciis exiſtentibus.

Volentes itaque tibi, qui, ut accepimus Urbes Atrebatum, Heſdinum, Bapalmam, Bethuniam, Lilerium, Lentiacum, Comitatum Sancti Pauli, Teruanam, Paſſium, earumque Balliviatus, alios quoque Balliviatus & Caſtellanias agri Atrebatenſis, nec non Rentiacum, urbes itidem arceſque Gravelingam, Arcem Philippeam, Sluſam, Hannuinum, Burburgum, & Urbem Sancti Venantii in Flandria; Landreceium, & Quercetum in Hannonia, Avennam quoque, Mariæburgum, ac Philipopolim; inſuper in agro Lucemburgico Theodonis-villam, Malmedium, Damvillerium, urbem Ivodium, ejuſque Præpoſituram, Caſtrum Chavanciacum, ejuſque Præpoſituram, & Marvillam, earum Balliviatus, Caſtellanias, Præfecturas, Præpoſituras, Territoria, Dominia, ditiones, acceſſiones, appendices, & adjuncta de præſenti poſſides, & per totum annum 1666 poſſediſti, quò Regiam benevolentiam erga perſonas bene meritas, tibique gratas & acceptas exercere valeas, gratiam facere ſpecialem; ac ſperantes te in nominandis ad infraſcriptaBeneficia perſonis, quæ vitæ integritate, religione, fide, & doctrina præſtent, ſummum, ſtudium, ſummamque diligentiam ſemper adhibiturum, nec conſcientiam tuam hac in re ullo modo lædi paſſurum eſſe, tuis hac in parte ſupplicationibus inclinati,

Sequela eorumdem motivorum conceſſionum.

Conceſſio ſoli regi, & ipſiuſmet vitadurante tantum habita, quamvis adjectiones factæ ſint & conceſſiones in perpetuum.

Tibi, tua tantum vita durante, & quandiu in ſinceritate S. R. E. necnon obedientia, ac devotione noſtris, & Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum Canonicè intrantium perſtiteris, Jus & facultatem nominandi nobis, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti tam ad dignitates Abbatiales aut quorumcumque Monaſteriorum regimina, etiam per Priores aut Præpoſitos regi & gubernari ſolitorum, quâm etiam ad quoſcumque Prioratus, Præpoſituras, Conventum habentes, intra Urbes Atrebatum, Heſdinum, Bapalmam, Bethuniam, Lilerium; Lentiacum, Comitatum Sancti Pauli, Teruanam, Paſſium, earumque Balliviatus, alios quoque Balliviatus, & Caſtellanias agri Atrebatenſis, nec-non Rentiacum, Urbes itidem Arceſque Gravelingam, Arcem Philipeam, Sluſam, Hannuinum, Burburgum, & Urbem S. Venantii in Flandria, Landreceium & Quercetum in Hannonia, Avennam quoque, Mariæburgum, & Philipopolim; inſuperin agro Lucemburgico Theodonis-villam, Malmedium, Damvillerium, Urbem Ivodium, ejuſque Præpoſituram, Caſtrum Chavanciacum, ejuſque Præpoſituram, & Marvillam, earum Balliviatus, Caſtellanias, Præfecturas, Præpoſituras, territoria, dominia, ditiones, acceſſiones, appenſiones & adjuncta prædicta, à te de præſenti, & per totum annum 1666 ut præfertur, poſſeſſa dumtaxat conſiſtentes, & conſiſtentia, dummodo intra ſepta illorum exiſtant;

Conceditur jus nominandi ad Abbatias, Monaſteria, & quaſcumque dignitates Conventum habentes, quocumque nomine appellari ſoleant, intra ditiones ſupra nominatas & hic repertas.

Etiamſi ſub temporali dominio illorum Procerum conſiſterent, vel temporalem Juriſdictionem habeant, ac etiamſi Prioratus, Præpoſituræ, aut Præpoſitatus, & non Monaſteria nuncuparentur, pro tempore vacantes, ſeu vacantia,

Sub quocumque dominio & Juriſdictione exiſtant, modo intra limites ſuperius expreſſos.

Per Nos, & Romanos Pontifices Succeſſores noſtros ad nominationem tuam infra decem menſes, à die cujuſlibet vacationis

Digitized by Google

faciendam, ac Nobis & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti præſentandam, conferendos, & conferenda, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ concedimus, & indulgemus, ita ut de dictis dignitatibus Abbatialibus, aut quibuſcumque Monaſteriis, Prioratibus, Præpoſituris, & Præpoſitalibus prædictis pro tempore vacantibus, abſque nominatione tua præfata;

Nominatio Regia ſummo Pontifici intra decem menſes habenda & præſentanda.

De aliis verò ſub nominatione hujuſmodi non comprehenſis, & abſque illa liberè conferendis dignitatibus, videlicet ſæcularibus, principalibus, & regularibus actu non conventualibus, infra prædictos diſtrictus conſiſtentibus, non niſi de locis tuæ ditioni ſubjectis, aut tibi gratis, & acceptis perſonis, per Nos, & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices, & Sedem eamdem pro tempore diſponi, & reſpective provideri minimè poſſit.

Conceditur præterea, quod in cæteris Beneficiis ſæcularibus & regularibus, intra prædictos diſtrictus conſiſtentibus, abſque nominatione Regia ſummo Pontifice conferendis, non provideatur niſi de perſonis ditioni Regiæ ſubjectis, aut eidem gratis & acceptis.

Nonobſtantibus quibuſcumque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac ſingulorum Prioratuum Præpoſiturarum prædictorum, ac Ordinum quorum illi ſunt, ſeu à quibus dependent, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Derogationes quibuſcumque Conſtitutionibus & regulis contrariis & repugnantibus ut in præcedenti Indulto.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 9 Aprilis 1668. Pontificatûs noſtri anno primo.

Data Indûlti ut præcedentis.

CAPUT CX.

CLEMENS X. *Pontifex anno 1673. confirmat Exemptionem Abbatiæ S. Amandi in Pabula, Ordinis S. Benedicti, Diœceſis Tornacenſis, eamque declarat ſubjectam immediatè Sedi Apoſtolicæ.*

CLEMENS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, Venerabilibus Fratribus noſtris, Atrebatenſi, Laudunenſi, & Ambianenſi Epiſcopis, ſive dilectis Filiis eorum Officialibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Suâ Nobis dilecti filii Abbas & Monachi Monaſterii S. Amandi in Pabula Ordinis S Benedicti Tornacenſis Diœceſis, necnon Martinus Morel Monachus ejuſdem Monaſterii expreſſè profeſſus, in Theologia Magiſter, petitione monſtraverunt, quod licet Nos per ſpeciales noſtras Litteras ſub Annulo Piſcatoris, die vigeſima quinta Junii Anni Domini milleſimi ſexcenteſimi ſeptuageſimi ſecundi in forma Brevis expeditas, tenoris ſequentis: videlicet:

CLEMENS Papa X. ad futuram rei memoriam. Cauſam Exemptionis Monaſterii S. Amandi in Pabula Ordinis S. Benedicti à Juriſdictione Venerabilis Fratris Epiſcopi Tornacenſis, in Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum, S. R. E. Cardinalium, rebus Conſiſtorialibus præpoſita, multis adhinc annis introductam, & ſæpius propoſitam;

Tandem per Judices de conſenſu partium deputatos, compulſatis Juribus iiſque ad Almam Urbem noſtram cum Proceſſu tranſmiſſis: & poſt Tornacenſes pro tempore exiſtentes Epiſcopos, tum per Litteras Citatoriales judicialiter monitos, tum per Apoſtolicos Miniſtros, & aliquandò per Epiſtolas Pontificias paternè invitatos ad informandum, diligenter ac maturè diſcuſſis,

Ex injuncto nobis cœlitus Paſtoralis officii debito, ſecundùm æquitatis atque Juſtitiæ regulas decidere atque dirimere cupientes, ac dilectos Filios, Abbatem & Conventum dicti Monaſterii, nec non Martinum Morel Monachum expreſſè profeſſum & Procuratorem generalem ejuſdem Monaſterii, in Sacra Theologia Magiſtrum ſpecialis gratiæ favore proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & pœnis, à Jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes;

Supplicationibus eorum nomine, nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium conſilio præfatum Monaſterium S. Amandi in Pabula à à Juriſdictione dicti Epiſcopi Tornacenſis Exemptum, & Sedi Apoſtolicæ immediatè

Digitized by Google

ſubjectum eſſe, Auctoritate Apoſtolica tenore preſentium declaramus.

Decernentes eaſdem præſentes Litteras ſemper firmas, validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis ad quos ſpectat & pro tempore ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari,

Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam, quavis Auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari; non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die vigeſima quinta Junii M. D. C. LXXII. Pontificatûs noſtri Anno III.

Signatum: I. G. Slusius.

DE conſilio Congregationis memoratorum Cardinalium rebus Conſiſtorialibus præpoſitæ præfatum Monaſterium S. Amandi in Pabula, Ordinis Sancti Benedicti, à Juriſdictione Epiſcopi Tornacenſis Exemptum, & Sedi Apoſtolicę immediatè ſubjectum eſſe declaraverimus: & nullus ſtante hujuſmodi Declaratione, in hac cauſa ſeſe ingerere potuerit ſive poſſit.

Nihilominùs dictus Epiſcopus Tornacenſis, ſub frivolo prætextu, quod ipſe reperiatur in poſſeſſione exercendi ſuam Ordinariam Juriſdictionem in præfato Monaſterio ejuſque diſtrictu:

Quodque Abbas, ſive ejuſdem Monaſterii Monachi, jactent ſeu jactarent, ſe velle eumdem Epiſcopum ſuper poſſeſſione hujuſmodi moleſtare ſeu vexare, Apoſtolica Auctoritate obtinuit, Cauſam jactationum hujuſmodi, necnon Indebitarum moleſtiarum, non tamen judicialiter illatæ ſeu illatarum, ac quam & quas, non tamen in judicium deductas, dictus Epiſcopus contra præfatos exponentes habet & movet, habereque & movere vellet & intenderet, cum omnibus ſuis incidentiis, dependentiis, emergentiis, annexis & connexis, totoque negocio principali, per Reſcriptum Apoſtolicum ſub plumbo expeditum, Vobis committi, pro-ut in dicto Reſcripto plenius continetur.

Cûm autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat in præfato Reſcripto, dictus Epiſcopus nullam fecerit mentionem de præfata noſtra Declaratione, & ſubdolus precator carere debeat impetratis. Quare pro parte dictorum Exponentium nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ſibi in præmiſſis oportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur unicuique juſtitiam ut decet miniſtrari cupientes, ac Exponentes præfatos à quibuſvis Excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris & pœnis, à Jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium tantùm conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati,

Fraternitati Veſtræ (Fratres Epiſcopi) ſive diſcretioni veſtræ (filii Officiales, quibus in vim Reſcripti Apoſtolici hujuſmodi cauſa (jam per nos deciſa) commiſſa reperitur; per Apoſtolica Scripta mandamus, ut veſtram, ſi quam vigore præfati Reſcripti relaxaveritis inhibitionem, moderemini;

Omniaque per vos geſta revocetis, & totam hujuſmodi cauſam ad nos, qui in hoc negocio ut præfertur dictum Monaſterium à juriſdictione præfati Epiſcopi Tornacenſis exemptum, & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectum eſſe declaravimus, remittatis remittique faciatis, & jubeatis; cum facultatibus ad id neceſſariis & opportunis. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexenteſimo ſeptuageſimo tertio, octavo Idus Decembris, Pontificatûs noſtri anno quarto.

Porrò in hac Bulla præfatus Summus Pontifex ultra Revocationem memoratam, manifeſtè reſervat ſibi cognitionem Exemptionis Monaſterii S. Amandi, & eorum omnium quæ ad illam pertinent, aut quoquo modo ſpectant; in tantum quod geſta in contrarium velit, præcipiat, & mandet revocari; & totam hujuſmodi cauſam (inquit) ad ſe remitti faciant & jubeant. Et meritò quidem: nam Jure cautum & pluſquam notorium eſt, ad illum pertinere, de Privilegio à ſe conceſſo cognoſcere, qui illud conceſſit: deinde (ubi opus eſt) interpretari. Præterea ſtatuere quoque & præſcribere quem velit eſſe modum illius. Et inſuper uſum extendere vel reſtringere, & legem eidem ponere; ita ut nec inferior, nec alius cujuſvis poteſtatis, quidquam attentare poſſit in ea materia, vel in præjudicium Privilegii, vel contra Auctoritatem concedentis. Ex quibus omnibus plana eſt concluſio, Privilegiatum (dum ita expetit aut caſus requirit) ad concedentem Privilegium, abſque difficultate aut tergiverſatione remittendum.

Sic habet Nota per Monachos S. Amandi huic Diplomati appoſita.

Digitized by Google

CAPUT CXI.

Breve BENEDICTI PAPÆ XIII. *ad Joſephum Spinelli, tunc Internuncium Apoſtolicum, dein S. R. E. Cardinalem, Archiepiſcopum Neapolitanum, &c. datum anno 1725 quo ei injungitur Viſitatio Abbatiæ Aureæ-Vallis, Religioſorum Ciſtercienſium ſtrictioris Obſervantiæ in Ducatu Luxemburgenſi ac Diœceſi Trevirenſi; in qua plures erant Religioſi Janſenianis ac Queſnellianis erroribus imbuti.*

BENEDICTUS Papa XIII. Dilecte fili, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cupientes ut in Monaſterio Aureæ-Vallis Ordinis Ciſtercienſis, in territorio Luxemburgenſi exiſtente, Eccleſiaſtica regularis diſciplina, ubi collapſa eſt reſtituatur, & ubi conſervata eſt conſtantiùs perſeveret, diſcretioni tuæ (de cujus fide, prudentiâ, doctrinâ, Catholicæ Religionis zelo plurimum in Domino confidimus) per præſentes committimus & mandamus; ut tamquam noſter & Apoſtolicæ Sedis ad id ſpecialiter Delegatus, per te-ipſum vel per alium, ſeu alios tibi bene-viſos, à te ſubdelegandum ſeu ſubdelegandos, Monaſterium prædictum illiuſque Abbatem ac Monachos, ac alias quaſcumque perſonas, tam in capite quam in membris, Auctoritate noſtrâ Apoſtolicâ viſites;

Ac in eorum ſtatum, vitam, mores, ritus, inſtituta, & doctrinam diligenter inquiras, necnon Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ ſacrorumque Canonum & generalium Conciliorum, & præſertim Tridentini Decretis, & Sanctorum Patrum traditionibus, dictique Ordinis Regularibus Inſtitutis à Sede Apoſtolica confirmatis inhærendo, quæcumque mutatione, correctione, renovatione, emendatione, revocatione indigere cognoveris, reformes, mutes, corrigas, & etiam de novo condas; condita ſacris Canonibus & Concilii Tridentini Decretis ac regularibus Inſtitutis prædictis non repugnantia confirmes; abuſus quoſcumque tollas; Regulas, Inſtituta & Eccleſiaſticam Diſciplinam ubicumque illa exciderint, modis congruis reſtituas & reintegres; ipſaſque perſonas ad debitum & honeſtum vitæ modum & ſanam doctrinam revoces; & quidquid inde ſtatueris & ordinaveris obſervari facias;

Inobedientes & contumaces per Cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas a ſacris Canonibus & Conſtitutionibus Apoſtolicis inflictas & decretas, aliaque opportuna juris & facti remedia cogas & compellas; ac alia quæ in præmiſſis & circa hæc neceſſaria & quomodolibet opportuna tibi videbuntur, facias, geras & exequaris;

Super quibus omnibus & ſingulis plenam liberam & amplam facultatem & poteſtatem, etiam removendi à dicto Monaſterio eoſdem Monachos, eoſque à qualibet cenſurâ quam incurriſſe dici ſeu prætendi poſſent, abſolvendi; eandemque facultatem ac poteſtatem illi ſeu illis, quem vel quos ad id ſubdelegandum ſeu ſubdelegandos cenſueris, attribuendi & communicandi, Autoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium tibi concedimus & impartimus.

Mandantes propterea omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, ut tibi in omnibus ſupradictis pareant, faveant & obediant, tuaque ſalubria monita & mandata ſuſcipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent. Alioquin ſententiam ſive pœnam, quam rite tuleris ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, autore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam, inviolabiliter obſervari.

Volumus autem, ut ſi quæ graviora in Viſitatione ejuſmodi repereris, illa, necnon informationes omnes deſuper formandas tuo Sigillo munitas ad nos quam primum diligenter tranſmittas; ut quod in illis ſtatuendum fuerit, maturâ conſultatione adhibitâ, decernamus.

Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus Provincialibus vel ſpecialibus & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus, necnon quatenus opus ſit, Monaſterii & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate alia roboratis, Statutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, Litteris Apoſtolicis, eidem Ordini & Monaſterio, illorumque Superioribus & perſonis quibuſlibet, in contrarium præmiſſorum, quomodolibet conceſſis & innovatis.

Quibus omnibus & ſingulis (etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem im-

portantes mentio ſeu alia quævis expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret)illorum omnium & ſingulorum tenores, formas & occaſiones præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, ſervatis & inſertis reſpectivè habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum (hac vice dumtaxat) ſpecialiter & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 21 Aprilis 1725, Pontificatûs noſtri anno primo.

Subdelegatio Abbatis Grimbergenſis per Illuſtriſſ. Dominum Internuncium.

JOSEPH SPINELLUS, Abbas Stæ. Catharinæ, in Belgio ac Burgundiæ Comitatu, cum Facultatibus Nuncii Apoſtolici, Internuncius, dilecto nobis in Chriſto Domino *Auguſtino* Abbati Grimbergenſi, Viſitatori Apoſtolico Monaſterii Aureę-Vallis in Territorio Luxemburgenſi, ſalutem in Domino ſempiternam.

Cum Sanctiſſimus Dominus BENEDICTUS Papa XIII, Litteris Apoſtolicis datis apud S. Petrum die XXI. menſis Aprilis anni 1725. Pontificatûs ſui anno primo, nobis commiſerit, ut Monaſterium Aureæ-Vallis Ordinis Ciſtercienſis in Territorio Luxemburgenſi exiſtens, ejuſdemque Abbatem, Monachos & alias quaſcumque perſonas, tam in capite quam in membris, Autoritate Apoſtolicâ viſitaremus, ac illorum ſtatum, vitam, mores, ritus, inſtituta, doctrinam diligenter inquireremus; ac cetera perageremus, quæ in dictis Apoſtolicis Litteris plenius diſtinctiuſque continentur, cum facultate alium vel alios ſubdelegandi;

Noſque muneris noſtri occupationibus impediti, illuc ire non valentes, de tua doctrina, pietate, ac prudentia in Domino confiſi, Apoſtolicâ Autoritate tibi, Ampliſſime Abbas Grimbergenſis, committimus ac mandamus, ut tamquam Apoſtolicæ Sedis Viſitator â Nobis Subdelegatus, ad præfatum Aureæ-Vallis Monaſterium te conferas, Viſitationem Apoſtolicam ibi inſtituas, ac quæcumque mutatione, correctione, renovatione, emendatione ac revocatione indigere cognoveris, reformes, mutes, corrigas, renoves, emendes & revoces, cæteraque perficias, quæ in præfatis Litteris Apoſtolicis continentur. Quas ad pleniorem fidem, unà cum Subdelegatione in tui perſonam à Nobis facta, tradere voluimus; communicantes tibi omnem & plenariam à Summo Pontifice factam nobis facultatem

Apoſtolicâ igitur auctoritate tam præfato Abbati Monaſterii Aureæ-Vallis, quam ejuſdem Monachis ac aliis quibuſcumque perſonis ſtricte præcipimus & mandamus, ut Apoſtolicam Viſitationem, quâ par eſt, obedientiâ, humilitate ac obſervantiâ recipiant, tibique Apoſtolico Viſitatori, mandatiſque tuis debitum deferant honorem, obſequium, & obedientiam.

Datum Bruxellis 10 Septembris 1725. & ſignatum, *Joſeph Spinellus* Abbas ſanctæ Catharinæ.

Fuerunt hæ binæ Litteræ Placeto S. Cæſar. Majeſtatis munitæ, Bruxellis 10 Septemb. 1725.

Proinde A. D. Auguſtinus Van Eeckhaut Prælatus Grimbergenſis die 14 Septembris 1725 ad Monaſterium Aureæ-Vallis advênit, ac paulò poſt Viſitationem ſuam Apoſtolicam inſtituit, aſſumpto Aſſeſſore Rev. ac Eruditſſ. Domino Chriſtiano Bombay Canonico D. Petri Lovanii, SS. Canonum Profeſſore, dein J. U. D. Præſide Collegii Leodienſis &c.

Viſitationi huic A. D. Stephanus Henrion Abbas Aureæ-Vallis, cum 43 Monachis, aliiſque quinque infirmis ſeu impotentibus ſeſe ſubmiſerunt. Sed contra eandem proteſtati fuerunt quatuordecim Religioſi, quos inter tres Fratres Converſi; qui clam aufugerunt ex Abbatia Aureæ-Vallenſi in Hollandiam, die 21 Septembris ſequentis, pluribus florenorum millibus ſecum furto ablatis. Quique dein habitationem elegerunt in loco dicto *Thoren-vliet*, ſive in *Rynwyck*, prope Lugdunum Batavorum; ſed tandem conſumpto hoc furtivo peculio, multiſque aliò propter penuriam dilapſis, diſſipatum hoc conventiculum. vide plaſationem in fine

CAPUT CXII.

Litteræ CLEMENTIS XII. *Pont. ad univerſos Catholicos in Fœderato Belgio commorantes, datæ anno* 1735. *quibus electio Theodori Vander Croon in Archiepiſcopum Ultrajectinum à Schiſmaticis Presbyteris peracta, declaratur irrita, ejuſque conſecratio illicita & execranda &c.*

DIlectis filiis univerſis Catholicis in Fœderato Belgio commorantibus.

CLEMENS Papa XII. Dilecti filii ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Inter graviſſimas Apoſtolatûs noſtri curas, quibus de æterna omnium animarum ſalute ſolliciti, die ac nocte urgemur, ut ſalutaria ubique remedia adhibeamus, nulla

ſanè paternum animum noſtrum urit acrior eâ, qua opportunè rationibus veſtris potiſſimum conſulturi, noſtros gemitus ferventioribus precibus conjunctos ad Omnipotentem Deum deferre quotidie cogimur, ut vos adverſùs omnes diaboli inſidias, & errores in ſinceritate Fidei, & ſanæ doctrinæ fortitudine magis magiſque confirmet.

Etſi autem non ambigimus, quin quæcumque à poteſtatibus tenebrarum intentata vobis cedant ad conſtantiæ veſtræ experimentum, & veræ virtutis laudem: tamen impoſiti Nobis Miniſterii memores, ne quas Pontificiæ vigilantiæ noſtrę partes à vobis deſiderari patiamur, quæ à vobis fugienda quæque præſtanda ſunt, ob oculos veſtros effuſis potiùs lacrymis quàm verbis exponimus.

Non ſinè ingenti cordis noſtri mœrore excepimus, à nonnullis falſum Canonicorum Ultrajectini Capituli (quod jam ante annos abhinc plures ſupra centum intercidit) nomen audacter jactantibus die 22. Julii anno 1733. Theodorum vander Croon turbulentæ eorumdem factionis anteſignanum in Ultrajectinum Archiepiſcopum electum eſſe.

Quamquam autem ipſis ſatis exploratum eſſet, Electionem hujuſmodi temerè, ac perperam factam, ab hac Sancta Sede, aliis eodem pacto habitis jam damnatis, fore penitùs rejiciendam; curarunt tamen atque effecerunt, ut idem Theodorus, inani Archiepiſcopi larva inducta in Apoſtolicæ Auctoritatis & Sacrorum Canonum contemptum, per deteſtabilem ac ſacrilegam manuum impoſitionem, Epiſcopalis conſecrationis munere die 28 Octobris 1734 inſigniretur per Dominicum Mariam Varlet Epiſcopum Babylonenſem ab exercitio Epiſcopalis Ordinis Apoſtolica Auctoritate jamdiù ſuſpenſum, atque denunciatum.

Itaque, ut pro noſtræ paſtoralis ſollicitudinis ac ſervitutis officio, & certa vobis ſint mentis noſtræ ac veritatis documenta, & præſentiſſimis remediis huic tam pernicioſo malo, ac tot ſcandalis ſubveniamus, laudatiſſimis Prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, qui præclaram iis extirpandis & eliminandis operam impenderunt, veſtigiis inhærentes, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium decernimus & declaramus, tam electionem ejuſdem Theodori Vander Croon in Archiepiſcopum Ultrajectinum fuiſſe irritam, ac prorſùs nullam; quam ejus conſecrationem fuiſſe omnino illicitam & execrandam, ac proinde ipſum temere nulloque jure electum Theodorum omni Eccleſiaſtica & ſpirituali Juriſdictione pro animarum regimine carere; atque illicitè conſecratum ab omni exercitio Epiſcopalis Ordinis eſſe ſuſpenſum. Præterea eundem Theodorum, & qui eum ementito Canonicorum Ultrajectenſium nomine elegerunt, & qui ſacrilegæ conſecrationi operam commodarunt, & quicumque iiſdem adhæſerint, eorumque partes ſecuti, opem, favorem, auxilium, aut conſenſum prębuerint, Auctoritate omnipotentis Dei excommunicamus, & anathematizamus, atque ab Eccleſiæ communione ſegregatos & vitandos eſſe declaramus, volumus & edicimus.

Mandamus propterea à diſtrictèque interdicimus memorato Theodoro ſub pœna Excommunicationis ipſo facto ſine alia Declaratione incurrendæ, ne audeat juriſdictionem ullam, aut pro animarum regimine auctoritatem ſibi arrogare, vel pro ſuſcipiendis Ordinibus dimiſſorias Litteras dare, Paſtores, Miſſionarios, Miniſtros, Deſervitores, aut alios, quocumque nomine nuncupatos, ad animarum curam & Sacramentorum adminiſtrationem quovis etiam neceſſitatis prætextu conſtituere ac deputare. Simul etiam palam edicimus & declaramus omnes & ſingulas antedictorum officiorum deputationes pro animarum regimine, quocumque nomine jam factas, aut forſaſſe faciendas cum omnibus indè ſecutis, prorſus irritas eſſe, ac nullius roboris & momenti.

Rurſùs eidem Theodoro præcipimus & inhibemus, ne ſub ſimili excommunicationis pœna audeat illicitè Sacramentum Confirmationis, aut Ordines conferre, aut quoquo pacto Ordinem Epiſcopalem, à quo ſuſpenſus eſt, exercere.

Vobis autem dilecti Filii, & quibuſcumque aliis etiam Epiſcopali vel Archiepiſcopali dignitate fulgentibus graviter injungimus ac vetamus, ne antedictum Theodorum pro Archiepiſcopo Ultrajectino habeatis & agnoſcatis, nevè cum eodem ullo pacto, præſertim in Divinis communicetis, aut ab ipſo, vel aliis per ipſum perperam deputatis Sacramenta aut Ordines accipere, aut ullo modo parere audeatis; imò ipſum & ipſos tamquam alienos, Sanctæ Sedi contumaces, Mandatiſque Apoſtolicis refragantes adverſari & vitare præcipimus.

Qui vero ab ipſo fuerit Ordinibus initiatus, noverit ſuſpenſionis vinculo ſe conſtrictum, atque irregularitati præterea obnoxium, ſi ſuſceptos Ordines exercuerit.

Denique, Dilecti Filii, quos quanta & quam ſingulari planèque paterna charitate complectimur, teſtis eſt Deus, cui in amaritudine animæ noſtræ pro vobis effundimus cor noſtrum, hæc vobis pro Apoſtolatûs noſtri onere tam ſollicitè graviterque denunciantes, atque perſcribentes, hortamur in Domino, ut eadem conſtantia & ſtudio, quo ad vitanda æternę mortis pericula vigilare, & diabolo inſidianti reſiſtere debetis, alacres forteſque

in fide, & in cathedra unitatis permanere enitamini; illud ſcientes, nullum noſtro quidem dolori jucundius ſolatium, veſtræ verò ſecuritati præſentius præſidium, quam ut debitum perpetuum noſtris Apoſtoliciſque Mandatis filialis obſervantiæ obedientiæque veſtræ officium exhibere pergatis. Ac vobis, Dilecti Filii, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 17 Februarii M. D. CC. XXXV.

CAPUT CXIII.

CLEMENS XII. *Pontifex Electionem Joannis Petri Meindarts, quarti Pſeudo-Archiepiſcopi Ultrajectini, à Schiſmaticis ſacrilegè intruſi, rejicit, eumque Apoſtolico anathemate ferit anno* 1739.

DIlectis Filiis, univerſis Catholicis in Fœderato Belgio commorantibus.

CLEMENS Papa XII. Dilecti filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Magna Nos pro ſupremi paſtoralis officii munere tenet ſollicitudo, ac ſalutaris metus, ne in commiſſum tenuitati noſtræ dominici gregis Ovile intrent in veſtimentis ovium lupi rapaces, edantque ſtragem eò majorem, quo ſubdolè & incautiùs illatam. Qua quidem ſollicitudine vehementiùs angimur, & conflictamur, cum vos iſthic vocati in ſortem Domini ante oculos noſtros obverſamini, undique ab iis circumventi, qui vobiſcum veluti in eadem familia degentes, animos veſtros non ſolum veneno depravatæ doctrinæ doloſè inficere, verum & inaniter Archiepiſcopo ſibi conſtituto, per ſpeciem adumbratæ hujuſce dignitatis, in fraudem inducere connituntur.

Quamquam enim experti didicimus, fidem veſtram, tamquam aurum igne probatum, puram illibatamque manere; Vobiſque eſſe perſuaſum, quicquid eſt Eccleſiaſticæ Hyerarchiæ, nonniſi in angulari lapide, atque in Apoſtolicæ Petræ ſoliditate fundatum erigi ac ſtare poſſe. Tamen, ut pro paterna caritate, qua vos amantiſſimè complectimur, longiùs à vobis inſtructæ fraudis periculum amoveamus ac diligentiùs æternæ ſaluti veſtræ cautum ſit; Apoſtolici Miniſterii Noſtri eſſe duximus, vos edocere, quid à Nobis, ut hæc paucorum perduellium inverecunda protervitas prorſùs profligetur, actum fuerit; & quid à vobis, ut eam fugiatis, ac deteſtemini, præſtari debeat.

Igitur ubi moleſtiſſimus nuntius ad Nos pervenit, aliquot factioſos Clericos, qui ſe ſtultè, atque inſolenter jactant Canonicos Ultrajectenſis Capituli ab annis ſupracentum extincti, eò temeritatis deveniſſe, ut ſceleri ſcelus quotidie magis addentes, & veterem Seditionem recenti crimine cumulantes, auſi fuerint die ſecunda proximè præteriti menſis Julii in Ultrajectenſem Pſeudo-Archiepiſcopum nefariè eligere quemdam Petrum Joannem Meindarts, Paſtorem, ut ajunt, Leovardiæ, quamquam apertè ſcirent, iſtiuſmodi execrabile facinus, ab ipſis non ſemel antea patratum, ab Apoſtolica Sede nefandum, irritum, inane declaratum fuiſſe, deletum, abjudicatum.

Nos illicò Prædeceſſorum noſtrorum, Sacrarumque Legum morem, atque exempla ſequuti, hanc modo iteratam, illegitimam, ſacrilegamque Electionem, tradita Nobis è cœlo poteſtate, reſcidimus, abrogavimus. Eundem verò Petrum Joannem, & quotquot ficto ementitoque Canonicorum Ultrajectenſium nomine in ipſum ſuffragia contulerunt, eique adhærentes, favorem, opem, conſilium, conſenſum præſtiterunt, & illius partes ſectantur, fovent, tuentur, auctoritate Omnipotentis Dei excommunicavimus, anathematizavimus, atque ab Eccleſiæ communione ſegregatos, ac prorſus Schiſmaticos habendos, & vitandos eſſe conſtituimus, indiximus, declaravimus.

Mandamus propterea, diſtrictèque interdicimus eidem Petro Joanni ſub pœna Excommunicationis ipſo facto ſine alia declaratione incurrendæ, ne audeat Juriſdictionem ullam, aut pro animarum regimine authoritatem ſibi arrogare, vel pro ſuſcipiendis Ordinibus dimiſſorias Literas dare, Paſtores, Miſſionarios, Miniſtros, Deſervitores, aut alios, quocumque nomine nuncupentur, ad Animarum curam, & Sacramentorum adminiſtrationem, quovis etiam neceſſitatis prætextu, conſtituere, ac deputare. Simul quoque palam edicimus, & declaramus omnes & ſingulas ante-dictorum Officiorum deputationes pro animarum regimine, quocumque nomine jam factas, aut fortaſſe faciendas, cum omnibus inde ſequutis, prorſus irritas eſſe, nulliuſque roboris ac momenti.

Rurſus eidem Petro Joanni præcipimus, atque inhibemus, ne ſub ſimili Excommunicationis pœna audeat Epiſcopalem Juriſdictionem, quam profecto nunquam adep-

adeptus eſt, exercere. Qui verò per ipſius Litteras Dimiſſorias fuerit Eccleſiaſticis Ordinibus initiatus, noverit ſuſpenſionis vinculo ſe obſtrictum, atque irregularitati præterea obnoxium, ſi ſuſceptos Ordines exercuerit. Vobis autem, dilecti Filii, & quibuſcumque aliis etiam Epiſcopali & Archiepiſcopali dignitate fulgentibus omnino ac ſedulo injungimus, vetamuſque, ne præmonſtratum Petrum Joannem pro vero Ultrajectenſi Archiepiſcopo habeatis & agnoſcatis, neve cum eodem ullo pacto, præſertim in Divinis communicetis, aut ab ipſo, aut ab aliis per ipſum perperam deputatis Sacramenta, aut Ordines accipere, vel ullo modo illi, aut illis parere audeatis; immo eoſdem tanquam alienos, Sanctæ Sedi contumaces, Mandatiſque Apoſtolicis refragantes averſari & vitare præcipimus.

Præterea ſub pœnis canonicis, atque etiam indignationis noſtræ interdicimus, ac ſeverè prohibemus omnibus cujuſcumque Catholicæ Eccleſiæ Archiepiſcopis & Epiſcopis, ne ante-dictum Petrum Joannem fruſtra electum Archiepiſcopum conſecrare audeant. Cui pariter ſub eiſdem pœnis indicimus atque imperamus, ne ſe a qualicumque Antiſtite conſecrandum præbeat, utpote inaniter & nullo pacto Archiepiſcopali Dignitate donatum. Quâ ſane illicita Conſecratione tot reliquas ſubiret Canonicas pœnas, & nihilominus ab omni ſuſcepti Epiſcopalis ejuſdem Ordinis exercitio ſuſpenſus maneret.

Itaque, dilecti Filii, mandata hæc noſtra in ſpiritu filiorum adoptionis accipientes, iis exequendis navate libenter operam, ac fortiter averſati verſuta factioſorum ingenia, quibus nihil ſuavius eſt ſeditioſo tumultu, perturbataque Religione, debitâ ſimul obedientia proſequuti Supremum Patrem-familias, unicè proſpicientem veſtræ felicitati; date documentum, filios lucis Vos eſſe, nec habere cum iis rem velle, conſuetudinem, ſocietatem, qui ambulant in regione umbræ mortis, ac præter peſtilentis doctrinæ tenebras, quibus obruuntur, ea denique mentis cæcitate laborare incipiunt, ut priſcos non unius Sectæ hæreticos imitati, ficti Archiepiſcopi nomen in ſuos inducere aggrediantur.

Contra verò cum fideli grege conjuncti, verique Paſtoris vocem audientes, per ſinceræ Fidei, Religionis, pietatis paſcua eò pervenire contendite, ubi quantùm Seductores iſti ſe deceperint, quàm rectum vos tenueritis æternæ ſalutis iter, læti beatique comperietis. In cujus auſpicium Apoſtolicam Benedictionem Vobis, dilecti Filii, peramanter impertimus.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 6 Octobris M. D. C. C. XXXIX. Pontificatûs noſtri anno decimo.

CAPUT CXIV.

Schiſma Ultrajectinum, per Joannem Petrum Meyndaerts, *quartum Pſeudo-Archiepiſcopum continuatum, per Breve* Benedicti XIV. *Papæ ad univerſos Romano-Catholicos in Fœderato Belgio commorantes, denuò repreſſum, die* 24 *Januarii* 1741.

Dilectis Filiis Catholicis in Fœderato Belgio commorantibus Benedictus Papa XIV. Dilecti filii, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Auget Paſtoralem noſtram ſolicitudinem filius iniquitatis Joannes Petrus Meindarts, qui nec Paternis monitis delinitus, nec, anathemate perculſus, ullum ſibi facit furendi modum. Cum enim undique admonitus & publicis monumentis edoctus ignorare non poſſet, ſibi detractam fuiſſe à fœlicis recordationis Clemente XII. ludicram illam Ultrajectenſis Archiepiſcopatûs larvam, quam induere inaniter conabatur; ac propterea vigore Literarum in ſimili forma Brevis die 6 Octobris 1739 ſuper nullitate Electionis ſeveriſſimis Cenſuris illigatus fuiſſet, tamen non abſtinuit falſum illud nomen uſurpare: ſed, ut *abyſſus abyſſum invocat*, patratum ſcelus novo ſcelere cumulavit. Siquidem non ſine horrore, & in amaritudine animæ noſtræ intelleximus eò temeritatis perveniſſe, ut ſacra omnia polluens, ſolemnibus cæremoniis initiari, conſecrarique voluerit.

Quid fieri debeat filio tam degeneri, non audienti amantiſſimi Patris vocem, & ad Eccleſiaſticæ diſtrictionis plagas obdureſcenti, jam-diù conſuluimus Dominum. Atque utinam auribus noſtris non reſonet horribilis vox illa: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam*; quo diro fulmine nullum profectò majus. Quare ad Vos, dilecti Filii, gaudium & corona noſtra, omnem convertimus curam. Et quo magis in proximo objecti eſtis lupo huic inſidioſo, atque implacabili; eò Vos diligentiùs hortamur & commonemus, ut reſiſtatis fortes in Fide, quam ab Apoſtolica Sede omnium Eccleſiarum Matre & Magiſtra à primis uſque temporibus accepiſtis.

Nolite à ſemita juſtitiæ abduci ſubdolis ac venenatis illius vocibus, quas infundere conatus eſt ſuâ illâ captioſâ, & in ſimplicium ſubverſionem & Schiſma apertè tendente Epiſtolâ Paſtorali, datâ die primâ Decembris elapſi anni 1739. ad gregem ex iis fortaſſe collectum, qui ſecum ambulant in tenebris, non alio ſane animo conſcriptâ, quàm ut inconſutilem Chriſti veſtem ſcindat.

Scimus, & in Domino gaudemus, Vos ab hac vera Fide non aberrare. Noſtra tamen Paterna Caritas, & commiſſi Nobis licet imparibus Apoſtolici Miniſterii ratio poſtulant, ut ſoliciti vigilemus ad veſtram cuſtodiam; nec à Vobis dejiciamus oculos, quos vaferrimus ille ſeductor disjungere ſtudet à vero Chriſti Ovili, ut ſecum per vias non bonas errantes pereatis. Nam, utcumque blandiatur ſibi, nemini ſuadebit ſe in Eccleſia manere, quam dilacerat pertinaci Schiſmate. Ad quam profectò Eccleſiam, ut aliquandò intelligat pertinere ſe nullo modo poſſe, niſi reſipiſcat; Nos Prædeceſſorum noſtrorum, Sacrarumque Legum morem atque exempla ſequuti, traditâ Nobis à Cœlo poteſtate, primùm hujuſmodi nefariam Conſecrationem illicitam, illegitimam, ſacrilegam, ac contra Supremæ Sedis Mandata, & Sacrorum Canonum Sanctionem factam declaramus.

Deinde eundem Joannem Petrum, & quotquot huic execrabili facinori operam, conſilium, conſenſum præſtiterunt, authoritate Omnipotentis Dei excommunicamus, anathematizamus, atque ab Eccleſiæ communione ſegregatos, ac prorſus Schiſmaticos habendos, & evitandos eſſe iterùm conſtituimus. Sciat autem idem Joannes Petrus non ſolum ab iis, quæ ſunt Juriſdictionis exercendis ſe eſſe ſuſpenſum, prout vigore earumdem litterarum Prædeceſſoris Noſtri fuit ſuſpenſus, ſed etiam ab iis, quæ ſunt Ordinis. Mandamus illi propterea, diſtrictèque interdicimus ſub pœna Excommunicationis, ipſo facto & ſine alia declaratione incurrendæ, ut nullo pacto, aut Chriſma conficere, Clericos ordinare, aut Virgines conſecrare, aut alia Epiſcopalis Ordinis munia exercere audeat.

Decernentes inſuper vacuos, inanes, nulliuſque prorſus roboris ac momenti omnes & ſingulos alios actus, quos attentare præſumpſerit. Ac proinde, qui ab ipſo Eccleſiaſticis Ordinibus initiati fuerint ſuſpenſionis vinculo ſe obſtrictos, atque irregularitati propterea obnoxios, ſi ſuſceptos Ordines exercuerint. Hanc, ad ſanandum propè deſperatum hominis furorem, extremam medicinam adhibemus, acrem illam quidem, ſed certè neceſſariam; cujus profectò vim ſi non intelligit, miſer, multò verò miſerior, ſi intelligit & contemnit.

Reliquum eſt, ut, quoniam vehementer ſoliciti ſumus, ne propinquitas morbi faniores partes trahat Chriſtianæ Reipublicæ, Vos, dilecti in Chriſto Filii, iterum atque iterum moneamus, ut ab eo quàm diligentiſſimè caveatis.

Quod quidem facilius promptiuſque perficietis, ſi illud ſæpius cogitetis, quod certum omnino eſt atque exploratum: Neminem verè in Chriſti Eccleſia eſſe poſſe, niſi ejus Capiti Viſibili, atque Divi Petri Cathedræ communione conſocietur. Atque Apoſtolicam Benedictionem Vobis, dilecti filii, peramanter impertimur.

Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 24 Januarii M. D. CC. XLI. Pontificatûs noſtri Anno primo.

---

* Inſerendum pag. 14. ante Caput XV.

*CAPUT CXV.

INNOCENTIUS II. *Pontifex confirmat anno* 1139 *Cellas ſive Prioratus, Eccleſias parochiales, aliaque bona ac jura Abbatiæ S. Huberti, Ordinis S. Benedicti, in Arduenna.*

Ex Archivis Abbatiæ S. Huberti.

INNOCENTIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto in Chriſto filio Gilleberto Abbati Monaſterii Sti. Huberti in Ardenna, ſibi ejuſque Succeſſoribus Regulariter ibidem ſubſtituendis, in perpetuum.

Apoſtolicæ Sedis clementię convenit, Religioſos viros diligere, eoſque maternæ pietatis gremio confovere. Hujus rei gratia, dilecte in Domino Gilleberte Abbas, tuis deſideriis clementer annuimus, & Monaſterium S. Huberti, cui Deo auctore præſides, in tutela B. Petri, & noſtra ſuſcipimus, & præſentis Scripti Pagina roboramus.

Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem Monaſterium in præſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum largitione fidelium, ſeu quibuſlibet modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma tibi tuiſque Succeſſoribus & illibata permaneant.

Et quia idem Monaſterium, ſicut ipſe nobis ſuggeſſiſti, diverſas frequenter à diverſis raptoribus patitur injurias, Authoritate hujus Sedis Apoſtolicæ damus tibi & Succeſſoribus tuis poteſtatem ligandi &

Digitized by Google

ſolvendi. Et confirmamus prefato B. Huberti Monaſterio quidquid ſuum eſt. Quatuordecim videlicet Capellas, ab omni exactione Epiſcopali liberas.

Sed & Cellam Ebernei-Curtis, cum pertinentiis ſuis;

Cellam S. Theobaldi in Porcino-Caſtro ſitam, cum pertinentiis ſuis;

Pirenſem cum pertinentiis ſuis,

Cellam de Mollins, cum pertinentiis ſuis;

Cellam Curienſem, cum pertinentiis ſuis,

Cellam de Sancey, cum pertinentiis ſuis;

* Vide Diplom Miræi, Tom. I.

* Cellam S. Petri, cum Capella S. Joannis in Caſtro Bullonienſi, & cæteris pertinentiis ſuis.

Eccleſiam de Palatiolo, cum Capellis & decimis ſuis.

Eccleſiam de Horto, cum Capella de Rupe, & cæteris pertinentiis ſuis,

Eccleſiam S. Michaelis, & montem, & totum allodium de Miruolo;

* Hodie Capitulum Canon. vide infrà.

Eccleſiam S. Mononis de Naſſonia * cum omnibus pertinentiis ſuis,

Capellam S. Huberti in Leodio,

Eccleſiam de Stawles,

Eccleſiam de Nirves,

Eccleſiam de Burs, cum pertinentiis ſuis,

Eccleſiam de Alventio, cum pertinentiis ſuis,

Eccleſiam de Baſſeyo, cum pertinentiis ſuis, & alias multas quas poſſidet; ſalvâ Diœceſanorum Epiſcoporum juſtitia, & reverentia.

Præterea confirmamus præfato Monaſterio oblationes fidelium quæ vulgo *Cruces Bannales* dicuntur, de tribus Decaniis; de Decania Gradenſi oblatam ceræ, ſive ipſum obolum Leodienſis monetæ, & caſeos de toto lacte vaccarum, ovium, & caprarum, unius diei de ſingulis domibus villarum ſubſcriptarum, videlicet,

Vilanciæ, Maiſin, Reduit, Vuſcejæ, Guſanvillæ, Ocham, Palatioli, Offagne Salſenrivi, Graides, Gedines, Loytres, item Loytres-Borſines, Riennes, Wilerzies, Harnye, Alti-fageti, Oyſeis, Gembres, Bievre, Givet.

Idem de Decania Bohannienſi, de ſingulis domibus villarum ſubſcriptarum, Wellin, Ham, Herpruviæ, Bohanniæ, Gimellæ, Marlidée, Aye, Haverenne, Liceuriæ, Masbour, Burs, Telins, Wauretiæ, Tevins, Sernum, Villers, Jamblines Wanlin, Frelou, Cotue, Montis S. Petri Brumartin, Revoniæ, Montis Vacheri.

Idem de omnibus villis Decaniæ Baſtonienſis, addito pane uno de domibus ſingulis.

Prædicto autem Monaſterio nullus Abbas temerè ordinetur, aut contra ſacros Canones conſtituatur: ſed is quem ſibi concors Congregatio liberâ electione ſecundum timorem Dei aſſumpſerit.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat idem Monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones infringere, auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis fatigationibus moleſtare; ſed omnia integra conſerventur, eorum uſibus omnimodis profutura, pro quorum ſuſtentatione & gubernatione ſunt conceſſa.

Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſecularisve perſona, hanc noſtræ Conſtitutionis Paginam ſciens, contra eam temere venire temptaverit, ſecundò tertiòve commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat.

Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini Noſtri Jeſu Chriſti; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

✠ Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Ego Lucas Preſbyter Cardinalis tituli SS. Joanni & Pauli.

Ego Chriſogonus Presbyter Cardinalis tituli Stæ. Praxedis.

Data Laterani, per manum Aymerici Stæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii XV. Kal. Maii, Indictione ſecunda, Incarnationis Dominicæ M. C. XXXIX. Pontificatûs vero Domini Innocentii ſecundi Papę anno decimo.

---

* Inferendum pag. 39 ante Caput XLII.

*CAPUT CXVI.

INNOCENTIUS IV. *Pont. confirmat Fundationem ac bona Monaſterii de Hoffalizia, Canonicorum Ordinis Vallis Scholarium in Ducatu Luxemburgenſi, Diœceſis Leodienſis, anno* 1244.

Ex Archivis loci communicavit R. P. Bertholet S. J.

INNOCENTIUS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilectis Filiis Priori S. Catherinæ de Angulo Dei, ejuſque Fratribus, tam preſentibus quam futuris, Regularem vitam profeſſis in perpetuum.

Religioſam vitam eligentibus Apoſtolicum convenit adeſſe præſidium; ne forte cujuſlibet temeritatis incurſus aut eos à

propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacræ Religionis infringat.

Ea-propter dilecti in Domino Filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Eccleſiam S. Catharinæ *de Angulo Dei*, Leodienſis Diœceſis, in qua divino eſtis mancipati obſequio, ſub B. Petri & noſtrâ protectione ſuſcipimus, & præſentis Scripti Privilegio communimus.

Imprimis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo Canonicus, qui ſecundùm Deum & B. Auguſtini Regulam in eadem Eccleſiâ inſtitutus eſſe dinoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea qua cumque poſſeſſiones, quæcumque bona eadem Eccleſia in præſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque Succeſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Locum ipſum, in quo præfata Eccleſia ſita eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis; de *Cowan*, de *Taverneux*, de *Fontenelles*, de *Villes* & de *Dirfial*, Eccleſias cum pertinentiis ſuis de *Nieves*, d'*Engrous*, de *Villeroux*, de *Hoffalizié*, de *Taverneux*, de *Fontenelles*, de *Cheraing*, de *Somring*, de *Retiguy*, de *Dirfial* & de *Gouvy*; Decimas & Grangiam de *Mortmont* cum pratis, vineis, terris, nemoribus, uſuagiis & paſcuis, in boſco & plano, in aquis & molendinis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus ſuis. Sanè Novalium veſtrorum, quæ propriis manibus aut ſumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, ſive de veſtrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigat, vel extorquere præſumat.

Liceat quoque vobis Clericos vel Laïcos liberos & abſolutos è ſæculo fugientes ad converſionem recipere, & eos abſque contradictione aliquâ retinere. Prohibemus inſuper, ut nulli Fratrum veſtrorum, poſt factam in Eccleſiâ veſtrâ profeſſionem, fas ſit ſine Prioris ſui licentiâ, niſi arctionis Religionis obtentu, de eodem loco diſcedere; diſcedentem vero abſque communi litterarum veſtrarum cautione, nullus audeat retinere. Cum autem generale Interdictum terræ fuerit, liceat vocis clauſis januis, interdictis & excommunicatis excluſis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce, divina Officia celebrare, dummodo cauſam non dederitis Interdicto. Chriſma vero, Oleum ſanctum, Conſecrationes Altarium ſeu Baſilicarum, Ordinationes Clericorum qui ad Ordines fuerint promovendi, à Diœceſano ſuſcipietis Epiſcopo, ſiquidem Catholicus fuerit, & gratiam & communionem Sacroſanctæ Romanæ Sedis habuerit, & ea vobis voluerit ſine pravitate aliquâ exhibere.

Prohibemus inſuper, ut infra fines Parochiæ veſtræ nullus ſine aſſenſu Diœceſani Epiſcopi & veſtro, Capellam ſive Oratorium de novo conſtruere audeat, ſalvis Privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hoc, novas & indebitas exactiones ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Archidiaconis ſeu Decanis aliiſque omnibus Eccleſiaſticis ſæcularibuſve perſonis à vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi forte excommunicati vel interdicti ſint, aut publicè uſurarii, nullus obſiſtat; ſalvâ tamen juſtitiâ illarum Eccleſiarum, à quibus mortuorum corpora aſſumuntur.

Decimas præterea, poſſeſſiones, ad jus Eccleſiarum veſtrarum ſpectantes, quæ à Laïcis deſtinentur, redimendi, & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad Eccleſias ad quas pertinent revocandi, libera ſit vobis de noſtra Authoritate facultas.

Obeunte vero te nunc ejuſdem loci Priore vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi quâlibet ſubreptionis aſtutiâ ſeu violentiâ præponatur, niſi quem Fratres communi conſenſu, vel Fratrum major pars conſilii ſanioris ſecundum Deum & B. Auguſtini Regulam providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati veſtræ paterna in poſterum ſollicitudine providere volentes, Authoritate Apoſtolicâ prohibemus, ut infra clauſuras locorum, ſeu grangiarum veſtrarum, nullus rapinam ſive furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, ſeu violenter audeat extrahere.

Præterea omnes libertates & immunitates à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus Eccleſiæ veſtræ conceſſas, necnon libertates & exemptiones ſæcularium exactionum à Regibus & Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, Autoritate Apoſtolicâ confirmamus, præſentiſque Scripti Privilegio communimus.

Decernimus ergo, ut nulli hominum liceat, præfatam Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare: ſed omnia integra conſerventur, eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnibus profutura; ſalvâ Sedis Apoſtolicæ Authoritate, Diœceſani Epiſcopi canonicâ juſtitiâ, & in prædictis Decimis moderatione Concilii generalis.

Datum Lugduni per manum Magiſtri Marini S. Romanæ Eccleſiæ Vice-Cancellarii, Nonis Januarii, Indictione II. Incarnationis Dominicæ anno M.CC.XLIV. Pontificatûs Domini Innocentii Papæ IV. anno ſecundo.

DIPLOMATUM BELGICORUM

TOMUS QUARTUS.

PARS SECUNDA.

Continens Diplomata, Privilegia, Donationes, per Imperatores, Reges, Duces noſtros, alioſque Principes, Belgicis Eccleſiis conceſſa.

CAPUT I.

SIGEBERTUS *Francorum Rex, Sto.* REMACLO *Epiſcopo donat Foreſtum in Arduenna, ad inchoandas Abbatias Stabulenſem ac Malmundarienſem, Ordinis Sti. Benedicti, anno* 650.

Ex Cartulario Stabulenſi.

SIGIPERTUS Rex Francorum. Veſtra comperiat largitas, qualiter pro devotione animæ noſtræ, ſervorum Dei compendiis, opitulante Domino, in Foreſta noſtra nuncupata Arduenna, in locis vaſtæ ſolitudinis, in quibus caterva beſtiarum germinat, conſulere cupientes, quatenus eorum meritis æternæ retributionis copiam adipiſci mereremur, qui ibidem Patroni noſtri Petri & Pauli, Johannis, Martini, vel aliorum ſanctorum venerari pignora noſcuntur.

Conceſſimus eis, ut ibi Monaſteria juxta Regulam Cœnobiorum vel traditionem patrum, cognominata Stabulaco ſeu Malmundarium conſtruerentur, ubi Chriſto auſpice Remaclus venerandus Abba præeſſe dinoſcitur, & eis tale beneficium præſtitiſſe compertum ſit, ut ibidem familia Dei vel cuſtodes Eccleſiæ quieto ordine contemplativam vitam agere deberent, juxta ammonitionem divinam, qui reliquerit domum, patrem, aut matrem, aut agros, & cetera, centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit.

Quapropter ex conſenſu fidelium noſtrorum, videlicet Domni Cuniperti Colonienſis Archiepiſcopi, nec non Attelani, Theudofridi, Giſlocardi Epiſcoporum, vel illuſtrium virorum Grimoaldi, Folcoardi, Bobonis, Adregiſili, item Bobonis, nec non & domeſticorum Flodulfi, Anſigiſi, Bertelini, Gariperti conceſſimus ſupradicto Patri, ob cavenda pericula animarum inhabitantium, & ad devitanda conſortia mulie-

rum, ut gyrum gyrando in utrorumque partibus Monaſteriorum duodecim menſurarentur ſpatia dextrorſum ſaltibus non plus duodecim milliaribus, ut abſque impreſſione populi vel tumultuatione ſæculari, Deo ſoli vacarent.

In reliquo vero taliter noſter promulgavit Edictus, ut nullius umquam tempore vitę ſuæ quælibet perſona ipſam Foreſtem audeat irrumpere, aut manſiones aut domos ædificare, niſi tantùmmodo illi ſervi Dei, qui hæc tuguriola omni tempore noſtro conceſſu excolere videntur. Et ut Pręceptio circa ipſam familiam Dei vel poſteritatem illorum, quibus pro divino intuitu hæc parva munuſcula plenius conceſſimus, plenius obtineat vigorem, manus noſtræ ſubſcriptionibus ſubter eam decrevimus roborari.

Deeſt finis Diplomatis.

CAPUT II.

CAROLUS CALVUS *Imperator Privilegium concedit Hilduino Abbati Sithienſi ſive Sti. Bertini, pro LX. Monachis, Ord. S. Bened. Audomaropoli, anno 877.*

Ex Cartulario S. Bertini.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus ejuſdem Dei omnipotentis miſericordia, Imperator Auguſtus. Si ſanctis locis & eis pro totius Eccleſiæ ſtatu Deo militantibus, debitam curam & defenſionem impendimus, profuturum nobis ad pręſentem vitam feliciter tranſiendam, & futuram Deo opitulante obtinendam, omni modo non dubitamus.

Noverint itaque omnes fideles ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtri præſentes atque futuri, quia venerabilis vir Hilduinus Abba Cœnobii Sti. Petri, quod vocatur Sithiu, ubi corpora ſanctorum Confeſſorum Audomari atque Bertini debitâ quiete fruuntur, Celſitudini noſtræ frequentiſſime ſuggeſſit, eundem ſanctum locum rerum ſuarum diminutione nimium periclitari. Memorans, Hugonem venerabilem Abbatem quondam ordinationem illius ſancti loci competentem ſumma devotione voluiſſe & cœpiſſe, ſed morte prævenţum non perfeciſſe: ſe vero prædeceſſoris ſui benevolentię hæredem humillima devotione ut perficeretur exorare.

Nos itaque jam dicti cari noſtri Hilduini nuperrime defuncti ſupplicem devotionem & ſinceram erga nos fidem obſequiumque multimodum recolentes, ipſiuſque ſupplicationi in memoratis annuentes, decernimus Auctoritate Imperatoria, ut in Monaſterio Sti. Petri, ubi B. Bertinus requieſcit, Deo famulantes, ad ſtatum ſancti illius loci has res deinceps ſine ullius moleſtia vel diminutione contineant. Videlicet, ad manſum dominicalem Vallaricia cum ſylvis adjacentibus in Vindengaham, Wolangaham, Ciampingaham cum Vinghold, Hilsferod cum Laroruoca & Grevia, Hirnethols, Dakingahem, Gerononberg, cum cæteris adjacentiis, & territoriis carpentariorum quinque inibi jacentibus; & villas has, Weſarinium, Tarvenna, Coicus, Hilkinium, Aldomhen, Giſna, Scala, Torubodashem, Pupringahem & in mariſco Buſingahem, Recia cum ſedibus in Furnis, & juxta Merkiſa & Loon ad Sentinaim.

In Calinontis quoque villa, exceptis his quæ beneficiata fuerant, manſorum medietatem & mancipiorum; vinearum autem duæ partes, manſum indominicatum cum bunariis x. Sunt quoque famulis Monaſterii CXII. hæ villæ deputatæ, Kelinis, Arquinſum, Bringahem, cum territorio in Rinningahem, Siningehem, Okaningahem, & in vetus Monaſterium piſcationem, ſicut & anterius. His rebus adjicimus ad victum Fratrum villam nomine Hegerbort, cum omni integritate ſua, ut olim fuit, exceptis cavallariis tribus.

Ad cameram Fratrum in veſtiario adjicimus Hrokashem cum Weſtkerca, & cum appenditiis & in Geluvaſdaſtorp Eccleſiam & vineas, & manſa XII. cum hominibus. Roxem. Weſtkerke Diœceſis Brug.

Item in caſello ultra Hrenum manſa ſimiliter XII. in Frekena menſa X. cum matre Eccleſia & decimam illic ordinatam cum hominibus. In Daventre portu manſa VII. Ad portam autem ante fores Eccleſiæ vaccariciam cum hortulo, & in Loconeſſa manſa VII. cum ſuis appenditiis & mancipiis. Territorium quoque & vineas, quas prędictus Abbas Hilduinus ex proprietate ſua in Pago Vermandenſi in loco nuncupata Hebbencurt, ei Monaſterio pro remedio animæ ſuæ contulit ad luminaria ipſius Eccleſiæ, ubi humatus jacet, confirmamus.

Decernimus etiam quæque à tempore prædicti Genitoris noſtri collata, devotorum ad eorum commemorationem celebrandam.... eidem ſancto loco Kartarum legationibus, per eaſdem confirmatum eſt, ſecundum ipſorum delegationem & Eccleſiaſticam ſanctionem, maneant ſtabilita, & quæ in poſtmodum eodem tenore Domini Salvatoris addiderit clementia.

Statuimus quoque, ut in eodem Monaſterio numerus LX. Monachorum ſecundum

Conſtitutionem Domini genitoris noſtri perpetuo tenore ſervetur: & Præpoſitus cæterique miniſteriales nequaquam fiant, niſi ex ipſis Fratribus, per electionem eorum & conſenſu Abbatis.

Habeant igitur omnes res præſcriptas Imperiali Auctoritate roboratas: quatenus eoſdem Dei famulos pro nobis ac conjuge vel prole ſtatuque Imperii noſtri, Domini miſericordiam uberius exorare delectet. Et ut hæc Auctoritas per omnia tempora inviolabiliter conſervetur, manu propria ſubterfirmavimus & annuli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus.

Data 12. Kal. Julii anno 37. regnante Domino Karolo, Imperii ejuſdem 11.

Actum Compendio Palatio Imperiali, die 14. poſt mortem præfati Abbatis.

CAPUT III.

CAROLUS SIMPLEX, *Francorum Rex, Abbatias Maricolenſem ac Criſpinienſem, Benedictinorum in Hannonia recens fundatas, ſubjicit Juriſdictioni Epiſcopi Cameracenſis, circa annum* 921.

Ex Chronico Camerac. Baldericii.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. KAROLUS, divina propitiante clementia, Rex Francorum.

Chriſtianæ converſationis religio bipertito videtur regimine ſubſiſtere, Regali utique & Sacerdotali. Ergo Sacerdotale decet Regiis augmentari ac ſublimari honorum munificentiis, quo regalis diu dignitas reſideat in ſolio regni ſub æquitatis virga; juxta quod Deus de ſe in Sapientia loquitur. (Proverb. 8.) *Per me Reges regnant & judices legum decreta decernunt.*

Hac de cauſa, noverit omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium religioſitas, quia Comites venerabiles Hagano ac Rodulfus, noſtram adeuntes Serenitatem, humiliter expetierunt, ut ſanctę Cameracenſis Eccleſiæ, cui præeſt Præſul Stephanus, vir quippe totius Regni ſtrenuus, ad ſanctam Dei genitricem Mariam largiremur ſub perpetua ſeculi ſubjectione, in Pago Hainoenſe ſuper fluenta Helpræ, Abbatiunculam dictam Marellias, ubi jacet ſanctus Humbertus corpore, in Eccleſia quæ eſt in honore ſancti Petri dedicata.

Nos itaque illorum cognoſcentes congruam eſſe petitionem, devotè eandem Abbatiunculam cum ſuis omnibus adjacentiis delegamus ad prædictam Sedem ſanctæ Mariæ perpetualiter ibi habendam.

Dehinc & venerabilis Comes Sechardus expetiit ipſe, ut in Pago præfato Hainou ſuper flumen Hon, Abbatiunculam dictam Criſpin, ubi jacet ſanctus Landelinus, in Eccleſia in honore ſancti Petri dicata, (quam Abbatiunculam idem dictus Sechardus beneficio habebat,) concederemus ſanctę Mariæ ad præſcriptam Sedem Cameracenſem, perpetualiter ibi habendam, cum ſuis omnibus adjacentiis; & ita fecimus.

Verum precatu prædictorum Comitum permittimus ob remedium animæ noſtræ, præſcripto Antiſtiti Stephano, in locis ſuæ conceſſis Eccleſiæ: hoc eſt Marellias, ſeu Criſpin: mercatum ſtatuere, & teloneum inde capere.

Et circum iſta loca, quantum unius leugæ tetenderit ſpatium.

Neque Comes, neque ulla judiciaria poteſtas, freda exercendi poteſtatem habeat, neque quilibet præſentium vel ſuccedentium, de illis dictis Abbatiunculis ſanctæ Mariæ Cameracenſis Eccleſiæ tentet facere abſtractionem, ſubreptionem, diviſionem, refragationem, inquietudinem, contradictionem, præjudicium, violentiam: ſed cum villulis ſuis ac earum continentiis, videlicet Eccleſiis, ædificiis, ſilvis, pratis, paſcuis, terris, aquis aquarumque decurſibus, farinariis, piſcationibus, perviis, vineis, mancipiis deſuper commanentibus, & quicquid ibi in omnibus rebus juſtè & legaliter appendet, habendum, poſſidendum, ſanctæ Mariæ ad ſuprà dictam Sedem tradimus: faciantque rectores ejus Eccleſiæ exinde, quodcumque ſua ſuorumque popoſcerit utilitas.

Unde hoc Præceptum firmitatis induſtria factum, manu firmamus noſtra, ad opus S. Mariæ, & annulo noſtro juſſimus ſigillari.

Signum Karoli Regis inclyti.

Gauzelinus Notator vice Rotgeri Archiepiſcopi ſummique Cancellarii recognovit.

Datum VI. Idus Septembris, Indictione VIII. anno XXVIII. regnante Karolo Rege glorioſo, redintegrante XXIII. largiore verò hereditate indepta IX.

Actum in Palatio Heriſtallo, feliciter. Amen.

CAPUT IV.

BALDUINUS *Flandriæ & Artheſiæ Comes donat Canonicis Monaſterii ſive Eccleſiæ Collegiatæ B. M. Virginis Audomaropoli Villam de Odingatum, aliaque bona, anno* 1016.

Ex Archivis Eccl. Cathedr. Audomar.

(1) CHARTULIS ergo facta priorum impreſſa litteris figurantur, ut poſterorum conſpectibus & intellectui manifeſtata declarentur; quia niſi ea quæ ab anterioribus geſta ſunt, Chartis notarentur, ſucceſſorum mentibus omnimodo oblivioni traderentur.

Tali enim re prænonitus, Ego Helecinus divinâ magnificentiâ aſſentiente Præpoſitus, Comite Balduino præcipiente, chartulam cujuſdam traditionis, necnon & commutationis, litteris annotari decenſui; ut ſi quis veſano corde (quod abſit) in futurum ſurgeret, & illam commutationem infringere temptaret, ſaltim ſi Chartulam videret, aut legere audiret, ab effectu pravi affectus deſineret.

Sane in menſe Julii, in eo anno, & in eodem S. Audomari Tranſlationis die quo ipſius reliquiæ ad requiem ſuam cum multo honeſtatis ut decebat portabantur obſequio, ſupradictus Comes Balduinus quandam villam Odingatum nuncupatam, coram multo adſtante Clericorum ac Monachorum atque Laicorum conventu, maxime pro ſpe pariterque pro redemptione animę ſuæ, ſancto tradidit Audomaro.

Deinde ſtatim coram prædicto conventu, Ego Helecinus, conſilio & aſſenſu Comitis Balduini cum ipſa ſupradicta villa Odingatun, contra Walonem quendam nobilem Militem, Comitatum, id eſt poteſtatem vadimoniorum & frædorum & bannorum & telonei & totius diſtrictionis rectitudinem alterius villæ Dalhem nuncupatæ, & terræ Helbodingahem, & omnis terrę ad ipſam villam pertinentis, ſtabili & inviolabili commutatione in libera præcinctione redemi, cujus præcinctionis metę ad Dardingahem & ad Rumlaca & ad Kiltaca, & ad Hardbera, & ad Coica ſunt terminatæ & ſeparatæ.

Et ut iſtius commutationis perpetim firmior ſit inſcriptio, Balduini piiſſimi Comitis ſępe jam dicti manualis ſignavit confirmatio.

Quod ut cunctis Chriſtum colentibus, tam illis quibus adhuc nativitas eſt negata, quam illis quibus videtur vitalis aura à Deo conceſſa, maneat notum, Ego Helecinus dictari rogavi atque decrevi.

Actum eſt hoc in Monaſterio S. Audomari anno Incarnationis Dominicæ M. XVI. Indict. 14. in VI. Idus Junii, ſcilicet in die Tranſlationis S. Audomari, regnante Rege Rodberto & Balduino Comite ſuper populum Principatum tenente, & Balduino Epiſcopo gubernationem Chriſtianitatis faciente.

Excommunicatio (2) Balduini Epiſcopi Morinenſis, ibi adſtantis.

SI quis diabolica jaculatus ſagitta iſtius Commutationis confirmationem deſtruere aut avertere affectaverit: iram & maledictionem omnipotentis Dei, ſanctæque Dei genitricis Mariæ & S. Audomari & omnium ſanctorum incurrat; & quod boni adoptaverit non adipiſcatur. Et poſt obitum ſuum in inferno ubi mœror & luctus non deerit, inrecuperabilibus & inextinguibilibus flammis cruciandus deſcendat. Dicat omnis populus: amen.

Signum BALDUINI, magni & invictiſſimi Principis.

Signum Balduini Epiſcopi,
S. Præpoſiti Helecini,
S. Henfridi Abbatis,
S. Decani Guntfridi,
S. Alelmi Canonici,
S. Burguini,
S. Walonis Militis, à quo Comitatus redimebatur,
S. Artoldi,
S. Helgoti,
S. Otgrimi,
S. Walteri,
S. Frumoldi.

(1) Deeſt initium hujus Diplomatis, quod ſic etiam extat inter Inſtrumenta Galliæ Chriſtianæ Tomo III. pag. 111.

(2) BALDUINUS Morinorum Epiſcopus, urbem ſuam Epiſcopalem à Normannis pridem deſtructam reſtauravit, ac Sedem Bononiam tranſlatam, poſtliminio Teruanam reduxit. Obiit anno 1030.

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

HENRICUS III. *Imperator Abbatiam Sti Joannis Baptiſtæ de Porceto, juxtâ Aquiſgranum, olim Monachorum Benedictinorum, nunc Monialium Ciſtercienſium, libertate donat, anno* 1040.

Ex veteſto Codice hujus Abbatiæ MS.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. HENRICUS divinâ favente clementiâ Rex. Quidquid ad honorem & exaltationem ſanctarum Eccleſiarum conferimus, hoc ad noſtri Regni ſtabilitatem noſtræque animæ ſalutem fore credimus.

Quapropter omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium, & noſtrorum, præſentium ſcilicet ac futurorum prudentia noverit, quod Nos pauperi Monaſterio in Villa nomine *Portcheto* ad honorem ſancti Johannis Baptiſtæ conſtructo, omnem illam familiam utriuſque ſexus, in eadem villa *Portcheto* habitantem, quæ ad noſtrum jus & dominium pertinet, intercedente noſtramque Majeſtatem ſuppliciter poſtulante ejuſdem loci Venerabili Abbate nomine *Benedicto*, pro animabus noſtrorum Prædeceſſorum, Imperatorum ſcilicet & Regum, ac pro remedio patris noſtri beatæ memoriæ C. * Imperatoris;

* Conradus Imp.

Et ut orationes Fratrum inibi ſervientium, pro ſtatu totius Regni non deficiant, cum uxoribus filiis & filiabus natis & naſcituris, per hujus noſtri Præcepti Paginam tradimus, concedimus, & de noſtro jure & Dominio, in eos Jus & dominium ſtabiliter transfundimus; eo ſcilicet tenore, ut deinceps omne debitum, quod noſtro Palatio debebant, prædicto Monaſterio perſolvant, & juſſioni præfati Abbatis ſuorumque ſucceſſorum.

Et ut hujus noſtræ Donationis Authoritas omni tempore incorrupta permaneat, manu propriâ præſentis Paginæ teſtamentum firmantes, Sigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri.

✠ Signum Domini HENRICI tertii invictiſſimi Regis.

Theodericus Cancellarius, vice Bardonis Archi-Capellani recognovi.

Datum Menſe Junii, in die VIII. Anno Dominicæ Incarnationis M. XL. Anno autem Domini HENRICI tertii Regis, Ordinationis vero XIV. Regni II. 1040.

Actum in Villa quæ dicitur Bethlehem feliciter. Amen.

Abbatum Porcetenſium (qui olim erant Ordinis S. Benedicti) ſeriem exhibet nova Gallia Chriſtiana Tomo III. pag. 1028. Omittuntur tamen tres ſequentes.

BENEDICTUS, Abbas anno 1040. hoc Diplomate memoratus.

ONULPHUS, Abbas anno 1151. in Diplomate Abbatiæ Rodenſis citatur.

FOLCARDUS, Abbas anno 1133. ex alio Diplomate hujus Abbatiæ.

CAPUT VI.

HENRICUS III. *Imperator, Groningam in Comitatu Trentiæ (dein Urbem Epiſcopalem, modo ſub poteſtate Ordinum Fœderatorum) donat anno* 1040. *Bernoldo Ultrajectenſi Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus divinâ favente clementia Rex. Cuncta quæ aut poſſidemus, aut poſſidere videmur, ab ipſo accepimus, qui nos & potenter ex nihilo fecit, & miſericorditer uſque ad hoc, quod nunc ſumus, perduxit; ipſe dator, ipſe nutritor, ipſe noſter eſt protector. Ex acceptis autem aut condemnabimur, aut glorificabimur.

Nam ſi eis ſecundum ſuggeſtionem inimici ad pompam noſtram abutimur, ex eis quaſi commiſſi talenti defraudatores infeliciter condemnabimur. Si autem eis ad gloriam & laudem nominis illius, qui dedit, utimur, ex eis ut fideles diſpenſatores feliciter glorificabimur.

Nihil enim quod proſit habemus, quod ab ipſo non accepimus, qui ideo dat ut recipiat, & non ideò recepit, ut indigeat, ſed ut nos earum rerum, quas recepit, poſſeſſores æternaliter faciat. Nam quicquid ei damus non amittimus, ſed hinc nobiſcum portamus: quod autem retinemus, non nobiſcum portamus, ſed hîc amittimus.

Quapropter ne Nos videamur abuti bonis

nobis divinitùs conceſſis, omnium Chriſti noſtrique fidelium, tam præſentium quàm poſt futurorum univerſitati notum fieri volumus, qualiter nos ſanctę Trajectenſi Eccleſiæ in honore ſancti Martini conſtructæ pro Deo animęque Patris noſtri, piæ memoriæ, Conradi Imp. remedio, (cujus ventris interiora in eadem ſepelivimus Eccleſiâ, cui venerabilis Bernoldus Epiſcopali dignitate dignoſcitur decenter & cum utilitate præeſſe,) nec non ob æternum noſtri nominis memoriale, tale prædium, quale viſi fuimus tenere in villâ Groningâ nuncupatâ in Comitatu Thrente ſitum, cum areis, ædificiis, mancipiis, agris, cultis & incultis, pratis, campis, paſcuis, aquis, aquarumque decurſibus, piſcationibus, viis, inviis, exitibus & reditibus, quæſitis & inquirendis, cum omni ejuſdem Comitatus diſtrictione, monetis, teloneis, cauſis agendis & diſcutiendis cum omnibus appenditiis & pertinentiis, quæ ad præſens retinere videtur, aut quicquid in poſterum ibi Deo adjuvante acquiri potuerit, liberâ manu donando concedimus, & concedendo ſtabilimus; eo videlicet tenore, ut ſupradictum prædium perpetualiter reſpondeat ſervitio & utilitati Fratrum ibi Deo inceſſabiliter ſervientium, ſc. ut ex ejuſdem Prædii utilitate quotannis habeant XXX. caridas vini, & quicquid remanſerit, in uſus ipſorum à Præpoſito fideliter expendatur.

Verùm volumus, atque immutabiliter ſtatuimus, ut ex ejuſdem proficuis nemo aliquid auferre præſumat, aut in aliquam partem diſtribuere audeat, donec illud ſpeciale tributum de carradis vini Fratribus perſolvatur.

Et ne aliqua Imperialis vel Regalis, aut Epiſcopalis perſona, vel aliquis publicus exactor hujus Donationis noſtræ authoritatem præſumat infringere, præſentem Paginam exinde conſcribi, manuque propriâ ut ſubtus videtur, corroborantes aureâ noſtræ imaginis Bullâ juſſimus inſigniri.

Signum Domini Henrici tertii, Regis invictiſſimi.

Theodoricus Cancellarius, vice Bardonis Archi-Capellani recognovi.

Datum XII. Kal. Junii Indictione VIII. anno Dominicæ Incarnationis M. XL. anno autem Domini Henrici Regis tertii Ordinationis XIII. Regni I.

Actum Trajecti feliciter. Amen.

CAPUT VII.

HENRICUS III. *Imperator donat Bernoldo Ultrajectenſi Epiſcopo proprietatem Urbis Daventriæ (quæ eſt Epiſcopalis in Tranſiſalania) ſimulque Comitatum Amelandiæ, qui eſt in Friſia, anno* 1046.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus divinâ faventeclementiâ Rex.

Noverit omnium Chriſti noſtrorumque fidelium ſolers induſtria, tam præſentium, quàm & futurorum, qualiter Nos ob Dei omnipotentis amorem, noſtrique Patris dilectiſſimi, Conrardi videlicet Imperatoris Auguſti, nec non interventu ac petitione noſtræ dilectæ conthoralis Reginæ Agnetis, jugeque Bernoldi Trajectenſis Eccleſiæ, in honorem ſancti Martini conſtructę, venerabilis Epiſcopi ſervitium fideliter nobis perſæpe adhibitum, talem proprietatem eidem Eccleſię, qualem viſi ſumus manu ſub poteſtate tenere in loco Daventre dicto, in monetâ, teloneis, placitis, cum omni Regali diſtrictu, omnique utilitatis commoditate, quæ ullo modo inde poterit provenire, & cum Comitatu in Amelande ſito, termino ejuſdem Comitatus hic ſubter denotando: De Rathnon ad Hunne, de Hunne ad Weggeſtapelen, & inde ad Weſterfle, de Weſterfle ad Agaſtaldaburg, de Agaſtaldaburg ad Stevere per ſylvam, & in alia parte Iſlæ, de Lovenen uſque ad Erbeke, de Erbeke ad Suythempe, & item ex aliâ parte Iſlæ ad Aſcete, in proprium tradidimus & ſtabilivimus. Eo ſcilicet tenore, ut nullus Judex aut exactor, major aut minor perſona ullam poteſtatem habeat inde aliquid exigendi abſque licentiâ Epiſcopi; ſed ut prædictus Præſul ejuſque Succeſſores de his ſupradictis Regiis donis, liberam dehinc poteſtatem habeant obtinendi, commutandi, precariandi, vel quicquid ſibi placuerit ad uſum prenominatæ Eccleſiæ inde faciendi.

Et ut hæc Regiæ noſtræ Donationis authoritas ſtabilis & inconvulſa per ſuccedentium temporum monumenta maneat, hanc Paginam inde conſcriptam manu propriâ corroborantes, ut infra poterit videri, Sigilli noſtri juſſimus impreſſione ſignari.

Signum Domini Henrici tertii, Regis invictiſſimi.

Theodoricus, Cancellarius vice Bardonis Archicapellani recognovi.

Data x. Kalendas Septemb. anno Dominicæ Incarnationis, M. XLVI. Indictione XIV. anno autem Domini Henrici tertii Ordinationis ejus XVIII Imperii VII. Actum Spiræ.

Utrum Bernoldus fuerit Auctor Capituli S. Lebuini Daventriæ, vide diſcuſſum in Hiſtoria Belgii Fœder. Tomo II. pag. 27. Apparet tamen ex hoc Diplomate.

AMELANDIA, Inſula Friſiæ, Diœceſis Leovardienſis, verſus Hollandiam borealem, Dynaſtas aliquando habuit de Gente Camminga.

CAPUT VIII.

BALDUINUS, *cognomento Inſulanus, ſive Pius, Comes Flandriæ, Abbatiam Marchianenſem, Monachorum Benedictinorum in Gallo-Flandria, à progenitoribus fundatam, ſua protectione ac poſſeſſionum enumeratione communit, anno* 1046.

Ex Codice MS. Abbatiæ Marchianenſis.

IN nomine Sanctæ Trinitatis. Ego BALDUINUS, Balduini Barbati & Oginæ Comitiſſæ filius, per bonam erga me Dei voluntatem Comes Flandriarum, reputans mecum, quia cum nobis à Deo augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum, optimum duxi michi præ omnibus fore, ad impetrandam miſericordiam Domini, ejus Eccleſias noſtra ſollicitudine honorare, & ab omni oppreſſione & injuſtitia earum exteriora bona defendendo integra conſervare. Sic enim paci & quieti Servorum Dei, qui in eis Chriſto militant conſulitur, & Sanctorum patrocinia, quibus ipſi deſerviunt, ſine dubio acquiruntur.

Noverint ergo tam futuri quam præſentes, quod ſicut prædeceſſores Principes, * Vide Mirei Diplom. Tomo I. pag. 131 & 143. KAROLUS * videlicet Magnus Imperator & LOTHARIUS Rex poſſeſſiones Marchianenſis Eccleſiæ, quas ei Beata RICTRUDIS, in eadem corpore quieſcens, ad ſuſtentandum Deo ibi ſervientes, dum adhuc viveret, munificâ largitate contulit, ſuis confirmatas Privilegiis reliquerunt; ita michi, & uxori meæ ADELÆ Comitiſſæ, ad humilem Viri Venerabilis ALBRICI Marchianenſis Abbatis & Monachorum petitionem, ſub teſtimonio Baronum noſtrorum, & Sigilli noſtri impreſſione, ſupradicti Monaſterii poſſeſſiones præſente Paginâ placuit confirmare.

Villa igitur Marchianenſis, in qua ipſa Sancta (ut dictum eſt, Corpore quieſcit, cum aliis Sanctorum corporibus) cum locis hinc inde adjacentibus, nemoroſis ſcilicet, aquoſis & paluſtribus, uſque ad terram vicinarum Eccleſiarum, ſive Hominum Comitis Flandriarum, & reliquæ omnes Villæ ad ſupradictam Eccleſiam pertinentes: Villa ſcilicet de Beurin, de Goy, de Sailly, de Bairy, de Hamas, de Maſengarba, de Lorgiis, de Funcinio, & Decima de Finenga, ita ſunt de Dominicatu ipſius Sanctæ, ut nullus hominum ibi aliquod jus habeat, exceptis Hoſpitibus Sanctæ, qui propter hoc ſerviunt Eccleſiæ, & redditus ſuos ſolvunt.

Sciendum quoque eſt, quod in ſilvis Eccleſiæ nemo habet poteſtatem, contra voluntatem Abbatis vel Monachorum, quamlibet arborem parvam vel magnam *Pevelt.* ſuccidere. In ſilva autem *Pabulenſi* & loco qui denominabitur, Hoſpites Eccleſiæ ligna accipient, ad focum faciendum vel domos reparandas, aut etiam ad ſuorum clauſuram ortorum; quamdiu hoc eis Eccleſia conceſſerit.

Eandem vero ſilvam, abſque ullius contradictione, cum ceteris omnibus ſilvis, habet poteſtatem Eccleſia, quandocumque voluerit, ſuccidere, vendere, ſeu ad culturam ſegetum redigere, aut nutrire, ſub quorumcumque voluerit foreſtariorum cuſtodia.

Silva autem, quæ *Fagus* dicitur, cum *Faignt.* appendiciis ſuis, hoc eſt, *Mobies* & *Planches*, & ſilva de *Bileham* & de *Pratea*, & de *Sechemes*, & de *Erleverchies*, & de *Giſtanfait* & de *Buſcles*, ita ſunt proprie & in ducatu Marchianenſi, ut in eis præter Eccleſiam nullus omnino jus habeat aliquod vel parvum vel magnum.

Sciendum, quod Piſcatio fluminis *Scarpis*, à Waſconis Curia ad brachiorum locum, propria ſit ejuſdem Eccleſiæ, cujuſcumque ſit litus, ex utraque parte: excepto quod Domino Warlemii in angulo ſuo licet habere tres tantummodo lacunas palis & viminibus expoſitas: & Dominus Villæ Vereti, à *Raſcia-Pomerles* uſque *Rachi.* ad *Raſciam-Rullagii* poteſt piſcando tranſire.

Sciendum quoque, quod nullus de Villicis poteſt abſente Monacho vel Abbate placitare. Abbas vel Monachus poſſint ſine eis. Non tamen amittent jus ſuum, ſi ac-

Le Mayeur. ciderit. Poſt-quam Major alicui ruſticorum diem vel horam conſtituerit placitandi, non poteſt concordiam accipere, niſi poſt Abbatem aut ejus Præpoſitum Monachum. Vadum etiam ſi pro qualibet forisfactione acceperit ab aliquo, non alibi quam infra dominicam Curtem commendabit.

Omnes Curtes dominicæ ab omni poteſtate & dominatione Advocati & Villici immunes erunt & liberæ, tam ipſæ quam fruentes earum; & de omni indominicatu intus vel foris diſponendo ſe non intromittet aliquis Villicus, niſi juſſus ab Abbate vel Præpoſito Monacho. Licentiam maritandi nemo à Villicis unquam accipiet.

Cenſum de Familia Sanctæ Rictrudis vel ſanctæ Euſebiæ nullus colliget, niſi quem Abbas ad hoc elegerit vel ordinaverit.

Denique ſciendum eſt, quod non licet Hoſpitibus S. Rictrudis vel Villicis ſibi invicem terras ſuas dare, vendere, vel emere, vel in vadimonium accipere, niſi concedente Eccleſia.

Ut igitur hæc perpetuam obtineant firmitatem, ſicut prædictum eſt, ſub teſtimonio Baronum noſtrorum & perſonarum quæ interfuerunt, Sigilli noſtri impreſſione præſentem Paginam confirmamus.

Signum Balduini Marchionis, qui hoc fieri juſſit.

✠ Adelæ Comitiſſæ.

✠ Roberti & Balduyni filiorum eorumdem.

✠ Gerardi Epiſcopi Cameracenſis.
✠ Drogonis Epiſcopi Teruanenſis.
✠ Lietduini Abbatis S. Vedaſti.
✠ Rumoldi Abbatis S. Winnoci.
✠ Maillardi Abbatis S. Amandi.
✠ Euſtachii Comitis Boloniæ
✠ Rogerii Comitis.
✠ Johannis Advocati.
✠ Roberti Advocati.
✠ Rodulphi Tornacenſis.
✠ Rodulphi Gandenſis.
✠ Hugonis Havet.

Actum anno Domini milleſimo XLIV. Indictione XIV. concurrentibus II. Epactis XI. apud Atrebatum, regnante Henrico Francorum Rege.

CAPUT IX.

HENRICUS III. *Imperator confirmat Abbatiæ de* Brauweiller *juxta Coloniam, pro Monachis Benedictinis in honorem S. Nicolai ab Otthone & Henrico Comitibus Palatinis fundatæ, bona plurima in Tractu Moſellano, eidem donata per* B. RICHEZAM *Poloniæ Reginam, anno* 1051.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis; HENRICUS divina favente clementiâ Romanorum Imperator Auguſtus. Si locis Deo dicatis, quibus beneficia non conferimus, ſaltem ab aliis fidelibus Chriſti tradita confirmaverimus, divinitus nos procul dubio remunerari confidimus.

Quapropter fidelium noſtrorum, tam præſentium ſcilicet, quam futurorum magnitudo comperiat, qualiter quædam Domina Venerabilis, RICHEZA nomine, Regina quondam Poloniæ, prædium ſuum Clotteno dictum, cum aliis locis ſubternotatis, id eſt *Cochenheimb*, *Ebre*, *Brembe*, *Aſche*, *Matzbrech*, *Wervus*, *Canelach*, *Wibre*, *Pulego*, *Cochemo*, *Condedo*, *Merle*, & *Ryle*, *Enchriche*, *Lutzenrad*, *Dreiſe* & *Ottingen*, cum mancis & mancipiis, & omni integritate ipſius, in villis, in areis, in manſionibus, in vicis & arpennis, in ſilvis & in agris, in pratis & aquis, aquarumque decurſibus & in paſcuis, viis & inviis, terris cultis & incultis, exitibus & reditibus, quæſitis & inquirendis, & cum omnibus appenditiis ſuis, abſque ulla ſui diminutione, pro remedio animæ ſuæ, ſuique fratris bonæ memoriæ Ottonis Ducis, aliorumque parentum ſuorum in Monaſterio Brawilerenſi ſepultorum, liberè & integré Deo ſanctoque Nicolao ad prædictum Monaſterium, per manum Henrici Palatini Comitis, patrui ſui, ſub cujus tunc mandiburnio manebat, contradidit.

Terminum etiam & bannum ejuſdem prædii, ſicut ipſa prius habuit, à fluvio Andrida uſque ad fluvium Elza, ita conſtituit, ut nullus ibi aliquam poteſtatem habeat, niſi Abbas ejuſdem loci, & villicus ejus, quem conſtituit.

Quaſdam etiam arpennas, id eſt vineas quibuſdam ſervientibus ſuis beneficiavit, id eſt Roperto Præpoſito duas, Weringero de Salefeld duas, Sigebodoni de Odendorff duas, Sigefrido Pincernæ tres, Epponi de Altendorff duas, & cameram juxta dominicam curtem, Adelberto fratri Winboldi duas, Embrichoni de Geldesdorff duas, Aufrido Clerico ſuo XIV. manſos, cum mancipiis ſuis ad Lutzenrode, & unum

quod

quod dicitur Scozwein in Clotteno, Erneſtoni fratri ſuo duos manſos cum mancipiis in Dreiſe, Wolferum etiam tradidit illuc cum ſua poſſeſſione.

Eâ videlicet conditione, ut quamdiu vivant, Eccleſiæ bona ſive beneficia habeant, poſt mortem verò illorum nullus hæredum ſuorum quicquam de his ſibi quaſi jure hæreditario vindicet aut poſſideat, ſed in jus & dominium S. Nicolai & Abbatis ipſius ac Fratrum ſibi ſervientium redeant, ut quod Abbas utilius ſibi ac fratribus inde judicaverit, faciat ac diſponat.

Homines etiam quos dedit S. Nicolao, ita tradidit, ut nullus extraneas niſi fortè liberas, vel ex parte S. Petri Coloniæ ducat uxores. Si autem alienas acceperit uxores, omnis hæreditas eorum, & univerſa quæ poſſident, ad S. Nicolai cedant Monaſterium, & nullus hæredum ſuorum in his quicquam habeat.

Si verò ex poteſtate S. Petri Coloniæ uxores duxerint, filii eorum iterum accipiant uxores ex poteſtate S. Nicolai; quod ſi non fecerint, omnis hæreditas eorum, & omnia quæ poſſident, ad S. Nicolai & Abbatis redeant dominium.

Eâdem verò rogante Abbas Tegeno prædicti Monaſterii idem ei prædium promiſit; cui beneficium poſtquam ipſe illud in ſuum redegerat dominium, cui ſtatim curtem Caneda & familiam quinque libras ibi ſolventem, quod fuit Ellonis beneficium ad Gewerre, tradidit; & VI. arpennas Clotteno, quæ fuerant Sicconis Comitis beneficium, & duas manſiunculas, quas Wecelinus habuit, & in quibus habitavit.

Tradidit etiam caſtrum ſuum Chuchomo Henrico Palatino Comiti filio patrui ſui, eâ ſcilicet conditione, ut quamdiu viveret, ſuper ipſum Clotteno defenſor & Advocatus exiſteret, poſt obitum verò ſuum, ſi ipſe hæredibus careret, proximus hæres Dominæ Richezæ Reginæ, Advocatiam ſuper eadem bona haberet. Si verò & ipſi hæredes defuerint, Colonienſis Archiepiſcopus eandem Advocatiam tribuat, cuicunque Abbas & Fratres petierint.

Sicconi verò Comiti, qui eandem Advocatiam à Palatino Comite prædictâ Reginâ Richezâ petente ſuſcepit, tale ſervitium tribus tantum temporibus anni, ſibique ſuccedentibus Advocatis conſtituit, ſcilicet ut ad unumquodque Placitum detur Advocato modius unus tritici, & unus ſiliginis, & ſolidi quinque levis monetæ, pro carne autem porci vel ovis quinque ſolidi levis monetæ valentes, & tantum vini detur, quantum ad iſtud ſervitium conveniat, modii quinque avenæ, id eſt, ad duo Placita modii decem avenæ.

In natali verò S. Joannis Baptiſtæ, in prato quod vocatur Humut, pabulum ei detur in gramine, addito uno modio avenæ.

At ſi villicus vel de edificiis, vel de agricultură Placitum ibidem habuerit; nullam inde partem vel juſtitiam quærat Advocatus, ſimiliter & de Placito quod vocatur Budinck.

Hanc autem Traditionem, cum monetâ & mercatu, per manum Henrici Palatini Comitis, ſub cujus tunc mundiburnio manebat, in præſentia noſtra & Domini Hermanni ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ venerabilis ac pii Archiepiſcopi multorumque Principum Regni, fecit.

Quam Abbas Tegeno ejuſdem Monaſterii & Sicco præfatus Comes & Advocatus ibidem ſuſceperunt, noſtram Imperialem flagitantes clementiam, ut eadem bona Deo ſanctoque Nicolao confirmaremus; & ut navibus & bonis, Abbatis & Fratrum, & familiæ de Clotteno & Meſenich, per alveum Rheni ſive Moſellæ, quotieſcunque neceſſitas popoſcerit, liberum aſcenſum & deſcenſum ſine aliqua exactione thelonii traderemus.

Quorum petitioni annuentes, Chartam hanc inde conſcribi, manuque propria ut ſubtus videtur corroborantes, Sigilli noſtri impreſſione juſſimus communiri. Quam ſi quis infringere tentaverit, ad primum iram Dei, ſanctique Petri, ſimulque omnium Sanctorum incurrat.

✠ Signum Domini Henrici Tertii Regis Invictiſſimi, Secundi Romanorum Imperatoris Auguſti.

Winthericus Cancellarius, vice Bardonis Archicancellarii recognovit.

Datum X. Kalendas Auguſti, Indictione IV. Anno Dominicæ Incarnationis M. L. I. anno autem Henrici Tertii Regis, Secundi Imperii, Ordinationis ejus XXIV. Regni verò XIII. Imperii V.

Actum Comphyngen feliciter. Amen.

Cujus rei Teſtes ſunt.

Hermannus Colonienſis Archiepiſcopus.

Henricus Comes Palatinus.

Sicco Comes.

Starchri Comes.

Gerardus, Berenguerus, Gozwinus, Rutgerus, Embrico, Eppo, Winboldus, Auffridus.

CAPUT X.

B. Richeza, *Poloniæ Regina, auget dotem Abbatiæ de* Brauweiller, *Benedictinorum juxta Coloniam, ibique ſepulturam eligit, anno* 1051.

Ex Vita S. Richezæ per Gelenium.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Sicut religioſa ac pia ſemper parentum ſollicitudo quodam affectu dilectis filiis non ſolum in temporalibus ad præſens, ſed etiam de manſuris providere debet in futurum; ſic devota filiorum ſucceſſio rationabilia parentum Deoque placita inſtituta non tantum debet inconvulſa cuſtodire, verum ad inſtar ſervorum fidelium, ſibi creditum à Domino talentum germinando per opera miſericordia & ſemper ad meliora proficiendo æternæ retributionis premium fiducialiter exſpectare.

Inde eſt, quod Ego Richeza Poloniæ quondam Regina, poſt deceſſum Patris mei Domini Erenfridi Illuſtriſſimi Comitis Palatini & Matris meæ Deo devotiſſimæ Mathildis, Brauwilerenſi Cœnobio ab ipſis primum fundato paternę devotionis intuitu debitam cupiens exhibere reverentiam, poſſeſſiones ad ipſum prædium Brauwiler pertinentes, cum villis, agris, manſis, mancipiis, ſylvis, pratis, paſcuis, molis, molendinis, aquis, aquarumque decurſibus, quæſitis & acquirendis, in ipſo termino conſtitutis; Kloteno etiam ſuper Moſellam cum ſuis appenditiis *Meſenech* & *Rile* cum omnium integritate;

Sicut Pater meus ea jure proprietatis legitimè & pacificè poſſederat, & jam dudum vivus & incolumis pro remedio animę ſuæ, & Matris meæ defunctæ, præfato Monaſterio cum filiorum conſenſu libere tradiderat: quemadmodum in Privilegio Domini Piligrimi venerabilis Colonienſis Archiepiſcopi continetur.

Hæc inquam, Deo ſanctoque Nicolao conſignata ſecundum Patris mei Conſtitutionem, non ſolum rata & inconvulſa cuſtodire curavi, verum etiam de meo Patrimonio adhuc mihi ſuperſtite, Chriſtum faciens hæredem, ob ſempiternam parentum & fratrum meorum in gremio ejuſdem Eccleſiæ ſepultorum meique memoriam D. Nicolao præfati Cœnobii Patrono arpennas XXI. in Cloteno perpetuâ traditione adjeci, mihique in eodem loco poſt deceſſum meum locum requietionis & ſepulturæ deſtinando providi.

Si quis autem hanc meæ Conſtitutionis Paginam infringere, vel auſu temerario violare præſumpſerit, iram Dei omnipotentis & Beati Petri Principis Apoſtolorum, Sancti Nicolai & omnium Sanctorum incurrat, & niſi maturè reſipiſcat, authoritate Patris & Filii & Spiritus Sancti perpetuo anathemati ſubjaceat.

Verum ne quis huic liberæ meæ Traditioni in ſua ſimplici veritate derogare poſſit in futurum, contra perfidorum machinationes præſens Scriptum Sigilli mei impreſſione munire, ac roborare curavimus, teſtibus idoneis, qui hæc viderunt, & audierunt, ſubternotatis.

Nomina teſtium.

Henricus Comes Palatinus.
Ruotgerus Advocatus.
Gerhardus Comes.
Goſwinus, Storckero.
Sicco Comes.
Ruotbertus Capellanus.
Embrico, Eppo, Winboldus, Ansfridus, Henno.

Data VII. Idus Septembris, Anno ab Incarnatione Domini milleſimo LI. Indictione IV. Regnante Henrico Tertio Romanorum Imperatore Auguſto.

CAPUT XI.

B. Richeza, *Regina Poloniæ, donat anno* 1054. *manſos quoſdam atque mancipia Abbatiæ de* Brauweiller, *Ordinis S. Benedicti juxta Coloniam, à parentibus ac conſanguineis ſuis fundatæ.*

Ex Libro, ut ſupra.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Notum eſſe volo tam præſentibus quam futuris, quod ego Richeza Regina, poſtquam frater meus beatæ memoriæ Otto Dux medietatem Brawilerenſis prædii, quæ annuente fratre noſtro Hermanno Archiepiſcopo, jam in uſus noſtros tranſierat, pro anima ſua, & pro parentum ſuorum ibidem pauſantium æterna memoria Deo ſanctoque Nicolao recon-

ſignavit, pro illo paulò poſt defuncto, aliqua etiam de meo Chartulæ huic indita, Monaſterio illi ſtatui addere, velle habens bonum adhuc ampliora, ſi vita comes fuerit, conferre, quod illic locum ſepulturæ meæ juxta matrem meam elegi, Deo volente.

Auffridum videlicet Clericum meum cum XIV. manſis ad *Lutzenrode*, & mancipiis ſuis & cum IV. carradis Schotzwins à Clotteno. Et inſuper fratrem ejus *Arnoldi*, cum beneficio, quod habet *Dreiſe*, id eſt II. manſos, cum manſis & mancipiis ſuis. Ruotpertum Capellanum meum, & Embrichonem miniſtrum meum, cum beneficiis ſuis, quæ poſt mortem eorum deputavi Eccleſiæ.

Amborum verò aſſiduâ petitione devicta, voluntati eorum aſſenſum præbui, ab hac eos donatione abſolvi, ac pro eorum commutatione alios ſubternotatos cum beneficiis ſuis ibidem conſignavi.

Wolphardum ſcilicet & cum ſuo & eo quod dedit Adelgerus filiæ ſuæ, uxori ejus plus II. manſis; Huczonem fratrem ejus cum dimidia, Uniconem ad *Geldeſtorff*, cum II. manſis, & terra de *Seelanden*, & molendino, Wendecham ad *Aldendorff*, cum manſo, Wipertum cum dimidia, Ezzelinum de Wrmerſtorff cum III. Ezzelinum ad Mechletenheim cum dimidia. Ruotpertum & Azewis ad IV. denariatas ceræ, Milonem Clericum cum III. parte Eccleſiæ, Ruboldum Rode, Vulfere cum poſſeſſione ſuâ.

Ea autem ratione dedi eos, ut ipſi & omnis ſucceſſio eorum, ſolvant ſingulis annis duas denariatas ceræ ad Eccleſiam ipſam.

Beneficia verò quæ habent, ut poſt mortem eorum non ad filios, aut filias, ſed in cenſus redacta, ſtatim in uſus Deo illic ſervientium tranſeant, hoc modo ut per ſingulos annos in anniverſariis noſtris de Fratrum plenâ refectione noſtra augmentetur memoria, & ut per circulum anni ſaltem ſolemnibus diebus ex ipſo eorum exhibeatur cœna.

Qui ergo ex his aliquid commutaverit vel in uſus alios quam ſtatui tranſtulerit ex eleëmoſyna mea, peccatum grande ſe contraxiſſe noverit; quæ cauſa cum ad defenſores Eccleſiæ pervenerit, fortè Deo volente irrita erit, & ipſe perpetuæ maledictioni ſubjacebit.

Subnecto quoque, quoniam jam dictus miniſter meus Embricho, poſt aliquot annos pœnitentia ductus, poſſeſſionis ſuæ quæ *Geldeſdorff* dicitur, quam ipſe & uxor ejus Doveranna, me donante propriam habebant, poſt mortem eorum S. Nicolaum hæredem inſtituerunt, & à Tegenone Abbate aliam ad *Budelichhove*, utramque jure precario habendam quam diu vixerint ſuſceperunt, & manſum unum ad *Gelpenhove*, ſolventem quinque ſolidos, & duos caſtratos gallos, & modium tritici, in anniverſariis ſuis ſingulis annis, ad refectionem Fratrum addiderunt.

Poſſeſſiunculam etiam, *Ottinge* dictam, quæ data eſt pro anima Henrici Comitis filii fratris mei Ludolphi ſubjungo, monens ut ex ea fiat memoria charitatis & eleëmoſyna in ejus anniverſario.

Manſum quoque unum & X. jugera ad *Miſteleberge*, quæ Ruotgerus Advocatus miniſter patris mei, pro anima ſua dedit, & XV. jugera cum manſiuncula XXIV. denariorum ad *Haperſcozze*, quæ uxor ejus Wazela addidit, partemque terræ ad *Bacherendorp* quam Chuno de *Dweſzkirche* communem S. Nicolao & S. Heriberto obtulit, pro anima ſua, cujus medietatem Eppo de *Aldendorp* ab Abbate Ellone præſtari impetravit ſibi, quam diu viveret habendam, nulli autem hæredum ſuorum, poſt mortem ſuam relinquendam, Litterulis his adjicio, ut eorum omni tempore non negligatur commemoratio ſui.

Quæ ne poſteros lateant, hanc Cartulam Sigillo noſtro inſignitam fieri juſſi, & teſtibus ſubſcriptis corroboratam fore cenſui,

Henrico Comite Palatino.
Ruotgero Advocato.
Gerardo Comite.
Guoſwino, *Storckero.*
Siccone Comite.
Ruodperto Capellano.
Emricone, Eppone, &c.

Datum VII. Idus Septembris, anno ab Incarnatione Domini M. LIV. Indictione VII. Regnante Henrico III. Romanorum Imperat. Auguſto.

CAPUT XII.

GODEFRIDUS *Lotharingiæ Dux, fundat Prioratum de* Langliers, *quem donat Abbatiæ de* Florinis, *Monachorum Benedictinorum in Diœceſi Leodienſi, anno* 1055. *probante* HENRICO *Imperatore.*

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. HENRICUS divinâ favente gratiâ Romanorum Imperator Auguſtus. Nobis profuturum, & ad vitam præſentem tranſigendam, & ad futuram feliciter obtinendam credimus & ſcimus, ſi in Eccleſiaſticis rebus promovendis & tuendis, juſtis petitionibus Religioſorum pium

præbeamus aſſenſum. Quapropter innoteſcimus omnibus Chriſti fidelibus ac noſtris, qualiter Eccleſia de Langliers devenerit in poſſeſſionem ſancti Joannis Baptiſtæ de Florinis.

Godefridus Dux, Jothilonis æquè Ducis filius, à Religioſis viris, & potiſſimùm à Dietwino Leodienſi Epiſcopo ſæpe fuerat ammonitus, quatenus de ſuis abundantiis ſuppleret indigentiam Deo ſervientium in Monaſterio Florinenſi. Quorum ſaluberrimis conſiliis informatus, præfato Pontifici apud villam Naſſoniam occurrit, ibique multis nobilibus viris aſtantibus, ſancto Joanni Baptiſtæ de Florinis tradidit Eccleſiam de Langliers, cum omnibus appenditiis ſuis, & ſicut eam poſſederat, in donatione & fructuum perceptione & Patronatûs donatione, ita cum omnimoda ſui libertate & integritate, à ſe & ſuis hęredibus removendo, & antiquo juri ſuo penitùs renunciando;

Herbrando de Bullonio, & Arnulpho de Ware, miſit in fidei-manus ad uſus Monaſterii S. Joannis Baptiſtæ de Florinis, annuentibus, & contradendo manûs appoſitione hanc donationem confirmantibus Beatrice uxore ſua (cujus erat allodium à patribus ipſa Eccleſia) filioque ſuo æque Godefrido cum ſponſa Mathilde, prædictæ Beatricis filia.

Et ut firmior permaneret traditio, infrà quadraginta dies redditâ tranſactione ſupra Altare ſancti Joannis Baptiſtæ in Florinis, præfatus Epiſcopus cum ſuo Abbate Gonthone, & Dux cum filio ac fide-juſſoribus, in præſentia Imperii noſtri, in audientia & vocatione teſtimonii optimatum totius Curiæ, traditionem jam factam iterantes, in manus viri nobilis Iſaac de Gomencheres, ad uſus Eccleſiæ ſancti Joannis de Florinis denuò reportarunt.

Et quoniam ipſa Eccleſia de Langliers ſpectat ad Metropolim Treverenſem, tam conſonam traditionem Pręceptoriâ Chartâ Imperatoriæ Majeſtatis roborari petierunt & obtinuerunt.

Hujus itaque Præcepti authoritatem, ut in nomine ipſius qui nobis pręcipiendi conceſſit poteſtatem, pleniorem obtineat vigorem, & à fidelibus Dei ac noſtris diligentiùs obſervetur, & manu propria firmavimus, & Sigilli noſtri impreſſione roborari juſſimus.

Signum Henrici Romanorum Imperatoris Auguſti, feliciter. Amen.

Teſtes Diethwinus Epiſcopus.
Dux Fridericus.
Comes Goſelo.
Filii ejus Cuono & Rodulphus.
Euſtachius de Bolonia.
Fulco Comes de Arlon.
Godefridus de Bullonio.
Engebrans de Moſſonio.
Yſambardus de Virduno.
Adelardus & Thieſelinus de Urciſo-monte. (*Orciment.*)
Walterus de Wadiſo-monte. (*Vaudemont.*)
Seifridus nepos ipſius Ducis Godefridi.
Thiebaldus de Tilacio.
Stephanus de Prondeſino.
Hugo de Hollongia.
Giſlebertus & frater ejus.
Godeſcalcus de Cennaco.

Datum Trajecti, anno Verbi Incarnati M. LV. Indictione octavâ, concurr. VI. Epactâ XX. anno Domini Henrici Imperatoris octavo.

CAPUT XIII.

Henricus IV. *Imperator Privilegia Poſſeſſioneſque Abbatiæ de* Porceto *juxta Aquiſgranum confirmat anno* 1068. *in favorem Abbatis ac Monachorum Benedictinorum inibi tunc exiſtentium, quorum locum poſtmodum occuparunt Moniales Ciſtercienſes.*

Ex Codice MS.

IN nomine Sanctæ & Individuę Trinitatis. Henricus divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator Auguſtus.

Diſciplina Cœnobitarum à tempore prædicationis Apoſtolicæ ſumpſit exordium. De qua ita ſcribitur in Actibus Apoſtolorum: *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una*. Hanc vero ad apicem diligentes, terreſtria hys largimur, ut & cœleſtia nobiſcum partiantur.

Quapropter noverit omnium Chriſti fidelium, noſtrorumque tam præſentium quam futurorum induſtria, quod & Nos pro remedio animæ noſtræ, Senioriſque noſtri atque nepotis, Ottonis videlicet Tertii, Imperatoris Auguſti, qui ipſum locum à fundamento ad Dei ſervitium ordinare cœpit, omniumque parentum noſtrorum, Fratribus in Monaſterio Porcheto ſub Regula S. Benedicti viventibus, Novalia his nominibus circumſcripta, culta vel adhuc colenda; de cruce videli-

cet

cet uſque ad murum qui vulgo vocatur *Bruel*, & de muro per media prata ad fluvium qui dicitur *Worm*, & ſic ad alterum murum, & deinde ad prata Stæ Mariæ, & ſic in aqua quæ vocatur *Beverſa* uſque ad ejus ortum; & deinde tranſverſo uſque ad viam quæ ducit *Godinges* ad terram ſancti Landberti, & deinde iterum ad ſupradictam crucem; & quidquid in illo procinctu continetur, cum omnibus utenſilibus, terris cultis & incultis, pratis paſcuis aquis aquarumque decurſibus, molendinis, piſcationibus, ſilvis, exitibus, & redditibus, viis & inviis, quæſitis & inquirendis, ceteriſque quæ quomodocumque nominari vel dici poſſunt utilitatibus, ad idem prædium pertinentibus, per hanc noſtram Imperialem Paginam concedimus atque largimur.

Eâ videlicet ratione, ut prædicti Monaſterii Abbas ſuique ſucceſſores liberam habeant ad uſum Eccleſiæ quidquid eis placuerit, hinc faciendi poteſtatem; omnium hominum Regni noſtri contradictione remota.

Quod ut veriùs credatur, diligentiuſquè ab omnibus obſervetur, hoc Præceptum inde conſcriptum manu propriâ, confirmationis Sigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri.

✠ Signum Domini Henrici, Romanorum Invictiſſimi Imperatoris Auguſti.

Guntherius Cancellarius, vice Erconbardi Archicapellani recognovit.

Datum XII. Kal. Februarii, Indictione ſecunda, anno Dominicæ Incarnationis M. LXVIII. anno vero Domini Henrici ſecundi, Regnantis XVI. Imperii autem IV.

Actum Franconovurt feliciter. Amen.

De Abbatia Porceto ejuſque antiquis Abbatibus Benedictinis, ac recentioribus Abbatiſſis Ciſtercienſibus, vide Galliam Chriſtianam Tomo III. Pag. 1028.

CAPUT XIV.

Arnulphus *Comes Flandriæ, pro remedio animæ* Balduini *patris ſui, aliorumque parentum, confert anno* 1071. *Allodia quædam Abbatiæ* S. Huberti, *Ordinis S. Benedicti, in Arduenna.*

Ex Archivis S. Huberti.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Veritatis teſtimonio multiplicem habemus ſententiam, fidelibus defunctis orationem & eleëmoſynam ſingularem præſtare medicinam. Quod ſatis utile dolori meo inveniens conſilium, Ego Arnulphus Comes Flandenſium, poſt mortem nobiliſſimi Comitis patris mei Balduini, noverit omnis poſteritas, quod ad remedium ejus ſic operatus ſum.

Allodium quod vocatur *Summoulum*, in Pago Ardennenſi, & in Comitatu Hoienſi ſitum, cum molendino, piſcatura, ſilva, terris cultis & incultis, & cum tota familia ad ipſum pertinente;

Item aliud allodium quod vocatur *Thaviers*, in Pago Hasbaniæ ſitum, cum Eccleſia, molendino, camba, ſilva, & cum tota familia ad ipſum pertinente, cum matre mea Richilde, & cum fratre meo Balduino & ſorore mea Agnete, pro abſolutione animæ patris mei Balduini, & Comitis Herimanni, & pro remedio animarum noſtrarum, Eccleſiæ S. Petri & S. Huberti quæ eſt in Ardenna, jure habendum tradidi, conditione tali: ſi Abbas aut Epiſcopus aut quælibet perſona ipſius loci in beneficio hæc allodia voluerit dare, & Eccleſiæ aliquo malo conſilio tollere, noſtris heredibus ſit libera poteſtas ea recipere, & quaſi proprium ſibi retinere. Interfuere huic traditioni ii teſtes.

S. Godefridi Ducis parvi.
S. Arnulphi Comitis.
S. Balduini fratris ejus.
S. Johannis Atrabenſis.
S. Guiderici de Fageto.
S. Faſtradi de Tornaco.
S. Bernardi de Lens.
S. Hugonis de Seiguin.
S. Anſelmi de Hoſdene.
S. Alberti Comitis de Namurco.
S. Galteri de Cimaco.
S. Arnulphi Comitis de Chiſniaco.
S. Goſuini de Monte.
S. Gualteri de Lens.

CAPUT XV.

HENRICUS IV. *Imperator Eccleſiam Collegiatam* Sti. Servatii *Trajecti ad Moſam, ejuſque imprimis Præpoſituram, Imperiali protectione ac Libertate dignatur, anno* 1087.

Communicavit Ampliſſ. D. Pluegmackers, Decan. Traject. item ex alio MSS.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis & victorioſiſſimæ Crucis, & ſanctæ Dei Genitricis Marię. HENRICUS Dei gratiâ Romanorum Imperator Auguſtus, omnibus Sanctæ Dei Eccleſiæ filiis tam poſteris quam præſentibus, gratiam Dei perpetuamque pacem.

Quoniam Regibus & Imperatoribus à Deo in pacem Eccleſiarum conſtitutis ſollicitudo eſſe debet, ſibi commiſſis prudenter & ſtrenuè providere Eccleſiis; neceſſarium duximus, ut ſicut in ſtatu honoris ſui & integritate libertatis adhuc poſitæ ſunt conſervandæ, ita dominatione iniquâ oppreſſæ, in pauperiem redactæ, libertatis honore deſtitutæ, ſint reformandæ.

Talis ergo & tantæ ſollicitudinis ſtudio benignitas noſtra Eccleſiam B. Servatii in Traiecto reſpiciens, iniquæ & gravi ejus ſervituti condoluit, nec paſſa eſt ulterius eam debitâ libertate deſtitui. Piâ namque conthoralis noſtræ & conjugis BERTHÆ petitione, & Principum Regni noſtri judicio, iniquæ dominationis jugum, & omne jus beneficialis ſervitii prædictæ Eccleſiæ remiſimus, nullique eam ulterius ſerviturum niſi Romanis Regibus vel Imperatoribus, & reſpectum libertatis perpetuæ ad Sanctum Petrum & Romanam Sedem, quo Jura Regalia omnia reſpiciunt, amplius habituram, Imperiali authoritate & Banno confirmamus.

De Præpoſitura. Donum vero Præpoſituræ ejuſdem Eccleſiæ nulli conceſſimus recipiendum, niſi ei quem Regia & Imperatoria manus in Curia & Capella ſua Cancellarium ſuum ordinaverit.

Advocatiam quoque Altaris prædicti Sancti, omnibus, niſi ſolis Imperatoribus & Regibus, & Prælatis dono eorum Eccleſiæ præſidentibus tenendam, Imperiali auctoritate & Banno condiximus.

Hanc igitur Libertatis Confirmationem, quondam à Domino Karolo Imperatore factam, & multorum Epiſcoporum tunc præſentium anathemate firmatam, Nos quoque ob meritum Sancti & Venerabilis SERVATII, & dignitatem Cleri & familiæ, quæ fere omnis ex ingenua parentum propagine liberâ traditionis conditione ad proprietatem Eccleſiæ proceſſit, quaſi neglectam & violentiâ quadam deſtitutam, conditione prędictâ renovavimus.

Sit ergo Præpoſitura iſta cum Altaris ſui Advocatia ſoli Regali vel Imperiali libertati adſtricta, ab omni proprietate alterius Eccleſiæ aliena. Et hoc meritò, quoniam ipſa quondam viginti Epiſcoporum Sedes ſimul extitit, & Regalis & Imperialis Curia. Ducibus quoque & Comitibus & ceteris perſonis nunquam beneficium fiat; ſed perpetuo exiſtens libera, Regali tantùm vel Imperiali Aulæ deſerviat.

Hujus autem Libertatis, conſilio aut opere, violatores, ab Epiſcopis tunc præſentibus excommunicatos, reos Majeſtatis noſtræ, & Apoſtolicâ feriendos ſententiâ, Regum & Imperatorum perſequendos gladio quaſi hoſtes Imperii, pronunciavimus.

Acta ſunt hæc Aquiſgrani palacio, anno Dominicæ Incarnationis M. LXXXVII. 1087. Indictione x. regnante Henrico Imperatore, Conrardo filio ipſius Duce, anno Regni ejus XXXII. Imperii IV. Henrico Epiſcopo Leodienſi, Godeſcalco Trajectenſi Præpoſito, Dudechino Decano. Hi affuerunt Teſtes.

Sigewinus, Colonienſis Archiepiſcopus.
Limarus, Bremenſis Archiepiſcopus.
Conrardus, Trajectenſis Epiſcopus.
Erpo, Miminengardefurtenſis Epiſcopus.
Theodoricus, Werdinienſis Epiſcopus.
Burchardus, Lauſanenſis Epiſcopus
Folmarus, Mindenienſis Epiſcopus.
Henricus, Paderbrunenſis Epiſcopus.
Henricus, Leodienſis Epiſcopus. Hii prædictæ Libertatis violatores excommunicarunt. Hii quoque Regii Principes affuerunt Teſtes.

Dux Godefridus Magnus, Dux Lothariorum.
Cunrardus Marchio.
Godefridus. Adelbertus Comes.
Henricus, Fredericus, Cono, Comites.
Arnoldus, Comes.
Henricus Comes de Lacho.
Godefridus de Kerclo Comes, item G. Filius ejus, cum multis aliis.

✠ Signum Domini Henrici quarti Regis & Imperatoris.

CAPUT XVI.

ROBERTUS, *dictus Jeroſolymitanus, Comes Flandriæ, fundat ac dotat Prioratum Stæ. Chriſtinæ de Beuvriria, juxta Bethuniam in Artheſia, anno* 1100; *eumque concedit Monachis Caroffenſibus apud Pictones, à quibus dein tranſiit ad Vedaſtinos Ordinis S. Benedicti.*

Beuvriere

Charroux en Poitou.

Ex Archivis Oppidi Bethunienſis.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen. Ego ROBERTUS Dei gratia Flandrenſium Comes, tam futuris quam præſentibus notum facio, quod quidam Nobiles Viri de Comitatu noſtro Onvard, ſcilicet Calinus de Beuvraria, Walterus Li-Bornes ejuſdem Villæ, & Heliphus frater ejus, & Lambertus de Crohes, Radulphus de Marele, & alii quam-plures conſtruxerunt quamdam Eccleſiam apud Beuvrariam in honore Stæ. Chriſtinæ Virginis & Martyris, cujus corpus in territorio Bethuniæ, infra Parochiam Eke & Beuvriere inventum fuiſſe dignoſcitur.

Ut autem in præfata Eccleſia divina myſteria perpetuò celebrari poſſent, præfati *Charroux.* Nobiles Viri Corpus B. Virginis Chriſtinæ in eadem Eccleſia collocaverunt, & de Caroffenſi Monaſterio tres Monachos adduxerunt, qui ibidem Deo & Stæ. Chriſtinæ in communi deſervirent. Contulerunt etiam de ſuis terris & poſſeſſionibus præfatæ Eccleſiæ in eleëmoſynam, unde Monachi in ea habitantes vivere poſſent.

Præfati autem Nobiles Viri in præſentia noſtra venerunt, & devotiones ſuas noſtro aſſenſu confirmaverunt; & conſtituerunt, ut terras & poſſeſſiones & quæcumque beneficia eis contulerunt, liberè & quietè & cum omni juſtitia & cum omni prorſus dominio teneant & poſſideant.

Conceſſerunt etiam præfati Nobiles Viri, ut ſi quilibet de Hominibus ſuis Feudalibus, aliquid de Feudis ſuis præfatæ Eccleſiæ in eleëmoſynam dare vellent, id libere ſemper facere poſſent.

Omnes famuli & omnes hoſpites reſidentes ſanctæ Chriſtinæ & Monachorum Beuvrariæ, ubicumque maneant, ſi ſuper terra Prioris & Monacorum habitent, nuſquam in omni Comitatu noſtro, niſi in præſentia & Curia Prioris placitare cogentur; niſi forte in actis homicidii & latrocinii evidenter & patenter deprehenſi fuerint. De omni authoritate alia, re vel quacumque ex cauſa in præſentia Prioris & Hominum ipſius judicio apud Beuvrariam, vel aliàs ſuper terras Stæ. Chriſtinæ, ſi ita Priori placuerit, omnes Hoſpites ſanctæ Chriſtinæ placitabunt & judicabuntur.

Conſtituerunt etiam præfati Nobiles, ut nullus . . . . . Dominorum vel Militum quamlibet exactionem vel talliam, vel manopacionem, vel expeditionem ſuper Eccleſiam ſanctæ Chriſtinæ, vel ſuper omnia quæ Monacorum ſunt, habeat; vel quidcumque hujuſmodi, vel ſuper omnem terram, vel ſuper omnes Homines, Hoſpites, Monacos Beuvrariæ poſſit exigere vel reclamare: ſed in omnibus omnino rebus Monacis ſubjecti erunt, & de omni foriſfacto eis reſpondebunt: quia Prior & Monachi Beuvrariæ, . . . ſanguinem latronum & latrocinium, ſubmonitiones, placitationes, revelationes, emendationes, & omnia foris-facta & omnem prorſus Juſtitiam in omni terra ſua, & de omnibus Hominibus & Hoſpitibus, & de omnibus prefatis rebus quæ ad eos pertinent, & omne dominium habent & habere debent.

Habent etiam theloneum ſtataquium, foragium, cambagium in omni terra ſua & in omnibus quæ ipſorum ſunt, ubicumque homines vel hoſpites ſui maneant.

Ergo nobiles Viri, qui hanc Eccleſiam ſanctę Chriſtinę conſtruxiſſe, & ſuas ibidem eleëmoſynas contuliſſe videntur prefatæ Eccleſię, & omnium rerum ad eam pertinentium communi aſſenſu me Advocatum & defenſorem conſtituerunt, precavendo providenter, ne quilibet ſucceſſorum vel heredum ſuorum Advocationem vel Dominium ſibi nunqnam uſurpare . . . . . quia ſunt Pares Domini qui multis Dominis ſubjacere videntur.

Ego autem Robertus Comes Flandrenſis, petitione & aſſenſu Domini Fulchardi Abbatis & Monacorum Caroffenſis Eccleſiæ, & omni voluntate & conſenſu nobilium virorum, qui præfatam Eccleſiam ſanctæ Chriſtinę de ſuis eleëmoſynis conſtruxerunt, hanc Advocationem in manu mea ſuſcepi, ad hoc ut præfata Eccleſia ſanctæ Chriſtinæ & omnia quæ illius ſunt, pro Deo, & pro eleëmoſyna, & pro ſola Dei remuneratione, ab omni injuria, & moleſtia contravenientium protegere & manu tenere, tueri & defenſare debeam.

Ad hoc etiam præfatus Abbas Caroffenſis, & etiam Nobiles Viri prefatæ Eccleſię conſtructores, communi aſſenſu conſtituerunt & firmaverunt, ut nec ego vel ſucceſſores mei, Comites videlicet Flandriæ,

hanc ipſam Advocationem nunquam aliis niſi Comitibus Flandriæ unquam dare vel commendare valeant: & ſupra dicti Comites eam ſemper in manu ſua teneant, & pro ſalute animarum ſuarum ut pii & boni Advocati præfatam Eccleſiam & Monacos, & omnia quæ illorum ſunt, ſemper & ubique regant & tueantur.

Sic ut Abbas Caroffenſis & Monachi Beuvrariæ ſeu quilibet alii diſtrahere poſſeſſiones Eccleſiæ vel diminuere vel vendere ſeu commutare nunquam niſi noſtro conſenſu audeant. Irritum etiam prorſus habebitur, quidquid abſque noſtro & Morinenſis Epiſcopi conſenſu de omni poſſeſſione Beuvrarienſis Eccleſiæ diſtractum vel venditum ſive commutatum, vel aliquo ſenſu indecenter collatum fuerit.

Quia vero hæc omnia in noſtra hominumque noſtrorum præſentia facta & diſpoſita ſunt, & Nos etiam conceſſimus precipimus, & volumus, ut omnia quæ prefati Nobiles Viri jam dictæ Eccleſiæ contulerunt vel ea quæ deinceps danda ſunt, Monachi ibidem Deo & ſanctæ Chriſtinæ ſervientes in pace & quiete teneant.

Præcipimus eadem auctoritate, ut omnes baillivi & ſervientes noſtri omne force-factum & injurias Monachis vel quibuſlibet hominibus ſeu rebus eorum illatas, ad clamorem Monachorum diſtrictè vindicare vel emendare non tardent: ac ſi in nos vel in noſtra ipſa invaſio facta fuiſſet.

Ut autem hæc omnia certiſſimè ſciantur, & firmiſſimè in perpetuum obſerventur, preſentem Cartam, hæc omnia conteſtantem, Sigillo meo & teſtibus ſubſcriptis communiri precepi, anno Dominicæ Incarnationis M. C.

Teſtes: Robertus Advocatus Bethuniæ.
Joannes Atrebatenſis.
Robertus Pinſerna.
Bernardus de Ballot.
Wenemarus de Iſel, etiam Mareſchalcus.
Robertus de Hramin.
Bauduinus filius Alqueri.
Rinvaldus de le Vinereile.
Rorgo de Belgin.
Wenemarus Sterpel.
Ardo Del-manes.
Warinus Ridole.
Clardardus Morel.
Helenardus de Pernes.
Henufeudus de Alloannia, & alii multi.

CAPUT XVII.

BALDUINUS, *Hannoniæ Comes, ratam habet Donationem à Nobili Viro* Roberto de Duaco *factam Abbatiæ* Criſpinienſi *Ordinis S. Benedicti in Hannonia, anno* 1101.

Ex Archivis Criſpin.

BALDUINUS Dei gratiâ Montenſis Comes, Richildis Comitiſſæ filius: omnibus Chriſti fidelibus ſalutem.

Quia inſpirante Domino paci & tranquillitati Eccleſiarum conſulimus; proſpicere cupimus, ut collatis ſibi redditibus non ſolum in diebus noſtris, ſed etiam futuris temporibus quieto jure potiantur.

Sebourg.

Notum ergo ſit omnibus, Robertum de Duaco, ſive de Scercinio Nobilem Virum conſenſu uxoris & liberorum ſuorum omne Allodium, quod in villa de Sebourcq ſuper rivulum Hur, habuerat, ſicut ipſe omnino liberè poſſidebat, & quietè, ſive in terris cultis & incultis, ſive in ſilvis, ſive in aquis, ſive in molendinis, ſive in pratis, Eccleſiæ Criſpinienſi ſancti Landelini contuliſſe eo tempore, quo repulſis Canonicis, per ſtudium noſtrum Monaſtica religio in eandem Eccleſiam intromiſſa eſt.

Nota.

Raynerus ergo Abbas memoratæ Eccleſia, volens ſua ſibi perpetuo conſervari, ad Nos Valentianas venit, utque Donationem hanc Carta & Sigillo noſtro, & Baronum noſtrorum teſtimonio confirmaremus, obtinuit.

Signum Balduini Comitis,
S. Theodorici de Aveſnis,
S. Baldrici ſenioris de Roiſin,
S. Walcheri de Caveren,
S. Urſionis de Duaco,
S. Alardi Waſchet,
S. Willelmi de Bellem,
S. Frumaldi,
S. Willelmi,
S. Segardi de Crocs,
S. Ernulphi fratris ejus,
S. Waltheri Kiret,
S. Balduini,
S. Chriſtiani,
S. Hugonis Caſtellani.

1101

Acta ſunt hæc anno XIC. primo Dominicæ Incarnationis, Imperii Henrici Imperatoris trigeſimo quinto, Epiſcopatûs Gerardi ſecundi Cameracenſis Epiſcopi decimo quinto, Comitatûs Balduini Comitis vigeſimo, Indictione decimâ quartâ concurrente 2. Epactâ vigeſimâ octavâ.

CA-

CAPUT XVIII.

ROBERTUS & CLEMENTIA *Flandriæ Comites fundant ac dotant Abbatiam B. Mariæ* Burburgenſis, *Monialium Nobilium Ordinis S. Benedicti (hodie Diœceſis Audomarenſis) annis* 1106 1109. 1112. *Quam fundationem confirmant, filius eorum* BALDUINUS *Comes, anno* 1115. *&* JOANNES *Teruanenſis Epiſcopus circa annum* 1120.

Ex Cartulario Abbatiæ.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ratum teneat cum modernis tota fidelium per generationes futura ſucceſſio, quod Ego ROBERTUS Dei gratiâ Flandrenſium Comes, & uxor mea CLEMENTIA bercariam *Bonbem*, cum tota terra quæ ſuper-accreſci poterit, pro noſtro noſtrorumque remedio ſanctæ Mariæ in *Broburch* in perpetuum habendam, adhibito ſubſcriptorum teſtimonio, liberè donavimus,

Bernardi, Capellani, Letberti, Presbyteri, & Theoderici Notarii,
Tedbaldi de Aria,
Renigeri, Dapiferi,
Odolfi Camerarii, Rodolfi filii ejus,
Vroolfi Caſtellani de Bergis,
Lamberti Albi,
Baldewini de Greveninga,
Godeſ alci filii ejus.

Quod ut inconvulſum in ævum permaneat, Sigilli mei impreſſione corroboravi.

1106. Actum eſt Bergis, anno Domini M. C. VI. XVII. Kal. Octobris.

IN nomine Sanctæ & individuę Trinitatis. Omnibus certum conſtet fidelibus, quod Ego ROBERTUS Dei gratiâ Flandrenſis Comes, & uxor mea CLEMENTIA, terram quamdam *Petiesholte*, cum omni decimatione ad meum jus ſpectante, pro noſtra noſtrorumque ſalute ſanctæ Mariæ in *Broburch* ſubſcriptis adhibitis teſtibus, perpetuò donavimus.

Bernardo & Bertino Capellanis,
Vroolfo Caſtellano de Bergis,
Tedbaldo de Aria,
Reingero Dapifero,
Odulfo, Rodulfo filio ejus,
Goddino, Baldewino Camerario,
Alaino de Inſula,
Reingoto de Molenbeca,

Quod ut ratum permaneat, Sigillo meo corroboravi.

1109. Actum Ariæ, anno Domini M. C. IX. IV. Kal. Julii.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego ROBERTUS Comes Flandriæ, omnibus ſanctę Eccleſiæ filiis. Notum ſit generationi omni quæ ventura eſt, quod ego & uxor mea CLEMENTIA novam terram, nomine *Sandesboved*, ſuper fluvium Iſara ſitam, quæ per jactum Maris jam crevit, & quidquid ibi in poſterum accreſcet, ſanctæ Mariæ in BROBURCH in uſum Sanctimonialium ibidem Deo famulantium integrè donavimus.

Hodie *Neoportus* oppidum Flandriæ.

Quod ne quis ſanctæ Mariæ inimicus in poſterum audeat infringere aut minuere, Sigilli mei impreſſione confirmavi. 1112.

Actum Bergis Anno Domini M. C. XII. VI. Kal. Junii, ſub teſtimonio

Bernardi Capellani,
Frominoldi Notarii,
Theodorici Notarii,
Reineri de Wingni,
Balduini Camerarii,
Reingeri Dapiferi,
Thedbaldi de Aria,
Adæ de Formaſela,
Hugonis Camerarii,
Rodolfi de Bappalmis,
Roberti Gren,
Fromoldi de Wingin,
Reingoti de Molenveire,
Rodolfi de Coclare,
Froolfi Caſtellani de Bergis.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Notum ſit omnibus tam præſentibus quam futuris fidelibus, quod Ego BALDUINUS Dei gratiâ Flandrenſium Comes hereditarius, in uſum Sanctimonialium ſanctæ Dei Genitricis Mariæ in Broburg famulantium, omnem Decimationem terræ novę cultæ & incultæ, quæ inter *Drincham* & *Tidecham* & *Pandgata*, & paludem ſeptemtrionalem ſita, antiquo ex tempore arborum fruticumque denſitate inculta jacuerat, pro remedio animę meę meorumque parentum perpetuo jure donavi. Terram quoque, quam Guido de Crumbeca cum filia ſua Margaretâ Sanctimoniali dedit, eadem devotione provocatus eidem Eccleſiæ donavi. Hujus rei Teſtes aderant prę ſentes,

Balduinus, Camerarius,
Robertus, Advocatus Bethuniæ,
Froolfus, Caſtellanus de Bergis,

Thebaldus de Aria,
Bernoldus de Brucburg,
Lambertus de Drincham,
Gualterus de Cortrica,
Balduinus de Bella,
Henricus de Caſſa,
Renigerus Bernabuc,
Henricus filius Theniardi Caſtellani de Brucburg,
Jordanus de Brucburg.

1115. Quod ut ratum indivulſumque in perpetuum maneat, Sigilli mei impreſſione corroboravi.

Actum eſt autem hoc M. C. XV. Anno Dominicæ Incarnationis, Indictione octavâ, quarto Idus Aprilis.

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Ego JOHANNES Dei gratiâ Morinorum Epiſcopus, Notum facio tam futuris quam præſentibus, Venerabilem Comitiſſam CLEMENTIAM nomine, in conſtitutione Monialium de Broburg in Parochia ſancti Bertini, Nobis mediantibus ab Abbate obtinuiſſe cimiterium ſolummodo tumulandis corporibus earumdem ac ſervientium ſuorum, ſine domibus ac propriis manſionibus ibidem ſibi famulantium; qui in Nativitate Domini, in Purificatione ſanctæ Mariç, in Paſcha, in Penthecoſten, in feſto ſancti Johannis, in feſto omnium Sanctorum, in Commemoratione Fidelium defunctorum, poſtquam Parochiani Miſſam audierint, communicaverint, & debitas oblationes perſolverint, facultatem habeant ad Monaſterium illud eundi & benefaciendi, ſi voluerint.

Decernimus itaque atque ſtatuimus, ut hac conceſſione exceptâ, de omnibus quæ ad prædicti ſancti Eccleſiam pertinent, tam Decimis quam oblationibus, cæteriſque quibuſlibet adquiſitis vel adquirendis, Abbatiſſa ſeu Moniales nullâ occaſione aut ingenio . . . ., nec alia quælibet Eccleſiaſtica ſeculariſve perſona aliquando uſurpet vel alienet: quoniam acceptum coram Deo fore credimus, ut ſic nova loca roboremus, ne antiquis ſanctorum Monaſteriis detrimentum poſſeſſionum ſuarum aliquatenus inferamus.

Si quis igitur hanc noſtræ Auctoritatis Paginam ſciens, contra eam venire temptaverit, ſi non ſatisfactione congruâ emendaverit, à ſacratiſſimo Corpore ac Sanguine Domini noſtri Jeſu-Chriſti ſeſe alienari ſciat, & in tremendo examine æternæ diſtrictioni ſubjaceat.

Factum eſt hoc, præſentibus idoneis teſtibus.

S. Achardi Archidiaconi. *Deeſt annus.*
S. Berardi Prępoſiti.
S. Alboldi Præpoſiti.

CAPUT XIX.

HENRICUS V. *Imperator leges Immunitatis tam localis quam perſonalis præſcribit Eccleſiæ Collegiatæ* Sti. SERVATII *Trajecti ad Moſam, ejuſque miniſterialibus, variaque alia Privilegia largitur, anno* 1108.

Ex Archivio Moſæ-Traject.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

HENRICUS Dei gratiâ Quintus Romanorum Rex. Notum ſit univerſis Eccleſiæ Catholicæ filiis, qualiter interventu fidelis noſtri *Adelberti* Cancellarii & Præpoſiti Eccleſiæ S. Servatii in Trajecto, & communi petitione Fratrum ejuſdem Eccleſiæ aſſcriptas leges antiquiſſimo tempore eidem Eccleſiæ traditas, in medium productas recepimus; poſtmodum coram multis Principibus Regni noſtri, & legitimé renovandas, & perpetuo corroborandas, regiâ authoritate decrevimus. Sunt autem hæ.

Si quis ruſticus aliquam angariam Præpoſiti Eccleſiæ vel Fratrum, de villa proſecutus fuerit, nullum forenſe judicium ſuſtinebit: ſed etiam ſi reus fuerit, quamdiu in prædictis Eccleſiæ, Præpoſiti vel Canonicorum detinetur obſequiis, eundo & redeundo cum ſuis omnibus liber erit.

Item ſi aliquis miniſterialis Præpoſiti famulus, qui de familia Eccleſiæ prædictæ fuerit, vel beneficium Eccleſiæ de manu Præpoſiti habuerit, ſive apud villas, ſive in Trajecto manens, vel ſi alicujus Canonici ſerviens proprius, vel precio conductus, qui in cotidiana ſua familia & in convictu ſuo ſit, aliquid in civitate peccaverit, nullum forenſe judicium ſuſtinebit. Sed ſi Præpoſiti miniſterialis fuerit, in domo ſua, ſi vero alicujus Canonici ſerviens fuerit, in refectorio ſancti Servatii forenſi poteſtati, vel quicumque reus fuerit, Domini ſui conductu, cujus cliens eſt, judicio parium ſuorum clauſtralium ſervientium ſatisfaciet.

Item ſi quis de convictu alicujus Canonici vel Clerici non fuerit, ſed beneficium

ab eò habuerit, & homo ejus fuerit, & de villa, ſervitii vel viſitationis gratiâ ad eum venerit, eundo & redeundo ab omni jure civili liber erit. Et ſi proclamatio in eum exorta fuerit, Domini ſui conductu judicio parium ſuorum ſatisfaciet proclamantibus.

Villici Eccleſiæ & omnes Officiales miniſtri de villis eorum, & Officiales miniſtri, ſcilicet piſtores, coci, cellerarii, bracedarius, campanarii, & ceteri clauſtrales miniſtri, ab omni jure forenſi, & civili liberi erunt, & in ſe proclamantibus conductu Domini vel magiſtri ſui ſatisfacient.

Item cives in Trajecto, qui curtilia à Fratribus vel molendina vel alias terras infra Bannum ejuſdem loci poſſident, ſi conſtitutis terminis cenſum dare neglexerint vel præſumpſerint, vocati à Camerario in Capitulum, ubi inveſtiri ſolent, ipſi coram Fratribus de negligentia & præſumptione, judicio Pariùm ſuorum ſatisfaciant. Quod ſi ſatisfacere noluerint, terra, quam poſſident ibidem, eis abjudicetur. Si verò poſtquam abjudicata fuerit, eam per violentiam obtinere voluerint, querimonia de rebellione fiet coram Judicibus Villę, & ipſi inde eis pacem facient.

Furta & pugnæ ſi in domo alicujus Canonici contigerint, ipſe dominus domus cum ceteris Canonicis inde dijudicet. Si infra officinas interioris Clauſtri contigerint, Decanus: ſi infra Eccleſiam aut atrium, inde Præpoſitus judicium faciet.

* Id eſt Advocatus, ſeu vulgo Meyerus Civitatis Moſæ Trajectinæ.

Judex autem Villę * nihil eorum quæ infra immunitatem clauſtri vel atrii Eccleſiæ contigerunt, judicet, neque in feſto S. Servatii à mercatoribus infra immunitatem theloneum exiget, vel aliquam juſticiam faciet.

Si quis ſuburbanus Clericus domum hereditariam habuerit vel emerit, & in eadem manſerit, liberam ab omni jure civili obtineat.

Si quis Clericum vulneraverit & verberaverit, Synodali cenſurâ judicetur. Si negaverit ſummam, judicio ſe expurget.

Præterea petitione ipſius prædicti Cancellarii, & Fratrum Eccleſiæ petitione, quamdam commutationem duorum curtilium XXXIII. annis ante ſuſceptionem Regni noſtri, tempore patris noſtri Imperatoris factam, amplius ſtabiliendam fore decrevimus. Curtile quidem illud quod Regiæ poteſtati pro alio in commutationem datum eſt, ad cenſum ſolvit IV. denarios. Curtile vero illud, quod de Fiſco Regio datum eſt Fratribus in commutationem II. ſolvit denarios: & eſt ſitum ad exitum clauſtri verſus plateam quæ ducit ad flumen Jecoram: habens in ſe domum fundatam, cujus tertia pars in immunitate clauſtri conſiſtit. Curtile etiam illud, quod à Fratribus in regium Fiſcum datum eſt, in eadem etiam platea conſtat.

Et ut hæc omnia tam in Legum traditione & corroboratione, & curtilium commutatione perpetuò ſtabilia & inconvulſa permaneant, hanc Cartam inde conſcribi fecimus, & manu propriâ, ut ſubtus cernitur, corroborantes, Sigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri. Anno Dominicæ Incarnationis M.C. VIII. Indictione ſecundâ, anno autem Domini Henrici quinti Romanorum Regis, regni quarto data. 1108.

Actum feliciter in nomine Domini.

CAPUT XX.

EUSTACHIUS III. *Comes* Boloniæ, *dat Monaſterio* Sti. Vulmari in nemore *bercariam de Nivenna, ſitam in territorio de Merck prope Caletum anno* 1112; *conſentiente* BALDUINO *Comite Flandriæ, & confirmante* Joanne *Morinorum Epiſcopo anno* 1113.

Ex Autographo.

CUm litterarum ſint annotatione diligenter aſſignanda & corroboranda, ne aut alicujus improbitate inquietari, vel cupiditate valeant auferri: Ego (1) Euſtachius junior Dei gratiâ Bolonienſium Comes, præſentis Cartæ confirmatione tam futuris quam preſentibus notum fieri volo, me pro ſalute animæ meæ & pro redemptione animarum patris & matris & uxoris meæ Mariæ, ipſa idem annuente, quamdam Bercariam de Neuvennâ cum omnibus quæ ad ipſam pertinent, ſicut ego ipſam poſſedi, perpetualiter & abſque omni calumniâ poſſidendam Deo & Sancto Wlmaro (2) dediſſe: huic donationi annuente Balduino Flandrenſium Comite, ſimul & matre ejuſdem Clementiâ.

Et ut Donationis Carta inviolata & integra in omnibus conſervetur, in conſpectu hominum meorum, quorum nomina pro teſtimonio ſcripta ſunt, ipſam Sigilli mei impreſſione confirmavi. Teſtes ſunt,

Cono de Finlles.

Euſtachius & Rogerius filii ejus.

Digitized by Google

Balduinus de Oſtrewiche.
Willelmus Vice-comes.
Manaſſes de Scileis.
Gaufredus Pincerna.
Gotzelinus Dodrei.
Fulco de Merch.
Rogerius de Cajeu.
Ingelramus & Ancherius frater ejus de Monſteriolo
Hugo de Longa-villa.
Hugo de Wilrei.
Watcelinus Vice-comes de Monſteriolo.
Gerbodo de Millſtrech.
Framericus de Longreheca.
Balduinus de Caprenci.
Robertus, Raſſo, Herefridus, Litbertus, Berchelus.

Actum Boloniæ menſe Julio XVII. Kal. Auguſti.

EGo quoque Balduinus Flandrenſium Comes, pro amore fidelis mei Euſtachii Comitis hanc traditionem conceſſi in preſentiâ procerum meorum, utque rata in perpetuum permaneat hæc libertas, aſtipulatione Sigilli mei hanc corroboravi anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo decimo tertio, Indictione quarta, apud Caſtrum Ariç, ſub Balduino Abbate Cœnobii ſancti Wlmari. Hujus rei teſtes interfuerunt, 1113.

Joannes Morinorum Epiſcopus.
Herbertus Archidiaconus.
Waltherius Theſaurarius.
Lambertus Abbas Sti. Bertini.
Odbertus Ambianenſis Præpoſitus.
Joannes de Ariâ Præpoſitus.
Iſaac Clericus.
Ogerius Cancellarius.
Hugo Comes de Sancto Paulo.
Euſtachius Advocatus.
Robertus de Bethuniâ.
Rogerius Caſtellanus de Inſulâ.
Everardus Caſtellanus de Ariâ.
Adam de Formoſellâ.
Arnulphus de Ariâ.
Rainaldus de Colhem.
Radulfus Cheiriez.
Bonifacius de Tenis.
Gerbodo Catus.
Gerbodo Deſ-Arcus.

1113. Ex Autographo.

SIcut Eccleſias per Dei gratiam nobis commiſſas nichil per injuſtitiam obtinere volumus, ita quoque quæ bonorum virorum liberalitate collata ſunt, ne aut violentiâ Principum, aut injuriâ aliquorum alienari, minui, vel inquietari valeant, omni quâ poſſumus prudentiâ promunire debemus.

Ego itaque Joannes Dei gratiâ Morinorum Epiſcopus, Berchariam quamdam de Nevennâ cum omnibus quæ ad ipſam pertinent ab Euſtachio juniore venerabili Bolonienſium Comite pro ſuâ ſuorumque Predeceſſorum ſalute, preſente & concedente Balduino Flandrenſium Comite, in mei meorumque Clericorum preſentiâ Eccleſiæ ſancti Wlmari conceſſam & donatam eſſe teſtificor: & meæ autoritatis teſtimonio meique Privilegii munimento eidem Eccleſiæ perpetuo poſſidendam confirmo.

Si quæ verò Eccleſiaſtica ſeculariſve perſona Berchariam à præfatâ Eccleſiâ alienare, minuere, vel inquietare præſumpſerit, donec ſatisfaciat, excommunicationi ſubjaceat.

Actum eſt hoc in Curiâ Ariæ Caſtri, anno milleſimo centeſimo decimo tertio Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti, venerabili Papâ Paſcali ſecundo, Ludovico Rege Francorum, prædicto Balduino Comite Flandrenſium: his teſtibus,

Herberto Teruanenſium Archidiacono.
Valtero Theſaurario.
Odberto Ambianenſum Præpoſito.
Lamberto Abbate Sti. Bertini.
Joanne Arienſi Præpoſito.
Iſaac Clerico.
Ogerio Cancellario.
Hugone Comite ſancti Pauli.
Euſtachio Advocato.
Roberto de Bethuniâ.
Rogero Caſtellano de Inſulâ.
Everardo Caſtellano de Ariâ.
Adamo de Formoſellâ
Arnulfo de Ariâ.
Reinoldo de Colhem.
Bonifacio de Thenis.
Gerbodone Cato.
Gerbodone des Archus.

(1) EUSTACHIUS III. Boloniæ Comes, frater fuit Godefridi Ducis Bullonii, primi Hieroſolymorum Regis. Horum parentes Euſtachius II. & Ida, Comites Boloniæ, fundarunt Abbatiam Silviacenſem, ſive Sti. Vulmari in nemore, pro Canonicis Regularibus. Stemma eorum vide apud Miræum Tomo I. Diplom. Belgic. pag. 162.

(2) S. VULMARUS, Abbas, claruit circa ann. 688. fuit aliquando Monachus Altimontenſis in Hannonia. Colitur apud Bolonienſes die XX. Julii. Vide Molanum, Miræum, & recentiora Acta Sanctorum, per Hagiographos S. J.

Abbatia S. Vulmari in nemore, Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini, in urbe Bolonienſi, ſuberat Congregationi Aroaſiæ. Ab annis ultra 200. per Henricum VIII. Angliæ Regem ſolo æquata fuit. Domus dein tradita PP. Minimis, poſtmodum Presbyteris Congregationis Oratorii, qui & Gymnaſium ſuum ibi erexerunt. Proventus Menſæ Abbatialis percipiuntur hodiedem per Commendatarium, ad nominationem Regis Galliæ.

CAPUT XXI.

BALDUINUS *Flandriæ Comes confirmat anno* 1114. *fundationem Abbatiæ Beatæ Mariæ* Burburgenſis, *Monialium Nobilium Ordinis Sti. Benedicti (hodie Diœceſis Audomarenſis) à parentibus ſuis* ROBERTO *&* CLEMENTIA *Comitibus inſtitutæ.*

Ex Cartulario Abbatiæ Burburg.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Quoniam dum labuntur anni & tempora, mortalium hebet memoria, operæ precium eſt, ut rem cujus non convenit oblivisci, Scripto commendemus, commendatam noſtris Succeſſoribus conſervemus.

Quare Ego BALDUINUS Dei gratiâ Flandrenſium Comes notum eſſe volo tam præſentibus quam futuris, omnibuſque in Chriſto fidelibus, quod pater meus ROBERTUS Comes Flandrenſis, & mater mea CLEMENTIA Comitiſſa Flandriæ dederunt Eccleſiæ B. Mariæ de Brobborgh, ad opus Sanctimonialium ibidem & Stæ. Mariæ ſervientium, mille & centum menſuras terræ jacentes inter Eccleſiam Watinenſem & Brobborgh, Terram de Pantgate, novam etiam terram in Waſtina de Ruhout jacentem infra Parochiam de Nortpenes, & in ſancti Petri-Broco quinque Reep terræ liberè tenendas & poſſidendas, tam in judiciis faciendis, quam in juſtitiis exequendis.

Ego igitur pio Prædeceſſorum meorum doctus exemplo, præfatæ Eccleſiæ pro mea meorumque ſalute, & deſiderio cæleſtis patriæ, omnia prædicta confirmavi.

Præterea famulos quoſcumque qui ſedulis Eccleſiæ B. Mariæ de Brobborgh ſervitiis præſunt, ab omni exactione, ſive in expedicionibus, ſive in ceteris ſecularium gravaminibus, liberos & emancipatos feci. Porro famuli, qui præfatæ Eccleſiæ ſerviciis præſunt, ſuper exceſſibus ſuis Abbatiſſæ prædictæ Eccleſiæ tantummodo reſpondeant.

Sciendum eſt inſuper, quod ubicumque præfata Eccleſia præconem ſuum habet aſſignatum, præco Comitis, niſi ab Eccleſia requiſitus fuerit, pandum accipere non debet, niſi prius ſignificatum fuerit Abbatiſſæ, & poſtea præco Eccleſiæ mandatum exequi neglexerit.

Ut autem hæc omnia & ſingula ſupradicta à nullo unquam Succeſſorum meorum poſſint inquietari, debilitari vel caſſari, præſens ſcriptum Sigilli mei munimine feci roborari.

Actum Bergis anno Domini milleſimo centeſimo XIV. quinto Idus Januarii, coram hiis Teſtibus,

Lamberto S. Bertini Abbate,
Fromoldo Furnenſi Præpoſito,
Ogero Notario,
Theodorico de Aria,
Wuolpho Caſtellano Bergenſi,
Temardo Caſtellano Brobborgenſi,
Lamberto de Drincham,
Wilhelmo Dapifero,
Renero Clerico, & aliis quam-pluribus.

CAPUT XXII.

GERARDUS I. *Gelriæ ac Zutphaniæ Comes fundat ac dotat anno* 1118. *Eccleſiam Collegiatam S. Georgii in* Waſſembergh, *Ducatus Juliacenſis ac Diœceſis Leodienſis: aſſentiente* OTBERTO *Epiſcopo, qui & eandem Eccleſiam dedicavit.*

Ex Archivis hujus Eccleſiæ, aput Gelenium

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Notum ſit univerſalitati fidelium ſanctæ Matris Eccleſiæ filiorum, qualiter Ego Comes Gerardus Eccleſiam in honore S. Dei Genitricis Mariç & S. Georgii Martyris à Domino & Venerabili Leodienſi Epiſcopo Otberto dedicatam, pro animæ meç & patris mei, aliorumque Prædeceſſorum meorum remedio, in meo allodio Waſſenberg conſtruxerim, & de meis prædiis Deo annuente dotare & ditare diſpoſuerim.

Obtinui autem precibus meis & meo ſervitio ab ipſo Domino Epiſcopo & Archidiacono & Decano, ipſam Eccleſiam liberam reddi ab omni obſonio, Synodali tamen Jure ſibi retento.

Contuli igitur in præſens ipſi Eccleſiç

ad Præbendam Fratrum ibidem Deo famulantium quicquid allodii habueram in Munemunte cum omnibus reditibus, exceptis meis miniſterialibus cum ſuis beneficiis. Contradidi quoque ei dimidiam partem Eccleſiæ Steinkircken, & Eccleſiam de Humerſheim cum omni jure, & octavam partem Eccleſiæ Weirte, & curtem, Ellenchovem, & Eccleſiam Havert, & in Bride quinque ſolidos Trajectenſis monetæ & Miniſterialem unum cum beneficio ſuo, & decimationem in Rothuſen & allodium in Grantenrothe, & in Lovenich partem allodii, & in Erckelenze aream unam, & in Gollekerothe quoddam allodium, & in Breidele partem allodii & Eccleſiam in Wilderothe.

Quidam vero noſtri miniſteriales omni affectu meum adjuvantes deſiderium, & animabus ſuis in futuro providentes remedium, ipſi Eccleſiæ partem ſuæ contulerunt ſubſtantiæ. Sigibodo videlicet qui Strabo agnominabatur, allodium in Vollete, uxore ſua ſuperſtite fructuarium uſum inde percipiente, & quinque ſolidos per annos ſingulos ſolvente, contulit.

Quidam autem liber homo Ezzo nomine partem allodii ſui ipſi præfato allodio interjacentem. Et ſingulis annis triginta denarios Colonienſes ſolventem donavit.

Ipſius vero Eccleſiæ prædiorum tam in preſens collatorum, quam in futuro conferendorum Advocaturam, mihi & ei quiſquis hæres fuerit Caſtelli & allodii in Waſſenberg retinui. Nihil prorſus de eadem Advocatura præter orationes fratrum exigens ſervitii.

Super hac ergo contraditione & diſpoſitione, quia humanæ conditionis fragilitas, & de die in diem, pro! dolor, ad peccandum pronior poſteritas in humanis actibus nihil ſatis ratum eſſe patitur, Chartam hanc conſcribi poſtulavi, quam Domini & Venerabilis Leodienſis Epiſcopi Otberti Sigilli impreſſione aſtipulari, & libertatem Eccleſiæ ab eo conceſſam, & diſpoſitionem meam ejus banno confirmari obtinui; quatenus & ipſius Chartæ veridica atteſtatione, & Pontificalis banni diſtrictione convincatur & reprimatur, ſi quis immo quiſquis ſuæ remiſſioni & meæ diſpoſitioni obviare moliatur.

Huic præſcriptæ conceſſioni teſtes interfuerunt idonei, quorum nomina ſubſcripta habentur.

Dominus Fredericus Præpoſitus S. Lamberti,
Henricus Decanus,
Andreas Archidiaconus,
Alexander Archidiaconus,
Almannus Archidiaconus,
Steppo Archidiaconus,
Arnulphus Presbyter,
Stephanus, Emmo, Joannes,
Liezelinus Præpoſitus ſanctæ Crucis,
Nicolaus Præpoſitus S. Dionyſii,
Wido Canonicus.
Liberi homines,
Engelbertus de Bugenheim,
Meinardus de Stalburg,
Gerardus de Berge,
Goſwinus de Suſtris,
Heribertus filius Heriberti de Molin.

Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo, octavo decimo, Indictione undecima, imperante Henrico Imperatore quinto, pridie Kalendas Octobris.

WASSEMBERGH, oppidum olim munitum ad fines Ducatuum Gelriæ Juliacique, fuit aliquando ſubjectum Duci Brabantiæ, ſub Advocatia Archiepiſcopi Colonienſis. Anno 1413, die 11. Auguſti Antonius Brabantiæ Dux Waſſembergam vendidit Joanni Loſſenſi Domino Heinsbergæ precio 20000. florenorum Rhenenſium: ſed Dux Joannes, Antonii filius, precium venditionis auxit ad 3200. florenos.

CAPUT XXIII.

GODEFRIDUS & ERMENSENDIS, *Comites Namurcenſes, fundant ac dotant Abbatiam Floreffienſem, Ordinis Præmonſtratenſis, eamque regendam tradunt* S. NORBERTO *illius Ordinis Patriarchæ, ejuſque Fratribus anno* 1121.

Ex Archivis Abbatiæ.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti. Ego GODEFRIDUS Comes Namurcenſis, & ERMENSENDIS Comitiſſa, inſpirante nobis magni conſilii Angelo, intelleximus nihil nobis eſſe utilius, quam ut peccata noſtra eleëmoſynis redimamus; animati ad hoc ſententiâ Sapientis, qui dicit ipſius Sapientiæ verbis: *non bene eſt homini, ſi aſſidue ſit in malis; & non danti eleëmoſynam; & eleëmoſyna viri quaſi ſaculus in vid.*

His divinis exemplis animati, ac Dei & noſtrorum conſilio roborati, Eccleſiam *Floreffiæ*, quæ eſt in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quam prius ad uſus no-

ſtros jure Allodii tenebamus, ob honorem ſanctæ Dei Genitricis Mariæ, annuentibus Filiis & filialibus noſtris *Adelberto*, *Henrico*, *Clementiâ*, *Beatrice*, *Adelaide*, pro redemptione animarum noſtrarum & Anteceſſorum noſtrorum, Domino NORBERTO & Fratribus ſibi ſubditis, eorumque Succeſſoribus perpetuò poſſidendam liberè contradidimus; videlicet Decimam & dotem totius Eccleſiæ adjacentem, ubicumque in agris, culturis, cultis & incultis, vineis, ſylvis, pratis, paſcuis, cum manſionariis & cæteris rebus prædictæ poſſeſſioni ſubditis.

Præterea domum Parochiæ & capaticum Familiæ, cenſum videlicet quem ſolvunt ſuper Altare. Advocationem vero totius poſſeſſionis & familiæ nobis retinuimus, videlicet, percuſſiones, ſanguinis effuſiones, cædes, manûs immiſſionem in ancillis, res de manu morientium.

In eâdem villâ eſt Baſilica in honorem ſancti Martini, quæ poſſidebat nonam de noſtris indominicatis, culturis & pratis, ſylvarum paſcuis, & pecudum nutrimentis, & de molendinis, & de tribus culturis bonnarium unum, & duo cortilia. Hæc omnia cum dono ſæpe-dictæ Baſilicæ, Eccleſiæ ſanctæ Mariæ & Fratribus prædictis, legali conſtitutione contradimus.

Quia vero nec licet, nec fieri debet, ut hi qui mundo hiſque omnibus poſtpoſitis ſoli Deo ſuoque ſervitio vacare deſiderant, noſtris negotiis & ſervitiis impediantur; placuit nobis à noſtro ſervitio, quod nobis de jure pro reditu prædictæ Baſilicæ deberent, eos, eorumque ſequaces perpetuò abſolvere; quatenus liberius & majori quiete Deo & Beato Martino liceat deſervire.

Cæteras Eccleſias, quas filias appellamus, per manum ejuſdem Domini NORBERTI & Fratrum ejus, quantum ad nos pertinet, locandas concedimus, S. Laurentium de Sarto, S. Martinum de Jouldion, S. Gertrudem de Floreffiolo.

Eſt in vicinia Namurci Sartum, quod *Pontis* appellatur, de allodio noſtro. Illud ſimiliter Eccleſiæ Sanctæ Mariæ & ſupradictis Fratribus liberè poſſidendum decernimus. His etiam de Familiâ noſtrâ ubicumque ſint, ſi quid pro eleëmoſynâ, vel de rebus ſuis, vel de Allodio, ſupradictis Fratribus dare voluerint, ut cum gratia noſtra & permiſſione hæc faciant, benignè concedimus.

Huic noſtræ Traditioni interfuerunt idonei Teſtes: Nobiles,
Guillermus, Arnulphus,
Lambertus, Libertus,
Guedericus Archidiaconus,
Joannes, Godefridus,
Arnulphus, Bernardus,
Gualterus, Guedericus.
De Familia: Adelardus,
Galdricus, Godefridus,
Balduinus, Gerbodo, Guedericus.
De Familiâ Eccleſiæ: Rodulphus,
Heinricus, Raginerus,
Lambertus, Stephanus, Lambertus.

Actum eſt quinto Kalendas Decembris, anno ab Incarnatione Domini M. C. XXI. Indictione XIV.

CAPUT XXIV.

GUILIELMUS *Comes Flandriæ, confirmat anno* 1127. *Privilegia & Conſuetudines antiquas Urbis Audomarenſis in Artheſia.*

Ex Archivis Audomarenſium.

EGo Guilielmus Dei gratia Flandrenſium Comes. Petitioni Burgenſium S Audomari contraire nolens, pro eo maximé quod meam de Conſulatu Flandriæ petitionem libenti animo receperunt, & quia honeſtius & fidelius ceteris Flandrenſibus erga me ſemper ſe habuerunt: Laghas ſeu Conſuetudines ſubſcriptas perpetuò eis jure concedo, & ratas permanere præcipio.

Primò quidem, ut erga unumquemque hominem pacem eis faciam & eos ſicut homines meos ſine malo ingenio manuteneam & defendam, rectumque judicium Scabinorum erga unumquemque hominem, & erga meipſum eis fieri concedam, ipſiſque Scabinis libertatem, qualem melius habent Scabini terræ meæ conſtituam.

Si quis Brugenſis S. Audomari alicui pecuniam ſuam crediderit, & ille cui credita eſt coram legitimis hominibus, & in villa ſua hereditariis ſponte conceſſerit, quod ſi die conſtituta pecuniam non perſolverit, ipſi bona ejus donec omnia reddat retineantur, ſi perſolvere noluerit; aut ſi negaverit hanc conventionem, & teſtimonio duorum Scabinorum vel duorum Juratorum indè convictus fuerit, donec debitum ſolvat, retineatur. Si quis de jure Chriſtianitatis ab aliquo interpellatus fuerit, de villa S. Audomari alias pro juſtitia exequenda non exeat, ſed in eadem villa coram Epiſcopo vel ejus Archidiacono, vel ſuo Presbitero quod juſtum eſt Clericorum Scabinorumque judicio exequatur, nec reſpondeat alicui niſi tribus de cauſis, videlicet de infractura

Eccleſiæ vel atrii, de læſione Clerici, de oppreſſione, & violatione feminæ.

Quod ſi de aliis cauſis querimonia facta fuerit, coram judicibus & Præpoſito meo hoc finiatur. Sic enim coram CAROLO Comite & Epiſcopo Joanne ſtatutum fuit.

Libertatem verò, quam Anteceſſorum meorum temporibus habuerunt, eis concedo: ſcilicet quod numquam de terra ſua in expeditione proficiſcentur. Excepto ſi hoſtilis exercitus terram Flandriæ invaſerit, tunc me & terram meam defendere debebunt. Omnes qui Gildam eorum habent, & ad illam pertinent, & infrà cingulum villæ ſuę manent liberos omnes à Theloneo facio ad portum Dixmude & *Graveninghes*, & per totam terram Flandriæ eos liberos à *Swerp* facio. Apud Batpalmas theloneum quale donant Atrebatenſes, eis conſtituo.

Quiſquis eorum ad terram Imperatoris pro negotiatione ſua perrexerint, à nemine meorum hanſam perſolvere cogantur. Si contigerit in aliquo tempore præter Terram Flandriæ aliam conquirere, aut ſi concordia pacis inter me, & avunculum meum Henricum Regem Angliæ facta fuerit, in conquiſita terra illa aut in toto Regno Anglorum eos liberos ab omni theloneo, & ab omni conſuetudine in concordia illa recipi faciam in omni Mercato Flandriæ. Si qui clamorem adverſus eos ſuſcitaverint, judicium Scabinorum de omni clamore ſine duello ſubeant.

A duello verò ulterius liberi ſunt omnes qui infrà murum S. Audomari habitant, & deinceps ſunt habituri, liberos à canagio, hoc eſt, à capitali cenſu, & de advocationibus conſtituo. Pecuniam eorum, quæ poſt mortem Comitis Caroli eis ablata eſt, & quæ propter fidelitatem, quam erga me habent, adhuc eis detinetur, aut infra annum reddi faciam, aut judicio Scabinorum juſticiam eis fieri faciam. Præterea rogaverunt Regem Franciæ, & Radulphum de Perona, ut ubicumque in terra illorum venerint, liberi ſint ab omni theloneo & traverſo & paſſagio. Quod & concedi volo.

Conventionem autem ſuam ſicut eam juraverunt permanere præcipio, & à nemine diſſolvi permitto, & omne rectum rectamque juſtitiam, ſicut melius ſtat in terra mea, ſcilicet in Flandriâ, eis concedo.

Et ſicut meliores & liberiores Burgenſes Flandriæ ab omni conſuetudine liberos deinceps eſſe volo. Nullum *ſcot*, nullam talliam, nullam pecuniæ ſuæ petitionem ab eis requiro. Monetam meam in Audomaro, unde per annum 30. libras habebam & quidquid in eo habere debeo ad reſtaurationem damnorum & Gildæ ſuę ſuſtentamentum conſtituo.

Ipſi verò Burgenſes monetam per totam vitam meam ſtabilem & bonam, unde Villa ſua melioretur, ſtabiliant. Cuſtodes, qui ſingulis noctibus per annum vigilantes Caſtellum S. Audomari cuſtodiunt, & qui per Feodum ſuum, & præbendam ſibi antiquitus conſtitutam in avena & caſeis, & in pellibus arietum injuſtè & violenter ab unaquaque domo in eadem villa ad S. Audomarum Sanctumque Bertinum in natali Domini panem unum & denarium unum aut denarios duos exigere ſolent, aut pro hiis pauperum vadimonia tollebant, nihil omnino deinceps præter feodum ſuum & præbendam ſuam exigere audeant.

Quiſquis ad Niverledam venerit, undecumque venerit, licentiam habeat veniendi ad S. Audomarum cum rebus ſuis in quâcumque navi voluerit.

Si cum Bolonienſi Comite Stephano concordiam habuero, in illa reconciliatione eos à theloneo & Swerp apud Witſant, & per totam terram ejus liberos eos faciam.

Paſturam adjacentem villæ S. Audomari in nemore quod dicitur Lo, & in paludibus, & in pratis, & in bruera, & in Hongrecoltra, uſibus eorum, excepta terra Lazarorum, concedo, ſicut fuit tempore Roberti Comitis Barbati. Manſiones quoque, quę ſunt in miniſterio Advocati S. Bertini, illas videlicet quæ inhabitantur ab omni conſuetudine, liberas eſſe volo: dabuntque ſingulæ denarios XII. in Feſto S. Michaëlis, & de Broetbanc denarios XII. & de Bierbanc XII. denarios: vacuæ autem nihil dabunt. Si quis extraneus aliquem Burgenſem S. Audomari aggreſſus fuerit, & ei contumeliam vel injuriam irrogaverit, vel violenter ei ſua abſtulerit, & cum hac injuria manus ejus invaſerit, poſtmodum vocatus à Caſtellano vel uxore ejus, ſeu ab ejus Dapifero, infra triduum ad ſatisfactionem venire contemſerit aut neglexerit, ipſi communiter injuriam fratris ſui in eo vendicabunt.

In qua vindicta ſi domus diruta vel combuſta fuerit, aut ſi quis per eam vulneratus fuerit, vel occiſus, nullum corporis aut rerum ſuarum periculum, qui vindictam perpetraverit incurrat, nec offenſam meam ſuper hoc ſentiat, vel pertimeſcat. Si verò qui injuriam intulit præſentialiter tenus fuerit, ſecundum Leges & Conſuetudines Villæ præſentialiter judicabitur, & ſecundum qualitatem facti punietur: ſcilicet oculum pro oculo, dentem pro dente, caput pro capite reddet.

De morte Euſtachii de Stenfort quicumque Burgenſes S. Audomari perturbaverit & moleſtaverit, reus proditionis & mortis Caroli Comitis hebeatur: quoniam pro fidelitate mea factum eſt quidquid de eo factum eſt. Et ſicut juravi & fidem dedi, ſic eos erga parentes ejus reconciliare & pacificare volo. Hanc igitur Conventionem tenendam, has ſupradictas Conſuetudines & conven-

conventiones esse observandas, fidem promiserunt, & sacramento confirmaverunt.

Ludovicus Rex Francorum.
Guillelmus Comes Flandriæ.
Radulphus de Perona.
Hugo Candavena.
Osto Castellanus & Guillelmus filius ejus.
Robertus de Bethunia, & Guillelmus Filius ejus.
Anselmus de Hisdinio.
Stephanus Comes Boloniæ.
Manasses Comes Ghisnensis.
Gualterus de Lilers.
Balduinus Gandensis.
Ywanus Frater ejus.
Rogerus Castellanus de Insulis, & Robertus Filius ejus.
Raso de Gavera.
Daniel de Tenremont.
Helias de Sensen.
Henricus de Broucborg.
Eustachius Advocatus.
Arnulphus filius Castellani Gandensis.
Gervasius.
Petrus, Dapifer.
Stephanus de Seninghem.

Confirmatum est hoc Privilegium & à Comite Guillelmo & prædictis Baronibus istis fide & sacramento sancitum & collaudatum, anno Dominicæ Incarnationis M. C. XXVII. II. Kal. Maii, feria sexta die festo SS. Tiburtii & Valeriani. 1127.

Guillelmo Grosso homini meo Comitatum mansionum suarum, quas in ministerio sancti Bertini possidet, benevolè concessi & dedi.

CAPUT XXV.

LOTHARIUS III. *Imperator largitur anno* 1128. *Ecclesiam de* Echt *in Maeslandia, Decano & Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ* Sti. Servatii *Trajecti ad Mosam, tunc in communi viventibus, ad usum Refectorii.*

Ex Archivis Capituli.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. LOTHARIUS Tertius Dei gratiâ Romanorum Rex. Notum facimus omnibus fidelibus Christi, præsentibus & posteris, qualiter Ecclesiam de *Echta* sitam in Pago *Maselant*, in Episcopatu Leodiensi, in Comitatu Comitis de Losi, transtulerimus de manu diripientium, & contulerimus Fratribus Ecclesiæ Beati Servatii, quæ est Trajecti, ad cotidianæ Refectionis augmentum.

Echt hodie Diœces. Ruremond.

Siquidem Fratres Trajectenses multis tribulationibus gravati, magnis laboribus fatigati, ut eandem Ecclesiam liberè possiderent nullo modo potuerunt educere de manu Comitis *Gerardi*, qui eam longâ invasione oppresserat, & commodum Fratrum rapuerat.

Tandem datâ & consumptâ multâ pecuniâ prævaluerunt, potestate quidem Imperatoris HENRICI adjuti, qui consilio Optimatum suorum lege justitiæ fecit ei abjudicari. Postquam autem pervenit eadem Ecclesia in manus Præpositorum, nec sic quidem respectu laboris & dispendii quod sustinuerant, Fratres condignum susceperè commodum.

Ventum autem est usque ad nostra tempora; & quia Fratres noverunt devotionem nostram quam habebamus erga Beatum Servatium, cœperunt nos sollicitare & pulsare ad aures nostras, ut de eadem Ecclesia per manus nostras plenam invenirent misericordiam.

Inclinavimus ergo cor nostrum ad faciendas petitiones eorum, & præfatam Ecclesiam dedimus in manu Decani, ad opus Fratrum in cotidiano usu Refectorii: eâ libertate, eo usu, ut deinceps Præpositus quicumque fuerit in eadem Ecclesia nullam habeat potestatem: sed solus Decanus possideat & Fratres: & administrent in refectorio, ad communem Fratrum utilitatem.

Pro testimonio autem rei gestæ, Testes, Archiepiscopi, Meintherus, Treverensis,
Norbertus, * Magedeburgensis. * Ordinis Præmonstratensis Fundator.
Episcopi: Alexander, Leodiensis,
Andreas, Trajectensis,
Sywardus, Myndensis,
Thiechardus, Ossenburgensis,
Burchardus, Cameracensis,
Stephanus, Mettensis.
De Ecclesia beati Servatii: Johannes, Decanus.
Stephanus, Magister Scholarum.
Franco, Cantor.
Henricus, Wynandus, Warmherus,
Reynherus, Piligrinus, Volquinus, & ceteri.
De liberis: Dux Paganus,
Dux Symon.
Comes Namurcensis,
Comes de Losi,
Gosvinus de Monte-falconis,
Gerardus de Honstad,
Wilhelmus de Dalehem.
De Familia Ecclesiæ: Godefridus, Lam-

bertus, Folwaldus,

Lambertus, Lugrammus.

Et ut hæc noſtræ Traditionis Carta fidem firmam ſemper faciat & inconvulſam, præfatam Traditionem noſtram ſuper re hac juſſimus conſcribi, & impreſſione Sigilli noſtri inſigniri & roborari, & ſubſcriptione propriæ manus noſtræ firmavimus.

✠ Signum Lotharii Tertii, Dei gratiâ Romanorum Regis invictiſſimi.

Ego Thietmarus Regis Notarius, in vicem Adelberti Archi-Cancellarii recognovi.

Data Idibus Junii, anno Dominicæ Incarnationis M.C.XXVIII. Indictione ſexta, anno vero Regni Lotharii Regis Glorioſiſſimi III.

Datum Aquiſgrani in Palacio, feliciter. Amen.

CAPUT XXVI.

Aubigny. **THEODERICUS *Comes Flandriæ*, Albiniacenſem *Eccleſiam, Canonicis Sæcularibus inde dimiſſis, circa annum* 1131. *tradit Abbatiæ Canonicorum Regularium* Montis S. Eligii *juxta Atrebatum; cujus hic hodieque Prioratus eſt.***

THEODERICUS Dei gratiâ Flandrenſium Comes, univerſis ſanctæ Eccleſiæ filiis in perpetuum. Scimus, quia poteſtati cedit ad gloriam & honorem Dei, ſanctam ſublimare Eccleſiam, & quæ noſcuntur à religionis tramite deviare, ad divini cultus ſtudium attentiùs revocare.

Nos igitur Domino Hugoni Campdavene, & filiis ejus, & Balduino Miete, Hugoniſque filio adhuc ſanis, & poſt in infirmitate devotè poſtulantibus, clementer annuentes, pro ſalute eorum & noſtrâ, *Albianiacenſem* Eccleſiam religionis vigore deſtitutam, quia ad noſtram pertinet poteſtatem, Eccleſiæ Beati Vindiciani de Monteſancti Eligii ordinandam concedimus, &c.

Ut autem ejus rei præceptionis Pagina rata impoſterum inconvulſaque permaneat, nec aliquorum verſutia violare præſumat, Sigilli noſtri authoritatem apponimus, & Baronum noſtrorum nomina, & aliorum Nobilium, in quorum eſt res geſta præſentiæ, ſubſcribi decernimus;

Signum Giſleberti de Bergis,

S. Radulfi de Brugis,

S. Elberti de Bethunia, & Roberti Fratris ejus &c.

ALBINIACUM (vulgo *Aubigny*) vicus eſt Artheſiæ Baronatûs titulo illuſtris, quem obtinuere Dynaſtæ de Lens. Subeſt territorio Atrebatenſi.

In vico Albiniaco (ait Baldericus Chronographus Cameracenſis) *eſt Monaſterium Canonicorum S. Kiliani, qui Scotus fuiſſe traditur.* Colitur XIII Novembris, teſte Molano in Natalibus SS. Belgii; quem vide.

Anno 1131. Aluiſus Epiſcopus Atrebatenſis Albiniacenſem Eccleſiam, ſecularibus qui inibi agebant dimiſſis, Hugoni Montis Eligiani Abbati tradidit, impertiitque facultatem aliquot ſui Monaſterii Canonicos eò tranſmittendi, qui ſub uno Priore regulariter viverent: idque in noſtra tempora perſeverat. Approbarunt Eugenius III. & Alexander III. Pontifices.

CAPUT XXVII.

WALFRAMUS I. *Dux Lotharingiæ ac Limburgi, tradit Abbatiæ de* Porceto, *juxta Aquiſgranum, quæ tunc Benedictinorum erat, perſonas aliquot de familia ſua, anno* 1133. *in ſpeciem antiquæ ſervitutis.*

Communicavit Dom. Wynants Conſiliarius Brab.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. *Quicumque honorificaverit me, glorificabo eum.* Hujus Propheticæ veritatis memor, Ego WALERAMMUS Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, pro ſalute animæ meæ & uxoris meæ ac totius propaginis meæ, ſimul ac patris mei & matris meæ, & omnium Anteceſſorum meorum, trado Deo Sanctoque Johanni Baptiſtæ in *Porceto* partem familiæ meæ; quam propriis nominibus viſum eſt determinare.

In Balneis, Abſendis & quatuor filiæ ejus Jennena, Tiberia, Maria, Gertrudis. Petrus de Erluns, & uxor ejus Gudêla,

Mechlen. ad Mosam. De Curia Mechlenſi Erkinus, Everardus & duæ ſorores eorum. Petrus. Hermannus.

Iſtos, cum natis & naſcituris, offero Deo & ſancto Johanni in Porceto: tali conditione, ut unuſquiſque eorum ſive vir ſive mulier, poſtquam ad nubiles annos venerit, quatuor denarios cenſus capitis ſui ſingulis annis ad Altare ſancti Johannis in Porceto, in die Sti. Johannis, in præſentia Cuſtodis perſolvat: in morte vero, quod ſuperius veſtimentum habuerit Cuſtodi Eccleſiæ fideliter conſtituat. Nullum vero Advocatum habeant, niſi Dominum Abbatem, aut quem ipſe eis dederit.

Cenſus autem iſte ſic locabitur, ut in Capella domûs infirmorum ſingulis noctibus lumen inde habeatur.

Huic Traditioni interfuerunt, Prior Eccleſiæ Borchardus; Præpoſitus Herminnus; Cuſtos Onulphus, & ceteri Fratres. Et Laïci, Henricus de Dorſelen, Chriſtianus de Noelen; Wilhelmus de Meirs, Harmannus de Harleis, Werembertus de Bailines, Godefridus Villicus Ducis, Tiricus Aquenſis Advocatus, Maſcelinus, Gerardus & filius ejus Tiboldus, Chriſtianus & filius ejus. . . . Adolphus & Adulphus de Vals, & Ermelinus & ceteri boni viri.

Acta ſunt hæc anno Incarnationis Dominicæ milleſimo centeſimo, XXXIII. Indictione XI. regnante Lothario Rege, præſidente Colonienſi Eccleſiæ Archipræſule Brunone, regente Porcetenſem Eccleſiam Folcardo Abbate; ad laudem & gloriam illius, qui eſt benedictus in ſecula. Amen. 1133.

CAPUT XXVIII.

GODEFRIDUS BARBATUS *fundationem Præpoſituræ B. Mariæ de Capella Bruxellis, in favorem Abbatiæ S. Sepulchri Ordinis S. Benedicti Cameraci, amplius corroborat; novas terras decimaſque largitur; ſimulque declarat, ſe primum hujus novæ Capellæ lapidem poſuiſſe, anno* 1138.

Ex Motivo Juris Paſtoris à Mauden. IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ego Godefridus Lotharingiæ Dux attendens illud Davidicum; homo ſicut fœnum dies ejus tanquam flos agri ſic efflorebit; Et illud, Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus; Operæ pretium duxi, cauſâ ſalutis Animæ meæ Patrumque meorum ac filiorum, Godefridi ſcilicet, & Henrici, Allodium meum Bruxellæ contiguum, cum Capella ad honorem Dominici Sepulchri, Sanctæque Dei Genitricis Mariæ inceptâ, in cujus fundamento primus omnium propria manu lapidem poſui, Dilecto noſtro Parvino Eccleſiæ S. Sepulchri Cameracenſis Abbati Venerando, ſuiſque Succeſſoribus perpetualiter poſſidendum in eleëmoſynam dare, & ad uſus præfatæ S. Sepulchri Eccleſiæ liberè & abſolutè aſſignare; ea videlicet libertate, ut nulla Eccleſiaſtica ſive ſecularis perſona, illud aliquo modo violare, vel ſui juris ex eo vendicare præſumat. *Ædificatio Capellæ.*

Petitionibus igitur tuis, Parvine præfate S. Sepulchri Abba venerande, condeſcendens, prædictam Capellam cum Allodio circa adjacente, & vivariis, tibi tuiſque Succeſſoribus perpetuò poſſidendam, ſicut prælibatum eſt, liberè, & abſolutè trado, concedo & conſigno. De rebus ergo poſſeſſionis meæ, ecce coram Deo, & præſentibus teſtibus iſtam doto Capellam: hoc eſt, duæ partes decimæ de Hundeſlo cum uno manſo terræ; terra arabilis Theodorici cognomento Scrapriæ, quam mihi reddidit extra Bruxellæ oppidum ad duodecim Bonaria, & infra ad quatuor Curtilia; dimidium bonarium terræ apud Watermale, nihil juris mihi retinens præter viginti-ſeptem denarios quotannis apud velos in feſtivitate S. Martini perſolvendos.

Terra Godefridi Militis, filii Amelrici Scoti, quam ipſe tenebat in feodum de Francone Caſtellano meo ad quinque bonaria, & dimidium bonarium prati, eodem Caſtellano præſente & aſſentiente; Terra Wifronis Groſſi, ad duo bonaria, & unum curtile ipſo annuente & præſente; bonarium terræ ad coquinam meam pertinens, rogatu duorum Fratrum Balduini & Rambaudi; Curtile etiam adiacens, quod Franco Caſtellanus pro ſua matriſque ſuæ anima, eidem tradidit Capellæ.

Bonarium Terræ Erembaudi, quod liberè tenebat, & poſſidebat, ipſo præſente, & conſentiente.

Bonarium etiam terræ Giſlardi, & Geldulphi, quod per uxores eorum, quæ erant ſorores germanæ ad eos advenerat, ipſis præſentibus.

Quicumque autem in eo Ducatu ſive Comitatu ſæpefatæ Capellæ aliquid donare voluerit, & hoc ipſum valde deſidero, & liberè concedo. Domum verò Rambaudi

Digitized by Google

Clerici de Levies, quam ipſe mihi propria manu reddidit, cum procinctu totius curtis, tibi Pater Parvine Abba, tuæque Eccleſiæ liberè & abſolutè trado & aſſigno, & compoſitionem illam, quæ facta eſt inter te, eundem Rambaudum & Fenelmam matrem ejus, de Altari de Leuies, in præſentia Venerabilis Epiſcopi noſtri Nicolai, perſonarumque Cameracenſis Eccleſiæ, ſicut ibi id in Eccleſia eadem B. Petri actum eſt, & in Privilegio ejuſdem Epiſcopi confirmatum eſt, ratum, & irrefragabiliter obſervandum eſſe, ſciens me Coadjutorem & defenſorem, prout opus fuerit, eſſe, promitto.

Vide Diplom. Mirzi, T. I. pag. 687.

Vos itaque Succeſſores meos Duces, & Comites rogo & obſecro in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Redemptoris ac Salvatoris noſtri, ut pro ejus amore, huic incepto operi miſericordiæ veſtræ manum porrigatis; ut quemadmodum ego inde deſideratam expecto mercedem, & ſic vos pro tali opere ad æternam requiem mereamini pervenire poſt laborem.

Ad hujus ergò Privilegii tenorem inviolabiliter conſervandam, Sigilli noſtri impreſſionem apponi, & teſtes idoneos præcepimus ſubtitulari.

S. Mei Godefridi Ducis,
S. Godefridi,
S. Henrici filiorum ejus,
S. Waltheri Rodeſtoch,
S. Franconis Caſtellani,
S. Henrici fratris ejus,
S. Egeberti de Bigardis,
S. Franconis fratris, & Goſwini de Atrio.
S. Amelrici Schoti,
S. Wadrici Capellani.
S. Arnoldi,
S. Arnulphi,
S. Rangoti,
S. Arnoldi,
S. Hemeronis, Presbyterorum.
S Franconis, Radulphi filii ejus, Auberti, Baudwini, Rogeri, Laïcorum.

Actum Bruxellæ in eadem Capella, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo centeſimo trigeſimo octavo, Indictione ſecunda, Epacta XVIII. concurrente V. Imperii Conrardi Cæſaris Auguſti primo, Præſulatûs Nicolai Cameracenſis Epiſcopi ſecundo.

CAPUT XXIX.

* Vide Miræi Diplom. Tom. I. pag. 196.

ROBERTUS DE BETHUNIA * *Advocatus Atrebatenſis concedit Abbatiæ S. Petri* Corbeienſis, *Monachorum Benedictinorum in Gallia, Villam de* Monchy *in Arthesia, circa annum* 1140.

EGo ROBERTUS Dei gratia Betuniæ Advocatus, notum eſſe volo præſentibus & futuris, me cum Abbate Nicolao & Monachis *Corbeienſibus* de querelâ diu inter nos habitâ hoc modo in pace rediiſſe. Siquidem apud Villam eorum *Monciacum*, quæ ſubjacet Advocationi meæ, terras annuo redditui mihi obnoxias ipſi Monachi à ruſticis emerant.

Unde Ego, quod mihi juris eſſe deberet perdere non ſufferens, adverſum eos contendebam. Modo vero Dei & ſancti Petri amore compunctus & de ſalute animarum patris & matris meæ, meæ quoque, & Uxoris ADELISÆ & Filiorum ſollicitus, quidquid rei illius in querelâ habebatur, Deo & ſancto Petro ac Monachis in perpetuum ex parte mea & meorum liberum & immune eſſe concedo.

Et ne quis in futurum ex poſteris meis reclamator accedat, Sigilli & imaginis meæ impreſſione confirmo: eo dumtaxat tenore, ne deinceps terras mihi cenſuales ſibi conquirant, niſi prius benevolentiam & aſſenſum meum habeant.

Teſtes ſunt hujus Conventionis,

Domnus Godeſcalcus, Epiſcopus Atrebatenſis, in cujus præſentiâ res definita eſt. De Clericis,
Lucas, Archidiaconus.
Petrus, Betuniæ Decanus.
Hugo, Advocati Capellanus, frater Archidiaconi.
Magiſter Robertus de Albiniaco.
De Militibus,
Libertus de Carenci,
& Robertus frater ejus.
Joannes de Beuri.
Hugo de Ballolio.
Balduinus de Atrebato, ejuſdem Advocati cognatus, & alii multi.

MOUCHY AU BOIS, parochia Diœceſis Atrebatenſis, ſub Decanatu de Paſſu, cujus Jus Patronatus in hodiernum diem pertinet ad Abbatem Corbeienſem, Ordinis S. Benedicti, juxta Perronam in Picardia.

CA-

CAPUT XXX.

THEODORICUS ALSATIUS *Comes Flandriæ, ad inſtantiam* MILONIS *Teruanenſis Epiſcopi, Arcem* Morinenſem, *ab Arnulpho Advocato contra Sacerdotii libertatem reædificatam, everti jubet anno* 1142.

Ex Archivis Eccleſiæ Morin.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen. Ego THEODORICUS Dei gratia Flandrenſium Comes, notum fieri volo tam præſentibus quam futuris, quod dilectus noſter Dominus MILO Epiſcopus Teruanenſis lacrimabilem in Curiâ noſtrâ ſuper Arnulpho Teruanenſi Advocato querimoniam depoſuit, ſibique de ſubjectis malitiæ ejus capitulis juſtitiam fieri poſtulavit.

Arnulphus, inquit, cum eſſet homo noſter ligius, uſurpatione quâdam juſtitiæ Homines ſanctæ Mariæ cepit, injuſte ſpoliavit, multiſque ſimilibus Nos laceſſivit injuriis, & ut ſecuriùs ſolitam exerceret nequitiam, firmato, in loco ubi eſſe non debuit, nobis prohibentibus, Caſtello, ampliorem quam prius iniquitatis ſuæ exercuit malitiam.

Armatâ enim manu atria violavit, ſanguinem in loco ſacro fudit, parietes templi ligonibus fregit & ſuffodit, horrea noſtra & domus Canonicorum noſtrorum incendit; & ſuper his omnibus nobis ſatisfacturus ſemel & iterum & tertiò vocatus cum venire contemneret, canonico Judicio excommunicatus eſt.

Hâc Ego Theodoricus Epiſcopi pulſatus querimoniâ, & inſuper univerſis ſanctæ religionis ordinibus, ut ei juſtitiam proſequerer inclamantibus, conſilio Baronum meorum Advocatum illum ad juſtitiam vocavi, & quia venit, reus omnium judicatus eſt.

Proinde quia Prædeceſſores ejus, tempore Prædeceſſorum meorum, infra ambitum Civitatis Teruanenſis nullum tenuerunt vel tenere debuerunt Caſtellum, illud quod in malitiâ ſuâ formavit damnandum & penitus extirpandum decerno. Et ne ab illo ſive ab alio quolibet amodo infra Parochiam ipſius Civitatis, abſque conſenſu Epiſcopi, omniumque Baronum Eccleſiæ, aliquod municipium ædificetur, penitus interdico.

Et ut Decreti noſtri ratio rata & incónvulſa permaneat, tam teſtimonio ſubſignatorum quam Sigilli noſtri impreſſione confirmo.

Signa Philippi & Milonis, Archidiaconorum Morinenſis Eccleſiæ.

Signa Abbatum: Abſalonis de ſancto Amando,
Leonis de ſancto Bertino,
Alviſi Bergenſis,
Goſſonis Aquicinenſis,
Odonis Marcianenſis,
S. Abbatis Haſnonenſis,
Walteri Tornacenſis,
Theodorici de Capellâ,
Manaſſæ Watinienſis,
Helmari Iprenſis,
Iſaac Formoſellenſis,
Guifridi de Claromareſch,
Henrici de Liſchis,
Henrici de Nemore,
Joannis Bolonienſis.

Signa Præpoſitorum: Rogeri Brugenſis,
Balduini Furnenſis,
Gerardi Audomarenſis.

Signa Hermanni Decani,
Drogonis,
Theobaldi,
Baldevini,
Alelmi, Canonicorum Morinenſium.

Signa Baronum & Principum terræ: Sibillæ Flandriæ Comitiſſæ,
Ivonis Comitis Sueſſionenſis,
& Drogonis fratris ejus.
S. Giſleberti Bergenſis Caſtellani,
Willelmi Audomarenſis Caſtellani,
Henrici Broburgenſis,
Michaelis Caſletenſis,
Anſelmi Iprenſis,
Roberti Inſulenſis,
Radulphi Brugenſis.
S. Arnulphi Comitis Ghiſnenſis,
S. Hugonis de Ravenesberch,
Balduini Botel,
Chriſtiani Straſcella,
Balduini de Ballol,
Guidonis de Neela.
S. Ogeri & Bernoldi, Capellanorum Comitis.
S. Euſtachii de Stinfort,
Balduini de Reninges,
Balduini de Lidreſela.

Actum eſt hoc anno Dominicæ Incarnationis M. C. XLII.

CAPUT XXXI.

BALDUINUS *Ardrenſis Toparcha donat anno* 1142. *Abbatiæ* B. M. de Capella *Ordinis S. Benedicti in Artheſia, Eccleſiam de* Ardra (*ubi antea fuerat Capitulum Canonicorum ſæcularium*) *item Altare de* Bramis, *aliaque plura bona.*

Ex Archivis Abbatiæ S. Joannis Ipris.

IN nomine Sanctę & individuæ Trinitatis. Ego Balduinus de Ardâ ſuccedens in hæreditatem patrum meorum, videnſque nonnullaquæ mei juris erant minus provide minuique rationabiliter actitari per negligentiam Præpoſitorum, dignum duxi pro poſſe & noſſe corrigenda per conſilium Seniorum.

Inter quæ cernens Eccleſiam Beati Audomari in Ardâ à Prædeceſſoribus conſtructam, Clericiſque contraditam, religionis zelo deſtitutam, & Canonicali diligentiâ deſolatam, conſilio & auxilio Domini Milonis Teruanenſis Epiſcopi & Cleri ſui, tradidi pro animâ meâ, & pro animabus Prædeceſſorum meorum eandem Eccleſiam cum omnibus ad eam pertinentibus, in manus Theodorici Abbatis de Capellâ ſucceſſorumque ſuorum perpetuo jure regendam.

Tradidi etiam eidem Theodorico Abbati ſuiſque Succeſſoribus totam terram illam, tam ſolidam quam paluſtrem, quæ interjacet ab Auſtro & Aquilone inter Ardam & Brames, & ab Oriente ad Occidentem ab aquis de Ardâ & Brames convenientibus uſque ad procinctum foſſatorum. Ita ſane ut ibidem Cellâ conſtructâ, Monachiſque ſecundum diſcretionem Abbatis ibidem adhibitis, deficientibus Canonicis, Præbendæ eorum cum omnibus reditibus ad Præbendas pertinentibus, ad Cellam tranſeant Monachorum.

Dedi quoque præfato Abbati & Eccleſiæ ſuæ molendinum ſuper aquam de Bramis conſtitutum, & vivarium adjacens liberum perpetuo poſſidendum.

Item dedi ei & Eccleſiæ de Capellâ piſcariam in aquis de Ardâ & Bramis uſque in Mercled defluentibus, tam de anguillis quam de cæteris piſcibus; ita videlicet ut nemini aliquo tempore ſine licentiâ Monachorum de Capellâ liceat piſcari, vel retia tendere in vivario ſupradicto, vel aquis prænotatis.

Monachis autem in Eccleſiâ de Pomerio tam manentibus quam manſuris vel alias, ſi forte locum religioni ſuæ competentiorem conſilio vel aſſenſu Epiſcopi Morinenſis elegerint, hanc attribui poteſtatem, ut in mariſco de Ardâ * turbas, ut vulgo dicitur, fodiendi, emendi, & ad omnes uſus ſuos, & Fratrum ac Sororum, miniſtrorumque ſuorum, acquirendi liberam ſemper & plenariam habeant facultatem.

* Turba: terra bituminoſa in iſto ſolo communis.

Comitatum quoque terræ ſuperius inter Ardam & Bramas determinatę, tam ſolidæ ſcilicet quam paluſtris, bonâ eis voluntate contradidi.

Illud etiam religioni eorum adjeci, ut quicumque in Curiam Eccleſię præfatæ venerint, ſecurum quò voluerint conducere poſſint. Et ut hæc Traditio nullâ obliteratione poſſit aboleri, nec pravorum malivolentiâ perturbari, Litterarum apicibus annotari, & Sigilli mei impreſſione ſignari, Teſtiumque volui aſtipulatione roborari.

Sigillum Theodorici Comitis Flandriæ.
S. Milonis Epiſcopi.
S. Arnulphi Comitis Giſnenſis.
S. Philippi de Mongardin.
S. Euſtachii de Balinghem.

Actum eſt hoc anno ab Incarnatione Verbi M. C. XLII. approbante & infractores ac perturbatores ejus excommunicante: reſpondentibus cunctis, fiat, fiat: Amen.

Idem confirmat MILO *Teruanenſis Epiſcopus, anno* 1142.

EGo MILO Dei gratiâ Morinenſis Epiſcopus dilecto filio Theodorico de Capellâ Abbati, ejuſque ſucceſſoribus canonice inſtituendis &c. Tuis juſtę petitionis deſideriis, Theodorice Abba, annuentes, quæcumque in præſens poſſides, aut in futurum juſte adipiſci poteris, Tibi tuiſque Succeſſoribus confirmamus; & ut Tibi & Eccleſiæ de Capellâ rata perpetuo maneant, Sigilli noſtri impreſſione ſignamus. In quibus hæc nominatim notificamus. Altare de Brames &c. Eccleſiam quoque de Ardâ, quam cum Balduinus dilectus filius noſter per peccatum obtineret, noſtro conſilio & aſſenſu tibi liberam cum omnibus appendiciis ſuis per manum noſtram dedit &c.

Actum anno M. C. XLII.

Bulla INNOCENTII II. *Papæ, ejuſdem argumenti, anno* 1206.

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Hugoni Abbati & Conventui de Capellâ ſalutem & Apoſtolicam

benedictionem &c. Dilecti in Chriſto filii, veſtris juſtis precibus inclinati, donationem Eccleſiæ Sancti Audomari de Ardâ cum ſuis pertinentiis, poſſeſſionibus, redditibus, piſcariis, & rebus aliis, quam quondam Nobilis Vir Balduinus de Ardâ vobis piæ conſiderationis intuitu feciſſe dignoſcitur, & felicis recordationis Milo Morinenſis Epiſcopus Diœceſanus loci dicitur confirmaſſe, ſicut rationabiliter facta eſt, & in tranſcriptis Autenticorum ipſius Nobilis & Epiſcopi memorati contineri perſpeximus, vobis & per vos Eccleſiæ veſtræ authoritate Apoſtolicâ & præſentis Scripti Patrocinio communimus &c.

Datum III. Nonas Novembris, anno Pontificatûs noſtri IX. Incarnationis Dominicæ M.C.C.VI.

Ejuſdem argumenti Diploma extat apud Miræum Tomo I. Diplom. Belg. pag. 179. ubi corrigendus eſt error notabilis. Non enim Ardenſe Canonicorum Collegium converſum eſt in Abbatiam Præmonſtratenſium, ſed conceſſum Abbatiæ de Capella, Monachorum Benedictinorum, in Diœceſi Teruanenſi.

Porro Monaſterium Capellæ deſtruxerunt Angli anno 1347; ideoque Martinus V. Pont. per Bullam datam anno 1419. (quæ extat pag. 62. hujus Tomi IV.) Abbatiam ſuppreſſit, & bona illius incorporavit Abbatiæ Montis S. Joannis ejuſdem Benedictini Ordinis, quæ olim ſita erat juxta Teruanam; nunc porro Ipras tranſlata.

Eundem errorem notavit, ac juſtè corripuit Reverendiſſ. P. Hugo Epiſcopus Ptolemaïdis & Abbas Stivagii, in Annalibus Præmonſtratenſ. Tomo I. pag. 186.

Brames, nunc *Bremes*, cujus fit mentio in his Diplomatibus, eſt Parochia Diœceſis Bolonienſis, ſub Decanatu Giſnenſi, Patronatus Abbatis de Capellâ. Fuit olim Præpoſitura ſeu Prioratus Ordinis S. Benedicti, tranſlatus in Eccleſiam Canonicorum oppidi Audrenſis.

CAPUT XXXII.

CONRARDUS II. *Imperator Eccleſiam Collegiatam* S. Servatii *Trajecti ad Moſam, ejuſque Præpoſituram ſuſcipit in protectionem anno* 1146. *eamque eximit ab exactionibus Comitis Loſſenſis.*

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Divinâ favente clementiâ CONRARDUS Romanorum Rex ſecundus. Omnia jura & leges hominum à Regibus Romanorum juſtâ & firmâ traditione tenentur tradita, eâ diſcretione & gratiâ, ut quod ſaluti hominum providerit tanta ſublimitas, judicialis non violaret poteſtas.

Eâ rationis diſpenſatione & legali inſtitutione non nova diſcernimus, ſed antiqua confirmamus. Et de querimonia dilecti Cancellarii noſtri *Arnoldi* Eccleſiæ S. Servatii Præpoſiti, ſæpius coram nobis ſuper Comite de Loſs * depoſitâ, graviter dolentes, eò quod Comes Familiam Beati Servatii multis injuriis afflixerit, & Homines de *Fletingis* † ad ſua tria generalia placita in Dulcebergh injuſtè coegerit; quia præcipue Eccleſiis Dei juſtitiam debemus, Præpoſituræ ſancti Servatii pacem de Comite, de ejus exactione, pernoctatione, angariis, precariis; in omnibus Villis ſuis generaliter præcipimus: ſpecialiter tamen de *Fletingis*.

Ea enim Villa, ex quo Beato *Servatio* tradita fuiſſe perhibetur, ſemper hac lege hoc jure regebatur, regitur & regetur, ut omnis juſtitia ſpectet ad Præpoſitum, & Comes nullam habeat poteſtatem infra Villæ ambitum. Et hæc eadem Villa cum omnibus ſuis appendiciis legitimo ambitu cingitur, qui vulgari teutonico *Byvane* dicitur; antiquitatis jure, & Principum judicio & atteſtatione libera à Comite, ab omni ejus exactione, pernoctatione, expeditione, angariis, precariis.

Homines etiam qui in poteſtate & ambitu prædictæ Villæ commorantur, à tribus generalibus Placitis Comitis, quæ in Dulcebergh obſidet ſingulis annis, ipſo Comite præſente, liberos judicari fecimus, & hæc debitâ Banni noſtri impoſitione confirmamus: & juſtè.

Quippe hæc eadem Eccleſia S. Servatii & alias in Comitatu habet Curias, *Niele*, *Koninckſchem*, *Magglis*, * quæ ſimili antiquitatis tenentur jure: in quibus Comes nichil juris, nichil poteſtatis, nihil prorſus habeat juſtitiæ. Vulgò *Maes-Mechelen.*

Nec prætermittendum ratio juſtitiæ exigit, quod ſi ibidem aliquis furto deprehenſus fuerit, non Comitis ſed Præpoſiti tantum juſtitiæ ſubjacebit.

Idcirco autem Jus Præpoſiti & Curiarum Eccleſiæ huic Cartulæ inſeruimus, & judicio Principum & ſcripto hujus Cartulæ à jure Comitis prorſus ſeparavimus; ut ut unuſquiſque ſuo tantum jure ſit contentus: quia tunc demum perfecta eſt juſtitia, ſi ſic obſervatur, ſicut unicuique eſt attributa.

* Otto II. Comes Loſſenſis, Duraſſii, Montis Acuti, Clari Montis &c. Sub Advocatus Trudonenſis. Obiit anno 1146.

† *Fleytingh.* Parochia Diœc. Leod in partibus trans-Moſanis, ſub Decanatu Moſæ trajectenſi.

Miniſteriales etiam Beati Servatii nec de violata pace, nec de duelli impetitione, nec de aliqua cauſa Placiti reſpondere debent Comiti, cujus non ſubjacent Dominio vel poteſtati. Commune eſt autem omnibus ſupra-memoratæ Villæ hominibus, nullum prorſus niſi Regem tantùm Advocatum habere, nec alicujus Advocati Placitum obſidere.

Hæc ad honorem & juſtitiam Dei, judicio Principum confirmavimus, & Sigilli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus. Quod ſi Comes vel aliquis alius huic noſtræ Confirmationi temptaverit reniti, decem libras auri Regiæ perſolvat poteſtati, & noſtra Confirmatio firma & inconvulſa permaneat omni ævo.

Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo C. XLVI. Indictione nonâ, regnante Conrado Romanorum Rege ſecundo, anno vero ejus nono.

Data in regio Palatio Aquiſgrani, feliciter. Amen.

CAPUT XXXIII.

Conventio inita anno 1150. *inter* THEODORICUM *Comitem Flandriæ, &* MILONEM *Morinenſem Epiſcopum, ſuper juribus hujus ſuæ Eccleſiæ.*

Ex Archivis Eccleſiæ Morinenſis

QUoniam generatio præterit & generatio ſuccedit, memoriæ autem rerum geſtarum optime miniſtrant indicia litterarum; Ego MILO Dei gratiâ Morinenſis Epiſcopus, & Ego THEODORICUS eâdem gratiâ Flandriæ Comes, notum facere volumus tam præſentibus quam futuris, qualiter in diebus noſtris Controverſia & ambiguitas noſtri Juris diſcernendi Conſilio & examinatione perſonarum Eccleſiaſticarum & Baronum Terræ noſtræ reciſa & determinata fuerit.

Primò itaque Banni, qui ex quâdam noſtri temporis inſtitutione tribus feſtis diebus matrimonia præibant, reciſi ſunt, propter mala plurima quæ inde accidebant, & reductum eſt matrimonium ad antiquam & Canonicam Conſuetudinem. Illud quoque additum fuit, quod Clerici, viduæ, & pupilli, ſeu quęlibet perſonæ ad Eccleſiæ tutelam attinentes, de feodis & hæredibus ad jus ſæculare pertinentibus, ab ipſo jure ſæculari ad jus Eccleſiæ non tranſibunt, niſi violentia aut oppreſſio præceſſerit, vel eis ſubtractum vel denegatum fuerit, adeo manifeſte, ut per legitimos Chriſtianos valeant comprobare.

Neque hoc prætereundum, quod ex eâdem Inſtitutione ſancitum eſt, nemini licere de feodis, ſeu quibuſlibet terris juri ſæculari ſubjacentibus, Eccleſiæ donationem facere, niſi aſſenſu Dominorum, & in præſentiâ Scabinorum. Sed tamen ne hujuſmodi donationes omnino caſſari vel Eccleſiis ſubtrahi valeant, ſuper-additum eſt, quod Domini eas nullo modo poterunt impedire, niſi juſtam cauſam & rationabilem conditionem opponant.

Denique ſi ex Dominorum aſſenſu & in Scabinorum præſentiâ donatio facta fuerit, jus Domini per omnia ſalvum manebit. Et quoniam malus mos inolevit, quód quidam ad imminuenda jura Dominorum, ſe & ædificia ſua ad terras Eccleſiarum transferunt, ſtabilitum eſt, quod jura Dominorum in cenſu & cunctis Conſuetudinibus integra debeant permanere; ſalvâ tamen pace Eccleſiæ, nec liceat Dominis infra poſſeſſiones Eccleſię manum mittere.

Ad hæc, ne quibuſlibet rumoribus perſonæ quælibet infamentur, confirmatum eſt, ne quis vir aut mulier pro ſolâ famâ de adulterio ſive de aliquo criminali ad cauſam vocetur, vel ad judicium ferri candentis impellatur, niſi Clericorum vel Synodalium accuſatio præceſſerit. Ad hunc videlicet modum, ut Synodales ſub juramento ſuo interrogati ſecundum ſuam exiſtimationem famam illam magis veram eſſe quam falſam profiteantur. Porro ſi deſint Synodales, ſecundum prædictum modum Synodalium Clericorum, vel legitimorum vicinorum, recipiatur accuſatio.

Placuit & illud apponere, quoniam hoc cognitum fuit, Burgenſes aut ruſticos qui intra vetus foſſatum Flandriæ manent, nequaquam ſubmonendos ad Sedem Epiſcopalem, quamdiu coram Decanis ſuis ſe juri non ſubtrahunt: niſi Eccleſias vel ea quæ attinent ad eas invaſerint, aut in Clericum ſeu aliquam Eccleſiaſticam perſonam manum miſerint, aut in mulierem raptum fecerint.

Quoniam vero jura Eccleſiaſtica in cenſu & teloneis & vectigalibus per Burgenſium conventiones & per libertates quas ſibi vindicaverunt hactenus diminuta ſunt, inſtitutum eſt, ut omnia Eccleſiaſtica jura ad formam & integritatem quam ante conventiones habuerant, plenarie revocentur.

Sed & hoc ad antiquum jus attingere cognitum eſt, quod ſi quis forte judicio Eccleſiæ ſub anathemate per annum & diem perſtiterit, Comes de facultatibus ejus clamatori

Digitized by Google

matori damnum reſtituet, Epiſcopo damnum perſolvet, reliquum in poteſtate ſuâ erit, & excommunicatus ille tamquam exlex . . . . in Curiâ non habebit. Hæc omnia rata erunt, ſalvis appellationibus.

Actum ab Incarnatione Domini anno M. C. L. coram his Teſtibus:

Philippo & Milone Archidiaconis,
Hermanno Decano,
Rogero Brugenſi Præpoſito,
Gerardo Præpoſito Audomarenſi,
Bonifacio Audomarenſi Decano,
Matthæo Decano Iſlenſi,
Balduino de Milham,
Drogone, Johanne, Petro, Widone,
Alulpho, Canonicis Eccleſiæ Teruanenſis.
Gerardo Furnenſi Decano,
Leone Abbate Sancti Bertini,
Theodorico Abbate Bergenſi, & compluribus aliis Abbatibus, Præpoſitis, & Decanis. Laïcis autem,
Arnulpho Comite Ghiſnenſi,
Gilleberto Caſtellano Bergenſi,
Henrico Broburgenſi,
Waltherio Audomarenſi,
Rogerio Cortracenſi,
Euſtacio de Gravinenges,
Renaldo de Becenes, & compluribus aliis.

CAPUT XXXIX.

CONRADUS II. *Imperator, ampliſſimo Diplomate poſſeſſiones Abbatiæ* Floreffienſis, *in Namurceſio (quæ totius Præmonſtratenſis Ordinis in Belgio eſt antiquiſſima) ſingulatim recenſet atque confirmat, anno* 1151.

CONRADUS divinâ favente clementiâ Romanorum Rex Tertius. Piæ poſtulatio voluntatis tantò debet propenſius effectu proſequente compleri, quantò conſtat poſtulantes majori fide ac devotione circa res Imperii noſtri, & Perſonæ noſtræ dignitatem attentius vigilare, ut & fidelium devotio laudabiliter eniteſcat, & utilitas poſtulata vires indubitanter aſſumat.

Quocircà noverit omnium fidelium noſtrorum, tam futuræ, quam præſentis ætatis induſtria, quod petitione Viri venerabilis Abbatis Wibaldi ſacrorum Monaſteriorum Stabulenſis videlicet & Corbeienſis, qui Imperio noſtro diù multumque domi ac militiæ laudabiliter deſervivit, inclinati, Scripta quondam Godefridi Comitis Namurcenſis, & uxoris ſuæ Ermenſendis Comitiſſæ, quæ de inſtitutione Floreffienſis Monaſterii facta fuiſſe cognoſcuntur, in præſentia noſtra, & Principum noſtrorum recitari, & diligenter exponi fecimus.

In quibus continebatur, qualiter prædictus Illuſtris Comes unà cùm prænominatâ Conjuge ſuâ, ob animarum ſuarum remedium, Parochialem Eccleſiam de Floreffiâ, quæ eſt in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ tradiderunt viro Religioſo Domino Norberto, qui poſtmodum Magaburgenſis Archiepiſcopus factus eſt, & Fratribus tunc ſibi ſubditis, eorumque Succeſſoribus jure perpetuo liberè poſſidendam. Videlicet Decimam & dotem totius Eccleſiæ in agris, culturis, cultis & incultis, vineis, ſylvis, pratis, paſcuis, cum manſionariis, & cæteris rebus prædictę poſſeſſioni ſubditis.

Prætereà Domum Parochiæ, & Capitaticum familiæ cenſum, videlicet qui ſolvunt ſuper Altare. Advocationem verò totius poſſeſſionis & familiæ ſibi ſupra-memoratus Comes retinuit, videlicet percuſſiones, ſanguinis effuſiones, cædes, manus immiſſionem in ancillis.

In eâdem quoque villâ Baſilicam in honore ſancti Martini, quæ poſſidebat Nonam de ſuis indominicatis, culturis & pratis, & ſylvarum paſcuis, & pecudum nutrimentis, & de molendinis, & de tribus culturis in unâquâque bonarium unum, & duo cortilia ad ſuprà-dictam Eccleſiam B. Mariæ, & prædictis fratribus, liberè, hoc eſt, abſque ullo ſervitii genere in poſterum ſolvendo, contradidit.

Cæteras verò Eccleſias, quæ filiæ appellantur, ordinandas & locandas per manus ſupradictorum Fratrum conceſſit; ſcilicet ſanctum Laurentium de *Sarto*, ſanctum Martinum de *Jodion*, ſanctam Gertrudem de *Floreffiolo*. Dedit etiam Sartum unum, quod *Pontis* appellatur, prope Namurcum, & his qui erant de Familiâ ſuâ conceſſit, ut ſi quid pro eleëmoſynâ de rebus ſuis, vel de Allodio, ſupra-dictis Fratribus conferre voluerint, hoc abſque ullius contradictione, ſuâ & hæredum ſuorum permiſſione, facerent.

In quâ traditione filii ejus & filiæ omnes conſenſerunt pariter, videlicet Albertus, Henricus, Clementia, Beatrix, Adelidis.

Nos itaque, ut prælibatum eſt, his omnibus diligenter inſpectis, & prædicti fidelis noſtri, nec non R. viri Gerlandi Abbatis, qui nunc Floreffienſi Monaſterio, ſub inſtitutione & Regulâ B. Auguſtini laudabiliter multis ibidem aggregatis fratribus præeſt, clementer acquieſcentes, jam dictam Floreffienſem Eccleſiam, cum omnibus, quæ ibi à primâ ipſius fundatione uſ-

que in præſentem diem collata ſunt, vel poſtmodum per ſuccedentia tempora à cujuſcumque Ordinis fidelibus conferentur, ſub noſtræ & Succeſſorum noſtrorum defenſionis manu ſuſcipimus; cunctaque ad tuitionem ejuſdem, & ad utilitatem & honorem Monaſterii, & perſonarum inhabitantium pertinentia, ſicut ſuperiùs ſcripto comprehenſa ſunt, lege in æternum duraturâ per hujus Prçcepti Paginam corroboramus, & locum, atque ipſi pertinentia preſentis Scripti Privilegio communimus.

In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Curtem *Mellinga*, Curtem de *Harlomonte* (1) cum ſexaginta bonariis, & decimâ ejus; Altare de *Capellâ*, & Allodium in *Capellâ*.

Item in eadem *Capellâ* terram *Follerini*, & terram Arnulphi, quam tenetis ab Eccleſiâ Lobienſi ſub Cenſu duorum denariorum; Curtem de *Feronvillâ*, & dimidiam partem Decimç ejus, & terram quam tenetis in Valle-columbinâ, à Gualtero de *Vileir* ſub cenſu ſeptem ſolidorum, & quatuor denariorum. Molendinum quoque ſuper *Sambram* fluvium in Allodio quod dicitur *Aulois*, cujus dimidiam partem tenetis à Gerardo Clerico, & Godeſcalco Fratre ejus. *Morelmeis*, ſub cenſu duorum ſolidorum; reliquas verò duas partes ab Eccleſiâ B. Foilliani Foſſenſis, & à quodam Hugone Nobili Viro, ſub cenſu duorum ſolidorum.

Item duo molendina *Wangis*, unum ſub cenſu duorum ſolidorum, & alterum ſine cenſu, & terram quam tenetis ab Hugone Multone circà *Sambram* in Parochiâ veſtrâ.

Curtem etiam de *Vervis*, dimidiam partem Allodii de *Timeon*. Domum inſuper Hoſpitalem de villâ *Wange* (2) cum omnibus appenditiis ſuis, ſub redditu unius aurei, à Comitiſſâ Ermenſende B. Petro oblatam. Dimidiam preterea Ardenellam, & triginta bonaria apud *Sartum ſancti Bernardi*, & tertiam partem Poſtulæ. (3)

Item quatuor manſos terræ in *Hengelo*, quos dedit Ermenſendis Comitiſſa, & quintum, quem dedit Henricus de *Lemberg*, & molendinum, quod Ebalus dedit vobis ſuper *Pientum*. Item Eccleſiam *Obais*, & villam cum omnibus attinentiis ſuis, ſuper quæ ſingulare Privilegium nos jam antea prædicto Venerabili Abbati Gerlando dediſſe meminimus.

Hoc quoque firmiſſimo Decreto ſtatuimus, ut obeunte ejuſdem loci Abbate, Fratres ejuſdem Monaſterii liberam habeant facultatem eligendi regulariter Abbatem in Ordine & Profeſſione ſuâ, tam de ſuo, quam de alieno, ſi ita opus fuerit Monaſterio, abſque Comitis Namurcenſis & omnis alterius poteſtatis contradictione.

Si quis verò, quod non credimus, hujus Conſtitutionis noſtræ Decreti præſumptuoſus violator extierit, hujuſmodi pœnâ ſpretæ Majeſtatis mulctetur, & centum libras auri perſolvat, partem dimidiam Cameræ noſtræ, partem verò alteram Abbati Floreffienſi & ejus Monaſterio magnâ cùm ſatisfactione illaturus. Et ut hæc Regiæ Autoritatis Pagina à nullo unquam violari præſumatur, eam Sigilli noſtri impreſſione ſignari prçcipimus, Teſteſque, qui adfuerunt, ſubtus annotari mandavimus.

Arnoldus, Colonienſis Eccleſiæ in Archiepiſcopum electus, Regiæ Curiæ Cancellarius.

Hardwigus Bremenſis Archiepiſcopus.
Othelricus Halverſtadienſis Epiſcopus.
Everardus Merſeburgenſis Epiſcopus.
Wiemannus Cicenſis Epiſcopus.
Daniel Pragenſis Epiſcopus.
Evrardus Bambergenſis Epiſcopus.
Guichardus Wirceburgenſis Epiſcopus.
Burchardus Argentinenſis Epiſcopus.
Conradus Wormacienſis Epiſcopus.
Wibaldus Stabulenſis & Corbeïenſis Abbas.
Marcus, Fuldenſis Abbas.
Henricus Herſveldenſis Abbas.
Otto, Palatinus Comes de Bavariâ.
Lothowicus Landgravius de Thuringiâ.
Conradus Marcgravio de Within.
Adelbertus Marcgravio de Brandenburch.
Hermannus Comes de Wincenburch.
Ludovicus Comes de Loon, Prçfectus urbis Moguntiæ.
Poppo, Præfectus urbis Wirciburch.
Guichardus Præfectus Babenberg, & alii Nobiles & Miniſteriales, & diverſi generis homines.

Ego Arnoldus Cancellarius, recognovi.

Data anno Dominicç Incarnationis M. C. LI. Indictione XIV. anno vero Domini Conradi III. Regis invictiſſimi XIV.

Actum apud Wirciburch in Chriſto feliciter. Amen.

Diploma FRIDERICI Regis Romanorum; prioris confirmativum anno 1153. aliaque multa in favorem Floreffienſis Abbatiæ conceſſa, vide in Documentis Annalium Præmonſtratenſium Authore R. P. Hugone Abbate Stivagii ejuſdem Ordinis, ſimulque Epiſcopo Ptolemaïdis.

(1) HERLAYMONT, Præpoſitura S. Huberti, Præmonſtratenſium in Hannonia, ſub hac Abbatia Fundavit Ottho de Traizegnies in ſuo Allodio.

(2) WANS, Præpoſitura Monialium Ordinis Præmonſtratenſis, juxta Leodium, in Diœceſi Leodienſi, ab Abbatia Floreffienſi dependens.

(3) POSTULA, vernaculè *Poſtel*, in Campinia, Diœceſis Buſcoducenſis, olim fuit Hoſpitale quod à Magiſtro ſeu Præpoſito regebatur, & à Religioſis Floreffienſibus habitabatur. Hodie eſt Abbatia ſpecialis. Vide Tom. I. Diplom. Belgic.

CAPUT XXXV.

THEODERICUS *Comes Flandriæ concedit anno* 1151 MILONI *Morinenſi Epiſcopo Jus Patronatus Eccleſiæ S. Martini, oppidi Heſdinienſis, in qua extat Capitulum XII. Canonicorum, hodie Diœceſis Audomarenſis.*

EGo THEODERICUS, divinâ miſeratione Flandrenſis Comes. Notum fieri volo univerſis in Chriſto fidelibus tam poſteris quam modernis, qualiter controverſia inter me & Dominum MILONEM venerabilem Morinorum Epiſcopum pro Eccleſiâ Clericorum de Heſdinio aliquamdiu habita, per Eccleſiaſticas perſonas & Barones meos Deo donante fuerit terminata.

Ego ſiquidem, & filius meus Philippus, conſilio & petitione uxoris meæ Sybillæ, nec non aſſenſu Baronum meorum, quidquid juris in præfatâ habebam Eccleſiâ, cauſâ Dei & ſalutis animæ meæ & prædeceſſorum meorum, liberè & quietè contuli Deo & Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Teruanenſis in manu præfati Epiſcopi M. & & ſucceſſorum ejus, ad opus Clericorum ibidem conſtituendorum Canonicè & in ordine Clericali.

Actum anno Domini M. C. LI. Teſtes:
Geraldus Tornacenſis Epiſcopus,
Rogerus Præpoſitus Brugenſis,
Gerardus Præpoſitus Caſtellenſis,
Leonius Abbas ſancti Bertini,
Theodoricus Abbas ſancti Winnoci,
Godeſcalcus Abbas de Ham,
Giſlebertus de Bergis,
Henricus de Broborgh,
Balduinus de Baliol,
Arnoldus Comes Guinenſis,
Rogerus Caſtellanus Gandenſis.

CAPUT XXXVI.

THEODERICUS *Comes Flandriæ concedit anno* 1155. *Abbatiæ Sancti Vedaſti Monachorum Benedictinorum in Arthefia, Terram de Baudimont.*

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Ego THEODERICUS Flandriarum Comes. Quoniam dies noſtri ſicut umbra prætereunt &c. Notum ſit igitur omnibus tam futuris quam præſentibus, quod Ego Theodoricus Flandriarum Comes, Deo diſponente, à quo omnis poteſtas ordinatur, terram illam Beati Vedaſti, quę (1) *Balduini-Mons* vocatur, petitione Monachorum ad inhabitandum dari, abſque guaveli ſolutione conceſſi. Pro ipſo autem guavelo Abbas Sancti Vedaſti, vel Præpoſitus Eccleſiæ, dabunt Comiti quotannis duodecim mencaldos avenæ &c.

Hanc Ego Theodoricus Conventionem legitime factam, quia labilis hominum memoria, ne qua oriatur impoſterum controverſia, ſcribi præcipimus, Sigillique noſtri impreſſione roborari, legitimis ſubſignatis Teſtibus.

Signum Sybillæ Comitiſſæ.
Signum Philippi Comitis.
Signum uxoris ejus Eliſabeth.
Signum Roberti Advocati de Bethunia.
Signum Elberti de Carenci.

Actum anno Incarnati Verbi M. C. L. V. annuente Rogero de Wavrin &c.

(1) BALDUINI-MONS, hodie *Baudimont*, olim Prioratus Benedictinorum, ab Abbatia Vedaſtina, apud Arthefios, dependens.

CAPUT XXXVII.

THEODERICUS DE ALSATIA, *Comes Flandriæ, concedit anno* 1156. *Abbati & Monachis S. Petri juxta Gandavum, Ordinis S. Benedicti, immunitatem ab omni Theloneo.*

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſulis.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Ego Theodericus Dei gratia Flandriæ Comes, omnibus tam futuris &c. quod Sigerus dilectus nobis Abbas ſancti Petri Gandenſis ad nos venerit, conquerens ſe Fratreſque ſuos in diverſis Comitatûs noſtri locis ad ſolvendum Theloneorum debita cogi, quæ à Regibus Franciæ & Comitibus Flandriæ jam olim Eccleſiæ ſuæ conſtant indulta fuiſſe.

Nos igitur, inſpectis eorum Privilegiis, quibus Theloneorum indulgentiæ continebantur, etiam ipſis omnes omnino Theloneorum exactiones in omnibus Regni noſtri locis, ubicumque & undecumque ſolvuntur, præfatæ Eccleſiæ nunc & imperpetuum indulſimus; & ne quam deinceps ſuper hiis vexationem Eccleſia patiatur, id Litteris annotari, & Sigilli noſtri impreſſione ſignari præcipimus, eorum qui intererant nominibus ſubnotatis.

S. Theoderici Comitis,
S. Rogeri Caſtellani Gandenſis,
S. Rogeri de Petinghem,
S. Arnoldi de Aldenarde,
S. Raſſonis de Gavra,
S. Stepponis Dapiferi de Aloſt,
S. Euſtachii de Grammina,
S. Godefridi, Simonis, Iſuini, Waſſelini & Philippi, oppidanorum.

Actum Gandavi, Anno Domini M. C. LVI.

CAPUT XXXVIII.

HENRICUS *cognomento* CÆCUS, *Comes Namurcenſis, renovat ac confirmat anno* 1159. *Eccleſiæ* S. Albani *Namurcenſi, nunc Cathedrali, Curiam cum Majore, Scabinis &c. antea ab Alberto II. Comite conceſſam.*

Ex Archivis Eccl. Cath. Namurc.

* Deeſt initium Diplomatis.

NE * bonorum oblivioni memoria traderetur, Anteceſſorum eorum opera commendavimus perpetuitati litterarum.

Notum ſit igitur omnibus, tam præſentibus quam futuris, quod ALBERTUS illuſtris Namurcenſium Comes noſtram (in qua ipſe cum heredibus bonæ indolis requieſcit) ædificavit Eccleſiam; quam, futuræ non immemor reſurrectionis, tanto ditavit honore, tantâque ſublimavit libertate; ut quicumque allodium Beati Albani Martyris, infra vel extra Parochiam obtineret, ſi aliquid forte unde Bannum * oriretur accideret, nullatenus argueretur, niſi in præſentia Præpoſiti Canonicorumque in Capitulo Eccleſiæ, præſidente Villico, & propriis ejuſdem Eccleſiæ judicantibus Scabinis, reſponderet.

* Alibi legitur Placitum.

Domus quoque ſuper allodium, infra tamen Parochiam Caſtelli, excubiæ quam appellant *Guet*, reſpondere prorſus nihil neque perſolvere teneretur.

Addidit præterea piiſſimus & ſæpe-commemorandus Comes ALBERTUS, ut quicumque præfatæ cenſum Eccleſiæ, tam de molendinis quam de aliis Allodiis, ultra determinatum terminum, octo videlicet dierum, auſus fuerit retinere, Eccleſiæ Villicus jubente Præpoſito, Bannum accipiet, ullâ ſine contradictione.

Huic autem honori detrahentes, Dominus Henricus, qui tunc Leodienſe regebat Epiſcopium, in die Dedicationis Eccleſiæ, conſtituit ſub Anathemate. Henricus vero, quartus ab ipſo bonæ memoriæ Alberto, non minus quam boni patres, prælibatæ jura conſervans Eccleſiæ, ne temporum longitudine, alicujus Succeſſorum, Eccleſiam minus (quod abſit) diligentis, occaſio memoratam à priſtina libertate exhæreditare valeret Eccleſiam, præſentem Chartam me dictante ſcribi præcepit. In qua, bonorum opera collaudans Anteceſſorum, prædictæ Eccleſiæ prædicta jura renovavit, renovata vero Sigilli ſui munimine ſignavit.

Facta eſt autem hujus renovationis Confirmatio anno ab Incarnatione Domini M. C. LIX. Indictione VII. regnante Frederico 1159.

rico Imperatore, Henrico vero Epiſcopium Leodienſe regente, conſentiente & cohortante conjuge ſuâ Lauretâ; cohortantibus etiam Viris Nobilibus,

Philippo videlicet Advocato Merilienſi,
Arnulpho de Novilia,
Godeſcalco de Gelbercée,
Gilberto de Sombreffa,
Godefrido de Mozen,
Guillielmo de Werda, Godefrido.

Teſtantur etiam Theodericus Præpoſitus, Lambertus Decanus, Joannes, Thiricus, Embertus, Adam, Baldericus.

Horum etiam teſtimonium confirmant; de Familia, Godefridus, Guarnerus, Lambertus, Libertus, Henricus, Franco; Joannes. Et de Burgenſibus, Thomas, Anſelmus, Hugo, Balduinus, Theodericus, Godefridus, David; & multi alii; quorum ſi ſcriberentur nomina, oculos faſtidirent legentis.

Hanc igitur Libertatem Eccleſiç, quicumque violaverit, univerſis repleatur maledictionibus in conſpectu judicis univerſa cernentis. Fiat. Fiat.

Joannes Comes Namurcenſis ac Dominus Bethuniæ eadem Jura ac Privilegia Curiæ Sti. Albani Namurcenſis confirmavit, Diplomate gallico, dato anno 1423.

CAPUT XXXX.

PHILIPPUS DE ALSATIA *Comes Flandriæ, anno* 1164. *ejuſque Nepos* BALDUINUS *Comes, dein Imp. Conſtant. anno* 1197, *concedunt Abbatiæ* Claræ-vallenſi, *omnibuſque Abbatiis ex ea ortis vel orituris, ſignanter* Clari-Mariſci *in Artheſia, Privilegium Immunitatis ab omnibus oneribus, vectigalibus, &c.*

UNiverſis præſentes Literas inſpecturis, B. divinâ permiſſione Abbas Sti. Nicolai Furnenſis, Ordinis Præmonſtratenſis, A. Præpoſitus & Magiſter Nicolaus Decanus S. Walburgis Furnenſis, ſalutem in Domino ſempiternam. Sciat univerſitas veſtra, quod Nos Privilegia illuſtrium Virorum Ph. & Bald. quondam Comitum Flandriæ, non abolita, non cancellata, non in aliqua ſui parte vitiata, vidimus, tenuimus, legimus & diligenter inſpeximus; in hæc verba.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti Amen. Ego Philippus Dei gratiâ Comes Flandriæ, notum facio omnibus fidelibus tam futuris quam modernis, quod libertatem & confirmationem, quam Pater meus Theodericus Domino Bernardo * Abbati & Domui ejus Clarevallenſi, omnibuſque Domibus ejus conceſſit, & Ego ſimili modo concedo, & in perpetuum ratum eſſe volo. Videlicet ut per totam Terram meam & omnes tranſitus meæ ditionis, mei Comitatûs ſive meæ poteſtatis, Claravallis & omnes Abbatiæ ex ea egreſſæ vel ulterius exituræ, vel etiam ab iis Abbatiis proceſſuræ, quæ à Claravalle ſunt progreſſæ; præcipuè Domus de Claromareſco, * in eundo & redeundo, à theloneo & paſſagio ſint omnibus modis liberç.

* Is erat S. Bernardus Abbas.

* Clairmarais apud Audomaropolim.

Quod quatenus ratum, ſtabile & imperturbatum permaneat, Sigilli mei impreſſione & authoritate, & Baronum meorum ſubſcriptione confirmari juſſi. Teſtes hujus Conceſſionis,

Deſiderius, Præpoſitus Brugenſis.
Robertus, Præpoſitus Arienſis.
Matthæus, Præpoſitus Caſletenſis.
Hacketus, Decanus Brugenſis.
Euſtachius Camerarius,
Giſelbertus, depoſitor Arienſis,
Waltherus de Locra.
Segerus de Boezinghem.
Lenardus..... Bernaldus, eorum nepos.
Balduinus filius.... de Aria.
Anſelmus de Reighem.
Waltherus Gouda. Rogerus diſpenſator.

Actum eſt hoc, Furnis, anno Domini M. C. LXIV. Indictione XIII. concurrente tertio, Epactâ VI. II. Nonas Decembris.

EGo BALDUINUS Dei gratiâ Flandriæ & Haynoniæ Comes, notum facio fidelibus omnibus tam præſentibus quam futuris, quod libertatem & confirmationem, quam bonæ memoriæ Comes Flandriæ Philippus avunculus meus Domui Claræ-vallis omnibuſque Domibus ejus conceſſit, & in perpetuum concedet, & Ego, ſimili modo concedo, & in perpetuum ratum eſſe volo: videlicet, ut per totam Terram meam & omnes tranſitus meæ ditionis, mei Comitatûs, ſive meç poteſtatis Claravallis & omnes Abbatiæ ex ea

egreſſæ, vel ulteriùs exituræ, vel etiam ab iis Abbatiis proceſſuræ quæ à Claravalle ſunt progreſſæ, præcipuè Domus de *Claromareſco*, in eundo & redeundo à theloneo & paſſagio, & è converſo, & omnibus conſuetudinibus ſint omnimodis liberæ. Et præcipio, ne quis eis moleſtiam inferat, vel quamdam ab aliquo inferri permittat.

Quod ut ratum & ſtabile, & imperturbatum permaneat, Sigilli mei munimine & Teſtium ſupſcriptione confirmare curavi.

Teſtes: Gerardus Præpoſitus Brugenſis & Flandriæ Cancellarius.
Balduinus de Commines.
Petrus de Mainil.
Gerardus de Grimberghes.
Gerardus de Pingui-ripâ.
Theobaldus de Schirvelda, & alii plures.

Actum hoc Watanis anno Dominicæ Incarnationis M. C. XC. VII.

In cujus Inſpectionis Teſtimonium, præſcripto Scripto Sigilla noſtra duximus apponenda.

Actum anno Domini M. CC. octogeſimo ſexto.

CAPUT XLI.

ROBERTUS DE BETHUNIA, *Advocatus Atrebatenſis, anno* 1171 *reſtituit Capitulo Cathedrali B. M. V. in ea urbe, parochialem Eccleſiam de* Richeburs, *juxta Bethuniam; hodie* Risbourg *municipium, Marchionatûs titulo illuſtre.*

EGo ROBERTUS DE BETHUNIA, Atrebatenſis Advocatus, & filius meus Robertus, notificamus tam futuris quam præſentibus, quod ex quo Eccleſia de *Richesburs* data fuit Canonicis beatæ Mariæ Attrebatenſis, ut illam cum omnibus beneficiis ex ea provenientibus pacificè tenerent, nepos noſter Robertus de Mancicurt puo quibuſdam portionibus beneficiorum, quas ſive juſtè ſive injuſtè clamabat in Eccleſiâ de Richesburs, Miniſtros ipſius inquietavit, & Canonicis, in quantum licuit ipſi, damna intulit, & pro hujuſmodi exceſſibus diu ſententiam excommunicationis pertulit.

Risbourg in Artheſia.

Tandem verò à nobis & ab aliis amicis ſuis ammonitus, & ſæpe correptus, pro excommunicatione quoque non parum territus, pœnituit, & Atrebatum veniens cum uxore ſua Suſanna, coram Altari beatæ Mariæ quidquid in Richesburs ſive juſtè ſive injuſtè, in decimis, in oblationibus, in meſſis currucationibus clamabat, in faciem totius Eccleſiæ werpivit: & pro ſalute tam ſua quam uxoris ſuę, & omnium prædeceſſorum ſuorum, Canonicis in eleëmoſynam conceſſit, per * waſonem & ramum ſuper Altare beatæ Mariæ obtulit: fide quoque interpoſita, & ſacramento præſtito, cum Canonicis & Miniſtris Eccleſiæ in Richesburs pacem firmavit.

Deinde vero hanc Conceſſionem, & quam in Altari beatæ Mariæ ipſe & uxor ſua fecerat oblationem, in foro Bethuniæ coram nobis recognovit: præſentibus in teſtimonium advocatis, & Clericis & Militibus hominibus noſtris legitimis, ipſius Roberti Paribus.

Adhuc etiam ipſe Robertus nos rogavit, ut pro ipſo plegiaremus, ſe firmiter obſervaturum quicquid Canonicis conceſſerat; & omnia quæ prædicta ſunt, ut ſcripto commendata, Sigillo noſtro confirmaremus, nihilominus poſtulavit.

Quod & fecimus: & hujus rei Teſtes ſunt.

Clerici: Petrus, Decanus Bethuniæ.
Hugo Presbyter de Herſin.
Rogerus de Richesburs.
Milites: Joannes de Foſſa.
Varinus de Alleuvagne.
Stephanus de la Beuriere.
Nicolaus de Bailly.
Balduinus de Planca.
Varines de Aneſin.

Factum anno Domini M. C. LXXI. Kalend. Februarii.

* Id eſt: per ramum & ceſpitem. Antiqua formula, in renunciationibus olim ſervari ſolita; unde proceſſerunt voces *Werpire* & *effeſtucare*: de quibus plura apud Cangium in Gloſſario.

CAPUT XLII.

GODEFRIDUS III. *Brabantiæ ac Lotharingiæ Dux, benefacit anno* 1173 *Abbatiæ* Rodenſi *Canonicorum Regularium, in Ducatu Limburgenſi.*

Ex Archivis Abbatiæ.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego GODEFRIDUS Dei gratia Dux Lotharingiæ. Notum facimus tam præſentibus quam futuris in perpetuum, quod quædam Kuniſa filia Hermanni de Riferſcher cum eodem patre ſuo & omnibus coheredibus ſuis, ſimul etiam cum marito ſuo Hermanno, quamdam partem Decimæ, quam à Nobis in territorio *Lommersheim* jure feodi poſſederat, per manus noſtras Rodenſi tradiderunt Eccleſiæ, & coram idoneis teſtibus ſolemniter poſtea huic ſuo renunciaverunt feudo.

Familia Ducis Brabantiæ.

Quo facto, tam Ego, quam Dominus Henricus de Lymburg & filii mei Henricus & Albertus prædictam Decimam pro anima uxoris meæ Dominæ Margaretæ omniumque parentum noſtrorum, Rodenſi delegamus Eccleſiæ.

Hoc ergo ut ratum & inconvulſum permaneat, ſigillo noſtro munimus: imprecantes, ut ſi quis ea quæ ſecundum Deum & conſuetudinem Terræ rationabiliter facta ſunt, infringere temptaverit, regno Dei privetur, & infernalibus pœnis (niſi reſipiſcat) mulctetur.

Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo ſeptuageſimo tertio, Indictione VI. concurrente Septimâ, ſub teſtibus idoneis; quorum hæc ſunt nomina. 1173.

Chriſtianus Canonicus Bonnæ.
Hermannus frater ejus.
Godeſchalcus de Bodenhem.
Ludovicus & frater ejus Embrico, & quam-plures de familia Lommirsheim.

CAPUT XLIII.

PHILIPPUS *Comes Flandriæ, benefacit anno* 1175. *Abbatiæ B. M.* de Dunis, *Religioſorum Ciſtercienſium; quæ nunc Brugis conſiſtit.*

Ex Chartulario Cameræ Rationum Inſulis.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego PHILIPPUS Dei gratia Comes Flandriæ & Viromandiæ, tam modernis quam poſteris, im-perpetuum. Notum eſſe volo, me ſcilicet Eccleſiam ſanctæ Mariæ de *Dunis* cum omnibus appendenciis ſuis tuendam ſuſcepiſſe, ut quietè divinis laudibus & orationibus poſſit vacare, & nemo eos preſumat perturbare.

Conceſſi etiam immutabiliter præfatę Eccleſiæ, ut in ea parte ſolitudinis meæ, qui dicitur *Muer*, quæ à patre meo & à matre mea, necnon & à me-ipſo hereditario Jure poſſidenda conceſſa fuerat, & Domum conſtruere & liberè liceat poſſidere, ad cuſtodiendas *Turbas* quas in prefata fodi faciet ſolitudine. Inſuper & viam quæ dicitur *Crucewech*, ab Arena Dunarum uſque ad domum predictam, à matre mea dudum eidem Eccleſiæ legaliter in hęreditatem conceſſam, & ab hinc viam, quæ dicitur *Monicwegh*, uſque ad *Such-Muer*, liberam concedo; & ne quis infra terminos eorum publicas inquiſitiones facere, vel cetera ad compeſcendos ruſticos inſtituta ſuper eos infringere præſumat, interdico.

Præterea amore Fratrum apud Dunas Deo & Beatæ Mariæ ſervientium, quatuordecim menſuras Terræ, quas *Wilbertus* filius *Erkembaldi* Jure Feodi à me tenuerat, in manus meas ab ipſo reſignatas, in hæreditatem recepi, & eas ab omni debito ſervitutis emancipans, præfatæ Eccleſiæ in hęreditatem dedi. Quatuordecim vero menſuratas hæreditatis *Wilberti* in hæreditatem de manu ejus ſuſcipiens, eas ipſi in feodum reddidi.

Ut autem hujus rei geſtio per omnem ſæculi decurſum rata, & ab omni calumpniæ periculo deffenſa permaneat, Sigilli mei autoritate & ſubſcriptorum teſtimonio eam confirmavi.

S. Gerardi Cancellarii,
S. Hugonis Abbatis Furnenſis,
S. Walteri de Locris,
S. Radulphi Furnenſis Caſtellani,
S. Gilleberti Seneſcalli de Aria,
S. Balduini de Hondeſcota,
S. Enorolfi Schedinus,

Digitized by Google

S. Lamberti Luſti,
S. Leonii,
S. Henrici filii Siburge,
S. Guidonis filii Regnardi Pil.

Actum hoc eſt Furnis, anno ab Incarnatione Domini M. C. LXX. quinto.

CAPUT XLIV.

PHILIPPUS, *Flandriæ Comes, inſtituit fundationem pro pane & vino ad Sacrificium Miſſæ, in Eccleſia Cathedrali Atrebatenſi, anno* 1177.

Ex Cartulario MSS. Capituli Atrebat.

EGo PHILIPPUS Flandrenſium & Viromandiæ Comes, notum eſſe volo omnibus, quod pro ſalute animæ meæ dedi in eleëmoſynam Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Atrebatenſi XL. ſolidos ſingulis annis accipiendos Bappalmis ab eo qui redditus meos ibidem colligit, in Dominica Palmarum.

De iſtis vero denariis ſtatui, ut ſolummodo procurentur vinum & panis ad conficiendum Sacrificium Altaris.

Ne igitur hæc eleëmoſyna poſſit ab aliquo infringi vel caſſari, Sigilli mei authoritate eam confirmari præcepi, anno Domini M. C. LXX. VII.

CAPUT XLV.

PHILIPPUS *Comes Flandriæ benefacit Abbatiæ Ninivenſi Ordinis Præmonſtratenſis, Diœceſis Mechlinienſis, anno* 1177.

Ex Camera Rationum Inſulis.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, imperpetuum. Ego PHILIPPUS Flandriæ & Viromandiæ Comes notum eſſe volo omnibus, quod pro ſalute animæ dedi in eleëmoſynam Eccleſiæ de *Ninive* quadraginta ſolidos, ſingulis annis capiendos Brugis in Dominica Palmarum, ex officio Lambini Notarii. De iſtis vero Denariis ſtatui, ut ſolummodo procurentur Vinum & Panis ad conficiendum Sacrificium Altaris.

Ne igitur hæc eleëmoſyna ab aliquo poſſit infringi vel quaſſari, mei auroritate eam confirmari percepi, anno Domini M. C. ſeptuageſimo ſeptimo.

CAPUT XLVI.

PHILIPPUS ALSATIUS *Comes Flandriæ, confirmat beneficium ex dono Gerardi Albi, in favorem Leproſarii B. M. V. Gandavi, circa annum* 1180. *Hodie eſt Abbatia Monialium Benedictinarum.*

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſulis.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, amen. Ego PHILIPPUS Flandriæ & Viromanduæ Comes, tam præſentibus quam futuris notum fieri volo, quod Terram novam, quam Gerardus Albus poſſederat, per manum meam, in Eccleſia B. Mariæ Gandavi, ad uſus Leproſorum & aliorum ibidem militantium, pro anima ſua & Anteceſſorum ſuorum conceſſit.

Prætaxatam itaque terram præfatus Gerardus ſuo in tempore in XXII menſuras diviſit, & unamquamque ſub cenſu quatuor ſolidorum annuatim conſtituit, quorum dimidietas in Natali Domini, reliqua vero dimidietas in nativitate B. Johannis Baptiſtæ eſt perſolvenda.

Præterea quotieſcumque poſſidentium aliquem mori contigerit, heres ejus ea quæ pater poſſidet, à Magiſtro Hoſpitalis & confratribus requiret, & abſque omni relevio & exactione Domum hereditatis ſuæ de manu illorum gratis recipiet. Si vero aliquis portionem quam in prælibata terra haberet vendidit, Magiſter Hoſpitalis tam ex vendente quam ex emente XVII. nummos ex menſura habebit, ex dimidia novem. Si vero plus minuſve vendidit, ſecundum quod ratio exiget, plus minuſve Hoſpitale habebit.

Nemo etiam niſi de aſſenſu & voluntate Magiſtri Hoſpitalis, quod etiam gratis debet concedere, eam invadiabit. Inſuper ab inhabitatoribus aliquam exactionem vel aliquid

quid ſimile opus nemo exiget, ſub ſoluto cenſu conſtituto, ex quo per annum & diem in ea ſine impetitione & calumnia habitaverint, ab omni debito liberi ſua in pace & & quiete poſſidebunt.

Magnam autem juſticiam mihi retinui, minorem vero eis reliqui. Ceterum ſi quis eorum mercator extiterit, non ſtrictiori lege quam ceteri oppidani Gandenſes alicubi teneri poterit.

Ut autem hoc ratum inconvulſumque permaneat, preſentem Paginam Sigilli mei appenſione & ſubſcriptarum teſtimonio perſonarum muniri feci.

✠ G. de Mecines, Inſulenſis Præpoſiti.
S. Sigeri Notarii Gandenſis.
S. Symonis, Portarii, fratris ejus.
S. Georgii Presbyteri.
S. Symonis Notarii Gandenſis.
S. Magiſtri Danielis, Clerici Comitis.

CAPUT XLVII.

PHILIPPUS *Comes Flandriæ, benefacit anno* 1181. *Abbatiæ B. M. de* Avenis, *Monialium Nobilium Ordinis S. Benedicti, juxta Atrebatum.*

Ex Chartulario Cameræ Rationum Inſulis.

EGo PHILIPPUS Flandriæ & Viromandiæ Comes, notum eſſe volo, tam futuris quam præſentibus, quod ad inſtantiam precum cariſſimæ Sororis meæ GHERTRUDIS, quondam *Morianenſis* Comitiſſæ, Gallicè *Moriagne*, pię ipſius devocioni placido occurrens aſſenſu, pro animabus noſtris & Anteceſſorum noſtrorum volui, dedi & approbavi Elemoſynam quam ex redditibus ſibi ad vivendum aſſignatis Eccleſiæ beatæ Mariæ *De Aveſnes*, aſſignavit, videlicet decem libras ex officio Lambini Notarii, in Purificatione Beatæ Mariç Brugis annuatim perſolvendas.

Conventus tamen pitantiam aliquam habeat in die utriuſque Anniverſarii, & in Kalendario Anniverſario noſtro notato, ſicut Fratribus ſuis, ita Nobis orationum ſuarum perpetuò impendant beneficium, non pretii ſed ſanctæ caritatis intuitu.

Ut igitur hæc Eleëmoſyna noſtra rata & inconcuſſa permaneat, Sigilli mei autoritate & Teſtium ſubſcriptione præſens Scriptum muniri curavi.

S. Roberti Advocati,
Roberti filii ejus,
Hugonis de Oiſy,
Michaelis Conſtabularii,
W. de Locris,
Walteri de Atrebato,
Ghilberti de Aria,
Theobaldi Militis Templi,
Gerardi De Mecinis, Sigillarii Comitis;
S. Sagalonis Huguedin.

Ego quoque BALDUINUS Comes Hannoniæ, & MARGARETA Uxor mea, concedimus & approbamus, & Sigillorum noſtrorum autoritate confirmamus.

Actum eſt hoc anno Domini M. C. LXXXI.

CAPUT XLVIII.

PHILIPPUS ALSATIUS *Comes Flandriæ benefacit anno* 1183. *Eccleſiæ Beatæ Mariæ de* Coeſvoorde *in Waſia, quæ hodie deſtructa eſt.*

Ex Camera Rationum Inſulis.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.

Ego PHILIPPUS Dei gratia Flandriæ & Viromandiæ Comes, notum eſſe volo tam preſentibus quam futuris, quod venerabili Domui Beatæ Mariæ de Coffard in eleëmoſynam tradimus ad honorem Dei & ſanctæ Mariæ, pro ſalute mea & prædeceſſorum meorum Domum quamdam ex ſilva mea ibidem edificatam, in perpetuum poſſidendam.

Donavi etiam ibi Deo ſervientibus terram Maris, inter Oſſeneſſe & Honteneſſe jacentem, quæ Werplant ſive Zand vocatur, & quicquid ad eam juris pertinet, vel quicquid deinceps ei ex Mari accreverit, ut ſit adverſus eorum.... eleëmoſinarum & pauperum illic advenientium.

Ut autem hæc Donatio mea in perpe-

tuum firma & ſtabilis & abſque ullius Succeſſorum meorum perturbatione inconvulſa permaneat, Sigilli mei auctoritate & ſubſcriptorum Teſtimonio eam communiri.

S. Philippi Comitis.
S. Gerardi, Præpoſiti Brugenſis,
S. Raſſonis de Gavera,
S. Theodorici de Beverna,
S. Balduini fratris ejus,
S. Walteri de Nivella,
S. Gerardi de Haſlet,
S. Theodorici de Donſa,
S Waltheri Buſci Venatoris,
S. Willelmi filii ejus,
S. Dirkini de Baſſevelde,
S. Wilhelmi filii ejus,
S. Willelmi de Marka,
S. Sigeri de Likevelde,
S. Walteri filii ejus,
S. Walberti de Berdame,
S. Balduini Kuſtinc,
S. Willelmi de Warneſton.

Actum anno Dominicæ Incarnationis M. C. LXXXIII.

Altare de *Coeſvorde* inter Diplomata Miræi reperitur confirmatum Abbatiæ S. Petri juxta Gandavum: anno 1140. per Simonem Epiſcopum Tornacenſem Tomo II. pag. 967. & anno 1150. per Gerardum Epiſc. Tomo III. pag. 48.

Ex ſuperiore Diplomate Philippi Alſatii, apparet illic fuiſſe olim quoſdam Deo ſervientes, ſive Communitatem Religioſam. Aſt equidem parochia hæc jam pridem deſtructa ſive abſorpta eſt: ac pro ea Abbas S. Petri cum Capitulo Cathedrali Tornacenſi præſentat alternatim ad Eccleſiam S. Ægidii in Waſia.

Oſſeneſſe & *Honteneſſe*, parochiæ in hoc Diplomate memoratæ, ſunt juxta Hulſtum in Flandria verſus mare & aliquando undis abſorptæ, dein vero reaggeratæ. Quæ omnia penitiùs inquirenda ſunt ab incolis. Ita Sanderi Flandr. Tom. I. pag. 216.

CAPUT XLIX.

HENRICUS *Comes Namurcenſis ac Luxemburgenſis, confirmat circa annum* 1186 *Fundationem Prioratûs Benedictinorum in* Ouſeldingen, *à Moliſmenſi ejuſdem Ordinis apud Gallos Abbatia dependentis. Hodie Luxemburgenſi Collegio Societatis Jeſu incorporatus eſt.*

Gallicè *Uſeldange.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego HENRICUS, Dei gratiâ Namurcenſis & Luceburgenſis Comes, tam futuris quàm præſentibus notum volo fieri, locum S. Lamberti in *Altari*, qui juxta Roſlenges ſitus eſt, cum omni allodio, quod de dote illius Eccleſiæ eſt..... vel aliquis, ſive liber, ſive Miniſterialis de Comitatu meo, ob remedium animæ ſuæ eidem loco aſſignare voluerit, & quod ibidem agrorum habeo, Eccleſiæ Beatæ Dei genitricis Mariæ de *Moliſmo*, ob meorum Anteceſſorum & meam ſalutem in perpetuum, cum omni libertate me contradiſſe.

Hodie Attert.

Et quia juſtis petitionibus facilis tribuendus eſt aſſenſus, Fratri Richardo bene petenti, & juſtè, bono animo annuiſſe: locum vero inhabitantium ubicumque fuerint ſub protectione & tutelâ Dominii noſtri quaſi dominicaturam propriam tenere & obſervare.

Hujus rei Teſtes ſunt,
Magiſter Petrus, Prothonotarius meus.
Magiſter Guilielmus &c.

OUSELDIGNEN, gallicè *Uſeldange*, olim oppidulum munitum Ducatus Luxemburgenſis: de quo lege Berthelii Luxemburgum pag. 206. Prioratus ibidem fundatus dicitur à Domina loci, quę in Eccleſia primaria tumulata jacet. Annus fundationis non adnotatur.

Porro Collegium PP. Societatis Jeſu Luxemburgi erectum fuit anno 1585, eique per Bullam Sixti V. Pont. rogante Philippo II. Hiſpan. Rege obtentam, in dotem aſſignati fuere Prioratus quatuor hujus Provinciæ, qui temporum injuriâ à Monachis ſuis derelicti habebantur: ad conflandos proventus 5000 floren. tam pro Collegio quam pro Gymnaſio.

I. Prioratus de *Aiwaille*, olim Cluniacenſis Ordinis, cujus fundatio extat Tomo I. horum Diplom. Belgic. pag 358.

II. Prioratus S. Walburgis de *Chiny*, olim dependens ab Abbatia S. Arnulphi Metenſi, de cujus Fundatione vide eundem Tomum I. pag. 670.

III. Prioratus de *Ouſeldinghen*, qui à Moliſmenſi Benedictinorum Abbatia, Diœceſis Lingonenſis antehac dependebat. Hujus mentio ſit hoc Diplomate.

IV. Prioratus *Vallis Monachorum*, prope Avioth, primo milliari à Monte-medio, in Ducatu Luxemburgenſi: olim à Sti. Audoëni apud Rothomagenſes Abbatia dependens. Conſule Luxemburgum Bertelii pag. 208.

De *Moliſmenſi* Abbatia, vide Tom. I. Diplom. Belgic. pag. 137.

CAPUT L.

GODEFRIDUS III. *Brabantiæ Dux, in favorem Abbatiæ Gemblacenſis Ordinis Sti. Benedicti, Oppidum Gemblacenſe in Gallo-Brabantia, Libertate donat, anno* 1187.

Ex Cartulario Abbatiæ.

IN nomine Domini Dei Salvatoris mundi. Quoniam dicta vel facta priorum litteris mandata tranſeunt ad notitiam poſterorum, & magis probabile fit & ydoneum memoriæ, quidquid ſub oculis repræſentatur & atteſtantur litteræ: Ego GODEFRIDUS Dei gratiâ tercius hujus nominis Dux Lovanienſis, unà cum dilecto filio meo HENRICO, Notum facio preſenti Carta, omnibus ſucceſſoribus noſtri Ducatus & honoris, qualiter Ego in diebus JOHANNIS Abbatis, Burgum Gemblacenſe, per B. GUIBERTUM Imperiali munificentia olim libertate datum, ſed ab ipſa libertate per incuriam & inſolentiam Principum Terræ quodammodo prolapſum, antiquæ libertati reſtituerim: quibuſve legibus ipſam libertatem im-perpetuum tenendam inſtituerim.

Aſſenſu dilecti filii mei Henrici, rogatu prædicti Abbatis & totius Eccleſię, conſilio Hominum meorum, pro ſalute animæ meæ & Anteceſſorum meorum inſtitui, ut infra Burgum, & precariam & vigiliam Burgi nulla petitio mortuę manus fiat im-perpetuum omnium illic inhabitantium, undecumque venerint, cujuſve Familiæ, meę vel alterius fuerint, & in Burgo anno uno & die manſerint: niſi infra annum & diem à Dominis ſuis, me excepto, requiſiti & legaliter retenti fuerint.

Si quis de Terra mea illuc ad habitandum venire voluerit, liberè veniat. De Abbatia vero nullus niſi meo permiſſu venire poterit.

Si quis forenſis, vel de Abbatia in Burga domum, vel aream domus ab antiquo habuerit, ad id-ipſum redire ad habitandum liberè licebit.

Si qui Burgenſes forinſecus operam in agris habuerint, oportuno tempore, ſementis videlicet & meſſis, & menſe ſervili illic ire, & habitare poterunt; peractâ vero operâ ad habitationem Burgi redibunt.

Donum hujus Libertatis & noſtræ Conceſſionis pro ſalute animarum noſtrarum, Ego & filius meus Henricus, præſentibus Nobilibus Viris Hominibus noſtris, ad Altare S. Petri portavimus, & in conſpectu omnium, quicumque hanc libertatem ulterius infringet, excommunicari fecimus.

Igitur ne quis ſucceſſorum noſtrorum hujus Libertatis prærogativam infringere præſumat, in teſtimonium Eccleſiæ & futuræ generationis huic Cartæ Sigilla noſtra appoſuimus, & Hominum noſtrorum ydoneorum Teſtium nomina adnotavimus.

De Nobilibus Viris,
Waltherus de Ath,
Michael & Theodoricus, fratres de Birbacis,
Godefridus de Calmunt.

Antiqui Nobiles Gallo-Brabantiæ.

De Familia:
Arnulphus de Walehem,
Reinerus & Guilielmus fratres ejus,
Reinerus de Hawrez,
Reinerus de Limal,
Arnulfus de Weſemale,
Arnulfus de Greis,
Guilielmus de Berdines,
Guilielmus & Bauduinus filii ejus.
De Familia & Hominibus Eccleſiæ,
Franco Villicus,
Waltherus de Corte,
Stephanus filius ejus, Guilielmus, Raimardus, & Balduinus fratres.

Actum anno Domini M. C. octuageſimo ſeptimo. 1187.

CAPUT LI.

PHILIPPUS *Comes Flandriæ, renunciat anno* 1188 *in favorem Epiſcopi & Eccleſiæ Atrebatenſis, omni Juri quo potiebatur in Villis de* Vitry *&* Fampons.

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſulis.

IN nomine Stæ. & Individuæ Trinitatis, amen. Ego PHILIPPUS Flandrię & Viromandiæ Comes, præſenti Scripto notifico præſentibus & futuris, me dediſſe & in perpetuum conceſſiſſe pro redemptione animæ meæ & Kariſſimæ Uxoris meę Mathildis Reginæ, Deo & Eccleſiæ Cathedrali Beatæ Mariæ Atrebatenſi, in manu Petri ejuſdem Epiſcopi, quicquid habebam ac in diſtricto E-

piſcopi, jus tamen de aſſenſu Epiſcopi retinens in vita mea in parte diſtricti quæ dicitur *Strata*, exercitium, cavalcheiam, talliam, altam juſtitiam, portam & calceiam in porta.

Quæ tamen omnia poſt deceſſum meum, ſi ea relinquere voluero in manum & in jus Atrebatenſis Epiſcopi, revertentur ab ipſo Epiſcopo quietè & liberè perpetuò poſſidenda. Quod ſi prolem de femore meo & de legitima uxore ſuſcepero, ſi ipſa proles vel Ego in vita mea, tam ſupra-dicta quæ modo teneo, quam omnia alia quæ habet Epiſcopus à porta Stratę uſque ad pontem nobis retinere voluerimus; Villam quæ dicitur *Vitreium*, vel Villam quæ dicitur *Fampons*, cum omnibus appendiciis & pertinenciis ſuis Epiſcopo Atrebatenſi in Concambium dabimus, cum omni libertate & quiete perpetuò poſſidendam.

Pro hac autem eleëmoſyna, ſive concambium cum factum fuerit, Anniverſarii dies obitûs mei & memoratę Uxoris meæ M. & Eliſabethæ quondam Uxoris meæ, in eadem Eccleſia B. Mariæ Atrebatenſi ſuis temporibus perpetuò celebrabuntur.

Præterea nec michi licebit Homines Epiſcopi in diſtricto ejus manentes infra diſtrictum meum ad inhabitandum ſine ejus licentia recipere; nec Epiſcopo Homines meos modo ſimili, niſi de aſſenſu meo, retinere licebit.

Hæc omnia à me benignè conceſſa, approbavit pariter & conceſſit jam dicta Uxor mea M. & ipſe Epiſcopus cum meo Sigillo ſuum fecit ſigillum apponi, ſubſcriptis Teſtium nominibus, qui huic Conceſſioni fuerunt præſentes.

Signum G. Abbatis Aquicinenſis.
✠ J. Abbatis Hannonienſis.
✠ J. Abbatis de Monte S. Eligii.
✠ W. Abbatis Aroaſienſis.
✠ N. Abbatis . . .
✠ J. Archidiaconi.
✠ R. Archidiaconi.
✠ J. Decani.
✠ F. Cantoris.
✠ S. Magiſtri,
✠ G. Præpoſiti Inſulenſis.
✠ G. Præpoſiti Brugenſis.
✠ J. Præpoſiti Duacenſis.
✠ G. Caſtellani Atrebatenſis.
✠ G. de Aria.
✠ N. de Robais.

Actum anno Dominicæ Incarnationis M. C. LXXXVIII. feliciter. Amen. 1188.

CAPUT LII.

PHILIPPUS ALSATIUS, *Flandriæ Comes, in Eccleſia B. M. V. Audomarenſi, nunc Cathedrali, fundat Præbendam dictam de* Ruhault, *anno* 1189.

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſulis.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis amen. Ego PHILIPPUS Flandriæ & Viromandiæ Comes notum fieri in perpetuum volo quod pro ſalute animæ meæ & Anteceſſorum meorum nec non & Succeſſorum, Capellanum perpetuum inſtitui in Capellania mea de *Ruhout*, & ei certos in perpetuum redditus, ſcilicet CCC. menſuras terræ apud *Oudemonſtre*, cum decima earum & univerſo dominio eorum & juſtitia & comitatu, adhuc ſex libras apud Ballolium ex Miniſterio Gilii, de paraciori redditu in feſto ſancti Martini, & ſeptem libras Furnis ex Miniſterio Leonii Notarii in Purificatione ſanctæ Mariæ annuatim ſolvendas. Quamdiu autem locus *Ruhout* inhabitabitur, & Capella duraverit & domus, manebit ibidem Capellanus & donum Capellaniæ ad Dominum... ſpectabit.

Si vero locum contigerit eſſe deſertum, ad Eccleſiam Sancti Audomari Capellanus transferetur, & Capellania ad donum Præpoſiti ſpectabit: quam non niſi Presbytero poterit conferre. Qui quidem Canonicus dictæ Eccleſiæ erit contentus prædictis ſtipendiis, quos Canonicè in Eccleſia poſſidebit.

Quod ut firmius permaneat, conſtitutus eſt Petrus Capellanus & nunc Canonicus Eccleſiæ; & quicumque Capellanus fuerit Ruhouti inſtitutus, Eccleſiæ Canonicus erit: contentus tamen prædictis ſtipendiis ad Capellaniam ſuam pertinentibus.

Hoc Donum autem ut ratum inconcuſſumque permaneat, tam præſentis Scripto Paginæ, quam mei impreſſione Sigilli, imo & ſubſcriptarum Teſtimonio perſonarum munire decrevi.

S. Domini, Ven. Morinenſis Epiſcopi.
S. B... Brugis & ſancti Audomari Præpoſiti.
S. V.... Inſulenſis Præpoſiti.
S. W.... Decani ſancti Audomari.
S. W.... Caſtellani ſancti Audomari.

Actum anno Domini M. C. LXXXIX.

Confirmatio & Acceptatio GERARDI *Præpoſiti Eccleſiæ S. Audomari, eodem anno* 1189.

Ex Motivo Capituli Audomarenſis contra Abbatiam Bertinianam, pag. 47. N. 66. in Probis.

EGo GERARDUS Dei gratiâ ſancti Audomari Præpoſitus, & Willermus ejuſdem Eccleſiæ Decanus, univerſis tam præſentibus

ſentibus quam futuris notum fieri volumus, quod conſentiente Capitulo noſtro, Capellanum Comitis, *de Rubot*, Canonicum Eccleſiæ noſtræ conſtituimus, cum reditibus & cenſu, qui ad Capellaniam ipſius de Ruhot ſpectant.

Conceſſimus etiam ipſi .....

Inſuper fercula, quibus Canonicis teneor, ei adimplebo. In ferculis, quæ Canonici faciunt de proprio, ſicut Canonicus accipiet.

Actum anno Domini M. C. LXXX. VIIII. menſe Decembri, in die feſto Beati Thomæ Martyris & Cantuarienſis Epiſcopi. 1189.

CAPUT LIII.

Præpoſitura Montis-Frigidi, Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Bruxellis, à Gilberto *&* Gerardo *Capellanis inchoata, ab* Henrico I. *Brab. Duce fundatur anno* 1190. *&* à Gregorio IX. *Pont.* Otthone *ejus Legato,* Godefrido *Epiſc. Camerac. &* Henrico III. *Brabant. Duce, annis ſequentibus confirmatur.*

Prima Fundatio.

Henricus, Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, dilecto ſuo G. Capellano ſalutem & gratiam ſuam. Cum decimam de Duysborch, Eccleſiæ S. Jacobi in Caldenberga, ad opus ibidem ſervientium legitimè contulerim, una cum bonis dictæ Eccleſiæ, & terras de Eggefort ſive de Waltergem, quas non poſſident, etiam adhuc plura collaturus &c.

Actum anno 1190.

II. *Bulla* Gregorii IX. *Pont. cœmiterium concedentis.*

Gregorius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo Cameracenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Dilecti filii Præpoſitus & Capitulum S. Jacobi de Frigidi-monte in Bruxella nobis humiliter ſupplicarunt, ut cum eorum Eccleſia, quæ ſæcularis extitit, in Regularem noviter ſit converſa, in fundo proprio habendi ad opus ipſorum cœmiterium juxta ipſam Eccleſiam, eis licentiam concedere dignaremur.

Volentes igitur tibi, qui loci Dyoceſanus exiſtis, hac in parte deferre, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus quatenus eiſdem, ſi expedire videris, poſtulata concedas, ſine juris præjudicio alieni.

Datum Reate, quarto Idus Junii, Pontificatûs noſtri anno octavo.

Gregorius IX. in Papam electus eſt anno 1227. adeoque datum fuit hoc ejus Decretum anno 1235. Colligе ex dictis, Eccleſiam Frigidi-montis olim fuiſſe ſœcularem. Creditur ædificata ac ac fundata ab Ludovico Pio Imp. filio Caroli Magni: & fuit una ex Capellis ſub Eccleſia matrice ac parochiali S. Gudilæ. Dein à duobus Capellanis Bruxellenſibus Gilberto & Gerardo cœpta ibidem Religio Canonicorum Regularium, ut narrant ſequentia Diplomata.

III. *Ottho, S. R. E. Cardinalis, Legatus Apoſtolicus, recipit Eccleſiam & Conventum Frigidi-Montis, in protectionem S. Sedis.*

Ottho miſeratione divinâ S. Nicolai in in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, . . . ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Dilectis in Chriſto, Præpoſito & Conventui S. Jacobi in Frigidi-monte, Ordinis S. Auguſtini Bruxellis, Diœceſis Cameracenſis, ſalutem in Domino.

Sacroſancta Romana Eccleſia devotos & humiles filios ex aſſuetæ pietatis officio propenſius diligere conſuevit, & ne pravorum moleſtiis agitentur, tamquam pia Mater ſuæ protectionis munimine confovere.

Nos itaque, qui ejuſdem Sedis vicem gerimus, veſtris poſtulationibus inclinati, perſonas, & locum in quo eſtis divino obſequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præſentiarum rationabiliter poſſidetis, ſub Apoſtolicę Sedis protectione ſuſcipimus: ſpecialiter autem Eccleſiam de *Duysborgh*, Cameracenſis Diœceſis, cum pertinenciis ſuis; Decimas, & terras, & alia bona veſtra, Vobis à Nobili Viro Duce Brabantiæ piâ liberalitate conceſſa, ſicut ea juſtè canonicè & pacificè poſſidetis, Vobis, & per Vos Eccleſiæ veſtræ, authoritate Legationis quâ fungimur confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtrę Protectionis & Confirma-

tionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Apoſtolorum Petri & Pauli ſe noverit incurſurum.

Datum Caſtell.... XV. Kal. Maii.

Ottho, dictus *Candidus*, de *Alerano*, è Marchionatu Montis-ferrati in Lombardia, creatus à Gregorio IX. Pontif. Cardinalis Diaconus anno 1227. dein ab Innocentio IV. Pont. creatus anno 1254. Epſcopus Portuenſis, durante Concilio Lugdunenſi.

Videtur autem Diploma hoc tempore poſterius, quam Bulla Gregorii Noni, cujus Legatus fuit Cardinalis Otto. Sed annus datæ incertus.

IV. Godefridus, Cameracenſis Epiſcopus, confirmat fundationem Præpoſituræ Frigidi-Montis, pro Canonicis Regularibus, circa annum 1230.

GOdefridus Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus, univerſis has Litteras viſuris ſalutem in eo qui ſalvos facit ſperantes in ſe. Sicut injuſta & inhoneſta petentibus totius exauditionis apud diſcretum judicem favor eſt denegandus, ſic juſta & ſalubria petentium deſideria, excluſâ omni difficultate, facili exauditione ſunt digna.

Hinc eſt, cur Nos ſalubri petitioni & juſto deſiderio dilectorum in Chriſto filiorum, *Gilberti* videlicet & *Gerardi* Capellanorum Bruxellenſium, facili volentes occurrere conſenſu: qui (ſicut pro certo intelleximus) tam ſancto quam ardenti propoſito, venerabilem plantam S. Auguſtini in virgulto Domini propagant & de novo initiant in Eccleſia B Jacobi de Frigido-Monte in Bruxella, pro modulo poſſibilitatis ſuæ, de divino & potentium virorum confiſi auxilio, laborant ut prædicta plantatio, multiplicante Deo, in menſa Domini tandem fructum adferat opportunum.

Nos de tam ſancto propoſito ſpem ſalubrem concipientes, de proborum virorum conſilio, ad petitionem Illuſtris Ducis Lotharingiæ, & maximè divinæ retributionis intuitu, Confirmationem, quam de præfato Ordine, ſive de bonis Domui eidem jam collatis ſive impoſterum conferendis, Reverendus Pater Ottho * divinâ miſeratione S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, in Eccleſia memorata (Nobis tamen requiſitis qui ſumus Dyoceſanus loci) dicitur feciſſe, ratam & gratam habentes, eam prout juſtè & canonicè à dicto Patre facta eſt, & ſine præjudicio juris alieni, quantum in nobis eſt authoritate Dyoceſana approbamus; & eidem Confirmationi, ſicut prædictum eſt, robur & authoritatem quantum poſſumus & debemus, impertimur. Salvis tamen Nobis & Succeſſoribus noſtris impoſterum Jure & Juriſdictione & ſubjectione debitis in Domo memorata..... *Cætera hujus Diplomatis deſiderantur.*

* De quo in Diplomate præcedenti.

V. Henricus III. *Brabantiæ Dux confirmat ea quæ per Anteceſſores ſuos Monaſterio Montis-Frigidi conceſſa fuerant: anno* 1256.

HEnricus Dei gratiâ Dux Lotharingiæ & Brabantiæ, univerſis præſentes Litteras inſpecturis ſalutem in omnium Salvatore.

Univerſitatem veſtram ſcire volumus, quod Nos in remiſſionem noſtrorum peccaminum, & ob ſalutem animæ noſtræ & Anteceſſorum noſtrorum, Collationi factæ olim Præpoſito & Communitati Eccleſiæ B. Jacobi Frigidi-montis in Bruxella Ordinis St. Auguſtini, de dicta Eccleſia S. Jacobi & de Eccleſia de Duysburgh, cum ſuis attinentiis, ab Avo noſtro quondam Duce Brabantiæ magnæ memoriæ; (prout in ejuſdem Litteris patentibus quas vidimus & audivimus ſuper hoc confectis, pleniùs continetur,) conſenſum noſtrum & laudamentum adhibuimus cum effectu, ipſam Collationem eis legitimè factam confirmando.

In cujus rei teſtimonium & firmamentum Sigillum noſtrum præſentibus appoſuimus.

Datum apud Furam menſe Maio, feriâ quintâ in Inventione Sanctæ Crucis, anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſexto.

VI. Joannes II. *Brabantiæ Dux confirmat Præpoſito & Conventui Frigidi-Montis, Privilegium à Patre conceſſum, de emendis bonis hereditariis in Brabantia, anno* 1300.

JOannes Dei gratiâ Dux Lotharingiæ & Brabantiæ. Cum Dominus & pater noſter memoriæ recolendæ gratiam fecerit ſpecialem Viris Religioſis Præpoſito & Conventui Monaſterii S. Jacobi Frigidi-Montis in Bruxella, videlicet quod emere poſſint & acquirere bona hereditaria & allodialia in noſtro Dominio & Ducatu uſque

ad valorem centum librarum, & quod de illis bonis ab eiſdem acquirendis poſſint inveſtiri &c.

Nos dictam gratiam à Domino & patre noſtro prædicto factam, eiſdem Religioſis benigniùs reformamus . . .

Actum anno Domini 1300.

Exſcripſi hæ Diplomata è MSS. Eccleſiæ S. Gudilæ, quod eſt in Bibliotheca Eminentiſſ. D. Cardinalis de Alſatia Archiep. Mechlin.; & citatur excerptum ex ipſis Archivis Monaſterii.

Inter Diplomata Miræi Tomo I. pag. 392. extat unum datum Eccleſiæ S. Jacobi in Frigido Monte anno 1251, quando necdum erat Regularis.

CAPUT LIV.

BALDUINUS *Flandriæ & Hannoniæ Comes, poſtmodum Imperator Conſtantinopolitanus, duas Cortraci Capellanias fundat, circa annum* 1192. *paulò pòſt in Canonicatus erectas.*

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſul.

EGo BALDUINUS Flandriæ & Hannoniæ Comes, notum fieri volo tam futuris quam præſentibus, quod pro ſalute animæ meæ & dilectiſſimæ Uxoris meæ M. Comitiſſæ & Anteceſſorum meorum ac deinceps Succeſſorum, duos inſtitui Capellanos in Capella mea de Curtraco divina ibidem imperpetuum celebraturos, alterum quidem in honore Spiritûs Sancti Paracleti, alterum in honore beatiſſimæ & gloriosiſſimæ Genitricis Dei Virginis Mariæ. Ad ſuſtentationem Capellanorum prædictorum dedi eis de propriis redditibus meis, videlicet de Theloneo meo de Curtraco & de redditibus Lardarii mei quadraginta libras, unicuique eorum viginti libras, & ſex libras duobus Clericis qui eis miniſtrabunt.

Hæ autem quadraginta ſex libræ Capellanorum & Clericorum ſolventur eis tribus terminis anni, ſicut michi ſolvuntur redditus mei: de Theloneo quidem meo triginta libras & de Brevibus Lardarii mei duodecim libras, tertia pars infra octavas ſancti Martini, altera tertia pars infra Octavas Purificationis Beatæ Mariæ, ultima tertia pars infra Octavam Aſcenſionis Domini.

Ille vero qui ſervabit theloneum non poterit differre Capellanis & Clericis redditus ſuos ultra prædictos terminos. Similiter ille qui ſervabit Brevia Lardarii, non poterit differre Capellanis & Clericis redditus ſuis: nec poterit Presbyteros ad Hoſpites qui michi debent redditus meos aſſignare, ſed eum opportebit Capellanis & Clericis paratè ſolvere.

Ut autem iſta ſolemnis Donatio mea ſtabiliter permaneat & inconvulſa, præſentem Paginam Sigilli mei appenſione & Teſtium ſuſcriptione roboravi.

S. Gerardi Brugenſis Præpoſiti & Flandriæ Cancellarii,

S. Philippi fratris mei, Comitis Namurcenſis,

S. Henrici Fratris mei,

S. G. de Baliolo,

S. Frumaldi de Winghines,

S. Rogeri filii Caſtellani de Curtraco,

S. Willelmi, Notarii Comitis.

CAPUT LV.

MARGARETA, *Flandriæ & Hannoniæ Comes, benefacit anno* 1194 *Abbatiæ* Eeckhoutanæ, *Canonicorum Regularium, Brugis.*

EGo MARGARETA Comitiſſa Flandriæ & Hannoniæ, & Marchioniſſa Namurcenſis, notum facio tam præſentibus quàm futuris, quod ex conſenſu Balduini Mariti mei & Domini, Comitis Flandriæ & Marchionis Namurcenſis, & dilecti Filii mei primogeniti Balduini conceſſi Monaſterio de Eeckhout centum ſolidos ſingulis annis de Brevibus, quæ majus Officium appellant, Brugis in Purificatione recipiendos.

De quibus quadraginta ſolidi cedent refectioni Canonicorum ibidem Deo ſervientium in quatuor terminis anni diſtribuendi, in die videlicet Anniverſarii mei decem ſolidi, Dominicâ *Invocavit me* 10. ſol. Dominicâ *Lætare* item 10. ſol. Dominicâ Palmarum 10. ſol.

Ne igitur præſens Conceſſio mea diuturnâ temporum ſucceſſione perverti poſſit, Sigilli mei & Sigillorum Mariti mei & Filii mei Balduini impreſſione & ſubſcriptione teſtium idoneorum communivi,

S. Gerardi Brugenſis Præpoſiti & Flandriæ Cancellarii.

S. Eliæ Abbatis Dunenſis &c.

Actum anno M. C. XC. IV.

CAPUT LVI.

MARGARETA, *Flandriæ Comites, benefacit Abbatiæ* S. Trudonis, *Monialium Ordinis S. Auguſtini, Brugis, anno* 1194.

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſulis.

EGo MARGARETA Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſa & Marchioniſſa Namurci, notum facio tam præſentibus quam futuris, quod ex conſenſu Balduini mariti mei Comitis Flandriæ & Hannoniæ & Marchionis Namurci, & dilecti filii mei primogeniti Balduini, conceſſi Monialibus *ſancti Trudonis* ſexaginta ſolidos ſingulis annis de Brevibus, quæ Majus officium appellantur in Purificatione Brugis recipiendos. De quibus quadraginta ſolidi cedent refectioni Sororum ibidem Deo ſervientium, in die Anniverſarii mei, in Natali Domini, in Paſcha, in Pentecoſte diſtribuendi. Ut igitur hoc Donatio mea ad poſteros tranſeat inconvulſa, Sigillo meo & prædictorum, videlicet mariti mei & filii mei confirmavi & munivi.

S. Gerardi Brugenſis Præpoſiti & Flandriæ Cancellarii,
S. Eliæ Abbatis Dunenſis,
S. Hugonis Decani Brugenſis,
S. Willelmi Decani Inſulenſis,
S. Canonicorum de Brugis, Joſeph, & Magiſtri Gerardi de Inſula.

Actum anno Domini M. C. XC. IV.

Abbatia Monialium S. Trudonis Brugis, eundem habuit fundatorem S. TRUDONEM, Confeſſorem, qui & celeberrimam Benedictinorum Abbatiam in Hasbania, ſub Diœceſi Leodienſi olim erexit.

Illud quod hodie Brugis exiſtit Cœnobium, iiſdem initiis exſurrexit, quibus Abbatia Quercetana, vulgo Eeckhoutana, in eadem urbe: cujus Origo cum fuerit prolixè deſcripta Tomo III. horum Diplomatum Belgicorum pag. 57 a id-ipſum hîc adnotaſſe ſufficiet.

CAPUT LVII.

THEOBALDUS, *Comes Barrenſis, fundat anno* 1198 *Prioratum de* Marvilla *in Ducatu Luxemburgenſi, ibique inſtituit Monachos Benedictinos Abbatiæ Resbacenſis in Normannia.*

Communicavit R. P. Bertholet S. J.

UT ea quæ noſtris fiunt temporibus, rata & inconvulſa permaneant, ego Theobaldus Barrenſis notum facio præſentium eſſentiæ & futurorum poſteritati, quod omnes decimas Martio-villæ Eccleſiæ ſancti Petri Resbacenſis perpetuo poſſidendas conceſſi, & cum Eccleſiæ alias tractu, quem in manu meâ tenebam, dedi Eccleſiæ Fratribus terram labori unius carrucę ſufficientem, cujus terræ medietas culta erit, alia vero culta vel inculta.

Dicti vero Fratres nihil ulterius ibidem acquirere poſſunt niſi de conſenſu & voluntate meâ. Hoc autem eâ feci conditione, quod Abbates Resbacenſes, totuſque ejuſdem loci Conventus mihi perpetuo poſſidendum reliquerant quidquid, exceptis Decimis & tractu Eccleſiæ, in ſupra notatâ villâ habebant.

Quod ut ratum permaneat, Sigillo meo confirmavi.

Data Montis-falconis anno Dominicæ Incarnationis M. C. XC. VIII.

(1) MARVILLA, Ducatus Luxemburgenſis oppidulum, ſub Comitatu Chiniaci, olim mediatim ad Duces Luxemburgi ac Barri pertinuit, tamquam *Terra communis*. Hodie paret Regi Galliæ.

(2) RESBACUM, gallicè *Resbais*, inſignis Benedictinorum Abbatia, Diœceſis Meldenſis, fundatorem agnoſcit S. Audoënum. Plures olim Prioratus ſibi ſubjectos habuit, etiam in ipſo Regno Angliæ.

CA-

CAPUT LVIII.

HENRICUS *Dominus de Sebourg, Balduini Flandriæ & Hannoniæ Comitis Patruus, Prioratui Sti. Salvii Ordinis Cluniacenſis juxta Valencenas (nunc Abbatiæ) beneficia quædam in terris ſuis largitur, anno* 1199. *Accedit Ratihabitio præfati* BALDUINI *Comitis, dein Imperatoris Conſtantinopolitani : eodem anno.*

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego HENRICUS Dominus de Seburco, Comitis Flandriæ & Hannoniæ Patruus, omnibus præſentibus & futuris, notum facio; Quod ego pro remiſſione peccatorum meorum, & animæ meæ ſalute, exactiones quaſdam, quæ vulgo *Tallie* appellantur, quas ab Eccleſia ſancti Salvii, pro quibuſdam terris, quas poſſidet apud *Seburcum*, exigere ſolitus eram, & terragium quod in terra, quæ de eleëmoſina Caroli de Criptis ad ipſam deſcendit Eccleſiam, poſſidendam apud *Follers*, abſolutè remittens, ſuper Altare ſancti Salvii, coram ſufficienti teſtimonio, ramo, & ceſpite in eleëmoſynam poſui; hoc adjecto, quod pro terragio illo, terragium aliud quod jam dicta Eccleſia, in eodem territorio de Follers de parte præfati Caroli in meis poſſidebat terris, verſâ vice ejus conceſſu retineo.

Sane igitur tam prædicta, quam cætera quæ apud Seburcum dicta jure hæreditario poſſidet Eccleſia, juramenti & fidei meæ firmitate, libera eſſe decrevi; pacificè quoque & ſine omni exactione, perpetuo tempore poſſidenda conceſſi.

Ut igitur hujus Conceſſionis & eleëmoſynæ meæ Pagina libertate perpetuâ gaudeat atque firmitate, Dominum meum Flandriæ & Hannoniæ Comitem Balduinum, & Fratrem ejus Dominum Henricum, & Willelmum Fratrem meum obſides conſtitui hujus rei. Tamen ſi quis de cætero præfatum Monaſterium ſuper hoc gravare voluerit, ipſi Tutores ejus ſint, & prædictam eleëmoſynam meam firmam, & illibatam faciant permanere.

Conſcriptam igitur Paginam iſtam, idoneorum ſubſcriptione Teſtium, & Sigilli mei appenſione roborare curavi.

Signum Henrici, fratris Comitis,
S. Willelmi, fratris mei,
S. Willelmi de Seburco,
S. Simonis de Angra,
S. Henrici à le Barbe,
S. Raineri Polet, Hominum meorum.
S. Maineri Abbatis Haſnonienſis, & Balduini Monachi ejus.
S. Hugonis, & Almanni, Presbyterorum de ſancto Salvio,
S. Thomæ Presbyteri & Henrici de Seburco,
S. Walteri, Militis de ſancto Petro,
S. Laurentii Campagne, & Theodorici Cambitoris,
S. Walevini de Caſtello, Hugonis de Bavay, & Walcheri de Francia
S. Scabinorum de Seburco, Hellini de Molino, Walteri de France, Willelmi des Paufits, Ægidii Rufi, Maineri Marcandi, Haymundi de Cabotis.

Actum anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo nonageſimo nono, menſe Novembri.

Confirmatio BALDUINI *Comitis, dein Imper. eodem anno* 1199.

IN nomine Domini; Ego BALDUINUS Flandriæ & Hannoniæ Comes, omnibus præſentibus & futuris notum facio,

Quod Henricus patruus meus, Dominus de Seburco, exactiones quaſdam, quæ vulgo *Tallie* appellantur, quas ab Eccleſia ſancti Salvii pro quibuſdam terris, jacentibus apud Seburcum, exigere ſolitus erat, & terragium, quod poſſidebat in terra ejuſdem Eccleſiæ apud *Follers*, in præſentia mea, & Nobilis Uxoris meæ Comitiſſæ MARIÆ, & dilecti fratris mei Henrici, & aſſenſu noſtro, noſtro, abſolutè remittens, Fratribus præfatæ Eccleſiæ in eleëmoſynam dedit, & Nos inde obſides conſtituit; quatenus, ſi quis in poſterum Eccleſiam prædictam ſuper hoc gravare voluerit, Nos ipſum repellamus, & ipſam eleëmoſynam ſtare, firmamque illibatam perpetuo tempore eſſe faciamus;

Præterea dictus patruus meus tam prædicta, quam cetera omnia, quæ poſſidet dicta Eccleſia in prænominata villa, eidem Eccleſiæ liberè atque pacificè, & ſine omni exactione, in perpetuum poſſidenda conceſſit.

Ego igitur, tamquam Dominus, dictam Conceſſionem & eleëmoſynam, tam ipſius patrui mei precibus, quam pietatis intuitu

ductus, ſub teſtimonio Comitis Barri, cæterorumque Hominum meorum, quorum nomina ſubſcribentur, gratis conceſſi, & laudavi & confirmavi.

Ut autem hoc ratum permaneat, & perpetuâ gaudeat firmitate, præſentem Paginam conſcribi feci, eamque probabilium Virorum teſtimonio, & Sigilli mei appenſione confirmare curavi.

Signum Mariæ Comitiſſæ Flandriæ & Hannoniæ.

S. Theaubaudi Comitis Barri,
S Henrici fratris mei,
S. Willelmi patrui mei,
S. Reyneri de Trict,
S. Willelmi de Anſaing,
S. Joannis Bliaut,
S. Ægidii de Alneto,
S. Ægidii Braſſart,
S. Walteri de Sancto Petro.

Actum anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo nonageſimo nono, Reſidente in Sede Cameracenſi Domino Petro Epiſcopo, Priore apud ſanctum Salvium exiſtente Domino Arnulfo.

Datum apud Hanonis Quercetum, per manus Magiſtri Gouceri Cancellarii, decimo Kalendas Decembris.

(1) HENRICUS DOMINUS DE SEBURCO. In vico & Vice-Comitatu de Sebourg, juxta Valencenas, legitur affixum muro ſacelli S. Nicolai, ſequens Epitaphium.

Cy giſt Henry Sires de Sebourcq, fils Bauldwin Comte de Hainault, & la Comteſſe Allis, oncles a l'Empereur de Conſtantinople & au Roy de France. Priez pour ſon ame.

CAPUT LIX.

HENRICUS I. *Brabantiæ Dux donat Abbatiæ Affligemienſi Ordinis S. Benedicti Sylvam de Aſſcherolt, anno* 1200.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Ego HENRICUS, Dei gratiâ Dux Lotharingiæ.

Notum facio tam poſteris quam modernis, quod Pater meus Dux GODEFRIDUS, paucis diebus ante mortem ſuam Eccleſiæ Affligemienſi in eleëmoſynam dedit manſum unum, qui vulgo *Hova* dicitur, in ſylva *Aſſcherholt* nominatâ.

Vicus ſub Municipio Aſſchano.

Poſtmodum autem, cum de ultra mare reverſus fuiſſem, Ego & Uxor mea Duciſſa MAGTILDIS, jam dictæ Affligemenſi Eccleſiæ, & Fratribus ibidem Deo ſervientibus, in eleëmoſynam dedimus in præfata ſylva *Aſſcherholt* duos manſos vicinos eorundem Fratrum ſylvæ, ſicut & illum quem Pater meus dederat, contiguos, omnimodo, liberrimi Allodii jure in perpetuum ſine omni contradictione liberè poſſidendos.

Iſtos vero manſos aſſignavimus ad conſtructionem & procurationem duûm altarium, unius videlicet in honore B. Mauricii ſociorumque ejus, & alterius in honore ſanctæ Crucis, in quo cotidie divina celebrentur.

Ut igitur Eccleſia Affligemenſis & Fratres ibidem Deo famulantes hujus eleëmoſynæ quietâ in perpetuum gaudeant poſſeſſione, Scripto eam præſenti idoneorum Teſtium aſtipulatione roborato, & Sigilli noſtri auctoritate confirmamus.

Teſtes: Henricus, Præpoſitus Lovanienſis.

Renerus Notarius.
Walterus Bertoldus. *
Gerardus de Grimbergis,
Henricus de Aſſca,
Arnulfus de Crainem,
Godefridus, Caſtellanus de Bruxella.
Arnulfus de Weſemale,
Arnulfus Seneſcalcus,
Arnulfus de Bigardis,
Nicholaus & Arnulfus de Odinchem.
Alardus Papa,
Godefridus de Monte,
Gerardus & Heinemannus de Heldeberga.

* Hic fuit Advocatus Mechlin.

Actum eſt hoc, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo, Indictione tertiâ, Epactâ tertiâ.

CAPUT LX.

PHILIPPUS, *Comes Autiſſidiorenſis, Marchio Namurci, confirmat anno* 1200. *Donationem Decimæ & Eccleſiæ de* Brigaudes, *in favorem Abbatiæ* Malonienſis, *Canonicorum Regularium, juxta Namurcum.*

Ex Archivis Maloniæ.

REverendo Domino ſuo, & Patri in Chriſto chariſſimo Dei gratiâ Leodienſi Epiſcopo P. Comes Autiſidiorenſis, & Marchio Namurcenſis, & Y. Comitiſſa, Namurcenſis Marchioniſſa ſalutem & debitum obſequium cum reverentiâ. Præſentibus & futuris notum facimus, quod dilectus & fidelis noſter N. de Condato donavit Deo, & Monaſterio Malonienſi Decimam ſuam, & Eccleſiam de *Brigaudes*, de aſſenſu & voluntate noſtrâ in perpetuum poſſidendam. Sed quia volumus, ut hoc firmiorem obtineat ſtabilitatem, vobis Litteras noſtras mittimus, rogantes, quod Donationem, quam dictus N. fecit dictæ Eccleſiæ ſuper prædictâ Decimâ & Eccleſiâ, miſericorditer approbare, & confirmare dignemini.

Actum anno Domini milleſimo ducenteſimo, menſe Novembri. Appendebat Sigillum celſiſſimi Domini Marchionis Namurcenſis.

PHILIPPUS *dictus Nobilis, Marchio Namurcenſis, concedit anno* 1212 *Nicolao de Condato conſanguineo ſuo facultatem diſponendi de Decimis Villarum de S. Amando & Brigaudes.*

EGo PHILIPPUS Marchio Namurcenſis, notum facio univerſis, tam præſentibus, quam futuris, quod dilecto Conſanguineo, & fideli meo Nicolao de Condato de meâ liberalitate conceſſi, ut ſibi liceat, quandocumque & quibuſcumque voluerit Eccleſiis in eleëmoſynam, & proprietatem conferre omnes decimas, terras, prata, cenſus, cum juſticiis, quæ à me tenebat feodo in villis de ſancto Amando, & de Brigodes.

Actum apud Blaton, anno Domini milleſimo ducenteſimo duodecimo.

CAPUT LXI.

HENRICUS I. *Brabantiæ Dux recenſet Capellas, quæ tunc ſex tantùm erant in Urbe Bruxellenſi; eaſque ſubmittit Juriſdictioni Capituli S. Gudilæ anno* 1201.

Ex Archivis Capituli S. Gudilæ.

QUoniam ſicut verborum ſic & factorum vetus interit ætas, niſi ſcripto memoriali poſterorum excitetur memoria; inde eſt quod Ego HENRICUS Dux Lotharingiæ ea quæ ab Anteſſoribus meis in uſus Canonicorum S. Gudilæ in Bruxella collata ſunt, rata habens, & conſervare volens, quædam eorum expreſſius recitata, renovare curavi.

Donum itaque Parochiæ, & omnium Capellarum Bruxellenſium, certam & annuam uniuſcujuſque Capellæ proviſionem Canonicis aſſignans, in manus eorum liberè contuli.

Ita tamen, quod nullam earum niſi vacantem, & vacantem non niſi Sacerdoti conferre liceat. Sola Capella (1) S. Jacobi in Caldenberga excepta eſt: quæ ſecundum tenorem Authentici Scripti exinde facti, Canonicis ibi ſervientibus collata eſt.

(2) Capella B. Petri, quæ Leproſorum fuit, XXIX. denarios ſolvet Canonicis.

(3) Capella S. Mariæ, duos ſolidos.

(4) Capella B. Joannis, duodecim ſolidos.

(5) Capella S. Nicolai, octo libras.

(6) Capella S. Gaugerici, quatuor libras.

(7) Capella B. Catharinæ quinque ſolidos.

Hæc ut abſque omni calumnia rata permaneant, Sigilli mei impreſſione & teſtium ſubſcriptione confirmavi.

Teſtes: Sigerus Cameracenſis Archidiaconus in Brabantia.

Arnoldus, Notarius Ducis.

Reinerus, Perſona de Villefort.

Henricus, Villicus de Sterrebeke.

Actum Anno Incarnationis Domini milleſimo ducenteſimo primo.

(1) CAPELLA S. JACOBI in Frigidi-monte, hodie eſt Abbatialis atque Parochialis Eccleſia Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini, Aulæ Principum contigua. Vide ſupra p. 217.

(2) CAPELLA S. PETRI, hodie Monaſterium Monialium Ordinis S. Auguſtini ad portam Hallenſem. Fuit olim Leproſarium, ad uſum eorum præſertim, qui ab expeditione Terræ ſanctæ redeuntes, morbo leprę, tunc valde communi, infecti erant. Hinc tot erecta olim per totum Belgium, aliaſque Europæ regiones, Leproſaria.

(3) CAPELLA STÆ-MARIÆ, paulò poſt, nempe anno 1210 erecta in Eccleſiam Parochialem. Vide Tom. II. hujus operis, pag. 986, aliaque Diplomata de Jure Patronatûs Abbatiæ S. Sepulchri Cameracenſis in eandem Parochiam.

(4) CAPELLA S. JOANNIS, quæ eſt majoris Hoſpitalis Bruxellenſis, fertur eſſe antiquiſſima totius civitatis Eccleſia, ab ipſo Papa Innocentio II. anno 1131. conſecrata. Vide Diploma Tom. I. p. 94. & alia alibi, juxta Indicem.

(5 & 6 & 7) CAPELLÆ S. NICOLAI, S. GAUGERICI, & S. CATHARINÆ, hodie ſunt totidem Eccleſię Parochiales. De erectione autem ſingularum in Parochias, vide Diplomata hoc ipſo Tomo IV.

CAPUT LXII.

HUGO *Comes S. Pauli, ejuſque conjux* JOLENDIS, *anno* 1201. *in Eccleſiâ S. Gervaſii de* Encre *in Artheſia (Diœceſis tamen Ambianenſis) in locum X. Canonicorum ſæcularium inſtituit Prioratum totidem Monachorum Cluniacenſium, dependentem à Prioratu S. Martini de Campis Pariſiis.*

HUGO Comes ſancti Pauli & Yolendis Comitiſſa uxor ejus, univerſis Chriſti fidelibus in perpetuum.

Cum ſæpe - numero inter Nos ex unâ parte, & inter Priorem & Conventum S. Martini de Campis ex alterâ fuiſſet litigatum ſuper numero Monachorum inſtituendorum in Eccleſiâ ſancti Gervaſii *de Encra*, pro divinis officiis ibidem dignè & laudabiliter celebrandis, ad bonum pacis hinc inde eodem animo concurrentes & pari conſenſu confirmantes conſtituimus & conceſſimus, ut de cætero in octo Monachis ibidem manentibus deſerviret. Et cum adhuc duo Canonici ejuſdem loci ſuperſtites eſſent, firmavimus, ut eis de medio ſublatis, duo Monachi eorum loco ſubſtituantur.

Ita quod quando alter illorum Monachorum diem clauſerit extremum, unus Monachus loco illius incontinenti ſubrogabitur, & ſic deinceps in perpetuum in honore Domini denarius Monachorum numerus adimpletus perſeverabit.

Quod ſi aliquo caſu, ſeu per aliquorum negligentiam illud minus fuerit obſervatum, dicti Monachi conceſſerunt, ut nos vel hæres noſter Dominum Ambianenſem Epiſcopum ſuper hoc requiramus, quatenùs ab illis hoc emendari faciat.

Et ſi ad ejus mandatum infra 40. dies id emendare contempſerint, volumus quod dictus Epiſcopus ipſam Eccleſiam Sancti Gervaſii & reliquas ſuas Eccleſias Parochiales, ad illam Eccleſiam ſpectantes in Epiſcopatu ſuo interdicat, & interdictas teneat, donec ad plenum quod minus juſtum fuerit, corrigatur.

Salvo Privilegio Ordinis Cluniacenſis, quo eis à Sede Apoſtolicâ eſt indultum, ut in Eccleſiis ſuis interdictis ſummiſſâ voce, januis clauſis, non pulſatis campanis, divina poſſint officia celebrare.

Si vero Nos vel noſter hæres (quod abſit) contra hanc Pactionem noſtram & ſuam venire præſumpſerimus, conceſſimus & obnixius rogavimus Dominos Ambianenſem, Attrebatenſem & Morinenſem Epiſcopos, ut nos vel hæredem noſtrum, quem contra hoc venire contingeret, excommunicationi, & univerſam Terram noſtram interdicto, præciſa dilatione, poſtquam ab illis hoc fuerint requiſiti, ſupponant.

Ut autem hoc ratum ſit, perpetuamque obtineat firmitatem, præſentem Paginam Sigillorum noſtrorum appoſitione dignum duximus roborari.

Actum anno Verbi Incarnati M. CC. I.

CAPUT LXIII.

HENRICUS I. *Lotharingiæ ac Brabantiæ Dux, Privilegium Immunitatis ab* HENRICO V. *Imperatore anno* 1109. *Eccleſiæ Collegiatæ S. Servatii Moſæ-trajectinæ conceſſum, renovat atque confirmat anno* 1204.

Ex Archivis Capituli.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, HENRICUS Dux Lotharingiæ. Principum inſtituta majorumque traditiones ſacris apicibus intitulari, & poſteris tranſmitti prudentium officia, decrevit ſedulitas: ne tractu temporis apud Succeſſores perſonarum, quæ digna ſunt memoriâ, oblivione evaneſcant.

Ea

Ea igitur quæ à clementiſſimis Imperatoribus & munificâ Regum liberalitate ad laudem & honorem Dei Eccleſiis tradita ſunt & adſcripta, non minuere ſed augere, non retrahere ſed ſupererogare....

Noverint ergo tam præſentes quam futuri, quod * HENRICUS quintus Romanorum Imperator, inter Leges plurimas & Inſtitutiones Eccleſiæ Beati Servatii in Trajecto antiquiſſimo tempore traditas, hoc demum Donationis ſuæ beneficium Officialibus & Miniſtris, coram Imperii Principibus contulit & confirmavit, ut ipſi quidem ab omni Jure Forenſi & Civili permanerent exempti, & in ſe proclamantibus conductu Domini & Magiſtri ſui ſatisfaciant.

* Vide ſupra p. 190.

Nos autem, ut omne bonum multiplicatum in medio productum ſplendidiùs illuceſcat, ex collata nobis ejuſdem loci poteſtate, prænominatis Officialibus plenius & expreſſius indulgemus, ut videlicet piſtores Eccleſiæ B. Servatii, campanarii, cellerarii, bracſadarii cereviſiarum, clauſtrales Miniſtri, coci, infra clauſtrum vel extra, in oppido vel deforis, ubicumque locorum manentes, in omni emptione vel cujuſcumque rei venditione, in qualibet negotiatione, ab omni exactione, petitione, collecta ſive tallia, ab omni quoque jure civili vel forenſi, uſquequaque liberi permaneant, & in perpetuum abſoluti.

Ut autem hæc noſtra Donatio, Deo & beatiſſimo Patrono Servatio à Nobis cum omni devotione exhibita, in perpetuum rata & inconvulſa permaneat, præſentem inde Paginam conſcribi, & Authoritatis noſtræ Sigillo fecimus inſigniri. Statuentes, & poteſtate quâ fungimur firmiſſimè præcipientes, ne qua magna humiliſve perſona, dives vel pauper, tenori hujus noſtræ Conſtitutionis obviare aliquatenus attemptet....

Datum in pleno Capitulo Trajecti, anno milleſimo ducenteſimo quarto, Indictione quintâ, quarto Idus Martii.

CAPUT LXIV.

GUILIELMUS I. *Hollandiæ Comes Abbatiæ Thoſanæ Monachorum Ciſtercienſium (olim juxta Brugas in Flandria ſitæ, nunc dirutæ) protectionem largitur anno* 1204. *Hujus filius* FLORENTIUS IV. *Comes plurima bona in Zelandia eidem donat anno* 1231, *uti &* GUILIELMUS IV. *anno* 1340.

Ex MSS. Cameræ Inſul.

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Amen. Quia omnis poteſtas à Domino Deo tribuitur, naturale jus exigit, ut omnis potens in ejus ſervicio, à quo poteſtatem aſſequitur, ſe debeat exercere. Nec dignius eidem Domino nos credimus deſervire, quam ſi jura ſervorum illius illæſa ſervamus, eorum videlicet qui nec arma ferre nec ſe defendere conſueverunt.

Hinc eſt, quod Ego WILHELMUS Comes Hollandiæ tam poſteris quam modernis notum eſſe volo, quod Abbatem & Monachos Eccleſiæ B. Mariæ de *Thoſan* & omnia bona eorum per omnem Terram meam ſub mea protectione ac defenſione ſuſceperim, & ob remiſſionem meorum peccaminum & parentum meorum, totam terram quam ſub dicione mea poſſident, ab omni exactione & conſuetudine prava perpetuo liberrimam eſſe velim.

Ut autem hæc liberalitatis Donatio impoſterum illibata permaneat, Scripto eam mandari, & Sigilli mei feci munimine corroborari. Teſtes,

Dominus Hugo de Vooren;
Th. frater ejus, Betto filius,
Bertildis, Arnoldus filius Witten,
Willem, Reinerus filius Simonis.

1204. Actum Brugis anno M. CC. IV. ſextodecimo Kalendas Maii.

QUia omnis poteſtas, (*ut in ſuperiori Diplomate.*)

Hinc eſt, quod Ego FLORENTIUS, Comes Hollandiæ ac Zelandiæ, tam poſteris quam modernis notum eſſe volo, quod Abbatem & Monachos & Fratres Eccleſiæ B. Mariæ de THOSAN, & omnia bona eorum per omnem Terram meam, ad exemplum bonæ memoriæ Comitis WILHELMI patris mei, ſub mea protectione ac defenſione ſuſceperim, & ob remiſſionem meorum peccaminum & parentum meorum, totam terram quam ſub meo Dominio poſſident, videlicet *Crabbendyck*, cum pertinentiis ſuis, *Jonſthoc*, *Bomna*, *Oſthoc*, & omnes grangias & terras eorum, cum univerſis pertinentiis terrarum, & Scoto, à tallia, ab erenade, à petitione qualibet, & ab omni exactione, quocumque nomine vocitetur, in perpetuum liberas dimiſi. Loca Zelandiæ.

Ut autem hujus libertatis Donatio in poſterum Eccleſiæ prædictæ illibata permaneat, Scripto eam mandavi, & Sigilli mei munimine feci roborari.

Actum anno Domini M. ducenteſimo triceſimo primo. 1231.

GUILLIAUME *Comte de Haynault &c. Sçavoir faiſons à tous, comme à cauſe de ce que l'Abbé & ſon Convent de le* Doeſt *&* de

In Crabbendyck olim Prioratus Monachor.

Crabbendyck *feront à toujours chacun an memoire pour l'ame de nos très-chiers Seigneurs & Predeceſſeurs; & après le trepas de notre chiere Dame & mere, & leurs enfans, de Nous, noſtre chiere Compaigne la Comteſſe de Haynault & de nos enfans, & de chacun de nous chacun an memoire;*

Et affin auſſi que ils ſoient doreſnavant tenuz à recevoir nos chevaulx, & les chevaux de nos Compaigne, enfans & Succeſſeurs, enſemble de leur mai/née, auxquels on feroit livraiſon en noſtre hoſtel, & les ſerviteurs qui apartiennent auxdits chevaulx, quand nous ſerons en Zelande, Nous leurs avons donné à perpetuité pour nous & nos Succeſſeurs les Dixmes de l'ancien Poldre, & du nouvel Poldre en Hinckenlinc, *auſſi grands qu'ils ſont de preſent, & qu'ils ſont gaignées & dicquées, & que devons avoir. En temoing &c.*

Donné à Harlem le jour des Rois, en l'an mil-trois-cens-quarante.

CAPUT LXV.

HENRICUS I. *Brabantiæ Dux confirmat anno* 1209. *in favorem Eccleſiæ S. Albani Namurci Donationem variorum bonorum ac decimarum, quas* Philippus *Marchio Namurcenſis acceperat à* Godefrido *Caſtellano Bruxellenſi.*

Ex MSS. Cathedr. Namurc.

EGo HENRICUS Dux Lotharingiæ, Princeps Romani Imperii; Notum fieri volumus tam præſentibus quam futuris, quod Nos benignè volumus & firmiter approbamus, quod terra & emptio illa, quam dilectus conſanguineus & fidelis noſter Philippus Marchio Namurcenſis fecit cum dilecto & fideli noſtro Godefrido Caſtellano Bruxellenſi (cujus emptionis terra jacet apud Meleng) integraliter tranſeat in proprietatem Eccleſiæ Sti. Albani; eodem penitus modo quo continetur in Charta, quam ſæpe-dictus Marchio habet à jam dicto Caſtellano.

Nos autem id in poſterum ratum & inviolatum volentes obſervari, præſenti Scripto, & Sigilli noſtri appenſione fecimus communiri: hac ſcilicet conditione, quod neque præſcripto Marchioni, nec alii, ſuper hujus emptionis terram liceat domum, firmam, ſeu munitionem aliquam conſtruere.

Datum apud Affleghem, feriâ ſecundâ poſt Dominicam quâ cantatur; *Circumdederunt me*: anno M. CC. IX. menſe Februario.

Diploma GODEFRIDI *Caſtellani.*

EGo GODEFRIDUS Caſtellanus Bruxellenſis, notum facio univerſis, tam præſentibus quam futuris, quod quidquid habebam & tenebam in Villa de *Meleng*, & territorio illo, & poteſtate illâ, in terris cultis & incultis, tam in pratis quam in nemoribus, & aquis & redditibus, & decimis, & dono Eccleſiæ, & ſervis & ancillis, & feudorum dominiis, & juſtitia, & omnibus modis, dedi Domino Philippo Marchioni & Comiti Namurcenſi in hæreditatem perpetuam, ſub annuo cenſu ſex denariorum, mihi vel miniſterio noſtro à Miniſtro ipſius Comitis in feſto Nativitatis S. Johannis Baptiſtæ in ipſa Villa *Meleng* annuatim ſolvendorum. Si vero cenſus idem die ſtatuto ſolutus non fuerit, pœna, quæ lex dicitur, major quam denarius Namurcenſis, exinde exigi non poteſt.

Quæ quidem Adheredatio Hominum noſtrorum teſtimonio & Scabinorum de *Meleng* judicio firmata eſt, interveniente filiorum meorum, Leonis ſcilicet & Godefridi aſſenſu.

Teſtes Scabini de *Meleng*, quorum judicio prædicta adhæredatio compoſita eſt, Valerius ſcilicet ac Robertus filius ejus, Bernardus cognomine Malegres, Berengerus, Franco Surmonville & Philibertus.

Actum anno M. CC. IX. in ipſa Villa *Meleng*.

Licet Diplomatis contextus præ ſe ferat *emptionem*, vocari tamen poteſt Donatio, propter minutiem precii dati.

Meleng, ſive *Melet*, vicus Gallo-Brabantiæ, in Diœceſi Namurcenſi, ſub Decanatu Florucenſi. Jus Patronatus Eccleſiæ ſpectat ad Toparcham; decima vero ad plures, portio autem præcipua ad Canonicos Cathedralis Eccleſiæ S. Albani Namurci; de quibus hoc Diplomate. *Vide Gallo-Brabantiam le Roy, pag.* 104.

Digitized by Google

CAPUT LXVI.

HENRICUS I. *Brabantiæ Dux donationes Progenitorum ſuorum, præſertim* JUTTHÆ *Ducisſæ Proaviæ ſuæ in favorem Abbatiæ* Rodenſis *Canonicorum Regularium, Limburgenſis Ducatûs, confirmat, anno* 1211.

Ex Archivis Abbatiæ.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Omnibus præſentes Litteras viſuris vel audituris, HENRICUS Dux Lotharingię & Marchio, ſalutem & diligere veritatem.

Ea quæ ad commodum Deo ſervituris in perpetuum à præſentibus piâ devotione donantur, tanto ſunt majore diligentiâ à ſuis largitoribus confirmanda, quanto talium perceptores ad propulſandas injurias minus exiſtunt efficaces.

Cum igitur prædia Monaſteriorum & Eccleſiaſticarum perſonarum, quæ à noſtris Progenitoribus in patrimonium Jeſu-Chriſti tranſlata legitimè & collata noſcuntur, * applicare in omnibus & non minuere, noſtrę ſit intentionis; ad univerſorum notitiam volumus pervenire, quod piæ memoriæ Domina (1) JUTTA, Duciſſa, noſtra Proavia, Excellentis Principis Domini WALRAMI cognomento *Pagani*, proavi noſtri, olim Ducis de *Lymburg* relicta, Viris Religioſis Abbati & Conventui Monaſterii de *Rode*, cum ſe, mente devotâ & corpore, aſſumpto habitu ad conſortium Sanctimonialium ejuſdem Cœnobii converteret, aſſentientibus filiis ſuis HENRICO, poſtmodum Duce, & GERARDO, pietatis intuitu, Eccleſiam Parochialem in *Lommarsbem*, cujus ipſa Patrona exiſtit & Domina, cum integritate totius Juris Patronatûs liberè donavit; & Decimas atque quælibet alia bona ab ipſa deſcendentia emendi, ſive alio juſto modo conſequendi in territorio prædictæ Villæ expeditam eiſdem dedit facultatem.

* Forte *amplificare.*

Lommersbem.

Quæ cum viam univerſæ carnis ingreſſa, & in prædicto Monaſterio Rodenſi fuiſſet ſepulta, prænominati filii ejuſdem, Dominus HENRICUS Dux de *Lymburg* Avus noſter, & GERARDUS frater ipſius, filiolus quoque Domini HENRICI Ducis, ejuſdem nominis, etiam poſtmodum Dux, avunculus noſter, ARNOLDUS etiam filius RUBERTI Comitis de Lunenburg, natus ex Domina BEATRICE filiâ Dominæ JUTTÆ, nec non & Dominus THEODERICUS filius ECKEBERTI Comitis de Tickelenburg, natus ex alia filia, præfatam Eccleſiam *de Lomersheim*, à matre & avia prius datam Rodenſi Eccleſiæ, legitimâ donatione iterato tradiderunt: ſicut in Privilegiis ſuper hoc confectis vidimus & intelleximus plenius contineri.

Familia Ducem Limburg.

Supplicantibus itaque nobis Abbate & Conventu memoratis, ac cum dilecto Avunculo noſtro Domino Henrico ſępedicto Duce de Lymburg, qui prędictis exequiis & iteratæ Donationi ipſius, tunc juvenis, perſonaliter tamen interfuerat, inſtantibus, ut eam ratam habere, & renovare etiam, noſtrâ Authoritate vellemus;

Nos tam piæ & racionabili petitioni grato concurrentes aſſenſu, eiſdem ſuper præmiſſis omnibus ſimilem concedimus facultatem, & prędentis Scripti patrocinio confirmamus.

Ne igitur ambiguitas in hac parte aliquem ſcrupulum erroris introducat, aut harum noſtrarum Litterarum quiſpiam temerarius violator exiſtat, ipſas fecimus Sigilli noſtri munimine roborari.

Interfuerunt huic facto, de Familia noſtra Viri Nobiles,

Godefridus de Perweys.
Arnoldus de Dieſt.
Arnoldus de Kraeiehem.
Woltherus, cognomento Bertoelt, & Ægidius frater ſuus.

De Familia Domini Henrici Ducis Limburgenſis avunculi noſtri, item Viri Nobiles,

Walramus & Fridericus filii ipſius.
Harperius de Vrenzem.
Rodolphus de Molonia.
Theodoricus de Scherne, &
Wylhelmus Burggravius de Rode.

De Fratribus ſæpe-dictæ Eccleſiæ, Rutgerus Abbas, Daniel Prior, Randolphus Supprior, Marſilius Cuſtos, Adolphus Cantor, Albertus Cellarius, totuſque Conventus, & alii quam-plures.

Datum anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo undecimo, menſe Aprili, in eodem Clauſtro Rodenſi. 1211.

(1) JUTTA, ſanctimonialis &c. Fuit olim juxta Rodenſem Abbatiam in Ducatu Limburgenſi Monaſterium Sanctimonialium, quod circa annum 1245, tranſlatum fuit in Sinnigh. Narrantur hæc prolixius Tomo III. horum Diplomatum, pag. 716.

CAPUT LXVII.

FERRANDUS & JOANNA *Comites Flandriæ concedunt licentiam ampliandi ac muniendi Urbem Gandavenſem, anno* 1213.

Ex Archivis Urbis Gandav.

EGo FERANDUS Flandriæ & Hannoniæ Comes, nec non dilecta Uxor mea JOHANNA Comitiſſa, omnibus preſens Scriptum inſpecturis in perpetuum. Notum facimus, quod Burgenſibus noſtris de Gandavo licentiam & poteſtatem muniendi opidum Gandenſe, quocunque modo voluerint & eis placuerit, dedimus; & omnem terram, quę vulgo de *Upſtal* infra Gandenſem Scabinatum jacentem, ad communem utilitatem ipſius opidi, eiſdem Burgenſibus quietè & in pace contulimus, ſine fine poſſidendam.

Supra-dicta vero terra, & omnes qui eam inhabitabunt, eâdem lege & juſtitia gubernabuntur, quâ univerſi Burgenſes in Gandavo, & Communitas eorum debet gubernari.

Quicunque igitur diſpoſitioni Scabinorum, & eorum qui ad hanc terram diſponendam & diſtribuendam, electi fuerunt, contradixerint, vel vim fecerint, in foris-facto ſexaginta librarum erit, & cuilibet Scabino decem libras dabit, & omnia bona ſua in poteſtate noſtra erunt.

Ut autem hoc firmum & ratum permaneat, & in poſterum nullo modo poſſit infringi, præſentem Paginam appenſione Sigillorum noſtrorum fecimus communiri.

Actum anno Dominicæ Incarnationis M. CC. XIII. menſe Mayo.

CAPUT LXVIII.

FREDERICUS II. *Imperator confert Dominium Oppidi* Moſæ-trajectini *Henrico I. Duci Brabantiæ ac Limburgi ejuſque Succeſſoribus anno* 1214. *in recognitionem obſequiorum Romano Imperio præſtitorum.*

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſul.

FREDERICUS Dei gratia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ, univerſis hanc Paginam intuentibus, in perpetuum.

Notum fieri vobis volumus quod Henrico Duci Lotharingiæ fideli Principi noſtro & H. ejus filio pro obſequiis nobis & Imperio impenſis, conſenſu Principum noſtrorum & in præſentia eorum contulimus in Feodum Trajectum, cum Villis & rebus omnibus ad Trajectum attinentibus, ut cum aliis feodis ſuis hoc à modo ab Imperio pure & ſincere teneant. Et ut hęc noſtra Conceſſio rite facta eis inconvulſa irrefragabiliter obſervetur hanc Cartam eis conſcribi, & Sigilli noſtri appoſitione fecimus roborari. Interfuerunt enim huic facto fideles Principes noſtri,

Theodoricus Treverorum Archiepiſcopus,
Conrardus Metenſis & Spirenſis Epiſcopus & Imperialis Aulæ Cancellarius,
Lupoldus Dux Auſtriæ,
Otto Dux Meranenſis,
Bernardus Dux Carintiæ,
Albertus Comes de Everſtein
Miniſteriales noſtri,
Warnerus de Bouland, Dapifer noſter,
Walterus Pincerna, Henricus de Dunis,

Actum anno Incarnationis M. CC. XIII. Indictione ſecunda.

Datum apud Werſele IV. Nonas Septemb.

CAPUT LXIX.

FREDERICUS II. *Imperator confirmat Privilegia Eccleſiæ Collegiatæ* Sti. Servatii *Trajecti ad Moſam, anno* 1215.

Ex Archivis Capituli.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. FREDERICUS Secundus Dei gratiâ Romanorum ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ. Cum Privilegia Eccleſiarum ab Anteceſſoribus noſtris, Imperatoribus ſive Regibus, conceſſa & indulta, quibus ipſę Eccleſiæ privilegiatæ ſunt, & contra hominum malitiam munitæ, conſervamus illibata, & ab omnibus conſervari præcipimus inviolata, Deo in hoc

Digitized by Google

hoc credimus Miniſterii noſtri exhibere obſequium, & Succeſſoribus noſtris exemplum, ut ipſi modo conſimili, Nobis ſublatis de medio, ea conſervent, quæ Nos per Privilegia noſtra quibuſcunque confirmamus.

Notum ſit igitur univerſis præſentes Paginam inſpecturis, quod Nos Eccleſiam Beati Servatii Trajectenſem, quæ ſpecialiter attinet Imperio, ſub ſpecialem Majeſtatis noſtræ ſuſcepimus protectionem; omnia quoque Privilegia ab Anteceſſoribus noſtris, Imperatoribus ſive Regibus, dictæ Eccleſiæ indulta & conceſſa, quibus ipſa Eccleſia privilegiata & munita eſt, Authoritate Regia confirmamus.

Volumus quoque, & diſtrictè præcipimus, ut quidquid ex gratiâ ipſorum Imperatorum ſive Regum, ſæpe-dictæ Eccleſiæ Trajectenſi indultum ſive conceſſum eſt, ab univerſis inviolabiliter obſervetur. Duximus tamen quædam, quæ eidem Eccleſiæ per Privilegia ipſorum Imperatorum ſive Regum indulta & conceſſa ſunt, ſpecialiter exprimenda.

Statuimus igitur, ut omnes Officiales prætactæ Eccleſiæ Beati Servatii in Trajecto, & Miniſtri de Villis ipſius Eccleſiæ Beati Servatii in Trajecto, & Officiales & Miniſtri ejuſdem Eccleſiæ in Oppido Trajectenſi, ſcilicet Piſtores, Coci, Cellerarii, Bracedarius, Campanarii, & ceteri Clauſtrales Miniſtri, ab omni exactione liberi ſint, & Jure Civili & Forenſi, cujuſcunque mercationis vel negotiationis fuerint; & in ſe proclamantibus & de ſe conquerentibus, ſub conductu Domini & Magiſtri ſui ſatisfacient.

Diſtrictè etiam hoc Privilegium obſervari ab omnibus præcipimus, ſive Juriſdictio noſtra ejuſdem Oppidi Trajectenſis obligetur, vel quocunque modo alienetur.

Ut autem hoc Privilegium, & alia Privilegia eidem Eccleſiæ tradita, perpetuo ſtabilia & inconvulſa permaneant, hoc præſens publicum & authenticum Inſtrumentum inde conſcribi fecimus, & Sigilli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus.

Datum Aquiſgrani, Dominicæ Incarnationis Anno milleſimo ducenteſimo decimo quinto, V. Kal. Aug., Indictione tertiâ.

CAPUT LXX.

Ex Archivis Capituli Cathedrali Gandav.

MARGARETA *Caſtellana Cortracenſis, donat Abbatiæ* S. Bavonis, *Ordinis S. Benedicti Gandavi, Decimam de Artevelde (juxta Saſſum Gandenſe) anno* 1215.

EGO THEODERICUS Cuſtos Eccleſiæ Sti. Salvatoris in Trajecto & Perſona * minor Officiorum; Notum facio univerſis, quibus præſens ſcriptum videre vel audire contigerit, quod Margareta Caſtellana Curtracenſis dedit in Hoſpitali Sti. Bavonis Gandenſis quadraginta Marcas; ex quibus Abbas & Conventus dictæ Eccleſiæ invadiaverunt Decimam quæ jacet apud Artevelde, à Goſwino filio Balduini de Trieſt.

Donum iſtius Decimæ Abbas & Conventus de manu præfatæ Margaretæ Caſtellanæ, de qua Decima tenebatur, receperunt; & hoc factum coram Hominibus Comitis, & meis, & Sti. Bavonis, quia ego bona Eccleſiæ debeo defendere. Donationem iſtam ut juſta ſit & canonica, dignum duxi conſenſu meo & Sigilli mei appenſione confirmare.

Actum anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo decimo quinto.

* Legendum forte *quatuor.*

Artevelde Trieſt.

CAPUT LXXI.

1215.

HENRICUS I. *Brabantiæ Dux, cedit Capitulo* S. Gudilæ *Bruxellenſi, Jus eligendi ac præſentandi ad duas Præbendas Sacerdotales, anno* 1216.

Ex Archivis Capituli.

HENRICUS Dei gratia Dux Lotharingiæ, omnibus hoc ſcriptum videntibus ſalutem. Sciant omnes tam futuri quam præſentes, quod Nos intuitu divinæ remunerationis & ad ampliandum divinum cultum, Capitulo D. Gudilæ Bruxellenſi, in quo per Dei gratiam Jus Patronatûs habemus, poteſtatem eligendi ad duas præbendas, primo vacaturas, duos idoneos Sacerdotes, conceſſimus; qui in eis quamdiu vixerint, in propriis perſonis celebrando ſummam miſſam deberent inſervire.

Et Nos ad Capituli Præſentationem eaſdem Præbendas dicto numero Sacerdotibus conferemus; & idem ſtatuimus in iiſdem Præbendis eidem Capitulo, à noſtris Succeſſoribus in perpetuum obſervandum.

Quod ut ratum ſit & firmum impoſterum, præſens Scriptum dedimus in teſtimonium.

Datum Bruxellæ anno Domini milleſimo ducenteſimo decimo ſexto, menſe Octobri.

Idem confirmavit Joannes Cameracenſis Epiſcopus, item Honorius III. Papa, Pontificatus ſui anno quarto. Confer etiam Diplomata ejuſdem ferè argumenti Tomo III. pag. 130. & 611.

CAPUT LXXII.

WALERANDUS *Comes Luxemburgenſis confirmat Eccleſiæ Cathedrali* Metenſi *libertatem Villæ de* Agodanges *apud Theonis-Villam, anno* 1218.

LAudabitur ſcripturę theſaurus, qui rerum geſtarum ſeriem litteris commendatum, humanæ obvians fragilitati, incommutabili in perpetuum loquitur veritate.

Quapropter univerſis ad quorum notitiam præſens Pagina pervenerit, notum facimus, quod cum inter Dominum Waleranum Comitem Luceburgenſem & Marchionem Arlunenſem ex una parte, & Eccleſiam B. Pauli * Metenſem ex altera, ſuper uſurpatione quam faciebat dictus W. in Villa de *Baſailles*, de *Angodenges*, cum earum appendiciis & aqua de *Charencez* nomine commendationis, duitiùs eſſet altercatum, tandem in hunc modum convenerunt.

* Aliàs dicta Eccleſia S. Stephani eaque Cathedralis.

Quod dictus Comes, de conſenſu uxoris ſuæ L. Dominæ de Luxemburgo, & Walerami junioris filii Comitis, & Eliſabethæ uxoris ejuſdem, ſororis Domini M. tunc temporis Comitis Barrenſis, recognovit, ſe nihil juris habere in prædictis Villis, nec in aqua prænominata: & quod in eis antea violenter uſurpaverat, petiit à Metenſi Capitulo humiliter indulgeri.

Capitulum vero volens, quod dictus Comes, cujus caſtra prædictis Villis adjacebant, eas ab omnibus malefactoribus defenderet, ſtatuit, ut homines de Banno de *Baſailles* XX. quartas avenæ, & de qualibet domo ejuſdem Banni ſingulis annis XII. denarios Cathedraticos, per manus Miniſterialium Eccleſię collectos, infra Octavas Beati Remigii apud Carencium pro cuſtodia dictarum Villarum perſolverent. Homines vero de Angodenges XX. quartas avenæ & XX. gallinas eodem termino & eadem de cauſa apud Thionis-villam perſolverent. Et dictus Comes hac ſumma contentus, contra quoſlibet, præterquam contra Metenſem Eccleſiam, eaſdem Villas defendere teneretur & ſervare; nec homines dictarum Villarum, nec ipſorum animalia ad expeditiones, vel exercitus, vel ad alia quęcumque ipſius negotia aliquo modo ire coharctarentur: nec ipſe Dominus nec ejus Præpoſitus vel aliquis ad ipſum attinens in prædictis villis aliquo modo, niſi de mandato Eccleſiæ, placitaret, niſi in propriis expenſis.

Hanc autem ſummam avenæ, denariorum & gallinarum dictus Comes & dicta Comitiſſa uxor ejus, ſicut ſupra dictum eſt, quoad vixerint percipient. Eis vero de medio ſublatis, nullus heredum alterutrius, ſive communis, in prædictis Villis quicquam de hiis percipiet, nec reclamabit.

Ut autem hæc rata permaneant, dictus Comes & uxor ejus, & W. junior filius Comitis, de conſenſu uxoris ſuę ſupradictæ Sigillis ſuis præſentem Paginam ſigillavit.

Datum Mettis, anno gratiæ M. CC. octavo-decimo, regnante Friderico filio Henrici Imperatoris, præſidente Conrado Mettenſi Eccleſiæ, Imperialis Aulæ Cancellario. 1218.

Confirmatur anno 1379. *per* Wenceſlaum, *Brabantiæ ac Luxemburgi Ducem.*

*WEnceſlaus de Boëme par la grace de Dieu Duc de Luxembourg, de Lothier, de Brabant & de Lembourg, Marchis du S. Empire; à notre Prevoſt de Thionville, qui ou eſt, & à tous autres qui ou temps advenir le ſeront. Mandons, commandons & volons, qu'ils laeſſent les Primcier, Doien & Chapittre de l'Egliſe de Metz joyr de leurs Droits qu'ils ont en la ville d'*Angoudanges, *& ne les preſſiez ne enfreindeis plus avant que nos Lettres qu'ils ſur ce de nous contiennent, leſquelles nous ne voulons enfraindre. Donné à Luxembourg deſoubs noſtre Saiel placquiet ad ceſte papier, le dernier jour en Aouſt l'an noſtre Seigneur M. CCC. ſoixante-dix neuf.*

AGODANGES, olim oppidulum, nunc pagus, pro tertia parte ſitus ſub Ducatu Luxemburgenſi (pro aliis partibus in Terra Metenſi & in Lotharingia) Metas inter & Theonis-villam, ſupremo jure ad Eccleſiam Cathedralem Metenſem pertinet, velut Feudum Imperii. De quo agit præcedens Diploma, è Cartulario pergamenaceo vetuſtiſſimo deſcriptum: item aliud ſupra.

Sed Duces Luxemburgenſes Advocatiam ſive Guarandiam Agodangiæ ſibi reſervarunt: indeque ipſum etiam ſupremum Jus Dominii, viâ facti dein etiam juris obtinuerunt. Anno 1539. lis ea in Conſilio Mechlinienſi movebatur, unde hoc Diploma deſcriptum fuit.

CAPUT LXXIII.

HENRICUS I. *Romanorum Rex*, FREDERICI II. *Imperatoris filius, Privilegia à Rom. Pontificibus & Imperatoribus conceſſa Abbatiæ Gemblacenſi, Monachorum Benedictinorum in Gallo-Brabantia* * *denuo confirmat anno* 1224.

* Hodie Diœc. Namurcenſ.

Ex Cartulario Abb. Gemblac.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. HENRICUS Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus. Piæ poſtulatio voluntatis effectu competit congruo proſequente compleri: quatenus & fidelis intentio laudabiliter eluceſcat, & utilitas deſiderata dignum deſiderio capiat incrementum.

Eapropter tam futuris quam præſentibus Chriſti fidelibus volumus eſſe cognitum, quod Nos dilectorum Henrici Abbatis & Conventus Eccleſiæ ſuæ Gemblacenſis precibus inclinati, Gemblacenſem Eccleſiam, cum omnibus bonis ad ipſam pertinentibus, in Regiam protectionem ſuſcipimus, & præſenti Privilegio communimus. Privilegia à noſtris Prædeceſſoribus Regibus & Imperatoribus eidem rationabiliter collata Cœnobio innovavimus & confirmavimus;

Authoritate Regia ſtatuentes, ut ab omni jure & ſubjectione ſecularis dominii ipſum Monaſterium penitus abſolutum, & Libertatis prærogativam præſenti Privilegio obtineat imperpetuum valituro.

De Advocato Gemblacenſi.

Advocatum quoque ſub manu ac poteſtate regia tali condicione habeat, ut idem Advocatus à Rege ſecundus exiſtens unum tantùm ſibi ſubſtituat in ejuſdem Eccleſiæ prædiis Advocatum, neque unquam in quartam manum tranſeat Advocatia.

Porro Sub-Advocatus in Villis ad Abbatiam pertinentibus nichil juris habeat, niſi per ſingulos annos denarium unum probatæ monetæ de unaquaque domo, & gallinam unam, & avenæ ſextarium unum. Nec licebit ei precarias hoſpitationes aut obſonia vel aliqua ſervitia imperare aut exigere, nec aliquo imperandi genere colonos Monaſterii ipſius vexare.

Electio Abbatis.

Conceſſimus etiam, ut poſt obitum Henrici, venerabilis ejuſdem Cœnobii Abbatis, liberam habeant Monachi poteſtatem eligendi Abbatem de ſuo Collegio, aut aliunde, ubicumque eis melius viſum fuerit. Similiter & Advocatum liberè eligant, qui Eccleſiæ poſſeſſiones auctoritate regia prudenter defendat.

Tradidimus etiam eis poteſtatem faciendi caſtella atque municiones circa locum *Gemblois*; nundinas publicas, & monetæ percuſſuram, cum banno eis liberè habere liceat. Et loci ipſius habitatores, nec in civitate, nec in villa, nec ſuper aquas, nec ſuper pontes, nec in aliquo Regni noſtri loco theloneum, foragium vini, cambium cum maceria, ac poſitione Villici aut Scabinorum, & ceterorum Officialium ad eundem locum pertinentium, piſcaturas & vivaria, cum molendinis, terris cultis & incultis, pratis, paſcuis, ſilvis. Immunitas vectigalium

Et ſpecialiter Donationes ab Otthone * Imperatore & Wolbodone † Leodienſi Epiſcopo ipſi Eccleſiæ collatas, Reverendo Henrico Abbati ſuiſque Suceſſoribus concedimus & confirmamus. * Diplom. Belg. Tom. II. p 807. † Tom. III. pag. 12.

Si quis vero noſtræ Inſtitutionis præſumptuoſus violator extiterit, centum libras auri perſolvat, medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem ſæpedictæ Eccleſiæ.

Et ut hæc omnia in perpetuum firma & inconvulſa permaneant, præſentem Paginam Sigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri. Teſtes hujus rei ſunt,

Sifridus Maguntinus Archiepiſcopus.
Theodericus Treverorum Archiepiſcopus.
- - - Biſuntinus Archiepiſcopus.
Bertholdus Argentinenſis Epiſc.
Berinkerus Spirenſis Epiſc.
Hugo Leodienſis Epiſcopus.
Johannes Metenſis Epiſc.
Godefridus Cameracenſis Epiſc.
Odo Tullenſis Epiſcopus.
Hugo Morbacenſis Abbas.
HENRICUS Dux Brabantiæ.
Henricus filius ejus.
Matthæus Dux Lotharingiæ.
Walleramus Dux de Lembourch.
Leupoldus Marchio de Volebourch.
Henricus Comes Barri.
Hugo Comes de Wademont.
Gerardus Comes de Diets.
Symon Comes de Saraponte.
Fredericus Comes de Lumaio.
Henricus de Gemino-ponte.
Gerlacus de Butigne.
Ewrardus Dapifer de Walborch.
Warnerus Dapifer de Horlandia.
Conrardus Pincerna de Scipſa.
Fridericus Camerarius de Bienburch, & alii quam-plures.

✠ Domini Henrici Romanorum Regis invictiſſimi.

Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis M. CC. XXIV. Indictione XIII. regnante Domino Henrico Romanorum Rege glorioſo, anno Regni ejus tertio.

Datum per manus Domini Engelberti venerabilis Colonienſis Archiepiſcopi, doctoris prædicti Domini Regis, apud Tullum XV. Kal. Decembris, feliciter. Amen.

CAPUT LXXIV.

HENRICUS I. *Lotharingiæ ac Brabantiæ Dux, donat Abbatiæ Affligemienſi, pro Anniverſario ſuo, & Uxorum* MACHTILDIS *de Flandria &* MARIÆ *de Francia Ao.* 1224 *Decimas in Roſieres & Foreſto, & bona quædam in Yſſcha ſuperiore. Donationem patris* HENRICUS II. *Dux anno* 1231. *confirmat.*

HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingię &c. Univerſitati veſtræ notum fieri volo, quod ego reſpectu remunerationis divinæ, & ob remedium animarum MAGTILDIS & MARIÆ quondam uxorum mearum, & omnium tam prædeceſſorum quam ſucceſſorum meorum, contuli centum modios bladi Haffligemienſi Cœnobio in eleëmoſynam, annuatim apud Yſcam, ad uſus Fratrum ibidem Deo & beatis Apoſtolis Petro & Paulo ſub regulari habitu perpetuo ſervientium, in preſentia Domini Willelmi Abbatis & totius ejuſdem loci Conventûs, ac Hominum meorum, qui affuerunt; dictam eleëmoſynam ſuper altare majus jam dictæ Eccleſię per textum Evangelii offerendo.

Ad præfatam menſuram annonæ perfectè ſupplendam, aſſignavi Decimam de Roſieres & Worſt, à Fratribus loci prædicti ſingulis annis recipiendam perpetuo, fecique ſolemniter excommunicationis ſententiam promulgari in omnes illos qui ſuper eadem Donatione mea factâ legitimè Affligenienſem Eccleſiam de cœtero inquietare præſumerent.

Ipſi vero Abbas & Conventus communi conſilio ſtatuerunt, quod ad Altare quoddam ſuæ Eccleſiæ ad hoc ſpecialiter aſſignatum, pro mea & dictarum Matronarum, Maghtildis videlicet & Mariæ, omnium tam prædeceſſorum quam ſucceſſorum meorum animabus, Miſſa quotidie celebrabitur pro defunctis.

Ut autem memorati Monaſterii Fratres dictam meę legitimæ Donationis annonam in perpetuum liberè poſſideant, & tranquillè, præſentes Litteras indulſi eidem Haffligenienſi Eccleſiæ, Sigilli mei appenſione ad robur perpetuum communitas.

Actum anno Domini milleſimo ducenteſimo vigeſimo quarto, menſe Auguſto.

EGO HENRICUS de Lovanio, primogenitus Henrici Ducis Brabantiæ, notum facio omnibus tam præſentibus quam futuris præſentem Paginam inſpecturis, quod cum Pater meus prædictus contulerit Eccleſiæ Affligenienſi in eleëmoſynam, in Parochia de Yſſca centum modios bladi, ad menſuram ejuſdem Parochiæ, in perpetuum annuatim de locis quæ Roſieres & Vorſt nuncupantur, ab Eccleſia memorata ſingulis annis recipiendos perpetuo;

Ego quoque, cum jam dicto Patre meo, per hoc ſperans me recepturum mercedem condignam in retributione juſtorum, eidem Donationi Patris mei ob remedium animæ meæ, & animarum omnium tam Prædedeceſſorum quam Succeſſorum meorum gratanter aſſentio. Et ſicut Pater meus dictam eleëmoſynam contulit, & ego per omnia dicti loci Fratribus eandem confero, ut pro mea ſalute & incolumitate ad Deum jugiter intercedant.

In cujus rei teſtimonium præſentem Paginam ſcribi, & Sigilli mei appenſione feci ad robur perpetuum communiri.

Actum in craſtino Trinitatis, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo trigeſimo primo, menſe Mayo.

CAPUT LXXV.

Idem Dux fundat in Eccleſia S. Gudilæ *Bruxellis Miſſam quotidianam, pro Anima* MARIÆ, *filiæ* PHILIPPI *Auguſti Regis Galliæ, ſecundæ ſuæ Conjugis, anno* 1224.

Ex Archivis Capituli Bruxell.

HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, hoc ſcriptum inſpecturis in perpetuum. Noverint univerſi, quod Nos accedentes ad Viros diſcretos Decanum & Cantorem, & alios Canonicos B. Gudilæ in Bruxella, ab ipſis intuitu Dei impetravimus, quod quolibet die non feſtivo Miſſam pro anima Chariſſimæ Uxoris noſtræ MARIÆ (1) nec non pro animabus omnium Prædeceſſorum noſtrorum & fidelium defunctorum, ſolemniter celebrabunt & celebrare tenebuntnr.

Nos ergo eorum benevolentiam benigno vultu reſpicientes, ipſis Decimam noſtram in *Hoidale* (2) prope Furam, cum ſuis appendi-

pendiciis, liberè & absolutè in veram eleëmosynam contulimus, à residentibus Canonicis ibidem tantùm servientibus perpetuò possidendam.

Ut ergo hæc nostra Donatio, ritè facta, in sempiternum obtineat roboris firmitatem, ob hoc fecimus hanc Chartam conscribi, & Sigilli nostri munimine confirmari.

Datum Furæ, anno Domini M. CC. XXIV. feriâ quartâ ante Bartholomæi.

(1) MARIA, erat filia Philippi Augusti Regis Franciæ, prius vidua Philippi Marchionis Namurci, tum anno 1213. nupta Henrico I. Brabantiæ Duci. Obiit anno 1224, sepulta in D. Petri Lovanii apud maritum, & juxta priorem ejus conjugem Mathildem, dictam de Flandria, filiam Mathæi Comitis Bolonię. Vide Trophæa Brabant. auth. Butkens Libro IV.

(2) HOIDALE, sive Hoilaet, vicus in Silva Zoniæ; de quo vide etiam Dip. Mlr. T. I. p 766

II. *Decima de Haren.*

UNiversis præsentem Paginam inspecturis, HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, salutem in Domino.

Notum facimus, tam præsentibus quam futuris, quod Nos pro salute animæ nostræ & animabus prædecessorum nostrorum, contulimus liberaliter & absolutè Decimas nostras apud *Haren*, tam de pratis, quam de aliis cultis & incultis, tam de fœno quam de aliis; Canonicis Bruxellensibus in perpetuum integraliter possidendas.

Haren. Vide Miræum T. I. pag. 570.

Actum anno gratiæ M. CC. XXIV.

III. *Decima Machlæ S. Gertrudis.*

HEnricus Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, universis præsens Scriptum inspecturis, salutem in Domino.

Noverint universi, quod Waltherus de Moerseke, fidelis noster, Decimam quam habebat in Machla*, resignavit in manus Gregorii Ammani Bruxellensis vice nostra: quoniam super hoc idem Ammannus mandatum nostrum receperat speciale. Et ipse Ammannus statim eandem Decimam Authoritate nostrâ contulit Capitulo Bruxellensi, sicut à Nobis habuit in mandatis.

S. Gertruyt Machelen, vicus juxta Vilvordiam.

Interfuerunt autem hiis factis,

Magister Godefridus, Decanus Chori & Christianitatis.

Godescalcus Plebanus,

Godefridus Petri, Mgr. Ægidius, Canonici Bruxellenses,

Arnoldus Presbyter de Machla,

Waltherus de Eppeghem, Canonicus Mechlinienſis,

Waltherus, Miles de Coeckelberga,

Alardus de Remersberga,

& Giselbertus de Maleyse,

& multi alii, tam Clerici quam laïci.

Nos autem prædicta rata & firma habentes, præsentem Paginam Sigillo nostro fecimus sigillari.

Actum apud Bruxellam, anno Domini M. CC. XXV. in vigilia Epiphaniæ.

CAPUT LXXVI.

WALTHERUS BERTHOLDUS *Mechliniæ Dominus, Domum* de Pitzembourg *Equitum Teutonici Ordinis Mechliniæ, à patre* WALTHERO *fundatam, amplius dotat, litteris datis Damiatæ in Syria, anno* 1226.

Ex Archivis Domûs Pitzemburgicæ.

Walterus & Henricus.

WALTERUS BERTHOLDUS, Nobilis de Brabantia, & Dominus de Machlinia, Domino ÆGIDIO Fratri suo dilecto, & filiis suis W. & H. Karissimis, nec non universis Sanctæ Ecclesiæ fidelibus, omnibus quoque Fidelibus suis præsentem Paginam perspecturis, salutem in authore salutis.

Cum ab humana facilius elabuntur memoria, quæ nec scripto nec voce testium æternantur; ideo notum facimus præsentibus & futuris Christi fidelibus, quod cum in exercitu Christiano apud Damiatam infirmi quidem corpore, sani autem mente essemus, divina confluente gratia, Hospitali sanctæ Mariæ, Domûs Theutonicorum in Jerusalem XXIV. bonaria pratorum in Rama contulimus, & VI. bonaria duræ terræ in *Grutlo*, ubi curtim sunt facturi, & tantam libertatem super lignis incidendis in nemore nostro *Wawyr*, sicut tres milites nostri incidere solent: eandem quoque libertatem in pascendis porcis in prædicta silva, quâ tres milites beneficiati à nobis ibidem utuntur.

Grutlo.

Wawyr B. M.

Hæc autem omnia, pro salute omnium Progenitorum nostrorum animarum, prænotatæ Domûs Religioni donavimus, utque Deus in novissimis nostri dignetur cum fidelibus misereri.

Ut itaque hoc rationabile factum imposterum permaneat ratum & inconvulsum, Sigilli nostri impressione, & Testium subscriptione hanc Litteram confirmavimus. Hujus rei Testes sunt,

Giselebertus de Sittenheim.

Willermus Capellanus de Calmunt.
Franco de Arkania, & duo filii ejus F. & W.
Arnoldus de Rimenam.
Egidius & Arnoldus filii noſtri.
Henricus de Duffle, frater noſter.
Willermus Clericus noſter de Belmont,
Aſilius famulus noſter, ac alii plures.

Acta ſunt hæc apud Damietam anno Dominicæ Incarnationis M. CC. XXVI. VI. Kalendas Februarii.

CAPUT LXXVII.

FERRANDUS & JOANNA *Flandriæ Comites Decimam de* Berſée *tradunt anno* 1229. *Abbatiæ Reclinatorii B. M. V. aliàs de* Marquette, *Monialium Ciſtercienſium; cujus Fundationem juxta Inſulas in Flandria inchoârant.*

Ex Archivis Abbatiæ Marquettanæ.

REverendo in Chriſto Patri ac Domino W. Dei gratiâ Epiſcopo Tornacenſi, F. Flandriæ & Hainoniæ Comes, & JOHANNA Flandriæ & Hainoniæ Comitiſſa uxor ejus, ſalutem, & cum debita obedientia præparatam ſemper ad ejus obſequia voluntatem.

Noverit veſtra diſcreta Paternitas, quod Egidius de Querceto Miles & Sarra uxor ejus Decimam de Berſeis, quam de Nobis tenebant in feodum, in manus noſtras per judicium Hominum noſtrorum legitimè werpiverit, recepto à nobis Excambio competente. Nos autem pro ſalute animarum noſtrarum, & ad cultum glorioſæ Virginis ampliandum, præfatam Decimam à jure feodali abſolutam in manus veſtras conferimus, in uſus Monaſterii de Reclinatorio B. Mariæ, quod Nos fundavimus, perpetuo concedendam, & ab eodem Monaſterio liberè & pacificè poſſidendam.

Berſée.

Reverendam igitur benignitatem veſtram affectuoſè rogamus, quatenus cauſâ Dei, & Parium noſtrorum interventu, prædictam Decimam confirmare dignemini Monaſterio memorato.

Actum Inſulis, feriâ ſextâ poſt *Letare Jeruſalem*, anno Domini M. CC. XXIX. menſe Maio.

CAPUT LXXVIII.

Abbatia de BETHLEEM *Monialium Ordinis Ciſtercienſis, in Inſula Schaldiæ, Comitatûs Zelandiæ, variorum Hollandiæ Comitum Privilegiis dotatur, annis* 1231. 1261. 1270.

EGo FLORENTIUS Comes Hollandiæ notum fieri volo, omnibus præſens Scriptum inſpecturis, quod Eccleſiæ Sanctimonialium de Bethleem, de dunis in Scoldia, unam integram hevenam in officio de Bridorpia de petitione mea liberam dimiſi; & dimidia pars prætaxatæ hevenæ, ſcilicet centum menſuræ de herrenard, omni querela remotâ, in perpetuum liberæ & quietæ remanebunt. Quod ne ab humana tolli poſſit memoria, præſentem Paginam Scripti mei munimine roboravi.

Schouwen.

1231. Datum anno gratiæ milleſimo ducenteſimo triceſimo primo, Dominicâ poſt Purificationem Beatæ Virginis.

ALEYDIS, Uxor quondam Domini Johannis de Aveſnis, Hollandiæ & Zelandiæ Tutrix, univerſis præſentia viſuris ſalutem & omne bonum. Cum dilectæ nobis in Chriſto Abbatiſſa & Conventus de Bethleem Ciſtercienſis Ordinis in Schaldia, ex dono prædeceſſorum noſtrorum unam hevenam terrarum in Officio ſive in territorio de Bridorp habeant liberam ab omni Scoto; noſſe volumus univerſos, quod nos finaliter volumus, & tenore præſentium pręciſè mandamus & præcipimus omnibus in prædicta hevena terras habentibus, à domo Ægidii, qui vocatur cognomine filius Comitis, verſus orientem, ut Scotum unum tam precariæ quam expeditionis de terris ſuis, prędictis Abbatiſſæ & Conventui vel miniſtris earum, & nulli alii perſolvant.

Dyckſchot.

Si quis vero prædictis Abbatiſſæ & Conventui, prout dictum eſt, ſolvere contradixerit, etiam ſi alii ſolverint, liber vel quitus non erit: immo ab ipſo dictum ſcotum cum gravamine, prout jus dictavit, requiremus, & ſtudebimus vendicare.

Anno Domini M. CC. LXI. Sabbatho poſt feſtum beati Nicolai.

WILHELMUS Dei gratiâ Romanorum in Regem electus ſemper Auguſtus, univerſis ad quos præſens Scriptum pervenire contigerit, gratiam ſuam & omne bonum. Scire volumus ſingulos & univerſos, quod genitor noſter bonæ memoriæ FLORENTIUS quondam Comes Hollandiæ contulerit Abbatiſſæ & Conventui de *Bethleem* in Schouwen unam integram *Hevene* in Officio de *Bridorpe*, à petitione (quod *Bede* dicitur) liberam: & dimidietatem hujus *Hevene*, ſcilicet centum menſuras, ab *herenarde* liberas conſervavit & immunes.

Nos vero Genitoris noſtri beneficia non ſolum firma obſervare, immo ut dignum eſt augmentare volentes, ob honorem & reverentiam Domini noſtri Jeſu-Chriſti concedimus jam dictæ Abbatiſſæ & ejus Conventui dictam integram Hevene in Officio de Bridorpe, ab herenarde & à petitione & ab omni exactione & gravamine, quibus alię terræ ſolent vel poſſunt gravari, liberam & abſolutam. Et ut hęc largitio noſtra firma & inconvulſa perpetuò perſeveret, præſentem Paginam Sigilli noſtri munimine duximus roborari.

* Circa annum 126. Datum * in Zieriçze, III. Nonas Martii, Indictione quintâ.

FLORENTIUS Comes Hollandiæ, univerſis præſentes Litteras inſpecturis vel audituris, ſalutem. Cum dilectus pater noſter Dominus WILLELMUS quondam Romanorum Rex dilectos in Chriſto Abbatiſſam & Conventum Monaſterii de Bethleem ſiti in Schaldia, Ciſtercienſis Ordinis, quoad integram *Hevenam* in Officio de Bridorpe, ab omni expedicione quæ vulgariter *Herenart* appellatur, precariis, exactionibus, & ab omni onere gravaminis quibus Terra in Schaldia ſolet vel poſſit aggravari, exemit: prout in Litteris ſuis ſuper hoc confectis vidimus contineri;

Nos factum dicti patris noſtri ratum habentes & gratum, dictos Abbatiſſam & Conventum à dictis expeditionibus, precariis, & ab omni onere gravaminis, quibus aliæ terræ gravari potuerint, prout in dictis Litteris patris noſtri eſt expreſſum, quoad dictam *Hevenam* in dicto Officio Bridorpe, ob remedium & ſalutem animę patris noſtri, & aliorum prædeceſſorum noſtrorum duximus eximendos.

In cujus rei teſtimonium præſens Scriptum Sigillo noſtro fecimus communiri.

Datum & actum apud Hameſtede anno Domini M. CC. ſeptuageſimo, feriâ quartâ poſt Dominicam, qua cantatur, Lętare Jheruſalem.

Abbatia de BETHLEEM, Monialium Ordinis Ciſtercienſis, in Schaldiæ Inſula, (vulgo *Schouwen*) apud Zelandos, haud procul ab Oppido Ziriczeę olim fundata extitit. Nulla tamen illius fit mentio apud Miræum aut Jongelinum, aut alios Ciſtercienſis Ordinis Hiſtoriographos: quin-imo nec apud Heuſſenium, qui in ſua Middelburgenſis Epiſcopatus Hiſtoria ſtudioſiùs in ſingula ipſius Diœceſis Monaſteria inquiſivit.

Conſtat nihilominus, Abbatiam hanc uſque ad tempora Belgicorum tumultuum ſubſtitiſſe, ex aliis quoque Privilegiis, eidem per Comites Hollandiæ Zelandiæque conceſſis; quæ cum idiomate Hollandico ſcripta forent, prætermiſimus. Sic Albertus Bavarus Holl. Comes Litteras protectionis dedit anno 1390. Philippus Pulcher Rex Caſtellæ anno 1504. Maximilianus Imp. Dux Burg. &c. anno 1507. Quid autem de hac Abbatia poſtmodum evenerit, hactenus ignoramus.

Porro Diplomata iſta deſcripſi anno 1741. ex antiquo Cartulario Zelandico, quo exiſtit in Camera Rationum Inſulenſi.

CAPUT LXXIX.

JOANNA *Flandriæ Comitiſſa benefacit Hoſpitali B. M. V. in Gandavo, anno* 1233, *quod ipſa ſe cum Comite* FERRANDO *marito ſuo fundaſſe affirmat; quodque nunc eſt Abbatia Monialium Benedictinarum, vulgariter dicta* het Rycke Gaſthuys.

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſul. JOANNA Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſa omnibus præſentes Litteras inſpecturis ſalutem. Noverint univerſi quod de redditu centum librarum, quas illuſtris & Kariſſimus Dominus ac maritus noſter Fernandus pię memoriæ quondam Flandriæ & Hannoniæ Comes in Teſtamento ſuo ad *Scacarium* Furnenſe annuatim ſolvendas de noſtro aſſenſu aſſignavit, & ordinationi Teſtamentorum ſuorum diſtribuendas relinquit, Nos juxta ordinationem eorumdem Teſtamentorum, de conſilio Reverendi Patris Domini Walteri Tornacenſis Epiſcopi factam Hoſpitali S. Mariæ Gandenſis, quod ipſe Dominus Comes & nos in fundo noſtro inchoavimus, ſolvi faciemus quindecim libras nomine Capellaniæ, & viginti libras ad opus quatuor lectorum. In quibus idem Hoſpitale quatuor pauperibus in memoriam ejuſdem Dòmini Comitis tenebitur imperpetuum neceſſaria providere. De prædictis autem quindecim libris in eodem Hoſpitali nova Capellania non debet inſtitui, nec Capellanię quę ibi

Exhiquier.

nunc eſt, redditus augmentari, ſi totidem redditus quos ipſum Hoſpitale ſolebat in ſuſtentationem ſui Capellani conferre, in uſus infirmorum & pauperum de cætero convertantur. Volumus autem & præcipimus, ut receptores reddituum noſtrorum de Furnis prædictas triginta quinque libras, medietatem in feſto ſancti Martini & etiam medietatem in Purificatione Beatæ Mariæ annuatim perſolvant Hoſpitali præfato; donec eidem Hoſpitali totidem redditus alibi aſſignaverimus competenter. Ut hæc igitur firma permaneant, præſentes Litteras ſcribi fecimus, & Sigilli noſtri munimine roborari.

Datum anno Domini M. CC. XXXIII. menſe Septembris.

CAPUT LXXX.

JOANNA *Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſa benefacit anno* 1233. *Abbatiæ Monialium Sti. Antonii Ordinis Sti. Benedicti in Suburbio Pariſienſi.*

Ex Camera Ration. Inſul.

JOANNA Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſa, univerſis præſentes Litteras inſpecturis ſalutem in Domino. Noverit univerſitas veſtra, quod cum FERRANDUS bonæ memoriæ Flandriæ & Hannoniæ Comes & ego ob remedium animarum noſtrarum & Prædeceſſorum, ac deinceps Succeſſorum noſtrorum contuliſſemus Monialibus Eccleſiæ ſancti Antonii Pariſiis decem libras de eleëmoſinis noſtris ad Spicarium Brugenſe ſingulis annis in vicinio ſancti Johannis Baptiſtæ imperpetuum capiendas; & cum dediſſemus ſimiliter eiſdem decem libras ſingulis annis ad Theloneum noſtrum Inſulenſe, in Nundinis Inſularum perpetuo capiendas; Ego vero poſtmodum in plena poteſtate & libera terræ meæ exiſtens, attendens quod nitendum vertebatur ipſi Eccleſiæ ſic in diverſis locis & diverſis terminis recipere prædicta pagamenta; pro viginti libris memoratis divinæ pietatis intuitu, aſſignavi ſingulis annis ad Theloneum meum Inſulenſe in Nundinis Inſulenſibus perpetuò capiendis.

Quod ut ratum permaneat, præſentes Litteras Eccleſiæ prædictæ contuli, Sigilli mei munimine roboratas.

Actum anno Domini M. CC. XXXIII. menſe Decembris.

CAPUT LXXXI.

JOHANNA *Flandriæ Comitiſſa benefacit Hoſpitali B. Mariæ in foro Iprenſi, ibique Capellaniam fundat, anno* 1233.

Ex Archivis Cameræ Ration. Inſulen.

JOHANNA Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſa, omnibus præſentes Litteras inſpecturis, ſalutem. Noverint univerſi, quod de redditu centum librarum, quas Illuſtris & Kariſſimus Dominus ac maritus noſter FERNANDUS piæ memoriæ quondam Flandriæ & Hannoniæ Comes in teſtamento ſuo ad Stacarium Furnenſe ſolvendas de noſtro aſſenſu aſſignavit & ordinationi Teſtamentorum ſuorum diſtribuendas reliquit, Nos juxta ordinationem eorumdem Teſtamentariorum, de conſilio Reverendi Patris Domini WALTERI Tornacenſis Epiſcopi factam, quindecim libras nomine Capellaniæ ſolvi faciemus Ypris novo Hoſpitali, quod Marguareta vidua inchoavit. Unde in nova Capellania non debet inſtitui, nec Capellaniæ illius quæ ibi nunc eſt redditus augmentari: ſi totidem redditus quos idem Hoſpitale ſolebat in ſuſtentationem ſui Capellani conferre, de cætero in uſus infirmorum & pauperum tenebitur exhibere.

Volumus autem & præcipimus, ut receptores reddituum noſtrorum de Furnis prædictas quindecim libras, medietatem in Feſto ſancti Martini & aliam medietatem in Purificatione Beatæ Mariæ annuatim perſolvant Hoſpitali præfato; donec eidem Hoſpitali totidem redditus alibi aſſignaverimus competenter.

Ut hæc igitur impoſterum firma permaneant, præſentes Litteras ſcribi fecimus, & Sigilli noſtri munimine roborari.

Datum anno Domini M. CC. XXXIII. menſe Septembris.

CAPUT LXXXII.

HENRICUS *Romanorum Rex*, FREDERICI II. *Imperatoris Filius*, *Eccleſiam Collegiatam* Sti. Servatii Trajecti ad Moſam *eximit à Juriſdictione Leodienſis Epiſcopi; declarans per Sententiam definitivam, eam eſſe Capellam Imperatoris, & Canonicos ſuos Capellanos, anno* 1234.

HENRICUS (1) Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, omnibus in perpetuum.

Cum dilectus Capellanus noſter Sybodo, Aquenſis Eccleſiæ Decanus, & Canonicus Eccleſiæ beati Servatii in Trajecto, ac ceteri Trajectenſis Eccleſiæ Canonici conquerendo propoſuerunt coram Nobis, quod Venerabilis Princeps noſter Leodienſis Epiſcopus ſuper hanc Eccleſiam noſtram & eoſdem Canonicos Capellanos noſtros non ſolum Juriſdictionem contra juſtitiam uſurparit, verum & authoritate propriâ, de facto, cum de jure nequiret, contra libertates ipſius Eccleſiæ, ac in præjudicium Imperii & Noſtram, in eos excommunicationis ſententiam promulgaverit, & aliàs ipſis injurioſus exiſtens plurimùm & moleſtus; Nos eum ad præſentiam noſtram citavimus ſuper eo, certis & legitimis terminis aſſignatis.

Cum autem in ultimo peremptorio apud Luteram non perſonaliter comparuerit, nec aliquis reſponſurus pro eo, & probatum fuiſſet ſufficienter per teſtes idoneos, coram Nobis, quod tunc debemus Canonicis facere juſtitiam, quando querimoniam cauſæ ſuæ juſtè & rationabiliter perſecuti fuiſſent;

Diffinivimus per Sententiam, à Principibus & Magnatibus qui tunc aderant approbatam, quod nec idem Epiſcopus nec aliquis Succeſſorum ſuorum habeat vel habere debeat in eadem Eccleſia noſtra aliquam Juriſdictionem, quæ mere & liberè tantum ad Imperium & ad Nos dinoſcitur pertinere. Sicut conſtat ex diverſis Privilegiis eidem Eccleſiæ indultis, & à noſtris Progenitoribus & Imperatoribus, qui eandem Eccleſiam primitus fundaverunt, & ſicut proteſtantur eidem Principes & Magnates, qui ſuper hoc à Nobis generaliter requiſiti fuerunt.

Igitur cum victus victori, ſecundum Jura Civilia, condemnari debeat in expenſis, ad inſtantiam Canonicorum ſupradictorum, memoratum Epiſcopum eis ſententialiter condempnavimus in centum Marchas Colonienſes, quas per ſacramentum probaverunt ſe in eodem negotio expendiſſe.

Teſtes hujus rei ſunt:

Syfridus, Moguntinenſis,
Theodoricus, Trevirenſis,
Henricus, Colonienſis, Archiepiſcopi,
Elrebertus, Babenbergenſis Epiſcopus,
Hermannus, Herbipolenſis,
Johannes, Metenſis,
Conrardus, Spirenſis,
Rogerus, Tullenſis, Epiſcopi,
Conradus, Abbas S. Galli..... Protonotarius.

Arnoldus, Sti. Gereonis Præpoſitus Coloniæ.

Matthæus Dux Lotharingiæ,
Henricus, Dux Lemburgenſis,
Walleramus frater ejuſdem,
Henricus Comes de Helfenſtein,
Everardus Comes de Eberſtein,
Henricus Comes de Spanheym, & Simon frater ejus
Henricus Comes de Gemino-Ponte,
Simon Comes de Sarebruche,
Fredericus Comes de Lininge,
Gerlachus Comes de Veltenche,
Lotharius Comes de Weda.
Henricus Comes de Caſtris,
Gerhardus Comes de Dyze,
Widegothus de Albeche,
Hermannus de Mulenarche,
Fredericus de Riſerchem,
Wernerus Dapifer de Bolandia,
Conradus Pincerna de Clingenberg.
Everardus Dapifer de Walpurg,
Henricus Camerarius de Raſimburg, & alii quamplures.

Actum apud Luteram, anno gratiæ M. CC. trigeſimo quarto. 1234.

Datum XV. Kalen. Apriles, Indictione ſeptimâ.

(1) HENRICUS iſte fuit filius Frederici II. Imperat. ſed anno 1235 juſſu patris ſui, contra quem arma ſumpſerat, incluſus carceri, anno ſequenti obiit.

CAPUT LXXXIII.

MARGARETA, *dicta Conſtantinopolitana, Flandriæ Comes dotat anno* 1234 *Abbatiam Monialium Ciſtercienſium, dictam de Honore B. M. V. recens à* JOANNA *Sorore fundatam in Oppido de Orchies, ac paulò pòſt per ipſam* MARGARETAM *in Flinas, juxta Duacum tranſlatam.*

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſul.

EGO MARGUARETA Domina de Dampetra notum facio omnibus præſentes Litteras inſpecturis, quod cum Ego compos mei in viduitate mea exiſterem, pro ſalute animæ meæ & piæ memoriæ B. Domini & mariti mei & omnium Anteceſſorum meorum de voluntate & aſſenſu Kariſſimæ Dominæ & Sororis meæ Joannæ Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſæ & per judicium hominum ſuorum, priuſque meorum, dedi & conceſſi in puram & perpetuam eleëmoſynam Eccleſię Monialium Ciſtercienſis Ordinis, quæ vocatur *Honor Beatæ Mariæ* ſitæ juxta Orchies, quam fundavit, centum libratas Flandriæ monetæ annui redditus, de perpetua hæreditate mea percipiendas quolibet anno ad Theolonium & Troncum Inſulenſe, videlicet quinquaginta libras in Nativitate Domini & in Nativitate beati Johannis Baptiſte alias quinquaginta libras.

Burchardus de Avesnis.

Ad quod Theoloneum & Troncum prefata Kariſſima & Domina Soror mea michi terram aſſedit pro perpetua hæreditate mea. Et ad prædictam Donationem me & meos heredes obligo firmiter & fideliter conferendam.

Actum anno Domini M. CC. XXXIV. menſe Mayo.

Hæc Donatio ſolvitur uſque hodie ex Domanio Regio Inſularum, juſſu Regis Ludovici Magni, decreto 27 Martii 1687. Fundationis autem Abbatiæ ſupradictæ Diploma extat apud Miræum Tomo I. pag. 579.

CAPUT LXXXIV.

BALDUINUS *Imperator Conſtantinopolitanus (Latinorum poſtremus) Comes etiam Namurcenſis, benefacit Monaſterio de Geronſart, Canonicorum Regul. juxta Namurcum, anno* 1237.

BALDUINUS, hæres Imperii Romani & Comes Namurcenſis, fidelibus ſuis Villico & Scabinis Namurcenſibus ſalutem. Per præſentes Litteras noſtras ſignificavimus vobis, quod ratam & acceptam habemus collationem, & aſſignationem factam Eccleſiæ de Geroldi-Sarto de Capellania, pro anima Kariſſimi & Anteceſſoris noſtri Fratris piæ memoriæ Philippi Comitis Namurcenſis; & mandamus, & volumus, quatenus illi centum ſolidi blancorum, qui dictæ Eccleſiæ ſunt aſſignati, ad villicationem Namurcenſem ſolvantur ei, quolibet anno ad Feſtum S. Joannis Baptiſtæ de Nativitate, quoadusque eiſdem alibi fuerint commodius aſſignati, redditis litteris.

Datum menſe Martio, anno ab Incarnatione Domini M. CC. XXXVII.

CAPUT LXXXV.

Litteræ HENRICI II. *Lotharingiæ ac Brabantiæ Ducis, de admiſſione FF. Minorum, & conſtructione Capellæ eorum in Urbe Bruxellenſi, anno* 1241. *Accedit Acceptatio R. P. Generalis Ordinis S. Franciſci anno* 1247.

Ex Archivis Capituli S. Gudilæ.

HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingiæ & Brabantiæ. Univerſis Chriſti fidelibus præſentes Litteras audituris, ſalutem in Domino.

Noverint tam univerſi quam ſinguli, quod cum controverſia eſſet inter Fratres Minores habitantes Bruxellæ ex una parte, & dilectos Clericos noſtros Canonicos parte

ex altera, ſuper quadam ædificatione cujuſdam Capellæ, quam ipſi Fratres conſtruunt prope Capellam S. Nicolai * in Bruxella, quæ Capella ad ipſos Canonicos dinoſcitur pertinere;

* Hodie Parochia.

Et ipſi Fratres feciſſent Canonicos ciſari ad diverſa, & coram diverſis, Authoritate Apoſtolicâ, ſcilicet apud Coloniam coram Archiepiſcopo Colonienſi, & Herbipolim coram Epiſcopo Herbipolenſi. Et hoc pro eo, quod ipſi Canonici contradicerent conſtructioni Capellæ FF. memoratæ: cum ipſis Canonicis videretur fieri in eorum damnum maximum & gravamen.

Nos ergo pacem ſemper deſiderantes, & maximè inter illos, qui ſub noſtro Dominio commorantur, prædictis Fratribus & Canonicis in noſtra præſentia conſtitutis, tractavimus de pace reformanda inter prædictos.

Et ipſi Canonici obtulerunt Fratribus, quod vellent compromittere in quoſcumque viros providos & honeſtos, & maximè in Venerabilem Patrem Epiſcopum Pariſienſem, & Magiſtrum Alexandrum, qui eſt de Ordine FF. Minorum. Et Nos cum fidelibus noſtris qui interfuerunt, hoc idem rogavimus ipſos Fratres. Sed ipſi Fratres hoc acceptare nullatenus voluerunt.

Inſuper ipſi Canonici obtulerunt quem vellent, in unum de Concanonicis ſuis, ſcilicet Decanum vel alterum: & in unum de Confratribus ſuis, & in Nos pro tertio, compromittere: & quod Nos tres de prædictis ordinaremus, firmum & ſtabile haberetur. Ipſi autem Fratres hoc acceptare minus voluerunt. Unde tam Nos, quam Fideles noſtri qui interfuerunt plurimùm mirabamur de tot & tantis oblatis. Cum tamen Religioſos non deceat litigare . . . *Deſunt reliqua.* Nota.

Datum anno Domini M. CC. XLI. feriâ tertiâ ante feſtum B. Mariæ Magdalenæ.

UNiverſis preſentes Litteras inſpecturis, Frater Johannes Miniſter Generalis & Servus Fratrum Minorum, licet indignus, ſalutem & pacem.

Veſtræ charitati innoteſcat, quod Compoſitionem factam inter Canonicos B. Gudilæ in Bruxella, ex una parte, & FF. Minores ibidem commorantes ex altera parte ratam habemus, & illam volumus inviolabiliter obſervari. Videlicet, quod ipſi Fratres non recipient aliquem de Parochianis eorum ad Eccleſiaſticam ſepulturam, niſi licentiâ ab eis petitâ pariter & obtentâ.

Similiter idem fiet de tranſeuntibus hoſpitibus, peregrinis, mercatoribus, quibus ipſi Canonici miniſtrant Eccleſiaſtica Sacramenta.

In cujus rei teſtimonium, præſentes Litteras noſtro Sigillo duximus roborandas, Lugduni in Capitulo generali XV. Kalendas Auguſti, anno Domini M.CC.XLVII.

B. Pater FRANCISCUS mortuus eſt anno 1226 ſub Honorio III. Pont. Intrarunt autem FF. Minores oppidum Bruxellenſe, annò ſequente, & obtinuerunt locum juxta ædiculam ligneam B.M.V. vulgo à cantu avium *Vogelſanck* nuncupatam. Dum autem Capellam hanc à fundamentis anno 1241 reædificare cœperunt, ortæ ſunt contentiones ipſos inter & Capitulum, de quibus ſuperiori Diplomate.

Anno 1502 ſubintrarunt FF. Coletani & reformaverunt Monaſterium: anno autem 1518 intrarunt FF. Obſervantes.

Quoad funeralia, facta ſunt poſtmodum plura Concordata, imò & deciſio per Bullam Bonifacii Papæ VIII. ſuper quartâ funerali, quâ gaudet Capitulum.

MAGISTER autem *Alexander*, de quo in Diplomate Henrici Ducis, fuit *Alexander de Hales*, ſcriptor Scholaſticus celeberrimus, communiter appellatus *Doctor irrefragabilis*.

Fragmentum præfati Diplomatis extat inter Probas Trophæorum Brabantiæ Chriſt. Butkens pag. 83 veteris editionis: ſed male citatur illic annus 1241. pro 1247.

CAPUT LXXXVI.

HENRICUS *Comes Luxemburgenſis confirmat anno* 1241 *Fundationem Monaſterii Fratrum Ordinis SS. Trinitatis, in Oppido ſuo* Baſtonienſi.

Ex Archivis Monaſteriü.

OMnibus præſentes Litteras viſuris, HENRICUS Comes Luciburgenſis ſalutem, & agnoſcere veritatem.

Cum Gerardus de Houſaliſiâ, Burgenſis Baſtonienſis, quoddam Hoſpitale ad ſuccurſum pauperum de ſuo proprio fundavit Baſtoniæ, & illud Fratribus Ordinis Trinitatis contulit conſervandum & perpetuo inhabitandum, Ego & dilectus Frater meus Gerardus Miles, ut bonorum, quæ ibidem fient de cętero ſimus participes .... dicti Hoſpitalis cum appendiciis benigne & caritative eidem Gerardo, dictiſque Fratribus Trinitariis conceſſimus & laudavimus.

Tali tamen conditione, quod præfati Fratres in Hoſpitali habitantes & habitaturi in Comitatu noſtro, nihil poterunt hæreditatis acquirere, niſi prius ſuper hoc aſſenſum requiſierint & favorem.

Hujus autem rei teſtes ſunt, ſupradictus

Frater meus.
Arnulphus Miles, Dominus de la Rochette,
Godefridus Miles de Villari,
& Rodulphus Miles de Cavenes.
Ne vero res iſta ſucceſſu temporis poſſit infirmari aliquâ calumniâ ſubnaſcente, præſentibus Litteris Sigilli noſtri poſuimus munimentum.

Datum anno Domini M. CC. XLI. menſe Aprili.

CAPUT LXXXVII.

JOANNA *Flandriæ Comitiſſa donat Fratribus Trinitariis Domûs de Claro-Vivario apud* Hondiſcotam *in Flandria*, 30. *bonaria Waſtinæ, ad promovendam fundationem ejuſdem Domus, anno* 1243.

Ex Archivis Monaſterii & Cameræ Inſulenſis.

JOANNA Flandriæ & Hanoniæ Comitiſſa, univerſis præſentes Litteras inſpecturis, rei geſtæ noticiam cum ſalute. Noverint univerſi quod nos de plenaria poteſtate ab illuſtri Domino & marito noſtro Th. Comite Flandriæ & Hanoniæ nobis conceſſa, qui nos loco ſui reliquit pro ordinandis & faciendis quæcumque in terra noſtra videbimus ordinanda eſſe & facienda, dum profectus eſſet in Sabaudiam; pro ſalute animę noſtræ, & ipſius Comitis, ac Prædeceſſorum noſtrorum dedimus & conceſſimus in eleëmoſinam Domui & Fratribus Ordinis ſanctæ Trinitatis & Captivorum de *Claro Vivario* in Hondeſcota, de Waſtina noſtra *le Parric* ſitum in Parochia de Hondeſcota, qui *Wormout* vulgariter nominatur, & tantùm de propinquiore circa-jacente Waſtina illa, quod dicta Domus & Fratres triginta Bonaria prædictæ Waſtinæ teneant quietè, abſque revocatione Succeſſorum noſtrorum, imperpetuum pacificè poſſidenda.

Quitavimus etiam ſupradictis Domui & Fratribus omne jus quod in dicta Terra habebamus, vel habere poſſemus; altâ tamen nobis juſtitiâ reſervatâ.

Ut hæc autem Donatio ſtabilis, & inconcuſſa permaneat, præſentem Cartam ſæpedictis Domui & Fratribus tradidimus, Sigilli noſtri munimine roboratam.

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo, quadrageſimo-tertio, menſe Auguſti. 1243.

CAPUT LXXXVIII.

HENRICUS & ERMESENDIS, *Comites Luxemburgenſes, benefaciunt anno* 1243. *Sanctimonialibus Abbatiæ* S. Spiritûs, *de Inſtituto S. Claræ, in urbe Luxemburgenſi. Accedit Bulla* URBANI IV. *Papæ, data anno* 1264.

Ex Archivis loci.

CUm ea quæ aguntur in tempore, niſi Litterarum atque Sigillorum adminiculo fuerint roborata, faciliter evaneſcunt; Ego HENRICUS de Lucembourg omnibus præſens Scriptum inſpecturis notum facio, quod Hugo de Bous, prope Priſchs, hæreditatem quam habuit in decimâ de Kertheneim per manus noſtras & favorem noſtrum, dilectis in Chriſto Sororibus Pœnitentibus S. Spiritûs prope Lucembourg libere vendidit & abſolute. Nos etiam omni juri noſtro quod in dictâ Decimâ habebamus, tamquam pro parte dicti Hugonis renunciavimus, prælibatis Sororibus id perpetuo concedendo.

Ne autem in poſterum ab aliquo ſuper prædicto contractu ſuboriri poſſit calumnia, præſens Scriptum Sigilli noſtri munimine fecimus corroborari.

Actum anno Domini M. CC. XLIII. Decimo-tertio Kal. Auguſti.

EGo ERMENSENDIS Comitiſſa Lucelburgenſis, omnibus præſentes Litteras inſpecturis notum facio, quod Anſelmus de Ham, laude & aſſenſu meo vendidit Sanctimonialibus de S. Spiritu prope Lucelburgum medietatem ſui molendini ſiti prope fontem *Kieſolbourn*, quam medietatem eis tenetur facere pacificam in omnibus & contra omnes.

Ut autem firmum ſit & ſtabile, præſentes Litteras Sigillo meo dictis Dominabus in teſtimonium contuli roboratas.

Datum in die Pentecoſtes anno Domini M. CC. XLIII.

IN nomine Domini. Noverint univerſi præſens Scriptum viſuri, quod Ego Domina Huitha de Kunchi, relicta Domini Johannis de Rutthie, merâ & ſpontaneâ meâ voluntate purè & ſine omni exceptione, de merâ & ſpontaneâ meorum liberorum voluntate Dominabus S. Spiritûs in Luceburg, quæ ſuæ Congregationi Huitham Neptem

Neptem meam aggregaverunt, ſex maldra ſiliginis contuli ex cauſâ Donationis, de hodie in antea, in decimâ de Heivingen ſingulis annis & in perpetuum percipienda. Eligenſque apud jam memoratas Dominas meam ſepulturam, ipſis poſt mortem meam tribuo pro legato, & in donationem cauſâ mortis, bona ſeu poſſeſſiones apud Broche, quæ ad me dinoſcuntur pertinere. Sub formâ ſubſequentl, & conditione, quod Succeſſores mei per collationem xx. librarum Trevirenſium prænotatis Dominabus faciendam, ſupradictas poſſeſſiones pro legato & in Donationem cauſâ mortis collatas, ſuis uſibus poſſint applicare. Volens, quod nullum teſtamentum ſeu codicillum, ſeu Donatio inter vivos, ſeu cauſâ mortis, ſeu quodcumque genus alienationis, quod per me impoſterum poſſit celebrari, ſæpe-fatum legatum & Donationem cauſâ mortis factam valeat impugnare vel revocare: ſed roboretur, & in robore ſuo & pace permaneat debitâ & quiete. Et ne ſuper hoc impoſterum præſentibus vel ſubſequentibus dubitatio oriatur, Sigillum Viri Nobilis Henrici Comitis Lucenburg in teſtimonium preſentibus eſt appenſum.

Actum Lucemburg anno Incarnationis Domini M. CC. LVIII.

Bulla Urbani IV.

Ex Regiſtris Vatic. apud Wadingum in Annal. Min.

URBANUS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Miniſtro Provinciali Ordinis Fratrum Minorum, Adminiſtrationis Coloniæ, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Pia vota perſonarum humilium, quę laudibus divini nominis ferventer invigilant, & virtutum cultui ſine intermiſſione deſudant, aure benigna ſuſcipere, ac promptis delectamur affectibus adimplere.

Sane petitio dilectarum in Chriſto filiarum Pœnitentium loci *Sancti Spiritûs de Luxemburgo*, Treverenſis Diœceſis, Nobis exhibita continebat: quod ipſæ olim in loco ipſo abſque Superioris authoritate ac Religionis fervore ſanctæ Claræ Ordinem, S. Damiani tunc temporis nuncupatum, aſſumentes, quamdam Monialem de Monaſterio S. Claræ Metenſis, ejuſdem Ordinis, in Abbatiſſam ſibi præficere ſtuduerunt.

Poſtmodum autem dictæ Sorores, nulla de his habitâ mentione, noſtras ad dilectum filium Miniſtrum Provincialem Ordinis in Regno Franciæ litteras impetrarunt, inter alia continentes, ut ipſe dictis Sororibus, cum requireretur ab eis, Regulam S. Damiani, de conſenſu Diœceſani loci, abſque juris præjudicio alicujus, Authoritate noſtrâ, ſi expedire videret, concedere procuraret. Sed nullus ex hujuſmodi Litteris, prout aſſeritur, ex eo habitus eſt proceſſus, quod eædem non fuerunt litteræ præſentatæ. Quare prætactæ Sorores ad nos recurſum habentes Nobis humiliter ſupplicarunt, ut providere ipſis in hac parte ſalubriter curaremus.

Nos itaque ipſas, intuitu devotionis earum, ac etiam obtentu dilecti filii Nobilis Viri Comitis Lucemburgenſis, qui nobis eas per affectuoſas Litteras commendavit, paterno proſequentes affectu, & diſcretioni tuæ præſentium authoritate committimus, quatenus ſi dictæ Sorores ſub clauſura conſiſtunt, & facultates habent de quibus poſſint commode ſuſtentari, conſideratis diligenter circumſtantiis univerſis, quæ circa locum & Sorores præfatas, ac etiam Regulam nuper à Nobis eidem Ordini traditam, fuerint attendendæ, aliquorum diſcretorum Fratrum tui Ordinis ſuper hoc requiſito conſilio, præfatas Sorores Ordinis S. Claræ prætactæ Authoritate noſtra per te vel per alium incorporare procures, ſine alterius juris præjudicio, ſi videris expedire.

Datum apud Urbem-veterem XII. Kal. Julii, Pontificatûs noſtri anno III.

CAPUT LXXXIX.

MARGARETA, *Flandriæ Comes, confirmat & auget anno* 1245 *Fundationem* Hoſpitalis Comitiſſæ, *Inſulis Flandrorum, à Comitibus* Thoma de Sabaudia & Joannâ, *noviter erecti.*

Ex Archivis hujus Hoſpitalis.

MARGARETA Flandriæ & Hanoniæ Comitiſſa, omnibus præſentes Litteras inſpecturis ſalutem in Domino. Noverit univerſitas veſtra, quod Vir Nobilis THOMAS quondam Comes Flandriæ & Hannoniæ, & illuſtris Domina & Kariſſima Soror noſtra JOHANNA uxor ejuſdem, felicis recordationis, quondam Flandriæ & Hanoniæ Comitiſſa, dederunt in eleëmoſynam Hoſpitali quod juxta Aulam ſuam de Inſula in honorem Dei & B. Mariæ Virginis fundaverant, ad uſus & ſubſidium pauperum infirmorum lecto decumbentium centum & xx. libras Flandrenſes anui redditus de primis proventibus Halæ & Ponderis Inſulenſis intra nundinas In-

ſulenſes, ab ipſo Hoſpitali imperpetuum poſſidendas & percipiendas.

Ita quod ſi aliquo anno forſitan eidem Hoſpitali aliquid de prædicta ſumma in Hala & Pondere deficeret, ipſi Comes & Comitiſſa & hæredes eorum prædictam ſummam ſupradicto Hoſpitali ſupplere totaliter tenebantur: ſicut per Cartam eorum Nobis conſtitit, & conſtat ad plenum.

Inſuper prędicti THOMAS Comes, & JOHANNA Soror noſtra Comitiſſa tenebantur aſſignare prædicto Hoſpitali octoginta & decem libras Flandrenſes annui redditus perpetui, in tali loco ubi eſſent bene ſitæ ad commodum & utilitatem prædicti Hoſpitalis; in quibus prædictas octoginta & decem libras annuatim prædicti Comes & Comitiſſa prædicto Hoſpitali tenebantur: ſicut in ſæpe-dictorum Comitis & Comitiſſæ Carta vidimus continentia, Sigillo eorum munita, quod etiam de noſtro conſilio factum fuerat & aſſenſu.

Nos vero prædictarum centum & viginti librarum aſſignamentum, de Magiſtri, Fratrum & Sororum prædicti Hoſpitalis aſſenſu communicavimus & aſſignamus ipſis, ſimul & prædictas octoginta & decem Libras; id eſt, in univerſo ducentas, percipiendas ab eis imperpetuum annuatim in redditibus noſtris Waſtinarum quæ ſunt in Officio de *Maldenghem*, in Officio de *Rodebourch*, & in Officio *d'Yſendike*: videlicet ſuper duo millia bonnaria Waſtinarum, & unum bonarium & duas menſuras, & centum & undecim virgas; cujus redditus ſumma valet ducentas & decem libras & XII. denarios & obolos, parum plus vel minus annuatim.

Prædictum autem aſſignamentum fecimus prędicto Hoſpitali bene & legitimè, & tenemur eidem illud conſervare & garandire; & ad hoc obligamus Nos & noſtros Succeſſores imperpetuum.

Inſuper ſciendum, quod ſepedictum Hoſpitale in dictis duobus millibus & uno bonario, duabus menſuris centum & XI. virgis, habebit introitus exitus, & relevia; & nuncius Hoſpitalis per defectum redditus, ipſo cum bonario pandare poterit, & leges quæ debebuntur per defectum ſolutionis tandiu reddituræ erunt uſque ad tres ſolidos; ejuſdem Hoſpitalis nobis & Succeſſoribus noſtris omni aliâ juſtitiâ in dictis bonariis remanente.

In cujus rei perpetuam firmitatem, fecimus præſentem Cartam Sigilli noſtri appenſione muniri.

Datum anno Domini M. CC. XLV. menſe Marchio.

CAPUT XC.

MARGARETA, *Flandriæ Hannoniæque Comes, poſſeſſiones ſingulas Abbatiæ* Marchianenſis, *Ordinis S. Benedicti in Gallo-Flandria, recenſet, noviſque Privilegiis confirmat, anno* 1246.

Ex Cartulario autentico Abbat. Marchian.

MARGARETA Flandrenſium & Hannoniæ Comitiſſa, univerſis præſentem Paginam inſpecturis, ſalutem in Domino. Noverint omnes, præſentes pariter & futuri, quod Nos, ad humilem Abbatis & Conventus Marchianenſis peticionem, poſſeſſiones ejuſdem Eccleſiæ, quas habet in terra & poteſtate noſtra, & ejus libertatem, cum curtibus & terris & villis ac juſticiis earum, cum ſilvis aquis & paſcuis earum, cum terragiis & winagiis redditibus & aliis quibuſlibet rebus, quas in hac Pagina duximus adnotandas, liberas decernimus, & ab omni jure ſive qualicumque exactione, quocumque modo nuncupetur, abſolutas.

Imprimis igitur Villam Marchianenſem, in qua ſanctæ Rictrudis Corpus cum aliis Sanctorum Corporibus requieſcit, liberam decernimus & ſtatuimus, cum locis hinc inde adjacentibus, nemoroſis videlicet & aquoſis; à terra ſcilicet quæ deſcendit à feodo Duacenſi, uſque ad terram S. Amandi, & S. Petri Haſnonienſis, & à terra de Fenaing uſque ad terram Comitis Flandrenſis in Pago Pabulenſi. Et ſub eadem libertate liberam eis decernimus Scluſam Scarpi, à Marchianis uſque prope Silvam de Somania.

Scluſam etiam de Donc, cum vivario inter Marchianas & Bovegnies, & Plankam de Mohies, & Curtem Hoio, & molendinum ejuſdem vivarii: in quibus Dominus de Landaſt quartam partem accipit, & quartam ponit per omnia; juſtitia ejuſdem vivarii & molendini ſalvâ in omnibus ipſi Monaſterio remanente. Et quod ipſa Eccleſia poteſt piſcari ad libitum ſuum, uſque ad pontem de Bovegnies.

Piſcationem quoque fluminis Scarpi, à Waſconis curia uſque ad brachiorum locum; excepto quod Domino Warlennii licet in angulo ſuo tres tantummodo habere lacunas, palis & viminibus compoſitas, ſed nullam de jure in tranſſeundo poteſt exercere piſcationem.

Proprietatem nihilominus & juſtitiam aquæ Verethi, à Raſcia de Pomeriis uſque ad Raſciam Rullagii, quam Juſtitiam Marchianenſis Eccleſia conceſſit Eccleſiæ Aquicinctenſi, ſub annuo perpetuo cenſu XV. ſolidorum in feſto omnium Sanctorum, reſervato ſibi omni jure piſcandi in tranſeundo foſſatum, nihilominus de Iſles, quod à fluvio Scarpo tranſit per mariſcum, uſque ad Monaſterium Marchianenſe, & decurſum molendini Marchianenſis.

Foſſatum quoque de Move, quod à vivario de Erleverchies extenditur uſque ad Scarpum fluvium.

Hamaige Locum quoque Hamaticenſem, cum appendiis ſuis *Alno*, & *Tilloit* & *Waudegnies*. Curtem quoque & vivarium in *Erleverchies*, cum molendino & decurſu ejus, & piſcationem decurſus ejus, & foſſatum de *Rulai* tranſiens à fluvio Scarpo uſque ad ipſum vivarium.

Item domum de *Selregnies*, & Curtem *Billechen*, cum terris & pratis & paſcuis ad dictas tres Curtes pertinentibus. Allodium etiam de *Clemenchienes*, cum decima & terragio.

In Pago *Oſtrevanno* Villas de *Aſcens* & de *Hera*, Villam etiam de *Fenaing*, cum omnibus appendiciis & homagiis ejus; quam *Godefr. de Lovanio.* Dominus *Godefridus de Louvegnia*, Miles, frater Viri illuſtris *Henrici* Ducis Brabantiæ; & *Maria* uxor ejus bene & legitimè vendiderunt, conceſſerunt & guerpiverunt eidem Eccleſiæ Marchianenſi.

Silvam quoque de *Gbievre* & Silvam de *Brullel*, cum herba & lignis aridis ejuſdem Silvæ: & curſum fontium de *Fenaing*, qui liberè decurrere debent ad vivarium de *Erleverchies* Eccleſiæ Marchianenſis.

Et in eodem Pago allodium, *Veſinium* nuncupatum, ſub pœna centum librarum, in qua tenebitur qui contra datum iſtud venerit, ſi liber homo fuerit; non liber, *Nota.* in amiſſione oculorum. Decimam nihilominus de *Avich*, & Decimam de *Hornaing*, & Decimam de *Maſtaing*, & Decimam de *Gorgeron* apud *Douci*. In eodem Pago *Oſtrevanno* in villa de *Lorch* duos molendinos, ſub eadem libertate.

Sciendum inſuper, quod nec in villa nec in curte de Aſcons, nec in appendiciis ejus *Joannes de Ruech* Miles & heredes ejus aliquid habent, niſi proprium redditum Duacenſis monetæ, percipiendum per manus miniſtrorum Eccleſiæ; & quod Homines de *Aſcons* nunquam ſolvere debent eidem J. vel heredibus ſuis hoſtis adjutorium, niſi quando exercitus Flandrenſis tranſit ultra nemus Arroaſiæ.

Inſuper juxta Binchium in Hannonia Curtem de *Periches*, & prædium de *Badengies*, cum terris, pratis, paſcuis & rebus aliis. Cenſum etiam annuum perpetuum x. ſolidorum Valenchenenſium, percipiendum in Natale Domini ad redditum novum de Binchio, pro quodam vico apud Binchium, qui vocatur *Sanctæ Euſebiæ*, quem de Eccleſia memorata tenemus.

In ſupra-dicto Pago villam *Sailliacum*, cum vivario, furno, molendino & gavalo. In vivario de *Sciuſa* herbagium, ad opus tantum Curtis de *Sailly*. Ita quod Curtis ipſa herbam quærere poteſt ibi cum una navi & falce: ſalvis piſcibus & ovis vivarii. Hoc tamen ſalvo, quod ſi dictum vivarium ad terram arabilem, vel ad uſum alium reducatur, non poterit dicta Eccleſia in illo contra voluntatem noſtram jus aliquod petere vel habere.

Et hoc eis conceſſum eſt in recompenſationem piſcatoris illius, quem Eccleſia Marchianenſis habere ſolebat in illo vivario, pro eo quod pars quædam vivarii ſita eſt in ejus hereditate.

Villam etiam *Gaugiacum*, cum omni integritate liberam eſſe decernimus: & totum etiam *Gavalum* ejuſdem Villæ, quod Philippus Comes Flandriæ eidem Eccleſiæ pro anima ſua & prædeceſſorum ſuorum in eleëmoſinam (ut ſcimus) firmiter condonavit.

In *Melentois* Villam *Ronchinium*, cum omni integritate; & in eadem Villa quemdam redditum annuum perpetuum, dictum vulgariter *Sougnie*, ex dono Domini Thomæ Comitis Flandrenſis & Hainonienſis, & Uxoris ejus Johannæ Comitiſſæ, dilectiſſimæ Sororis noſtræ. Ad quorum inſtantiam ordinavit Dompnus Egidius tunc Abbas Marchianenſis, & Conventus, trés noſtros Anniverſarios; & de proventibus ejuſdem Anniverſa- ria. ſingulis annis Refectio Conventui procuretur, in ſingulis diebus noſtrorum trium Anniverſariorum.

Donationem quoque omnium Corveriarum, quas Dominus Johannes Caſtellanus Iſlenſis & Peronenſis habebat in eadem Villa, & omne jus quod ibidem percipiebat pro defectu ſolutionis redditûs ſupra-dicti.

Item in eadem Villa Concordiam factam inter Petrum de Ronchin & fratres ſuos ex una parte, & Eccleſiam Marchianenſem ex altera, ſuper theolonio, foragio & rebus aliis, quæ omnia quittaverunt eidem Eccleſiæ, & in eleëmoſynam tradiderunt.

In Villa *Perona* terram duodecim aut paulò plurium boſneriorum.

Villam *Beuriu*, cum vivario & molendino, & terris & pratis ad eam pertinentibus.

De turri quoque Duacenſi cenſum quinque ſolidorum, & LX. ſolidos ad opus Altaris. Et in eodem Caſtro Familiam *Stæ. Rictrudis* & *Stæ. Euſebiæ* à theolonio liberam.

In poteſtate de *Renenga* duas partes totius Decimæ, & totam Decimam ſaltûs de *Renenga*, cum Curte de *Renenghes* & ejus appendiciis.

Similiter & de omnibus victualibus & re-

Digitized by Google

bus Fratrum, per totam terram noſtram liberum eis conceſſimus & concedimus tranſitum. Et etiam eandem Eccleſiam liberam dimiſimus de vinis noſtris adducendis.

Item remiſimus Eccleſiæ Marchianenſi & quittavimus in perpetuum duos porcos, quos dicta Eccleſia nobis debebat, & ſolvebat ſingulis annis apud *Bouchaing* de Curte ſua de *Aſcons*. Quos porcos tranſtulimus de aſſenſu Dompni Egidii tunc Abbatis, & Conventus Marchianenſis ad Anniverſarium noſtrum & Kariſſimæ Sororis noſtræ *Johannæ* Flandriæ & Hainoniæ Comitiſſæ.

Item apud *Hozdaing* ſex modios terræ, ad menſuram Duacenſem, XVII. quarentenas pro raſeria Duacenſi jacentis in Territorio de *Hozdaing*. Quos ſex modios *Adam* Dominus de *Hozdaing*, Miles, dictus Seneſcalcus, & uxor ejus bene & legitimè vendiderunt eidem Eccleſiæ ſæpe-dictæ.

In Parochia de *Burgella* terram cenſualem XIII. circiter boſneriorum, cum quibuſdam redditibus pertinentibus ad *Gerardum* Militem de *Haſlu* & participes ſuos. Quam ipſi cum redditibus illis tenere debent ſub annuo cenſu ab Eccleſia Marchianenſi.

Inſuper petitionem ſeu Conſuetudinem, quam Scabini & Communia de *Archies* petebant in nemoribus ejuſdem Eccleſiæ primâ die Maii, quæ vulgariter *Majole* appellatur, eidem adjudicavimus: ſuper hoc ipſis ſilentium perpetuum imponentes.

Similiter & omne jus & Conſuetudinem, quam Major & Scabini ceterique Homines de *Bovegnies* reclamabant dictâ die Maii, in nemoribus Eccleſiæ ſæpe-dictæ, confirmamus eidem.

Sciendum etiam, quod tota Juſtitia Villarum & poſſeſſionum Eccleſiæ memoratæ ad eam pertinet, nullo mediante, pleno jure & omnimodâ libertate.

Et quod non licet Nobis, nec Advocato Marchianenſi, nec alicui terrenæ poteſtati, neque Baillivis aut Præpoſitis vel famulis in Dominicatu ſive in Villa aliqua Stæ. *Rictrudis*, vel in Curte, contra voluntatem Abbatis vel Monachorum manere, nec convivia præparare, nec Placita tenere, nec denariorum vel pecuniæ collectionem facere, neque Corveias vel alias res ab ipſa Eccleſia vel ab Hominibus ejus exigere; nec manum mittere aliquatenus in res vel in homines ejuſdem, neque aliquam inferre moleſtiam: quoniam ſæpe dicta Eccleſia in proprio Allodio *Sanctæ Rictrudis* fundata eſt, & de redditibus ejus amplificata & ditata.

Sciendum quoque, quod in ſilvis Eccleſiæ nemo habet poteſtatem præcidere quamlibet arborem ſive parvam ſive magnam; contra voluntatem Abbatis & Monachorum.

Has itaque *B. Rictrudis* Villas & poſſeſſiones, quas ſupra diximus, & quælibet donaria vel eleëmoſynas Comitum, Principum, & quorumlibet aliorum factas dicto Monaſterio, liberas eſſe decernimus & ſtatuimus. Quæ omnes cum appendiciis ſuis ſub noſtra Protectione ſunt & Advocatione, quæ ejuſdem Eccleſiæ ſumma Advocata ſum, & Advocati earumdem poſſeſſionum de Nobis tenent ſuas Advocationes.

Advocatia Abbatiæ Marchianenſ.

Cum enim Marchianenſis Eccleſia à prima ſuâ conditione per quadringentos vel plures annos libera omnino extitiſſet à redditu Advocationis; propter ſecularium malitiam reprimendam, temporibus Albrici Abbatis ſui dedit Balduino Comiti Flandrenſi duos molendinos in Villa *Berberia*, & duas carrucatas terræ in Villa *Nigella*: ut eorum eſſet Adjutor & fidelis Advocatus. Dictus autem Comes molendinos illos cum terra memorata dedit per manum ipſius Abbatis *Hugoni Havet de Albiniaco*; pro quibus Advocatus Marchianenſis ſervire debet eidem Eccleſiæ & ejus ſemper eſſe promptus & fidelis Advocatus & Adjutor.

Vide Diploma in Miræo T. I. p. 659.

Non licet autem Advocato terras Eccleſiæ emere, aut in vadimonium accipere, nec ſervos nec ancillas ejuſdem Eccleſiæ in feodum Militibus dare, nec aliquid ab illis per violentiam exigere. Iterum non licet Advocato latronem accipere, nec interpellare ad campum aliquem de Hominibus Eccleſiæ: ſed ille contra quem aget, judicio Scabinorum ſolâ manu ſe purgabit.

In Silvis quoque & nemoribus *S. Rictrudis*, vel in aquis ipſius nullum habet jus vel poteſtatem, nec Homines Eccleſiæ contra voluntatem Abbatis manu-tenere poteſt.

Omnes quoque Curtes Dominicæ ab omni poteſtate & Advocatione Advocati & Villici immunes erunt & liberæ, tam ipſæ quam ſervientes earum.

Sciendum nichilominus, quod non licet Hoſpitibus *S. Rictrudis* vel Villicis, ſibi invicem terras ſuas dare, vendere, emere, vel in vadimonium accipere: niſi Eccleſiâ Marchianenſi concedente.

Sciendum quoque, quod nullus de Villicis poteſt, abſente Monacho vel Abbate, plantare. Abbas vero vel Monachus poteſt ſine eis: non tamen amittunt jus ſuum, ſi acciderit. Poſtquam alicui ruſticorum Major diem vel horam conſtituerit placetandi, non poteſt concordiam accipere, niſi per Abbatem aut ejus Præpoſitum Monachum. Vadum etiam, ſi pro aliqua foris-factura acceperit, non alibi quam infra dictam Curtem commendabit.

Hoc autem prætermittendum non eſt, quod ſi contingeret ad dictam Eccleſiam vel ad curtes ejus aut villas, Nos, aut Præpoſitos vel Baillivos ſive Miniſtros noſtros, vel alium quemcumque nomine noſtro, ibidem (quod abſit) per patientiam aut ignorantiam vel curialitatem, ſive alio quocumque

cumque modo, Abbatis vel Fratrum aliquorum ibidem manentium, ex parte Eccleſiæ aliquid accipere, creantamus & volumus, quod propter hoc præjudicium non generetur aliquatenus Eccleſiæ memoratæ: ut propter hoc Nos vel heredes noſtri; vel aliquis ex parte noſtra poſſemus aliquid allegare contra tenorem iſtius Inſtrumenti, ad deſtruendum illud vel in parte vel in toto: ſed in ſua firmitate perpetuò maneret; ac ſi nunquam hæc quæ facta ſunt, eſſent præſtita vel exacta.

Ut autem hæc omnia præmiſſa obtineant firmitatem, nec ab aliquo Baillivorum aut miniſtrorum noſtrorum, vel aliorum quorumlibet hominum, aliquatenus valeant infringi, Cartam iſtam Sigilli mei munimine contra omnes ex adverſo venientes fecimus roborari.

Actum anno Domini milleſimo CC. quadrageſimo ſexto, menſe Septembri. 1246.

Alia duo ſimilia Privilegia in favorem Abbatiæ Marchianenſis conceſſa fuerunt: unum per Joannam Comitiſſam Flandriæ atque Hannoniæ anno 1234; aliud datum anno 1239 per Thomam Sabaudiæ Principem & præfatam Joannam ejus conjugem. Sed quia ejuſdem omnino tenoris ſunt cum jam edito Diplomate, ea prætermiſimus.

CAPUT XCI.

HENRICUS *Comes Luxemburgenſis confirmat anno 1253 Fundationem Abbatiæ* Clari-fontis, *pro Monialibus Ciſtercienſis Ordinis, in Agro Luxemburgenſi, per* ERMESENDEM *Comitiſſam, matrem ſuam inchoatæ.*

Ex Archivis hujus Abbatiæ.

NOs HENRICUS Comes Luceburgenſis, Rupenſis, & Marchio Arlonenſis, & Nos MARGARETHA uxor ejus, tenore præſentium memoriæ committimus futurorum quod cum felicis memoriæ ERMESENDIS Comitiſſa Luceburgenſis mater noſtra, ob remedium animæ ſuæ & ſuorum, Clauſtrum quod Clarus Fons appellatur, ſitum prope Arlons caſtrum, conſtruere ceperit, idemque hereditate ſuâ dotaverit;

Inſuper hoc noſtro accedente aſſenſu Nos omnem Donationem, quam dicta ERMESENDIS mater noſtra piæ memoriæ dicto Cœnobio fecit, pio favore proſequi volentes, ratam habemus & firmam. Et ne ſuper dicta Donatione dubitatio poſſit in poſterum exorire, præfatam Donationem preſenti Paginâ duximus exprimendam.

Videlicet Decimam de Attrenate, ſcilicèt duas partes tocitus Decimæ groſſæ & minutæ, cum Jure Patronatûs, & cum appendiciis ſuis. Item Decimam de Aubriſſart, medietatem ſcilicet totius Decimæ cum jure Patronatûs. Item terragium de Happiſe, integraliter in omni ejuſdem villæ vinagio, in omni creſcentiâ terrarum cultarum & colendarum; item medietatem terræ de Dile, & totam terram de Heſperenges integraliter in pratis, ſylvis, campis, aquis & paſcuis, cum omni jure & omni uſu.

Item locum in quo Abbatia reſidet. Item quadraginta jornalia terræ & nemoris, vel amplius, circa Abbatiam; inter villam de Aiſſe & Valſenges ſita. Item uſuagium dictæ Abbatiæ pro grangiis conſtruendis & pertinenciis ſuis, in locis in quibus habet uſuarium Villa de Aiſſe Item uſuarium in nemoribus totius Banni de Anſelieres, ad omnia neceſſaria dictæ Domûs cum pertinenciis ſuis, & grangiarum, bergeriarum & domorum aliarum conſtruendarum vel conſtructarum, quæ propriæ erunt ipſius Abbatiæ.

Item paſturas ad omne genus animalium in dictis nemoribus de Anſelieres, & uſagium tàm glandis quam faginæ, uſque ad centum porcos, abſque ſolutione Paſnagii. Et ſi dicta animalia dampnum alicui inferent libera erunt & quitta, à quocumque capiantur, per reſtitutionem capitalis dampni, abſque emendâ & placitatione.

Hæc autem omnia prædicta pro ſalute animarum noſtrarum & Nobilis Dominæ ERMESENDIS matris noſtræ, & Anteceſſorum & Succeſſorum noſtrorum libere & quiete & pacifice dictæ Abbatiæ in perpetuum conceſſimus habenda & poſſidenda, tanquam puram & perpetuam eleemoſynam noſtram, & garantiſare tenemur Nos & Succeſſores noſtri in perpetuum contra omnes; ac legitimam de prædictis ferre tutelam.

In cujus rei teſtimonium, præſentibus Litteris Sigilla noſtra duximus apponenda.

Actum & datum anno Domini M. CC. LIII. menſe Martio, in craſtino Annunciationis Dominicæ.

Digitized by Google

CAPUT XCII.

WALERAMUS, *Dux Limburgenſis, benefacit Eccleſiæ Collegiatæ Canonicorum S. Georgii in* Waſſembergh, *Ducatûs Juliacenſis, Diœceſis Leodienſis, anno* 1262.

Ex Archivis Waſſenberg.

WAlramus Dux de Limburg, omnibus præſens Scriptum inſpecturis. Sicut tempus labile labendo defluit: ſic cum fuga temporis temporales defluunt actiones, niſi vigorem recipiant à teſtimonio literarum. Ideoque ſapientum diſcretio geſta ſua ſolet ſcripturarum munimine roborare.

Cognoſcat igitur omnis ętas tam præſens quam poſtera, quod nos allodium triginta quatuor Jurnalium terræ arabilis in Decima de Ursbech jacentium, nec non & duarum arearum, una ſcilicet in Ursbech, & alia in Waſſenberg. Quę bona Henricus Clericus filius Syberti de Hugenrode à caſtro noſtro Waſſenberg in feudo tenuit, Eccleſiæ beati Georgii in Waſſenberg contulimus in perpetuum poſſidendum. Et ipſum omneſque dictorum bonorum poſſeſſores ab hominio Caſtri de Waſſenberg abſolvimus.

Vide pag. 193. hujus Tomi.

Præterea prædictorum bonorum poſſeſſoribus & eorum ſemi-cultoribus, eandem per omnia libertatem conceſſimus, quam, ſi à ſæpedicto Caſtro noſtro de Waſſenberg adhuc in feudo tenerentur, eſſent habituri. In cujus facti robur & teſtimonium præſentes Litteras ſuper hoc factas Sigilli noſtri munimine fecimus roborari.

Actum & datum apud Waſſenberg anno Domini M. CC. LX. ſecundo, Menſe Novembri.

Teſtes etiam interfuerunt præſentes, & ad hoc vocati.

Dominus Wilhelmus de Halla, dictus Scillingus.

D. Theodoricus de Brakelen: quorum etiam Sigilla ſunt appoſita.

G. Miles de Kerreke, Dapifer Waſſenbergenſis.

Sibertus Miles de Huchloven, & frater ſuus Henricus Miles.

Henricus Miles de Palude.

Theodericus, dictus Ruſchuttel, & alii quam plures.

CAPUT XCIII.

Fundatio BEATRICIS *Comitis Flandriæ, viduæ D.* Guilielmi *Comitis, pro duabus Capellaniis in Abbatia de* Marquetta, *Monialium Ordinis Ciſtercienſis juxta Inſulas, anno* 1264, *& Acceptatio Abbatiſſæ & Monialium ibidem.*

Ex Archivis Cameræ Inſulenſ.

UNiverſis preſentes Litteras inſpecturis, Soror ODA dicta Abbatiſſa Monaſterii de Markete, Ciſtercienſis Ordinis, totuſque ejuſdem loci Conventus ſalutem in Domino.

Cum illuſtris Domina BEATRIX Flandriæ Comitiſſa relicta claræ memoriæ GUILLELMI quondam Flandriæ Comitis, Monaſterio noſtro bene & ad legem contulerit viginti quatuor terræ bonaria, & redditum perpetuum annuum quinque caponum, ad hoc quod de viginti libris Flandrenſis monetæ annui redditus teneremus unum Capellanum, qui expreſſe & ſpecialiter pro anima Comitis Miſſam de defunctis diebus ſingulis in perpetuum celebrabit, & de octo libris ejuſdem monetæ annis ſingulis Conventui noſtro in ejus anniverſario pitanciam face.emus, & poſt ejuſdem Dominæ Beatricis obitum de viginti ſimiliter libris dictæ monetæ annui redditus unum alium Presbyterum teneremus, qui diebus ſingulis Miſſam de defunctis pro ipſius anima ſpecialiter celebrabit, tenore preſentium profitemur quod ad præmiſſa facienda fideliter fieri, recepimus à dicta Domina terram & redditum ſupradictum; & ad hoc nos obligamus, & ad hoc nos profitemur & recognoſcimus obligatas.

Inſuper eſt ſciendum, quod quamdiu dicta Domina Beatrix vixerit, reddemus eidem vel ejus mandato quidquid ultra viginti & & octo Libras excreverit de proventibus terræ & redditûs predictorum.

In prædictorum autem teſtimonium & munimen preſentes Litteras ipſi tradidimus, Sigilli noſtri appenſione munitas.

Datum anno Domini M.CC.LXIV. menſe Decembri.

CAPUT XCIV.

Præpoſitura Campi Regii, *vernaculè* Konings-feldt, *prope Delphos in Hollandia, Monialium Ordinis Præmonſtratenſis, ſub regimine Abbatis* Inſulæ Marianæ * *in Gelria, fundatur ac dotatur anno* 1264. *per* ALEYDEM *viduam* JOANNIS *Hanoniæ Comitis, ſororem* WILHELMI *Hollandiæ Comitis ac Romanorum Regis, qui eidem concedit Jus Patronatus Eccleſiæ de* Pynacker.

* Vulgo *Mariengwert.*

ALEYDIS, quondam Soror Domini WILHELMI Regis Romanorum illuſtris, & quondam Uxor Domini JOHANNIS DE AVENIS, univerſis præſentem Litteram inſpecturis ſalutem, & noſcere veritatem. Quanto ſincerius loca religioſa diligimus, tanto libentius ſuper his quæ ipſorum profectum reſpiciunt, favorem eis benevolum impertimur.

Igitur ad notitiam ſingulorum volumus pervenire, quod cum adhuc hæreditario jure & ſucceſſivè, poſt dilectum Fratrem noſtrum Dominum FLORENTIUM, Terram Hollandiæ & Zelandiæ tueremur, & Eccleſiaſtica beneficia vacantia ad noſtram in eadem Terra ſpectarent Donationem ſeu Præſentationem; Nos conſideratâ neceſſitate novellæ Plantationis Sanctimonialium Præmonſtratenſis Ordinis in *Konings-felt*, omne Jus Patronatûs Collationis ſeu Præſentationis vel Perſonatûs Eccleſiæ de *Pynacker*; (1) & ipſam Eccleſiam ad nos pleno jure ſpectantem; cum omnibus proventibus & pertinentiis ſuis (ſtatim cum vacabat poſt mortem D. WILHELMI legitimi Plebani tunc temporis ipſius Eccleſiæ) dictis Sanctimonialibus; divinæ remunerationis intuitu; liberaliter & piè contulimus, & adhuc conferimus, perpetuò ſine calumnia poſſidendam.

Pynacker.

Ut autem hæc pia & juſta Collatio, ob remedium Animarum claræ memoriæ fratrum noſtrorum D. WILHELMI Romanorum Regis, & D. FLORENTII, qui dictum Monaſterium aſſiduè ſpeciali proſecuti ſunt prærogativâ favoris, ſtabilior & inviolabilior obſervetur; in evidentiam pleniorem, præſentem Paginam ipſis Sanctimonialibus contulimus Sigilli noſtri munimine roboratam.

Datum apud Koningsfelt, anno Domini M. CC. LXIV. feriâ ſextâ ante feſtum B. Johannis Baptiſtæ.

Diploma Fundationis.

WILHELMUS, Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, univerſis Imperii fidelibus præſentem Paginam inſpecturis, gratiam ſuam & omne bonum.

Volentes dilectam Amitam noſtram *Richardem* Domicellam t'Zallant proſequi gratiâ ſpeciali; eidem tenore præſentium duximus concedendum, quod ſi tandem in civitate noſtra de *Delf* Conventum Religioſorum, vitam regularem profeſſorum ædificare contigerit, de redditibus terræ noſtræ in *Delf* quæ *Hurwarc* vocatur, ... jugera quæ vulgo *mergen* nuncupantur, ſive per emptionem, ſive eleëmoſynarum largitionem ad dictum Conventum modo quocumque perveniat, liberè habeat, & quietè perpetuò poſſideat.

. . . . Anno M. CC. LI. VIII. Kal. Julii, Indictione II.

(1) Sub Parochia Pynacker, ad muros Delphenſes, quà Roterodamum itur, nobilis olim viguit Præpoſitura Sanctimonialium Præmonſtratenſis Ordinis, cui nomen vernaculum *Koningsfelt*. Fundatrix fuit Richardis, Domicella de Hollandia, Wilhelmi Rom. Regis amita, circa annum 1255. Benefactrix præcipua Aleydis, Wilhelmi Soror vidua Johannis de Avenis Hannoniæ Comitis, ut patet ex citato Diplomate.

Prælatus ſuperior ſupradictæ Præpoſituræ de Koningsfelt fuit Abbas Inſulæ Marianæ, ejuſdem Ordinis, quæ olim opulenta ſtetit in Gelria, juxta Culemburgum oppidum.

Cætera autem Diplomata multa, ad hoc illuſtre quondam Virginum Cœnobium, anno 1572 per Acatholicos diruтum ſpectantia, vide in Hiſtoria Epiſcopatuum Belgii Fœderati, per Heuſſenium editâ, T. I. pag. 417 & ſequent. item in Annalibus Præmonſtrat. Illuſtriſſ. D. Hugonis, inter Inſtrumenta.

Digitized by Google

CAPUT XCV.

WALRAMUS *Dux Limburgi ſuo Diplomate anni* 1266. *Item* JOANNES II. *Brabantiæ Dux anno* 1307, *Monialibus de* Porceto *Ordinis Ciſtercienſis juxta Aquiſgranum, bona quædam juriſdictioneſque confirmant.*

Ex Archivis hujus Abbatiæ.

NOs WALRAMUS Dux de Lymburgh, & IVETHA Uxor mea, notum eſſe volumus univerſis, quod Nos, ob remedium animarum noſtrarum, nec non & Anteceſſorum noſtrorum parentum, Conventui Dominarum Deo famulantium in Eccleſia S. Johannis Baptiſtæ apud *Porcetum*, Ciſtercienſis Ordinis, liberaliter concedimus, & volumus, quod dictus Conventus & ſui nuncii cum rebus & perſonis in *Galopia* & in *Dobath* ab omne jure cujuſlibet theolonii, vectigalis & pedagii im-perpetuum liberi ſint & exempti, præcipientes obnixius, ne in hoc requirens aliquis eos moleſtare præſumat.

Hujus vero collationis devotionem prædictus Conventus attendens, Nobis plenam fraternitatem & communionem omnium orationum & beneficiorum quæ fiunt in eadem Eccleſia, contulerunt. Et ne prædicta ab aliquo impoſterum poſſint infringi vel inficiari, præſenti Scripto Sigilla noſtra duximus apponenda.

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſexto, in craſtino Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis. 1266.

Eandem Donationem iiſdem fere verbis, novo Diplomate confirmavit Joannes I. Brabantiæ ac Limburgi Dux, anno 1297.

UNiverſis præſentes Litteras viſuris vel audituris, JOHANNES Dei gratiâ Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi Dux, ſalutem, & rei geſtæ cognoſcere veritatem.

Significarunt nobis ſæpius, humiliter conquerendo, Religioſæ in Chriſto perſonæ Abbatiſſa & Conventus de *Porceto*, Ciſtercienſis Ordinis, Colonienſis Dioceſis, quod ipſæ jam dudum in eorum bonis & juribus ac rebus aliis in territorio Villæ de *Vylen* ad eos juſtè & ab antiquo ibidem pertinentibus, per Officiatos Ducatûs Limburgenſis exiſtant plus debito & contra juſticiam oppreſſi, & cotidie opprimantur.

Super quibus dicti Abbatiſſa & Conventus ab nobis ſibi ſubveniri humiliter ſupplicarunt.

Nos igitur, qui voto gerimus, ut ſtatus debitus omnium ſubjectorum noſtrorum, & præſertim perſonarum Religioſarum, permaneat illibatus, ſupplicationem dictorum Abbatiſſæ & Conventûs modis quibus convenit volentes rationabiliter ſolidare; ſuper præmiſſis & ea tangentibus per Nobiles Viros Dominos *Johannem de Kuyck* & *Florentium Berthaut* Dominum de Herlair, & alios neceſſarios Conciliarios Juratos, nec non Dominum *Godefridum de Pomerio* in terra Limburgenſi Dapiferum, veritatem inquiri fecimus & juſſimus diligenter.

Ex quorum inquiſitione & relatione veridica, dictos Abbatiſſam & Conventum ad omnia jura quæ ipſi antiquitus in dicta Villa de *Vylen* & ejus territorio habuerunt & habere conſueverunt, reſtituimus libere & abſolutè, & eſſe voluimus ad plenum reſtitutos: mandantes per præſentes noſtras Litteras Officiatis noſtris præſentibus & futuris dicti noſtri Ducatus Lymburgenſis, ut ipſi prædictos Abbatiſſam & Conventum omnibus bonis & juribus ſuis in dicto territorio præfatæ Villæ de *Vylen* & ejus attinentiis per ſe & ſuos, prout ea ab antiquo habuerunt & exercere conſueverunt, juxta formam Privilegiorum eiſdem Abbatiſſæ & Conventui, & eorum Monaſterio ſuper hiis à Romanis Imperatoribus & Regibus indultorum, de cetero uti & frui permittant pacificè & quietè. *Vylen.*

Et ut præmiſſa perpetuam obtineant firmitatem, Sigillum noſtrum pro nobis & noſtris Succeſſoribus quibuſcumque juſſimus apponi huic Scripto, in teſtimonium firmius ſuper iſto.

Datum anno Domini milleſimo trieenteſimo ſeptimo, menſe Julii 1307.

Johannes III. Dux, Joannis filius, anno 1328 *ſimiliter erga Abbatiam de Porceto beneficus fuit, concedendo Protectionis & Immunitatis Privilegium, iiſdem pene verbis conſcriptum, quibus aliud Wenceſlai & Joannæ Ducum Brabantiæ anno* 1357 *conceptum fuit, quod infra ſequetur.*

CA-

CAPUT XCVI.

WALTHERUS DE BERTHAUT *Dominus Mechliniæ ratam habet venditionem Decimæ de* Eckeren, *factam ab* HENRICO *Bredæ Domino, pro Abbatiâ S. Bernardi ad Schaldim, anno* 1267.

Communicavit D. Van Geſtel Conſiliar. Brabant. ex Archivis Epiſc. Antverp.

UNiverſis præſentes Litteras inſpecturis, Nobilis Vir WALTHERUS dictus BERTHOUDT Dominus de Machlinia ſalutem & teſtimonium veritatis.

Noverit univerſitas veſtra, quod cum HENRICUS Dominus de Breda Viris Religioſis Abbati & Conventui Loci S. Bernardi, Cyſtercienſis Ordinis, de conſenſu noſtro vendidiſſet pro trecentis quinquaginta libris Lovanienſis monetæ totalem veterem Decimam ſuam, quam habuit & tenuit in Parochia de (1) Ekerna, videlicet ſextam partem totius decimæ veteris dictæ Parochiæ, quæ una *Ria* vocatur, quam à nobis jure feodali tenuit & poſſedit, ac etiam novalem decimam ſuam quam in eadem Parochia habet & tenet ad præſens, vel quæ ipſi competere poſſet in futuro, jacentem infra terminos ſubnotatos.

Videlicet à ſuperiori veteri foſſa, quæ eſt verſus orientem in *Breeſgata*, & de Breeſgata uſque ad locum qui dicitur *Mortere*, prope domum in qua nunc manet Henricus de Buten, & de *Mortere* prout ſe extendit antiqua foſſa uſque ad domum in qua nunc manet Willielmus Caperic, & de hoc loco uſque ad extremam antiquam foſſam, quæ eſt verſus orientem in *Marſende*; & de hac extrema foſſa de Marſende uſque ad veterem foſſam prope quam manſit Henricus de Ramen; & de hoc loco qui dicitur *Ramen*, uſque ad extremam veterem foſſam quæ eſt verſus orientem in *Haſeldunck*; & de hac foſſa de Haſeldunck, uſque ad manſionem in qua nunc manet Joannes de Hobonia filius Godefridi, prout dicta decima novalis ſe extendit de prædictis terminis verſus Eccleſiam de Ekerna, vel impoſterum ſe extendet.

Item de loco manſionis, in qua nunc manet dictus Joannes Godefridi filius, uſque ad molendinum de *Karrevort*, prout via inter hæc loca ſe extendit, de omni terra culta & colenda ſita ab hac via verſus *Scoten*.

Item de molendino de *Karrevort* uſque ad antiquam foſſam, prope quam manſit Willielmus Paſtor, & ab hoc loco ſicut hæc antiqua foſſa ſe extendit uſque ad locum qui dicitur *Hellineſquet*; & de hoc loco qui dicitur *Hellineſquet* prout via ſe extendit uſque ad bekam quæ dicitur *Sprancobet*, prout decima novalis ab hiis terminis ſe extendit, vel impoſterum ſe extendet verſus *Moſibruc*.

Et eandem decimam ad opus prædictorum Abbatis & Conventûs in manus noſtras tamquam in manus Domini, à quo dictam Decimam in feodum tenebat, per ſententiam hominum noſtrorum ſuper hoc requiſitorum, liberè & abſolutè reſignavit, ac etiam reportavit & effeſtucavit; ſuper ea promittens idem Henricus bonâ fide & ſacramento ab ipſo corporaliter interpoſito, (cum jam extiterit ſedecim annorum & amplius) quod nunquam contra hujuſmodi venditionem & factum ſuum veniet, aut aliquid aget; & quod nunquam de cætero dictos Religioſos ſuper dicto Contractu venditionis antedictæ debebit impetere, occaſione dictæ Decimæ, vel in aliquo moleſtare.

Nos vero ob remedium noſtrorum peccaminum & Succeſſorum noſtrorum, dictam Decimam, cum pleno jure prout ad nos pertinuit, dictis Abbati & Conventui conceſſimus in purum Allodium, pacificè & quietè in perpetuum poſſidendum.

Interfuerunt hiis præmiſſis,

J. Cantor Beatæ Mariæ Antverpienſis.

Magiſter Balduinus de Echoven, Decanus Machlinienſis ac Inveſtitus Eccleſiæ de Ekerna.

Lambertus Canonicus Lirenſis.

Walterus Curatus de Berlaer.

Dominus Henricus Berthoudt, frater Domini Walteri Berthoudt.

Henricus Berthoudt Dominus de Duffele.

Willielmus de Lyra.

Balduinus de Echoven junior, Milites.

Walterus de Haren.

Willielmus de Dilſt.

Goſwinus de Buſeghen.

Alardus de Scelle, & quam-plures alii.

In cujus rei teſtimonium, præſentem Paginam Sigilli noſtri munimine ſæpe-dictis Religioſis contulimus roboratam.

Actum anno Domini M. CC. ſexageſimo ſeptimo, menſe Julio. Datum anno Domini ut ſupra, menſe Octobri.

(1) EECKEREN, ingens eſt pagus Diœceſis Antverpienſis, Diſtrictûs atque Dominii Hooghſtratani, de quo plura vide apud Baronem Le Roy in ſua Notitia Marchionatûs S. I. R. pag. 532. Subſunt ejus Juriſdictioni Parochiæ tres; nempe *Ekerna*, *S. Jacobs-Capelle in den Hooghen Schoot*, & *Ettenhoven*.

In ECKERNA Jus Patronatûs obtinet Prioriſſa de

Auderghem Ord. Prædicat. juxta Bruxellam (vide Tom. II. horum Dipl. Belg. pag. 1005) Poſſidet quoque unam tertiam partem Decimarum; alteram Epiſcopus Antverp. reſtantem Comes Hooghſtratanus: inſuper Paſtor vicinus de Ettenhove modicam partem.

In Capella S. Jacobi, Jus Patronatûs omneſque Decimas colligit Abbatia S. Bernardi.

In Ettenhove Jus Patronatûs ac Decimas habet Comes Hooghſtratanus. Fuiſſe olim in Eckeren Monaſterium Monialium Ord. S. Auguſt. habes ſupra ex Diplomate, Tomo III. pag. 628.

Celebritatem loci adauxit ingens conflictus Gallorum & Hiſpanorum contra Hollandos die 30 Junii 1703; in quo pars utraque triumphum cecinit, & ſic neutra triumphavit.

CAPUT XCVII.

ROBERTUS II. *Artheſiæ Comes, benefacit Eccleſiæ S. Audomari in Artheſia (nunc Cathedrali) ann. 1269 & 1293; concedens ædificationem Capellæ B. Mariæ, vulgo de Miraculis, in foro Audomarenſi.*

Ex Motivo Juris Capituli Audom. pag. 98.

ROBERTUS Comes Atrebatenſis, univerſis præſentes Litteras inſpecturis ſalutem. Sinceræ dilectionis ac devotionis affectum quem ad Eccleſiam Beati Audomari noſtri Prædeceſſores habuerunt, & Nos habemus, volentes oſtendere per effectum, ut ejuſdem glorioſiſſimi Confeſſoris poſſimus patrociniis facilius adjuvari, prædictam Eccleſiam Privilegiorum noſtrorum munimine volumus honorare.... Conſentimus inſuper, ut Decanus & Capitulum prædictæ Eccleſiæ quandocumque voluerint, edificare valeant de lapidibus Capellam ſuam fundatam in honore beatæ Mariæ Virginis, in foro ſancti Audomari exiſtentem, quantæ voluerint altitudinis ſecundum longitudinem & latitudinem prędictæ Capellæ & jacentium camerarum. In cujus rei teſtimonium preſentes Litteras Sigilli noſtri munimine fecimus roborari.

Datum Pariſiùs, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo nono, menſe Marcio.

ROBERTUS Comes Atrebatenſis, univerſis præſentes Litteras inſpecturis ſalutem. Noverint univerſi, quod nos de ſpeciali gratia volumus & concedimus, ut venerabiles Viri Decanus & Capitulum ſancti Audomari Morinenſis Diœceſis habeant & percipiant tres pedes de terra fori Villæ noſtræ ſancti Audomari, ultra quod ipſi uſque nunc habuerunt & habent, ad edificandum gradus Capellæ beatæ Mariæ Virginis, in foro ſancti Audomari prædicto, & ſupra prædictos tres pedes dictos gradus edificent & edificari faciant prout viſum eis fuerit expedire..... In cujus rei teſtimonium, preſentibus Litteris, Sigillum noſtrum duximus apponendum.

Datum & actum anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo tertio, die Sabbathi poſt Magdalenam.

CAPUT XCVIII.

JOANNES DE ANGIA *Tornacenſis Epiſcopus, anno 1269. recenſet atque confirmat Privilegia Abbatiæ Baudeloenſi, Religioſorum Ciſterc. conceſſa: videlicet*

I. MARGARETÆ *Comitiſſæ Flandriæ, quo omnes poſſeſſiones Abbatiæ Bodeloenſis, à Patre ſuo Balduino Imp. Conſtantipolitano fundatæ, & à ſe ipsâ amplius dotatæ, confirmat, Anno* 1247. *

*Extant Fragmenta eorumdem Diplomatum Tom. 3. Dipl. Belgic. pag. 363.

II. WILHELMI DE DAMPETRA *Comitis Flandriæ, Donationes matris ſuæ Margaretæ confirmantis,* 1247.

III. RASONIS DE GAVERA, *dotem illius augentis, anno* 1205. *

IV. *Donationem* Balduini PAPE *Scabini Gandavenſis, à Magiſtratu ibidem confirmatam, anno* 1227.

JOannes Dei gratia Tornacenſis Epiſcopus, univerſis præſentes Litteras inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam.

Noverit univerſitas veſtra, quod Nos Litteras illuſtris Dominæ M. Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſæ, & Litteras illuſtris filii ejus Domini Wilhelmi de Dampetra quondam Comitis Flandriæ, Litteras etiam Nobilis Viri Domini Raſonis de Gavera, nec non & Litteras virorum prudentium Scabinorum Gandenſium, non cancellatas, non

abolitas, nec in aliqua ſui parte vitiatas, inſpeximus, in hoc verbo.

Diploma I.

MARGARITA Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſa, omnibus præſentes Litteras inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Dignum eſt, ut qui non ſolum ſemet-ipſos ſalubriter abnegantes carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifigunt, in caſtris clauſtralibus ſe claudendo, gratis attollantur favoribus, & congruis præſidiis muniantur; ut eo devotius quo quietius divinæ contemplationi vacantes, ſibi per bona opera, & aliis proficiant per exempla.

Nos igitur Virorum Religioſorum Abbatis & Conventus de Bodelo Cyſtercienſis Ordinis, paci & quieti volentes modis omnibus providere, & ipſos ab exterioribus perturbationibus defendere, perſonas ipſorum ac Monaſterium, cum univerſis poſſeſſionibus ad ipſum pertinentibus, ſub noſtra protectione ſuſcipimus, Auctoritate præſentium confirmantes, etiam locum ipſum in quo præfatum Monaſterium ſitum eſt, cum terris, & pratis, & moro & fundo mori ſibi adjacentibus. Quæ omnia ab Illuſtri Patre noſtro felicis memoriæ Balduino quondam Imperatore Conſtantinopolitano, & Flandriæ ac Hannoniæ Comite, tamquam dicti loci fundatore, ſupradictis Viris Religioſis in puram eleëmoſynam ſunt collata, ſub certis terminis diſtincta: prout in Litteris Nobilis Viri Raſonis quondam Domini de Gavera ſuper hoc confectis plenius continetur.

Sunt autem hi termini ſive metæ: ex parte occidentis locus qui dicitur Coudenborne, ex parte orientis nova Waſtina ſexaginta bonariorum, quæ data fuerunt dicto Monaſterio à chariſſima ſorore noſtra J. bonæ memoriæ quondam Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſa, & marito ipſius Thoma, nomine reſtitutionis pro portione cujuſdam piſcariæ in Dorma juxta Waſemonſtre. Ex parte auſtrali terminus aquæductus qui vulgariter dicitur Leda, ex parte vero aquilonis terminus eſt medium mori.

Item confirmamus eiſdem prædicta ſexaginta bonaria Waſtinæ jacentia infra antiquam terram de Baudelo & Stekene.

Item Waſtinam jacentem ab Haſſellede uſque Halum. Clarveal cum omni circumjacente aqua, & ab hinc verſus aquilonem cum mariſco infra jacente uſque ad Santbergh; omnia prædicta abſque omni cenſu liberè poſſidenda, exceptis quatuordecim bonariis quæ ſolvunt ad cenſum viginti & unum ſolidos Flandrenſis monetæ annuatim.

Similiter confirmamus eiſdem redditus decem & novem librarum apud Stekene, & Decimam quę fuit Henrici de Wincle jacentem in Parochiis de Halverſele, Lokere & Synai; quæ duo prædicta contulerunt eiſdem bonæ memoriæ Comes Ferdinandus & chariſſima Soror noſtra ſuperius nominata.

Similiter decimas novalium totius Waſiæ tam præſentium quam futurorum, collatas ipſis à prædicta chariſſima Sorore noſtra. Vide Tomo III. horum Diplom. pag. 82.

Item piſcariam de Dorma, à loco qui dicitur Ravenſgerſdonc, uſque ad locum qui dicitur Stenarde; inſuper & libertates ab omni theloneo, paſſagio & exactione ad jus Comitatus ſpectantes, à Prædeceſſoribus noſtris ipſis indultas, præſentis Scripti Patrocinio confirmamus.

Item Decimam quæ fuit Domini Bernardi de Robais Militis, jacentem in quatuor Officiis verſus Morekercke & verſus morum.

Præterea quindecim libras Flandrenſium annui reditus emptas à Nobili Viro Direkino de Maldegem, ſumendas in Waſtina de broco apud Maldegem.

Item conceſſionem chariſſimæ Sororis noſtrę quam indulſit Balduino de Arſele Militi, ut feodum quod ab ipſo tenuit Sygerus quondam Presbyter de Denterghem, prædicto Monaſterio liberum redderet ab omni ſervitio feodali.

Item confirmamus eiſdem omnia illa quæ hactenus titulo emptionis, vel collatione fidelium, ſecundum Legem terræ, acquiſiverunt in terra noſtra, videlicet in Officio de Hulſt curtem de Lamſwert cum ſuis pertinentiis, tam intra dicum quam extra, & morum jacentem juxta villam de Hulſt.

Item in Officio de Axele Curtem de Othene cum decimis & cum ſuis pertinentiis, & terram quam Balduinus dictus Pape oppidanus Gandenſis, dicto Monaſterio in eleëmoſynam contulit, quæ Lepe vocatur, & omnem morum ad eam pertinentem, exceptis duabus menſuris.

Item poſſeſſiones, quas Sygerus quondam Presbyter de Arſele in eleëmoſynam contulit Eccleſiæ memoratæ.

Item Decimas quæ fuerunt Boiſtelli de Lokere, quas tenebat ab Henrico de Stenarde.

Item Decimas Balduini dicti Heym, quas tenebat à Domino Sygero de Curtraco.

Item Decimas jacentes apud Lede, quæ fuerunt Domini Joannis Militis dicti de Lede.

Item Decimas Domini Willelmi de Belſele Militis, quas tenebat de Henrico de Wincle.

Omnia autem prædicta ſecundum quod ſuperius eſt expreſſum, præfato Monaſterio auctoritate præſentium confirmamus, retenta nobis & Succeſſoribus noſtris in omnibus prædictis tam majore juſtitia quam minori; ſalvis libertatibus & immunitatibus dicti Monaſterii & grangiarum ſuarum. Firmiter inhibentes, ne quis ſuperius prę-

Digitized by Google

missis possessionibus, redditibus, terris, decimis, piscariis, libertatibus tam à Prædecessoribus quam ab Hominibus nostris dicto Monasterio collatis, supradictos Viros Religiosos præsumat aliquatenus perturbare. Ut hæc autem nostra Confirmatio in perpetuum stabilis perseveret, præsentes Litteras scribi fecimus & Sigilli nostri munimine roborari.

Datum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, mense Maio.

Diploma II.

WILHELMUS Flandriæ Comes & Dominus de Dampetra, universis tam prçsentibus quam futuris, præsens Scriptum inspecturis, salutem in Domino.

Dignum est, ut qui non solum sua, sed etiam semet-ipsos salubriter abnegantes, carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifigunt, in castris claustralibus se claudendo, gratis attollantur favoribus, & congruis præsidiis muniantur; ut eò devotius quo quietius Divinæ contemplationi vacantes, sibi per bona opera, & aliis proficiant per exempla.

Nos igitur Virorum Religiosorum Abbatis & Conventus de Bodelo Cystercienſis Ordinis, paci & quieti volentes modis omnibus providere, & ipsos à perturbationibus exterioribus defendere, personas ipsorum ac Monasterium, cum universis terris, possessionibus ad ipsos pertinentibus, sub nostra protectione suscipimus.

Confirmationem quoque, quam charissima Domina mater nostra MARGARETA Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, prædictis Abbati & Conventui concessit, tam super loco in quo præfatum Monasterium situm est, quam super terris, pratis, moro, wastinis, redditibus, decimis, libertatibus, nec non & curtibus & omnibus possessionibus suis, prout in ipsius Dominæ Margaretæ matris nostrç Litteris plenius continetur, ratam habemus & firmam, & eam Auctoritate præsentium tamquam Hæres Flandriæ confirmamus.

Datum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, mense Augusto.

Diploma III.

RASO de Gavera, omnibus Christi fidelibus tam præsentibus quam futuris, ad quos Litteræ istæ pervenient, in Domino salutem.

Notum sit universitati vestræ, quod Ego sola spe retributionis æternæ invitatus, accessi ad Dominum Balduinum Monachum de Bodelo, & Wastinam ejus à Domino Balduino Comite sibi collatam perquitavi, terminavi, & omnia quæ ad loci ipsius libertatem pertinent, cum Co-Officialibus meis legitimè ac solempniter peregi.

Concessi etiam ex parte Domini Comitis & ex jure officii mei, ut quidquid Fratres ibidem Deo servientes, ad utilitatem & commodum suum in collateralibus suæ terræ, moro videlicet prato & maresco elaborando, dilatare & augere potuerint, usque ad legitimos terminos, scilicet usque ad mori medium & majorem Ledam liberam potestatem habeant, & in perpetuum pacificè possideant.

Ut autem hæc actio stabilis & inconvulsa permaneat, præsentis Scripti patrocinio & Sigilli mei impressione corroboravi.

Testis ego Raso, vicem agens eorum qui desunt.

Cono De Ravenscot, vice & loco Hugonis Busere.
Bartholomæus de Rosibais.
Willelmus Forestarius.
Balduinus Forestarius.
Balduinus Venator de Gavera.
Arnulphus Notarius.
Walterus Voskin.
Willelmus, Oliverius,
Henricus, Josephus, Franco;
Walterus de Suavenarde.

Actum anno Domini M. CC. quinto, mense Julio, undecimo Kal. Augusti.

Diploma IV.

NOS Scabini de Gandavo notum facimus omnibus tam præsentibus quam futuris, quod Balduinus dictus Papa Conscabinus noster, in præsentia nostra constitutus, omnem terram suam, quæ Lepe vocatur, & omnem morum ad eam pertinentem, exceptis duabus mensuris, in quibus quædam domus sita est, Ecclesiæ B. Mariæ de Bodelo, pro anima sua & anima Domicellæ Adelisæ filiæ Willelmi fratris sui, & pro animabus Prædecessorum suorum, donavit in eleëmosynam liberè & in perpetuum possidendam.

Ut autem hęc Donatio firma sit, & stabilis permaneat, & in posterum nullatenus possit infringi, hanc Paginam, in testimonium, appensione Sigilli nostri fecimus communiri.

Actum anno Domini M. CC. XXVII. mense Decembri.

ET nos Episcopus Tornacensis prædictus præsens transcriptum Sigillo nostro fecimus sigillari.

Datum anno Domini M. CC. LX. nono, in crastino Inventionis Sti Stephani.

C A-

CAPUT XCIX.

MARGARETA *Comitiſſa, ejuſque filius* GUIDO *Comes Flandriæ vendunt Scabinis Gandavenſibus magnam partem territorii intra Gandavum, precio* 4500 *librarum monetæ Flandrenſis, anno* 1269.

Communicavit D. de Warnewic, Scab Gand. ex Archivis ſuæ Familiæ.

NOus MARGHERITE *Conteſſe de Flandre & de Haynau, & Je* GUYS *ſes Fieus, Kuens de Flandre & Marchis de Namur, faiſons à ſçavoir à tous, ke Nous & nos bien-amez les Eſchevins & la Communité de noſtre Ville de Gant, avons vendu & delivré tous les regies, le Vint, & tous l'Upſtal ki giſent dedans notre Ville de Gant, & debors & dedans l'Eſchevinaige de Gant.*

C'eſt à ſçavoir dou pied dou pont S. Bavon, en allant devers la Ville de Gant juskes au pont de le mue, tout ainſi ke li vies Lis va, & le vies Lis avec, & la terre que on appelle le Ham; *encore le pont de le mue, tout ce ki eſt entre les* Kipgracht *& le cours de la nouvelle Lis, juskes au pont des Scabr... & le* Briel *ki la dedans giſt, ke on apele* Torsbriel.

Encore lor avons vendu le regiet & l'Upſtal qui giſt devant les Maiſons des Hoſtes de Noſtre Dame, entre le chancie & Fief Godefroit, de la maiſon & va par devant les maiſons des Hoſtes Simon de Warnewic *Chevalier, juſques ès maiſons des Hoſtes, qui manient ſour cel regiet au Leis de la voie ke on vient de vers Bruges, & à l'autre leis de la chancie tout l'Upſtal ki giſt entre le manoir des Beghines juſques as manoirs des Hoſtes, qui manient ſi comme on vient devers Bruges, & s'eſtent en lonc vers Gondelghem, juſques à un foſſel, que li Chaſtelains de Gant ja ligneis foſſeans aboute dou coer par devers Gant à un foſſeit de le Lieve, qui vient devers notre Chaſtel de Gant, par derriere le pourpris des Beghines, & l'enclot les trois bonniers ke nous avons laiſſées as Begbines, & la chancie devantdite avec, ſi avant comme elle s'eſtent entre les deux regies.*

Et tout ce vendage lor avons Nous otroyé pour quatre-mile & cinq-cens livres de noſtre Monnoye de Flandres; de guens deniers Nous nos tenons biens à payes en boene Monnoye & bien contée.

Et parmy le payement de ces deniers, Nous ſommes tenu, & lor promettons à garander le vendange devant-dit, & eſpecialement le Briel, *pour Nous & pour nos Hoirs Seigneurs de Flandres, contre tous.*

*Sauve toute notre Ordonnance, ki eſt ſcée * par notre Dict, † dou debat qui eſtoit entre l'Abei & li Convent de Sainct Bavon, & les Eſchevins & la Communitéi de Gant, ſi avant comme il eſt plainement contenu ès Lettres de noſtre Dict, que nous en avons rendu à la Requeſte des parties.*

* Scellée ou Signifiée, ut puto. † Puto Dictum.

Et ſauf le droit de Simon de Warnewic, Chevalier, de ſon Fief, ſe point en i a.

Et ce regies, ſe Vint, & cel Upſul doivent tenir noſtres Eſchevins & la Communetéi de noſtre Ville de Gant, tout auſſi franchement ou jugement & en le Eſchevinaige de nos Eſchevins de Gant, comme ils tiennent lor autres eretaiges ke la ville devant-dite.

En temoingnage & en confirmance de laquel choſe, Nous MARGHERITE *Conteſſe de Flandres & de Haynau, & Je* GUYS *ſes Fieux Cuens de Flandres & Marchis de Namur deſſus nommei, avons données ces preſentes Lettres as Eſchevins & le Communetei de noſtre Ville de Gant ſouvent nommée, Sceelitées de nos Saieaux.*

Ce fut fait en l'an del' Incarnation noſtre Seigneur, mil-deux-cents-ſoixante & noef, au mois de March.

CAPUT C.

MARGARETA, *Flandriæ Comes ordinat Conſtitutiones Begginagii Iprenſis, ejuſque Infirmariæ, anno* 1269; *cujus ſuper-intendentem deſignat Priorem FF. Prædicatorum Ipris.*

Ex Archivis Cameræ Ration. Inſulenſis.

NOus MARGUERITE *Conteſſe de Flandre & de Hainaut faiſons ſavoir à tous, que Nous pour bien & paix & pour toute ſeurtey avons fait Ordonnance dou Beghinage d'Ypre dou Bruel & del Enfermerie & de ce meiſme lieu & de toutes les perſonnes manant ou devant-dit Beghinage & en le devant-dite Enfermerie, en telle maniere qui aprés enſieut en ceſt Eſcript.*

Tout au commencement nous voulons & ordenons, que tous li devant dis Beghinage devant dite Enfermerie & les perſonnes de l'un lieu & de l'autre ſoient toutes deſſouz le Souveraine Me-

ſireſſe dou Beghinage devant dit, & que toutes li ſoient obeiſſans.

Après ſi ordonnons Nous & voulons, que les perſonnes qui orendroit ſont demourans en le dedevant dite Enfermerie, que elles y puiſſent demorer ſe elles vouloient; & ſe elles y demorent que elles ſoient en humele habit ſi comme autres Beghines, & ſervent en propre perſonne douchement as malades Beghines giſant en le devans dite Enfermerie.

Et leur doit li devant dite Souveraine Maitreſſe tenir Chapitre & amender leur meſfais, & ſans qui congiet elles ne doibvent aller nulle part hors de Court.

Et ce méſmes ordonnons Nous & voulons, que tenu ſoit de toutes les autres perſonnes qui en le devant dite Enfermerie mourront & demourront; & leur doit ladite Enfermerie trouver ce que beſoings leur eſt quant à le ſouſtenance & le neceſſitey de leur corps.

Et ſe aucune des perſonnes qui ſeroit venue manoir en le devant-dite Enfermerie & s'en vouloit aler pour manoir en autre lieu, voulons & ordenons que ſelonc les biens que elles auront apartey en le devant-dite Enfermerie, que on leur retiegne des devant dis biens, ainſi que bon ſemblera & raiſons au Prieurs des Freres Precheurs d'Ypre, qui qui ſoit, & par les Advoez qui mis y ſeront.

Et de Margueritein dite Mannekin de Hondeſcotes diſons Nous & voulons, que auſſi longuement que elle vodra demorer en li devant-dite Enfermerie & manoir, que li devant-dite Enfermerie le pourtione en toutes choſes ſi comme elle a fait juſques à ores, & par ainſi doit li devant-dite Enfermerie recevoir & avoir le rente & le terre de qui le devanc dite Enfermerie adheritey.

Et ſi elle voulſiſt en autre lieu aller manoir, elle airoit, & recevroit toute le devant-dite rente & tenroit le terre en toute pais auſſi longhement que elle viveroit.

Et tantoſt après ſa mort toute li devant dite terre & rente doivent revenir delivré ſans charge de debte a le devant dite Enfermerie perpetuellement à toujours à tenir.

Et ce même ordenons nous & voulons de Margueritein Le Portre, & des chinquante ſouiz par an, de qui elle a la devant-dite Enfermerie adheritè.

Après diſons Nous ordenons & voulons, que nuls terre ne rente appartenant à le devant dite Enfermerie ne puiſt ne aliener ne en autres uſage mettre fors que en ſouſtenance del Enfermerie & de povres Beghines malades giſans en celuy.

Après Nous voulons & diſons que touz li gardins & li prez qui orendroit eſt à la devant-dite Enfermerie & de ce que elle eſt tenans, demeurent à tousjourſmais à la devant-dite Enfermerie, pour leur breſtes & leur neceſſitez, & que on ne leur puiſt jamais plus près venir ne maiſonner.

Et ſi diſons & voulons, que toute le Cours dou Beghinage paie à le devant-dite Enfermerie chaſcun an quatre livres & demie pour l'autre partie dou preit, que ſi devant dite Enfermerie tenoit & leur donna pour maiſonner par conſeil de Preudhomes, parmi la devant-dite rente chascun an à payer.

Après Nous voulons & ordenons, que li Prieurs des Freres Precheurs d'Ypre ait poeir après ce qu'il aura oy le conſeil des Maitres de le Court, de metre & faire la Souveraine Maitreſſe dou Beghinage & del Enfermerie devant-dis, & de l'oſter ainſſi que mieux ſemblera.

Et li Souverainne Meſtreſſe doit faire les Meſtreſſes des Couvens de le Court par le conſel dou devant-dit Prieurs, & oſter ce que bon ſemblera au devant-dit Prieurs; & doit li devant-dite Meſtreſſe rechevoir en ſon devant-dit Beghinage & oſter Beghines par le conſeil dou devant-dit Prieurs.

Et ſi voulons, que li Souverainne Meſtreſſe n'ait poeir de mettre perſonne en la devant-dite Enfermerie pour manoir ſe par conſeil dou devant-dit Prieurs.

Et que li devant-dite ſouveraine Meſtreſſe ne puiſt faire debte grant outre diz livres, ſans le dou devant-dit Prieurs, ne grant ouvre entreprendre.

Et ſi voulons que elle compte de toutes debtes & de toutes choſes qui appartiennent à le devant-dite Court dou Beghinage & al Enfermerie devant li Prieurs devant-dis & les Advoez dou devant dit Beghinage auſſi ſouvent que bon ſemblera au devant-diz Prieurs & Advoez.

Et ces Advoez doivent li Meſtreſſe Souveraine les autres Meſtres par le Conſeil dou devant-dit Prieur keuſir & prendre.

Et ſi voulons que on ſache en toutes les devant-dites choſes Nous retenons auſſi longhement que nous vivons poeir de cangier, & de muer, de mettre & de oſter ainſſi que bon nous ſemblera pour le miex.

Et pour ce que toutes ces choſes ſoient fermement tenues & eſtables, ſi avons Nous toutes ces choſes par le conſent & Requeſte dou Beghinage devant-dit & des perſonnes de l'Enfermerie devant-dite confermé & ſaiellé de No Seel.

Ce fut fait en l'an del Incarnation noſtre Seigneur M. CC. LXIX. ou mois de Janvier.

Begginagium Iprenſe primitus extra urbem fuit, tunc à fundatore ſuo dictum *Hoſpitale Joannis Bardonck*. Plura de illo lege in Flandria Sanderi Tomo II. pag. 355 novæ edit.

Prior Conventûs FF. Prædicatorum Ipris, ejuſdem Begginagii Super-Intendens, una cum aliis Proviſoribus ſæcularibus, conſtituitur hoc Diplomate. Inchoatum fuiſſe Conventum hunc anno 1263, aſſerit Sanderus ſupra citatus, pag. 337.

CAPUT CI.

RODOLPHUS *Comes Habſpurgi, primus è Domo Auſtriaca Imperator, recenſet atque confirmat anno* 1273 *in favorem Eccleſiæ Collegiatæ* Sti. Servatii Moſæ-Trajectenſis *bina Privilegia à* FREDERICO II. *Imp. quondam conceſſa; unum Immunitatis* * *Miniſtrorum ejuſdem Eccleſiæ; alterum Exemptionis* † *à Juriſdictione Leodienſis Epiſcopi.*

Ao. 1215.

Ao. 1235.

E Cartulario Moſæ-Trajectino.

RUDOLPHUS Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus. Univerſis Sacri Romani Imperii fidelibus præſentes Litteras inſpecturis in perpetuum. Privilegia claræ recordationis Domini FREDERICI Romanorum Imperatoris Prædeceſſoris noſtri inſpeximus & audivimus diligenter, ſub inferiùs adnotati tenore conſcripta: quorum utique talis eſt forma.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. FREDERICUS ſecundus Dei gratiâ Romanorum Rex &c. Datum anno 1215 &c. *Extat totum ſuperiùs pag.* 228. *hujus Tomi IV.*

Item alterum, cujus hæc forma.

FREDERICUS, Dei gratiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Jeruſalem & Siciliæ Rex, univerſis per Imperium conſtitutis præſentes Litteras inſpecturis, fidelibus ſuis gratiam ſuam & omne bonum.

Expoſuerunt Majeſtati noſtræ Præpoſitus & Capitulum Capellæ noſtræ B. Servatii in Trajecto, fideles noſtri, quod cum dilectus Princeps noſter Venerabilis Epiſcopus Leodienſis ipſam Capellam, contra Jus noſtrum & Imperii ac ipſius Eccleſiæ libertatem, quondam ſibi ſubjicere niteretur; & propter hoc coram Rege * filio noſtro & aſſidentibus ei Principibus citatus fuerit, tandem (ut conſtitit) fuit ſolemniter diffinitum per Sententiam Principum eorumdem, videlicet Maguntinenſis, Treverenſis & & Colonienſis Archiepiſcoporum, Babenbergenſis, Metenſis, Spirenſis, Tullenſis Epiſcoporum, & aliorum quam-plurium Clericorum & Laïcorum Principum nec non Ducum, & Comitum & Nobilium plurimorum, dictam Capellam ad Juriſdictionem noſtram & Imperii pertinere, & eidem Epiſcopo in aliquo non teneri.

* Hujus Diploma lege ſuperiùs p. 237.

Propter quod humiliter ſupplicarunt, ut Sententiam ipſam confirmare de noſtra gratiâ dignaremur.

Nos igitur juſtis eorum petitionibus inclinati, attendentes Jus antiquum noſtrum & Imperii, quo progenitores noſtri felicis memoriæ Capellam ipſam immediatè & liberè poſſederunt, libertatibus etiam ipſius diligenter inſpectis, Sententiam ipſam utpote juſtam duximus confirmandam.

Fidelitati veſtræ mandantes, quatenus nullus ſit, qui contra tenorem ejuſdem Sententiæ de eadem Capella præſumat aliquid attemptare. Alioquin indignationem noſtram ſe noverit incurſurum.

* Datum Hagenowe IX. Septembris, IX. Indictione.

* Annus debet eſſe 1235.

NOs itaque honorabilium Virorum Decani & Capituli S. Servatii Trajectenſis, dilectorum Capellanorum noſtrorum, devotis ſupplicationibus inclinati, prędicta Privilegia, prout ſunt ſuperius adnotata, & univerſa & ſingula quæ continentur in eis, ex benignitate Regiâ rata habentes & grata, eadem liberaliter innovamus, confirmamus, & hujus Scripti patrocinio communimus: tenore præſentium & Edicto Regali diſtrictius inhibentes, ne qua perſona, alta vel humilis, contra ea vel aliquod præmiſſorum venire quomodolibet audeat vel præſumat. Quod qui facere auſu temerario forte præſumpſerit, gravem regiæ indignationis offenſam ſe noverit incurſurum.

In cujus rei teſtimonium, & perpetui roboris firmamentum, præſens Scriptum exinde conſcribi, & Majeſtatis noſtræ Sigillo juſſimus communiri.

Datum anno Domini M. CC. LXXIII. Regni vero noſtri anno primo. 1273.

CAPUT CII.

JOANNES I. *Brabantiæ Dux, ad promovendam auguſtam Bruxellenſis Baſilicæ D.* Gudilæ *molem, quæ tunc* * *extruebatur, mandat anno* 1273 *ſolvendum annum fabricæ de Præbendis vacantibus.*

* In Chorat Dux Henricus I. an. 1226.

Ex Archivis S. Gudilæ.

JOANNES Dei gratiâ Dux Lotharingiæ & Brabantiæ. Univerſis præſentes Litteras inſpecturis ſalutem in eo qui ſalvat in ſe confidentes & ſperantes.

Cum venerabilis Fabrica Eccleſiæ B. Gudilæ Bruxellenſis, in qua Jus Patronatus obtinemus, in ſolidum de novo incepta, non poſſit ſine magnis ſumptibus conſummari; Nos utilitati dictæ Eccleſiæ, prout debemus, conſilium & auxilium adhibere volentes, ut opus prædictum laudabiliter Deo auxiliante perficiatur, & ut ipſa Eccleſia in libris, calicibus & aliis ornamentis non patiatur defectum, ob Noſtræ Noſtrorumque Prædeceſſorum remedium animarum, concedimus Decano & Capitulo Eccleſiæ prælibatæ, ut decedentibus ibidem Canonicis, ſeu cedentibus, fructus Præbendæ anni cedentis, & decedentis anni ſecundi, in uſus Fabricæ prædictæ, & poſtmodum in ſupplementum defectus ornamentorum prædictorum convertere poſſint.

Quam quidem Conceſſionem, ſeu etiam Ordinationem, factam de conſenſu & voluntate Decani & Capituli prædictorum, extendi volumus ad fructus Scholaſtriæ Eccleſiæ prælibatæ: cujus etiam collatio ad nos dignoſcitur pertinere.

In cujus rei teſtimonium, Sigillum noſtrum, una cum Sigillis Decani & Capituli prædictorum præſentibus ſunt appenſa.

Datum anno Domini M.CC.LXXIII. menſe Septembri.

CAPUT CIII.

JOANNES I. *Brabantiæ ac Lotharingiæ Dux donat Abbatiæ de* Foreſto *juxta Bruxellam, Nobilium Monialium Ordinis S. Benedicti, Decimam de Beerſel, anno* 1277.

Ex Archivis Archiepiſc. Mechlin.

Extabat Fragmentum hujus Diplom. T. I. Miræi, pag. 759.

JOHANNES Dei gratiâ Lotharingiæ & Brabantiæ Dux, univerſis Chriſti fidelibus tam præſentibus quam futuris, præſentes Litteras inſpecturis, ſalutem, cum cognitione veritatis.

Noverint univerſi & ſinguli, quod in noſtra propter hoc conſtitutus præſentia Leonius de Beerſele, Miles, omnem Decimam ſuam, quam â Nobis in pheodum tenebat apud Beerſele, (1) in terris, pratis, fructibus, ſive rebus aliis quibuſcumque, in manus noſtras, tanquam Domini pheodi liberè reportavit, & effectucando renunciavit omni juri quod habebat & ſibi competebat in Decima & bonis ſupradictis; faciendo ad hoc quantum debuit & ſuffecit, per monitionem noſtram, & judicium Hominum noſtrorum inferiùs nominatorum, qui ſuper hoc judicare poterant & habebant.

Quo facto, Nos divinâ gratiâ commoti, eandem Decimam, cum terris, pratis, fructibus & rebus aliis prænotatis, contulimus ſeu donavimus in puram eleëmoſynam & abſque onere, Monaſterio Foreſtenſi, & perſonis in eodem Deo famulantibus, pro vero Allodio in perpetuum poſſidendam & habendam. Quam Collationem ſeu Donationem gratam & acceptam à Nobis & à noſtris heredibus & Succeſſoribus haberi volumus in futurum.

Promittentes bonâ fide, quod contra hujuſmodi Collationem ſeu Donationem ratione Dominii noſtri, ſeu alio modo quocumque de cetero non veniemus: immo ipſi Monaſterio, & ipſius Monaſterii perſonis de ſupradicta Decima, terris, pratis, fructibus & rebus aliis quibuſcumque prænotatis legitimam & perpetuam præſtabimus garandiam contra quoſcumque calumpniatores, invaſores ſeu etiam impugnatores; Nos & heredes noſtros ſeu ſucceſſores ad prædictam garandiam faciendam ipſi Monaſterio ſimul & conſervandam per præſentes Litteras firmiter obligando.

His interfuerunt nobiſcum Viri Nobiles & honeſti,

Gode-

Godefridus frater noſter dilectus,
Waltherus, dictus Berthaut, Dominus Machlinienſis,
Ægidius ejus frater;
Arnoldus de Lombeka,
Reynerus de Malevia,
Daniel de Wange,
Franco de Lovanio, Milites:
Godefridus de Viana,
Reynerus de Crainem,
Reynerus Clutinc,
Wilhelmus Blomart,
Gerardus de Redinghes,
Ægidius de Merſem,
Johannes de Herent,
Goſuinus de Crode,
Anſelmus de Oudenhove,
Gilbertus, dictus Rex,
Gilbertus ejus filius,
Godefridus de Payhuſa, Ammanus Bruxellenſis, & alii quam-plures ſuper hoc in teſtimonium vocati.

Ut autem præmiſſa in præſenti Litterâ contenta, omnia & ſingula robur perpetuæ firmitatis obtineant, & ab omnibus inviolabiliter obſerventur, præſentes Litteras Sigillo noſtro, ac Sigillis Godefridi fratris noſtri, Waltheri Berthaut Domini Machlinienſis, Ægidii ejus fratris, Leonii de Berſele, prędictorum, ac aliorum qui in teſtimonium & ſecuritatem præmiſſorum ſua Sigilla præſentibus appenderunt, fecimus roborari.

Datum & actum anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, feriâ ſecundâ ante Diviſionem Apoſtolorum.

CAPUT CIV.

GUIDO, *Comes Flandriæ, terras quaſdam donat, & alias vendit Templariis juxta Brugas, annis* 1282. 1285. 1289, *quæ bona dein pervenerunt ad Commendatorem Ordinis Melitenſis, dictum* de Slype, *Brugis reſidentem.*

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſul.

Ad opus.

NOus GUIS *Cuens de Flandre & Marchis de Namur, faiſons ſavoir à tous, ke Nou, a no bon ami en Dieu Frere* Pieron dou Sac, *del Ordene de le Chevalerie dou Temple, donnons à oes le Maiſon dou Temple daleis Bruges pour le ſervice ke il Nous a fait loiaument quatre bonniers de muer à tout le treffons, giſant entre le leed Jehan de Leffinghes & le Vakeleed entre no moer & le moer Lotin de Bruges, ſour le moer de Ardembourgh; en tel maniere ke li dite Maiſons ſera tenue à Nous & à Nos hoirs rendre chacun an en nom de cens perpetuel à Nos Brief d'Ardembourgh au jour Saint Remy el chief d'Octembre nuef deniers de Noſtre monnoie de Flandre pour chacun bonnier.*

Et cel don proumietous Nous à warandir à celui Frere Pieron, *& le Maiſon devant-dite, contre tous, comme Sires. Et ces choſes tenir fermement obligons Nous nos Hoirs & nos Succeſſeurs de quan Ke nous poons envers celuy* Frere Pieron *& le Maiſon devant-dite.*

En temoignage de laquel avons Nous pendu No Saiel à ces preſentes Lettres, ki furent données à Winendale l'an de grace mil CC. quatre vins & deux, lendemain de le Trinité.

NOus GUIS *Cuens de Flandre & Marchis de Namur, faiſons ſavoir à tous, ke Nous avons vendu bien & loialement par le main Damp* Euſtaſſe *Moine de Cambron, à Frere* Pieron dou Sac *Comandeur de Flandre, del Ordene de le Chevalerie dou Temple pour le Maiſon dou Temple devant-dite, quatre bonnier muer à tout le treffons giſant ſour le muer de Ardembourgh entre le Vakeled & le muer d'*Iſabiel *No tres chiere compaigne de leis muer Monſegneur Rainſin çaſcun bonnier pour XL. liv. de No monnoie de Flandre, c'eſt en ſomme C. & LX. liv. Et ſi li avons encore vendu ij bonniers ij. meſures & V. verges de muer à tout le treffons giſant ſour le muer d'Ardembourgh devant-dit, entre les iiij. bonniers de muer de Scure nommés & entre le muer les gens de Watervliet, & entre le muer No tres chiere compaigne & le Vakelet caſcun bonnier pour L. liv. de noſtre monnoie de Flandre: c'eſt en ſomme C. & xxxiij. liv. xij. ſ. ij. d. Somme de ces ij. ſommes CC. LXXX. xiij. liv. xij. ſ. & ij. d.*

Deſquels deniers Nous nos tenons bien apaiet en bonne monnoie & bien contés. Et ces vi. bonniers ij. meſures & v. verges de muer à tout le treffons promettons nous à warandir au devant dit Frere Pieron dou Sac Comandeur de Flandre del Ordene de le Chevalerie dou Temple & as Freres dou Temple devant-dit, pour Nous & pour nos Hoirs perpetuelment contre tous. Parmi ix. d. de caſcun bonnier de Cens par an à paier caſcun an à Nos Brief de Haſſenede; & toutès les fois ke li muers devant-dis à tout le treffons ira de main en autre, cils ki i en tenra doit paier double cens & ſi doit paier iiij d. pour mettre ſon nom en Nos Brief de Haſſenede. Par le tieſmoing de ces preſentes Lettres ke Nous avons fait ſaieler de Notre Saiel qui furent faites & données en l'an del Incarnation noſtre Seigneur

Jheſu Criſt M. CC. LXXXV. el mois de Fevrier.

1289. NOus Guis *Cuens de Flandre & Marchis de Namur faiſons ſavoir à tous, ke Nous avons vendus bien & loialment par le main Damp Euſtaſſe Moine de Cambron à Frere Pieron dou Sac Commandeur de* Flandre *del Ordene de le Chevalerie dou Temple à* ocs *le Maiſon dou Temple en Bruges vii. bonniers de muer à tout le Treffons, giſant en le Paroche de Haſſenede entre le muer ki fu ceans de Cambron & le voie kon apiele Axelerswech, aukes priés le muer ki fu le Caſtelain de Gand caſcun bonnier pour LX. liv. de le monnoie de Flandre. Deſquels deniers*

Ad opus.

Nous nos tenons bien apaiet en bonne monnoie & bien contée de devant-dit Frere Pieron. Et le muer devant-dit à tout le Treffons promettons Nous à warandir pour Nous & pour nos Hoirs Seigneurs de Flandre, perpetuelement contre tous à ocs le Maiſon dou Temple devant-dit. Parmi vi d. de cens par an de caſcun bonnier à paier à Nos Brief de Haſſenede à le ſaint Remy & double cens toutes les fois ke li dis muers à tout le treffons ira de main en autre, & iiij d. pour mettre en nos Brief le nom de celui ki i entenra. Et pour ce ke nous volons ke ceſte choſe ſoit ferme & eſtable, avons ces preſentes Lettres ſaielées de Noſtre Saiel, ki furent faites & données en l'an del Incarnation Noſtre Seigneur M CC. LXX XIX le . . . jour de May.

CAPUT CV.

Ludovicus, Chiniaci *Comes, fundat anno* 1286 *Prioratum de* Suſſy, *in Comitatu ſuo Chiniacenſi, pro FF. Ordinis Sanctæ Crucis, quos ex Archi-Cœnobio Huienſi evocarat.*

NOus Louis *Comte de Chiny &* Jeanne d'Anis de Blamont, *Comteſſe du même lieu, à tous ceux qui ces preſentes Lettres verront ſalut en notre Seigneur. Soit cognu à un chacun que pour le remede de nos ames & de nos Predeceſſeurs, en noſtre fond, dit* Suxi, *au Comté de Chiny, nous fondons une Maiſon de Religieux de l'Ordre de S. Croix, ſous la Regle de St. Auguſtin, és mains de Frere* Jean *Prieur de la Maiſon de Hui, de l'Ordre ſuſdit, aux Freres qui demeureront perpetuellement en ce lieu; ſçavoir au lieu, dit Suxi, pour ſervir à Dieu.*

Et auxdits Freres conferons & dedions, tant pour la ſituation de leur Maiſon pour y habiter, que pour labourer, entre le ruiſſeau appellé Bournenſeis *& le ruiſſeau de* la Chapelle *quatre-vingt journeaux de terre, compris entre certaines bornes. Item douze fauſies de Prés; item dans nos Bois, ſçavoir les forêts & aiſances de Chiny, Nous leur conferons du bois pour leur four & trois autres feux dans ladite maiſon avec ſes appartenances audit lieu; item ici prendront du bois dans noſdites Forêts & aiſances pour la cloſeure deſdits lieux & pour y batir.*

Item leſdits Freres envoieront leurs vaches & toutes autre beſtiaux qu'ils auront à la pature ſur ledit Ban. Item mettront tant audit paturage que au bois vingt-cinq pores. Item ſi dans ce fond que nous leur avons conferé ils batiſſent un moulin, il leur appartiendra à ladite Maiſon en perpetuité, & prendront du bois & n'auront dans noſdites forêts & aiſance que pour batir ledit moulin, & le rebatir.

Ils pourront auſſi prendre des poiſſons, tant à verge que au raſaque dans les eaux dudit Ban. Et dans ladite Maiſon ils y auront des Freres ſervant Dieu ſelon leur faculté d'icelle, leſquels ſeront ſoubs notre protection & de nos Heritiers & Succeſſeurs, com, auſſi celle Maiſon avec ſes dependances. Leſquels Freres ne porront reclamer autre Seigneur que Nous, ains ſeront ſous notre juriſdiction quant au temporel, & point d'autres, & de Nos heritiers & Succeſſeurs. Voulant neanmoins qu'ils ſoient immediatement ſubjets quant au ſpirituel à la ſuſdite Maiſon de Suxi. Item s'ils delaiſſoient, ce que n'advienne, leur deſert retournera à Nous....

En foi de quoi Nous avons fait appoſer Nos Scels aux preſents.

Donné l'an M. CC. LXXXVI.

CAPUT CVI.

Guido *Comes Flandriæ Beginagium* Gerardimontenſe *à Margareta Comitiſſa Flandriæ & Hannoniæ, Matre ſua, inſtitutum, confirmat anno* 1288, *ac ſuſcipit in protectionem.*

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſul.

NOus Lois *Cuens de Flandres de Nevers & de Rethel, faiſons ſavoir à tous, que les Beghines de noſtre ville de Grammont Nous ont montré unes Lettres de noſtre cher Seigneur de bonne memoire* Guy *jadis Comte de Flandre & Marchis de Namur, contenant la forme qui s'enſuit.*

GUIDO Comes Flandriæ & Marchio Namurcenſis, univerſis præſentes Litteras inſpecturis ſalutem. Univerſitati veſtræ notum facimus, quod recolendæ memoriæ Kariſſimæ Genitricis noſtræ Margaretæ quondam Flandriæ ac Hannoniæ Comitiſſæ veſtigia cupientes imitari, dilectas nobis in Chriſto Beghinas in Geraldi-monte commorantes in Protectione noſtra & cuſtodia ſuſcepimus ſpeciali. Præcipientes firmiter & diſtrictè, ne quis in aliquo injurioſus aut moleſtus exiſtat. Volumus etiam ac præcipimus Ballivis noſtris & Scabinis de Geraldimonte qui pro tempore fuerint, ut eas manuteneant & deffendant, nec ſuſtineant aliquatenus ipſas gravari in aliquo vel turbari; ſub teſtimonio præſentium Literarum, quibus Sigillum noſtrum duximus apponendum

Datum anno M. CC. LXXXIV. feriâ ſecundâ ante Purificationem Beatæ Virginis Mariæ.

ET nous ont ſupplié, que leſdites Lettres Nous leur welluiſſiemes confermer, & avecques che elles ſuppliantes mettre & rechevoir en Noſtre Sauvegarde. Nous à leur ſupplication leſdites Lettres loons confermons approuvons, & leſdittes Beghines avons pris mis & recheu, prendons metons & rechevons en Noſtre Sauvegarde, donnans en mandement à Nos Baillis & Echevins de Geralmont qui ſont à preſent & ſeront pour le temps, que ils leſdites Beghines gardent & deffendent de forces de injures & violences d'oppreſſions, de griefs & nouveleté indehues queiconques. En teſmoignage de ce, Nous avons à ces preſentes fait metre Notre Seel. Donné à Male, le 19 jour de May l'an de grace 1333.

CAPUT CVII.

JOANNES I. *Brabantiæ Dux bona & poſſeſſiones Abbatiæ* Sti. Michaelis *Ordinis Præmonſtratenſis Antverpiæ confirmat ſeu admortizat anno* 1292; *ac ſignanter annuit Domos ſive Refugia ſeptem, in totidem Brabantiæ civitatibus.*

Ex Authent. hujus Abbatiæ.

JOANNES Dei Gratiâ Dux Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgi, univerſis præſentes Litteras inſpecturis ſalutem.

Noverit univerſitas veſtra, quod nos ob animæ noſtræ ac animarum Prædeceſſorum noſtrorum remedium & ſalutem, religioſis Viris Nobis in Chriſto dilectis, Abbati & Conventui Monaſterii Antverpienſis, Ordinis Præmonſtratenſis, Cameracenſis Diœceſis, & eorum Succeſſoribus univerſas & ſingulas poſſeſſiones, quas uſque in præſentem diem, ipſi ſive prædeceſſores ſui Noſtris ac prædeceſſorum noſtrorum temporibus quorumcumque erga quaſcumque perſonas acquiſiverunt, etiam quæ à Nobis aut noſtris prædeceſſoribus vel quibuſcumque perſonis aliis iiſdem Religioſis & ipſorum Monaſterio collatæ ſunt, prout tam infra oppida Terræ noſtræ Brabantiæ, quam extra, ubique locorum eaſdem nunc tenentes ſunt & poſſidentes, licet inde laici gerunt donum ſeu Inveſtituram, in curtibus, domibus, terris, ſilvis, pratis, paſcuis, aquis, cenſibus, molendinis & quibuſcumque rebus aliis, cum ſuis pertinentiis, nec non libertates, à noſtris Prædeceſſoribus iiſdem collatas, perpetuò confirmamus. Eo condicto, quod ſi præfati Religioſi impoſterum aliqua bona infra noſtrum Dominium acquirere voluerint noſtro tempore, Noſtrum ac temporibus Anteceſſorum noſtrorum Ducum, ipſorum ſpecialem acquirere tenebuntur conſenſum.

Nec poterunt dicti Religioſi plures quam unam habere & tenere de cætero manſionem in quolibet oppido de ſeptem noſtris oppidis ſubnotatis, videlicet Lovanio, Bruxella, Antverpia, Buſcho, Thenis, Nivella, & Lewis. Quam manſionem in quolibet oppido de prędictis, pro ſuo ac ſuorum commodo ſucceſſorum & uſu quocumque, licentiamus iiſdem Religioſis poſſe habere perpetuo & tenêre.

Si vero dicti Religioſi plures in aliquo oppido de prædictis habeant manſiones, de quibus nunc in poſſeſſione ſunt, ipſas infra annum aut vendere, aut ad cenſum annuum ſæcularibus perſonis hereditariè debebunt conferre.

Quod ſi ad aliquas dictorum Religioſorum manſiones in oppidis prædictis perſonæ aliquæ habeant uſum-fructum, debebunt præfati Religioſi poſt obitum hujuſmodi perſonarum infra annum hujuſmodi manſiones hæreditarie ſecularibus perſonis ſub cenſu annuo, dicto Monaſterio perſolvendo, conferre, aut à ſe penitus alienare.

Et ut præmiſſa perpetuam obtineant firmitatem, & ſuper his à nemine poſſit impoſterum dubitari, preſentes Litteras Sigilli noſtri munimine roborantes, pro ſe & ſuis ſucceſſoribus Religioſis confirmamus præ-

notatis. Et ad majorem ſecuritatem, ut omnia præmiſſa, prout in præſenti ſcedula ſunt ſcripta & ordinata; præfatis Religioſis in perpetuum inviolabiliter obſerventur, rogamus dilectiſſimum Joannem noſtrum filium, ut præfata omnia laudet, approbet, ratificet, & confirmet, & in ſignum laudationis, approbationis, ratificationis, & confirmationis ſuum Sigillum unà cum noſtro Sigillo præſentibus apponat.

Et Nos JOANNES, ad inſtantiam & requeſtam cariſſimi Domini & Genitoris noſtri Joannis Dei gratiâ Ducis Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi, præmiſſa omnia, prout in præſenti ſcedula ſunt ſcripta & ordinata, laudamus, approbamus, ratificamus, & confirmamus, & Sigillum noſtrum, unà cum Sigillo cariſſimi Domini ac genitoris noſtri prædicti præſentibus Litteris appoſuimus, in teſtimonium & munimen omnium præmiſſorum.

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſecundo, feriâ quartâ ante feſtum beatæ Mariæ Magdelenæ.

CAPUT CVIII.

HENRICUS *Comes Luxemburgi, Marchio Arlunenſis &c. dein (anno 1308) electus Romanorum Imperator, conſtituit anno 1294 dotem Sorori ſuæ* MARGARETÆ *de Luxemburgo, Ordinem Sororum Sti. Dominici profitenti in Abbatiola Inſulenſi, vulgo* l'Abbiette.

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſulenſ.

A Tous ceaux qui ces preſentes Letres verront & oiront, HENRIS *Cuens de Luxembourch & de la Roche & Marchis d'Erlons ſalut & cognoiſtre verité.*

Sachent tous, que comme noſtre cher Seur Marguerite Damoiſelle de Luxembourch fuſt entrée en le Religion del Ordene des Sereurs Prechereſſes de le Maiſon Noſtre Dame en Lille: Nous pour la devotion que noſtre dite Seur & Nous avons à l'Ordene & as Sereurs de ledite Maiſon de Lille, volons & ottroions que tant comme ladite noſtre Seur aura le vie ou corps & ſera Seur de caiens ù d'autre Maiſon del Ordene des Sereurs Prechereſſes, li Prieuſe & le Convens deſdites Sereurs de Lille ou li Prieure & li Couvens d'aucune autre Maiſon de ladicte Ordene ù que elle fuſt demorans, prendent lievent & recheuvent cent livres de Tornoys chaſcun an dedens le moys de la Nativité noſtre Seigneur, de Noble Prince noſtre cher Seigneur Guyon Conte de Flandres & Marchis de Namur.

Les quels cent livres li dis Meſſire li Cuens nous doit, & tenus eſt à payer à Nous & à nos Hoirs chaſcun an de fief de Bourſe dedans ledit mois de la Nativité Notre Seigneur. Et quittons no dit chier Seigneur Guyon Conte de Flandres & Marchis de Namur de ce que paiet ſera de par lui à le Prieuſe & au Couvent de ledite Maiſon ù noſtre dicte Seur ſera demorans en l'Ordene, ſoit à Lille ou ailleurs, & tant comme elle ſera en vie, ſi comme dit eſt.

Et promettant à ladite Prieuſe & au Couvent, que Nous acaterons L. livréez de Terre, autor, à heritage; leſquels L. livréez de Terre li Prieuſe & Couvens où noſtre dicte Seur ſera demorans & ira de vie à mort, aura & tendra à toujours heritaulement: ſauf ce, que quant li Prieuſe & li Couvens ou noſtre dicte Seur ſera demorans tenront & auront leſdictes L. livréez de Terre en heritage paiſiblement, elles ne prendront ne tenront que L. livres par an del aſſenement des cent livréez que fais eſt à Monſieur de Flandres devant dit; & les autres L. livréez qui demeurent à prendre ſur ledit aſſenement li Prieuſe & li Couvens prendront & leveront tant ſeulement tant comme ledicte Marguerite Noſtre Seur vivra, & nient oultre.

Encore avons nous promis & promettons à la Prieuſe & au Couvent des Sereurs Prechereſſes de la Maiſon de Lille, pour la devotiun que Nous & notres Anciſſeurs avons à l'Ordene & à la dicte Maiſon, mil livres Tournois pour Dieu & en aumoſne, à payer dedans le St. Remy, qui ſera en l'an de grace mil CC. XCIV.

Et pour toutes ces choſes & chacune de elles à tenir fermement & loyaument, avons Nous obligié Nous & nos Hoirs & tous nos biens preſens & avenir, & renonchons à toutes choſes qui aider & valoir nous pourroient à venir ou à faire encontre les Convenences chi deſeure eſcriptes & grever & nuire à la Prieuſe & au Convent des Sereurs de ladicte Maiſon de Lille ou d'autre Maiſon de ledit Ordene, où no devant dicte Sereur demorroit & iroit de vie à mort, ſi comme dit eſt.

En temognage de laquelle choſe nous avons fait mettre noſtre Seel à ces preſentes Lettres & prions & requerons à noſtre cher Seigneur Guyon Comte de Flandres & Marchis de Namur devant-dit, que il toutes ces choſes & ces Convenences deſeure-dictes & chacune de elles voelle greer & ottroyer ſi comme dit eſt, & en ſigne de verité voelle fere mettre ſon Seel à ces preſentes Lettres avec le Notre.

ET Nous GUYS *Cuens de Flandres & Marchis de Namur, à le priere & à le requeſte de noſtre chier foyable Neveu Henri Conte de Luxembourch deſeure dicts, avons gréé & ottroié toutes les choſes & toutes les Convenenches & chaſcune de elles chi deſeure eſcriptes; & en*

ſigne

ſigne de verité avons fait mettre noſtre Seel auvec le ſien.

Ce fu fait & donné l'an de grace mil CC. XCIV. le Joeſdi après le jour ſaint March Evangeliſte.

Fuit dein hæc Margareta de Luxemburgo Prioriſſa Conventûs Nobilium Monialium Mariæ-Vallis juxta Luxemburgum ; ibique obiit anno 1336, ut vides ex Belgio Dominicano pag. 300 ubi ejus Epitaphium citatur.

Diplomata Fundationis ſupra-dictæ Abbatiolæ, vulgo Labbiete, Dominicanarum Inſulenſium, extant Tomo III. horum Diplomatum Belgicorum pag. 132; è quibus patet, Moniales Mariæ-Vallis in Ducatu Luxemburgenſi, præfato Inſulenſi Conventui dediſſe prima illius Inſtituti principia.

CAPUT CIX.

Concordatum inter GUIDONEM *Comitem Flandriæ & Perſonam* Aldenardenſem *in Flandria, ſuper Jure conferendi Beneficia ibidem, anno* 1295.

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſulenſ.

UNiverſis præſentes Litteras inſpecturis, innotescat, quod cum inter Nos GUIDONEM Comitem Flandriæ ex una parte, & Nos Magiſtrum N. de Muſcembrouck Perſonam & ceteros Presbyteros Parochiales Eccleſiæ Aldenardenſis ex altera, ſuper Jure Capellanias jam inſtitutas ſeu fundatas & in poſterum inſtituendas ſeu fundandas in eadem Eccleſia, conferendi ſeu Perſonas ad eas preſentandi Contentio verteretur; quod quidem Jus, Nos Comes ad nos ratione Juris Patronatus quod habemus in eadem Eccleſia, Nos quoque Perſona & Presbyteri antedicti nomine Eccleſiæ noſtræ prædictæ ad Nos tam de Jure quam de conſuetudine & aliis ceteris rationibus ſive cauſis dicebamus pertinere.

Nos Partes prædictæ, de Presbyterorum conſilio, pro bono pacis & concordiæ ſuper contentione prædicta de alto & baſſo compromiſimus in diſcretos Viros Magiſtrum Jacobum de Aqua, Clericum, Legum Profeſſorem, & Magiſtrum Henricum de Nivella, unum de dictis Presbyteris, promittentes invicem pro Nobis & Succeſſoribus noſtris, bona fide & ſtipulatione ſollempni interpoſita tenere & ſervare in perpetuum quidquid per dictos Jacobum & Henricum ſuper præmiſſis, de alto & baſſo, etiam extra formam ſive ſolemnitatem Juris, dictum fuerit ſeu etiam ordinatum.

Nos autem Jacobus & Henricus, onere hujus Compromiſſi in nobis ſuſcepto, & ſuper præmiſſis tractatu habito, inſtructi à Partibus ſuper illis quæ pertinent ad præmiſſa, præſentibus Partibus, decimus, ordinamus, & pronuntiamus in hunc modum.

Quod Capellæ quatuor, videlicet jam in dicta Eccleſia inſtitutæ, ſcilicet illa quam tenet Stephanus de Horenbeke, ad Altare ſancti Nicaſii, alia quam tenet Franciſcus de Zeghelſam, ad Altare beatæ Mariæ Virginis, alia quam tenet Andreas dictus Scote, ad Altare beati Petri, & quarta quam tenet Gerardus Bieſte ad Altare beatæ Katharinæ, perpetuo pertineant ad Collationem ſeu Preſentationem Perſonæ & Presbyterorum prædictorum.

Si quæ autem in poſterum Capellæ inſtituantur in dicta Eccleſia, ſeu diſpoſitum aut ordinatum ſit de inſtituendis ibidem, illæ pertinebunt perpetuo ad Collationem ſeu præſentationem illuſtris Domini Comitis Flandriæ & Succeſſorum ſuorum, ratione Jure Patronatus quod habet in Eccleſia antedicta.

Nos autem Comes, & Perſona ac Preſbyteri prædicti, Dictum & Ordinationem hujus-ce-modi grato recipientes aſſenſu, eaſdem Ordinationem & Dictum approbamus & eiſdem conſentimus expreſſe. Et nos Jacobus & Henricus prænominati, præmiſſa ſic eſſe vera recognoſcimus, & dicimus & ordinamus; juxta formam ſuperius comprehenſam.

In cujus rei teſtimonium Nos Comes & Nos Perſona & Presbyteri, & nos Jacobus & Henricus prænominati Sigilla noſtra præſentibus duximus apponenda.

Datum anno Domini M. CC. XCV. feria tertia ante converſionem beati Pauli Apoſtoli.

Sanderus T. I. Flandriæ Illuſtratæ, pag. 215 novæ edit. ſic habet. *S. Walburgis Aldenardæ* Patronus Comes Flandriæ. Sunt ibidem quatuor Portiones: ſed nunc unus tantùm eſt Paſtor. De quinque Paſtoribus ibidem anno 1572 die 4 Octobris, per Geuſios in Scaldim præcipitatis martyrioque affectis, & in templo S. Walburgis ante majus Altare ſepultis, lege curioſa apud Raiſſium in auctario ad Natales SS. Belgii, pag. 206.

CAPUT CX.

Litteræ Protectionis, à JOANNE I. *Brabantiæ Duce Capitulo Eccleſiæ Collegiatæ Anderlechtenſis, juxta Bruxellam, datæ anno* 1297.

Ex Archivis ejuſdem Capituli.

REverendo in Chriſto Patri ac Domino, Dei gratiâ Cameracenſi Epiſco, JOANNES eâdam gratiâ Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi Dux, ſalutem in Domino, cum omni reverentia & honore.

Cum noſtri dilecti Canonici, Decanus videl icet & Capitulum Eccleſiæ Anderlechtenſis, qui ſunt & ſemper fuerunt noſtræ juriſdictionis & libertatis ſpecialis, quemadmodum Canonici & Capitulum B Gudilę Bruxellenſis, noviter à Vobis ſeu veſtris ſubditis & Officiatis ſuper ſubventione ad opus veſtrum moniti fuerint & ſuccurſu, contra noſtram Juriſdictionem approbatam, & minus juſtè; Cum Nos, & Dominus *Theodericus Dominus de Aa*, (1) & *Renerus de Craeyenhem* (2) Viri Nobiles, noſtri Homines & fideles, veri ſimus Patroni Eccleſiæ Anderlechtenſis prædictæ, & in noſtra ſemper fuerunt Canonici & Capitulum dictæ Eccleſiæ defenſione, juriſdictione, libertate, de conſuetudine approbata & antiquâ, ex quo memoria non exiſtit, ad nos liberè pertinebant & ſpectabant;

Nota.

Nos dictos Canonicos, ut noſtri Anteceſſores tenuerunt, tenêre volentes & defenſare contra quoſcumque, ipſos ſicut Canonicos Beatæ Gudilæ Bruxellenſis juriſdictione, libertate, & conſuetudine protegentes, prout tenemur ſub eiſdem; Veſtram rogamus Paternitatem Reverendam, cæteroſque quorum poterit intereſſe univerſos, quatenus dictis noſtris Canonicis nullam novitatem, ſervitutem, moleſtiam inferatis vel gravamen, vel veſtras vices-gerentes & ſubditos faciatis inferre, ſeu etiam permittatis, quod ſit in præjudicium noſtri Dominii, Patronatûs, aliorumque Patronorum Canonicorum & Capituli noſtri Anderlechtenſis ante dicti quoquo modo.

Et ut præmiſſa robur firmitatis obtineant, præſentes Litteras noſtri Sigilli munimine duximus roborandas.

Datum anno Domini M. CC. nonageſimo ſeptimo, (3) feriâ tertiâ poſt Dominicam *Lætare Jeruſalem.*

(1) THEODERICUS DOMINUS DE AA, Caſtellanus Bruxellenſis, &c. ratione Dominii ſui de Walcourt, vocatus fuit Patronus, Præpoſitus & Advocatus Eccleſiæ Anderlechtenſis; habens Jus *laïcale in XI. Prabendas.* Seriem eorumdem Patronorum vide ſupra in Additionibus ad Miræum Tom. I. pag. 711.

(2) RENERUS DE CRAEYENHEM, habuit Jus Patronatûs in tres Præbendas; quod dein viâ emptionis pervênit anno 1431 aut circiter, ad Magiſtratum Bruxellenſem.

Item Dux Brabantiæ confert alias IV. Præbendas (quarum uni annexus eſt Decanatus) ob Donationes à Duce anno 1195 & ab ejus filio anno 1228 factas, item ob diverſa Privilegia immunitateſque datas Capitulo.

(3) Obiit Joannes Brabantiæ Dux eodem anno 1297 die 9 Junii, ut patet ex ſepultura ejus apud Franciſcanos Bruxellis.

CAPUT CXI.

JOANNES II. *Brabantiæ ac Limburgi Dux Privilegia Capituli* Sti. Servatii *Moſæ-Trajectini confirmat anno* 1304, *reſervatâ ſibi collatione Præpoſituræ.*

Ex Archivis Capituli Moſæ-Traj.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. JOHANNES Dei gratiâ Lotharingiæ, Brabantiæ & Lymburgenſis Dux, univerſis Chriſti fidelibus in perpetuum.

Dum loca divino cultui dedicata benigno favore proſequimur, & eorum intendimus commodis & honoribus ampliandis, & temporalis vitæ remedia nobis profutura confidimus, & æternæ.

Sane honorabilium Virorum Decani & Capituli Eccleſiæ Sancti Servatii Trajectenſis, Leodienſis Diœceſis, porrecta petitio continebat, ut Privilegia, libertates & gratias à Romanis Pontificibus, Imperatoribus atque Regibus Romanorum, nec non noſtris Progenitoribus indultas, ipſi Eccleſiæ & conceſſas, ratificare & approbare ex

Digitized by Google

certa ſcientia dignaremur, & curaremus ab omnibus inviolabiliter obſervari.

Nos ob meritum & reverentiam Sancti & Venerabilis Servatii, & dignitatem Cleri ejus eas approbamus & ratificamus, & Privilegia à noſtris Progenitoribus claræ Memoriæ eis conceſſa, quas & quæ Nos obſervare, & facere obſervari pro Nobis & pro Succeſſoribus noſtris promittimus, præſentis Scripti teſtimonio communimus; firmiſſimè præcipiendo, ne quis hominum Nobis ſubditorum, cujuſcumque ſtatûs honoris vel conditionis exiſtat, dictam Eccleſiam & Canonicos ejuſdem in Privilegiis, libertatibus & gratiis ipſis indultis, ſub periculo honoris ſui rerumque ſuarum impediat vel moleſtet; quarum jacturam, ſi quis in contrarium fecerit, graviſſimè ſuſtinebit.

Ita tamen, quod Privilegia, libertates & gratias antedictas, vel ex eis aliquas contra Jus hereditatis noſtræ, & ſpecialiter Collationis Præpoſituræ Eccleſiæ S. Servatii ſupra-dictæ, quomodolibet facientes, in quantum contra hæc faciunt, approbare & ratificare non intendimus nec ſervare. *Exceptio de Præpoſitura.*

Datum anno Domini M. trecenteſimo quarto, in die B. Dionyſii. 1304.

CAPUT CXII.

REINALDUS *Gelriæ Comes, Jus Patronatûs Eccleſiæ oppidi* Gelrienſis *(quod prius penes Abbatiſſam Ciſtercienſium Ruremundæ fuerat*) concedit Fratribus B. M. de Monte Carmelo, anno* 1306.

* Vide Diplom. in ræo pag. 304. item Notas.

IN nomine Domini Amen.

Nos Reginaldus Comes Gelrienſis, notum facimus univerſis præſentes Litteras viſuris, & audituris, quod Nos unà cum Dominâ Collaterali noſtra Margareta ad honorem ſanctæ & individuæ Trinitatis, gloriоſæque Virginis Mariæ, ac Sanctorum omnium, necnon pro noſtrâ ſalute ac progenitorum noſtrorum remedio animarum contulimus, & conferimus, donavimus & donamus voluntate piâ, & liberaliter per præſentes, Jus Patronatûs liberæ Capellæ noſtræ, ſeu Eccleſiæ noſtræ in *Gelren*, ſitæ propè Caſtrum noſtrum ibidem, prout ad Nos, & ad progenitores noſtros pertinuit ab antiquo, Viris Religioſis, Priori Provinciali, & Fratribus Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli per Alemaniam pro tempore exiſtentibus.

Ita quod idem Jus Patronatûs ad eoſdem de cætero pertineat omni eo jure, ſicut ad nos pertinuit ab antiquo: ſalvo nobis & reſervato, ac hæredibus noſtris in poſterum, quod quoties ipſam Eccleſiam prædictam Gelrienſem vacare contigerit, Nos, & hæredes noſtri unum Fratrem Ordinis prædicti actu Sacerdotem idoneum, & legalem Archidiacono loci præſentare modo debito debeamus.

In cujus rei teſtimonium; & firmitatem perpetuam præſentes Litteras dedimus prædictis Priori Provinciali, & Fratribus, ſigillorum noſtrorum munimine communitas.

Datum, & actum apud Gelren, anno M. CCC. VI. in feſto Beati Andreæ Apoſtoli.

CAPUT CXIII.

Eccleſiam S. Joannis *in oppido* Luxemburgenſi, *cum adjuncto Hoſpitali per* MARGARETAM *conjugem ædificatam, confirmat anno* 1309 HENRICUS *Imperator ac Comes Luxemburgenſis. Hodie hæc eſt Eccleſia Abbatiæ Munſterienſis Ordinis Sti. Benedicti, circa annum* 1544 *intra Luxemburgum tranſlatæ.*

HENRICUS, Dei gratiâ Romanorum Rex, ſemper Auguſtus, univerſis Imperii fidelibus, tam præſentibus quam futuris, gratiam ſuam, & omne bonum.

Cum inclita MARGARETHA Romanorum Regina, conſors thori noſtri cariſſima, Spiritus Sancti ſpiramine inſpirata ad Chriſti laudem, & gloriam & honorem Beatiſſimæ Dei genitricis Mariæ, nec non pro noſtri ſuæque & Progenitorum & Succeſſorum, & ſuorum ſalutis augmento, Eccleſiam unam in oppido noſtro Lutzelinburg ædificare inceperit, pro divinis laudibus opportunam; & ſimiliter juxta eandem Eccleſiam novum Hoſpitale conſtruat, in quo Chriſti pauperes, debiles & infirmi quibus

corporale deeſt ſuffragium, collocentur, ut noſtris & aliorum eleëmoſynis ſuſtententur.

Nos ipſius MARGARETHÆ Romanorum Reginæ pium & ſanctum propoſitum commendatione commendabili commendantes, ob reverentiam Jeſu-Chriſti, & honorem Virginis glorioſæ eidem Hoſpitali, pro ſuſtentatione infirmorum in Chriſto degentium, quadraginta maldra ſiliginis menſuræ Luxemburgenſis, perſolvenda de redditibus ungelti noſtri ibidem in feſto B. Remigii, annis ſingulis, de noſtrâ ac hæredum noſtrorum benignitate, perpetuo duximus conferenda.

In cujus Collationis & noſtræ Donationis evidens teſtimonium & cautelam, ac perpetui roboris firmitatem, præſens Scriptum exinde conſcribi, & Majeſtatis noſtræ Sigillo juſſimus communiri.

Datum Spiræ VIII. Kal. Septembris, Indict. VII. anno Domini M. CCC. IX. Regni vero noſtri anno primo.

CAPUT CXIV.

Origo Domûs Capellæ B. Mariæ *Ordinis Carthuſiani, juxta Angiam in Hannonia anno* 1314: *ex vetuſto ejuſdem Domûs Chronico deſcripta.*

NObilis, potens & magnificus Dominus WALTERUS, Dominus Terræ Angienſis, qui tenuit Dominium ejus anno M. CCC. pro augmento honoris & cultus divini, pro remedio animæ ſuæ, & anteceſſorum, necnon & poſterorum ſuorum, intendebat in hoc loco, circa Capellam Beatæ ſemper Virginis Marię Conventum Religioſorum Deo jugiter famulantium inſtituere. Unde anno M. CCC. VII. obtinuit licentiam ad hoc faciendum, ab Abbate S. Autberti & Conventu ejus: ſicut in libris de hoc factis patet: quia Jus Patronatûs dictæ Capellæ ad eundem Abbatem pertinet; qui Abbas & Conventus ejus ei devotè aſſenſi ſunt: ſalvo eis pleno Jure Patronatus ſui.

1300.

1307.

Abbas S. Auberti Cameraci, Patronus hujus Eccleſiæ.

Fertur vero prædictus Dominus WALTERUS odorem bonæ opinionis Carthuſienſis Ordinis hauſiſſe, & ibidem Conventum illius Ordinis voluiſſe advocare. Verum morte præventus anno M. CCC. IX, & antequam bonum propoſitum ſuum perduceret ad effectum, in propria illud non ad implevit perſona. Ante mortem ſuam commiſit executoribus teſtamenti, ut omnia juxta ſuam voluntatem adimplerent.

1309.

Donavit etiam, legavit, & aſſignavit prædictis Religioſis venturis, ad ſuſtentationem eorum, XV. bonnaria Terræ, & XX. libras Alborum, quas dicta Capella antea poſſidebat. Inſuper adhuc centum libras uſuales: & ad illas centum libras dedit redditus de *Evioel* & de *Gages*: item vivarium & molendinum de *Schibbeke*, ſcilicet tertiam partem. Nil plus fertur Domus hæc habuiſſe pro Fundatione; & ſic valde pauper fuit in initio.

Igitur executores Teſtamenti dicti Domini WALTERI primi fundatoris noſtræ Domus, qui fuerunt D. *Gerardus* Dominus *de Sottegem* Caſtellanus de Gandavo, D. *Arnoldus de Angia*, Dominus de . . . . . D. Abbas de Camberone, & D. Curatus de Angia, una cum matre & uxore dicti Domini WALTERI, vocaverunt huc & fecerunt venire Fratres Ordinis Cartuſienſis anno M. CCC XIIII. & Dominus *Walterus* junior, Dominus Terræ Angienſis, filius prædicti Domini *Walteri*, ratificavit & confirmavit omnia prædicta, eodem tempore & anno quo ſupra. 1314.

Anno M. CCC. XV. Abbas S. Autberti & Conventus ejus petierunt à D. Epiſcopo Cameracenſi *Petro*, ut Conventus Ordinis noſtri, qui jam huc advenerat, pacificè hîc poſſet reſidere, & habitare perpetuo. Et idem Epiſcopus auctoritate Epiſcopali hoc confirmavit eodem anno. 1315.

Anno M. CCC. XIIII. idem Epiſcopus Petrus auctoritate Epiſcopali conceſſit Patribus noſtris, ut poſſint divina Officia & Miſſas celebrare, quamdiu illis placeret. 1314.

Anno M. CCC. XVI. idem Epiſcopus conceſſit Patribus noſtris perpetuam licentiam hîc manendi, cum omnibus juribus eis collatis & conferendis à Chriſti fidelibus, divina celebrandi, ædificia conſtruendi, ac fideles in noſtro cymiterio ſepeliendi. Quod cymiterium nos habere permiſit: ſalvo tamen jure Parochialis Eccleſiæ. De his omnibus præmiſſis habentur in hac domo Litteræ ſignatæ, & Copiæ. 1316.

Locus iſtius Capellæ olim vulgariter *Dierichzhoven*, id eſt, *Curia Theodori* vocabatur. Unde conſuetudo olim fuit, quando aliquis ſuſpendebatur vel decollabatur circa juſtitiam Angienſem, quæ ſtat ferè in media via inter Angiam & hunc locum, dicebatur ibidem occidendis, ut flecterent genua verſus locum B. Mariæ de *Dierichzhoven*, & ſalutarent beatam Virginem Mariam.

Item hoc eſt antiquiſſimum, quod narratur

tur de loco iſto, quod circa portam noſtram, quę ſtat verſus ſilvam noſtram, ſolebat habitare quidam Recluſus, qui vocabitur *Dierick*, id eſt *Theodoricus*; & forte ab eo nomen locus iſte accepit ut vocaretur *Dierichzboven*. Qui ſcilicet *Theodoricus* homo valde Sanctus, ſolebat videre luminaria noctibus circa locum ubi nunc Eccleſia noſtræ Dominæ & noſtra eſt fabricata. Unde hoc prædixit fore ſignum, vel hoc fuit indicium, quod in poſterum divinæ laudes ibidem devotè eſſent celebrandæ. Iſte etiam Recluſus fertur hîc fuiſſe ſepultus.

Item antequam Patres noſtri huc adveniſſent, habitaverunt hîc pro tempore aliquæ Moniales, ſive Sorores Hoſpitales, neſcio cujus Ordinis. Poſtea feruntur hîc habitaſſe Fratres Ordinis Prædicatorum: ſed ab hoc loco remoti ſunt ſive excluſi per Dominum Terræ Angienſis: quia forſan eorum converſatio ei non placebat; vel alia de cauſa, quæ nos latet.

1212. 1216. Anno Domini M. CC. XII. & XVI. fuit Dominus Terræ Angienſis Dominus *Engelbertus*, cujus primogenitus vocabatur *Sigerus*. Contulit ergo dictus Dominus *Engelbertus* circa idem tempus redditus pro lampade arſurâ jugiter ante imaginem B. Virginis Mariæ, ſcilicet quatuor bonaria terræ, & dictus *Sigerus* primogenitus ejus 1228. confirmavit.

Anno Domini M. CC. XXVIII Archiepiſcopus Militenenſis, Auctoritate Domini Godefridi tunc Epiſcopi Cameracenſis, dedicavit Eccleſiam Capellæ beatæ Virginis Mariæ in *Herinis*: ſcilicet antiquam partem Eccleſiæ quæ vergit ad occidentem, & conjungitur Eccleſiæ noſtræ novæ, quæ vergit ad orientem. Capella vero ſive Chorus, ubi nunc Imago B. Virginis Mariæ veneratur, facta eſt diu poſtea; ſcilicet tempore Prioratûs Domini de Montegiis circa annum M. CCCC. XXXIII. 1433.

Qualiter autem ortum habuerit, quod Beata Virgo hic ceperit venerari, nobis liquidè non conſtat: niſi forte illo, quod ſupra dictum eſt de Recluſo. Solebant hic etiam fieri multa miracula, quorum quædam hic feruntur conſcripta. Sciendum vero eſt, quod hic ad B. Virginem ſolebat fieri maximus concurſus populorum ſive peregrinatio, & magna ſumma pecuniæ de oblationibus colligebatur: unde creditur facta Eccleſia, & redditus empti ſupra expreſſi.

Erat quondam hîc etiam annua proceſſio, in qua imago B. Virginis circumferebatur. Dicitur, quod in quodam die proceſſionis ejuſdem fuerit circa Eccleſiam noſtram factum quoddam homicidium circa annum 1436. M. CCCC. XXXVI. D. Gerardus Naghel de Delft tunc Prior hujus Domus impetravit à Domino *Ludovico Comite Sancti Pauli* & Domino Terræ Angienſis, ut ipſa proceſſio ceſſaret, quod ſic factum eſt: quamvis de hoc multi præcipue juvenes multum dolerent. Solebant etiam Prior & Procurator hujus Domus perſonaliter incedere in ipſa proceſſione. Dies vero proceſſionis erat prima Dominica poſt feſtum SS. Jacobi & Chriſtophori.

CAPUT CXV.

GUILIELMUS, *Hannoniæ, Hollandiæ Zelandiæque Comes, Prioratum* Portæcœli (*vulgo* s'Hemelſpoorte) *in Inſulâ Walachriæ apud Zelandos Monialium Benedictinarum à proavo ſuo* Guilielmo *Romanorum Rege fundatum, ob ejuſdem Monaſterii pauperiem ſupprimit anno* 1317; *ejuſque Moniales cum bonis ſuis incorporat Abbatiæ de* Reinsburg, *Monialium ejuſdem Ordinis in Hollandia, olim celeberrimæ.*

UNIverſis præſentes Litteras inſpecturis, GUILIELMUS Comes Hainoniæ, Hollandiæ, & Dominus Friſię; ſalutem, cum notitiâ veritatis Juſtum eſt & ordo rationis expoſcit, ut ſupplicationibus juſta petentium, facilem præbeamus aſſenſum.

Hinc eſt, quod Prioriſſa & Conventus Monaſterii de *Porta-cœli* nobis pluries ſupplicarunt, cum Monaſterium earum depauperatum exiſteret, quo victum, & veſtitum non poſſent habere, nec etiam procurare, nec etiam haberent Proviſorem, eis de opportuno remedio . . . . ſuccurrere dignaremur.

Nos earum juſtis ſupplicationibus inclinati, dictâ Prioriſſâ & Conventu inſtanter petentibus coram Nobis, ut de Auctoritate & conſenſu noſtro, poſſent cum omnibus bonis ſuis ad Abbatiſſam & Conventum de *Reyſenburg* ſe transferre, conſenſum & authoritatem noſtram interpoſuimus & interponimus.

Volentes & conſentientes, quod dicta Abbatiſſa & Conventus de *Reyſenburg* gaudeant & habeant omnia Privilegia, quæ

dicta Prioriſſa & Conventus dicti Monaſterii de *Porta cœli* habent ; perinde ac ſi eiſdem Abbatiſſæ & Conventui de Reyſenburch ſpecialiter erant conceſſa.

Dictaque Abbatiſſa & Conventus tenentur, conſideratâ quantitate & valore bonorum, quæ dicta Prioriſſa & Conventus de *Porta cœli* habent, ſucceſſivis temporibus numerum Monialium in earum Eccleſia augmentare ; ita quod ſemper tot Moniales in Eccleſia de *Reyſenburch* plus creentur, ultra numerum conſuetum ; quot poſſunt de dictis bonis commodè ſuſtentari, ſecundùm valorem in eadem Eccleſia Prębendarum hactenus ab antiquo.

Et ut in perpetuum hæc noſtra Conceſſio valeat, fecimus has Litteras noſtri Sigilli munimine roborari & dicto Monaſterio tradi, in teſtimonium veritatis.

Datum anno Domini milleſimo trecenteſimo decimo ſeptimo, quartâ-decimâ die Aprilis.

CAPUT CXVI.

LUDOVICUS NIVERNENSIS, *Comes Flandriæ, concedit locum ædificando Monaſterio FF. Carthuſianorum juxta* Gandavum, *anno* 1327.

Ex Archivis Cameræ Rationum, Inſulis.

NOus LOYS *Cuens de Flandre & de Nevers, faiſons ſavoir à tous, que Nous, quatre bonniers de Terre giſans hors des forteresſes de nô ville de Gand eus ou lieu que on appelle Royenghem de lez la Riviere de le Lis par devers Tronchiennes, avons, pour faire & eſtablir un lieu & habitation de Freres Chartrouz pour Dieu tout premiers & pour les prieres que ledit Freres feront & devront faire pour Nous, nos Predeceſſeurs & Succeſſeurs, & après pour les prieres de nô amez Echevins, Conſaulx & bonne gens de nô Ville de Gand nous en ont faites, quittez abſoulz & afranchiz, quittons abſolons & afranchiſons de toutes Rentes, revenues debtes ſervitutes exactions a toujours, pour nous, nos hoirs & Succeſſeurs, appartenans à nous & deſqueles ladite Terre eſt & eſtoit kerkie obligé & redevable envers nous & envers nos Briefs de nô Eſpier de Gand, & les amortiſſons des maintenant. Sauve ce que le Fundation & la juriſdiction ; auſſi de tous meffais & exeés qui y avenront d'autres perſonnes que des Freires Chartrouz d'yceluy lieu en ramenent & ramerront à tousjours vers nous & envers nos Hoirs & Succeſſeurs. Et par ainſſi que ceſte ſe doit eſtre raportée à noſtre prochaine Renenghe pardevant nos Reneurs & certains Cherquemainages de ladite Terre & oſtée & deſſeurée des Breifs de nô dit Eſpier ; par Loy & par Jugement en la maniere qu'il appartient & que drois & raiſons donnent & appellez à ce ceaux qui y font à appeller.*

Par le tiſmoing de ce Lettres ſcellées de nô Sèel, faites & données à Gand l'an de grace M. CCC. XXVII. le tiers jour dou mois de Mars.

CAPUT CXVII.

Commiſſio LUDOVICI *Comitis Flandriæ, ad Priorem Dominicanorum, Guardianum FF. Minorum, & Ballivum Brugenſem, data anno* 1328, *ad ſuperintendendum Begginagio ſive Vineæ Brugenſi.*

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſulenſis.

NOus LOYS *Cuens de Flandre & de Nevers faiſons ſavoir à tous, que Nous avons mis & eſtably mettons & eſtabliſſons en no lieu & pour Nous Religieux hommes & ſages le Prieurs des Freres Prechеurs de Bruges, le Gardien de Freres Mineurs de ledite Ville & noſtre Baillif de Bruges, qui orè l'eſt, ou qui pour le temps le ſera, pour prendre warde au Wingaerd de Bruges, où il a Congregation de Beghines & pour oyr le compte des Biens appartenans audit lieu, pour ordener diſpoſer & corrigier tout ce que ordonner diſpoſer y ſera, ſelon ce que il verront & ſauront que beſoings & pruffit ſera, Maiſtreſſe & tous autres Officiers doudit lieu faire & oſter & les contraindre ſe il ni vouſiſſent eſtre obeiſſant as perſonnes deſſus dictes : par le paine de les faire widier le Wingaerd deſſuſdit ſans recuvrer, ſe ne fuſt par grace eſpecial ; & toutes autres choſes appartenans audit lieu & le gouvernance d'iceluy faire, ſi avant que nous meſmes faire les porriemes, ſe preſens y eſtiens juſques à Noſtre volontey & rappel.*

Si mandons & commandons à tous ceaux & à toutes celles as quels il touche & peut touchier, que il & elles obeiſſent as perſonnes deſſusdites en tous les cas deſſus dis, comme à Nous meiſmes. Et tout ce que fait ſera par eux en les beſoignes, deſſus dites, Nous les tenrons ferme & eſtable. Par le tieſmoing de ces Lettres ſcellées de noſtre Scel, faites & données à Bruges le x. jour de Mars l'an M. CCC. XXVIII.

CAPUT CXVIII.

Teſtamentum verè pium MATHILDIS *Comitiſſæ Atrebatenſis, anno* 1328 *conditum, quo imprimis confirmat Fundationes à ſe antea factas in Monaſterio de la* Thieuloye, *Monialium Ordinis Sti. Dominici juxta Atrebatum, & Monaſterio Clariſſarum Urbaniſtarum Audomaropoli; iiſque, ut & aliis pluribus locis piis benefacit.*

Ex Archivis Clariſſarum Audomarop. accepi à R. P. Turpin Dominicano Audomar.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, amen.

Ego MATHILDIS Comitiſſa Attrebatenſis, & Burgundiæ Palatina, ac Domina Salinenſis, ſanâ mente & corpore, reducens ad memoriam diverſos caſus mortis, & quod nihil eſt morte certius nihilque incertius horâ mortis; ne, quod abſit, inteſtata decedam, meum Teſtamentum, ſeu meam ultimam Voluntatem facio & ordino, in hunc modum.

Pontoiſe. In primis eligo Sepulturam meam in Eccleſiâ B. Mariæ Regalis prope Pontiſaram ad pedes Sepulturę cariſſimi Domini & genitoris mei ROBERTI quondam Comitis Atrebatenſis; & ſuper-ponatur mihi tumba non excedens pavimentum in altitudine ultra ſpacium trium digitorum. Verumtamen quia à ſummo Pontifice conceſſum eſt mihi, ut corpus meum mihi dividi liceat, Ego eligo ſepulturam Cordis mei in Eccleſia Fratrum Minorum apud Pariſius, & juxta Sepulturam ROBERTI cariſſimi filii mei.

FF. Minores Pariſ.

Hæredes. Item inſtituo, ordino & facio Hęredem meum univerſalem JOHANNAM cariſſimam filiam meam, Dei gratiâ Reginam Francię & Navarræ, in Comitatu meo Atrebatenſi, & omnibus aliis Terris, Baroniis, bonis mobilibus & immobilibus, juribus & actionibus quibuſcumque mihi competentibus & competituris, quocumque modo, titulo ſive cauſâ; ſalvo in omnibus & per omnia tenore & ordinatione præſentis Teſtamenti ſeu ultimæ voluntatis.

Si vero prædictam filiam meam Reginam me præmori contigerit, inſtituo, ordino & facio univerſalem heredem meum filiam meam JOHANNAM Duciſſam Burgundiæ, ejuſdem Reginæ primogenitam, in omnibus & per omnia ſicut ſuperius eſt expreſſum.

Item volo & ordino, quod omnia debita mea, forefacta & Legata mea integrè & ad plenum ſolvantur & reddantur, per manus Executorum meorum inferiùs nominandorum.

Item lego XII. millia librarum, pro certo numero ſeu quantitate armatorum eligendorum per Executores meos (prout viderint ſufficere & expedire) mittendorum in ſubſidium Terræ-Sanctæ, ibidem moraturorum per annum integrum in ſervitio Crucifixi, pro ſalute animæ cariſſimi Domini & genitoris mei prædicti.

Item lego VI. millia librarum pro certo numero ſeu quantitate armatorum, eligendorum per executores meos prout viderint ſufficere & expedire, mittendorum in ſubſidium Terræ-Sanctæ; ibidemque moraturorum per annum integrum in ſervitio Crucifixi, pro ſalute cariſſimi Domini & mariti mei OTHONIS quondam Comitis Atrebatenſis & Burgundiæ Palatini, ac Domini Salinenſis.

Item lego decem millia librarum, pro certo numero ſeu quantitate armatorum eligendorum per Executores meos (prout viderint ſufficere & expedire) mittendorum in ſubſidium Terræ-ſanctę; ibidemque moraturorum per annum integrum in ſervitio Crucifixi, pro ſalute animæ meæ & Prædeceſſorum, puerorumque meorum.

Theodoricus Herilſon Epiſcopus Atrebat. Item cum Dominus THEODERICUS quondam bonæ memoriæ Epiſcopus Atrebatenſis quam plurima & utilia ſervitia cariſſimo Domino & genitori meo prædicto & mihi poſt mortem ipſius impenderit, & etiam in morte ſua mihi fecerit multa bona; lego duo millia librarum pro certo numero ſeu quantitate Armatorum eligendorum per Executores meos, prout viderint ſufficere, mittendorum in ſubſidium Terræ-ſanctæ, ibidemque moraturorum per annum integrum, in ſervitio Crucifixi, pro ſalute animæ ipſius Epiſcopi.

Legata in Comitatu Artheſiæ. Item lego quinque millia librarum diſtribuendas ſemel pro ſalute animæ meæ, in Comitatu meo Atrebatenſi, in modum qui ſequitur; videlicet pauperibus Hoſpitalibus, Domibus Dei, Leproſariis, & aliis piis locis mille libras. Abbatiis & Conventibus ejuſdem Comitatûs, tam Mendicantibus quam aliis, pro ſervitio meo faciendo ter in primo anno obitûs mei, mille libras.

Pauperum eleemoſynæ Pauperibus puellis maritandis, pauperibus orphanis, pauperibus mulieribus viduis, mille quingentas libras.

Item pro pontibus & calceiis reficiendis in dicto Comitatu meo Atrebatenſi, mille & quingentas libras.

Digitized by Google

Item lego centum libras pauperibus venientibus ad eleëmoſynam erogandam apud Atrebatum, ante per biduum proclamatam; & totidem & taliter proclamatam, apud S. Audomarum, apud Pontiſaram, & apud Arboſium. Item pauperibus venientibus ad eleëmoſynam apud Heſdinium, ante per biduum proclamatam, quadraginta libras. Item ſexaginta libras pauperibus venientibus ad eleëmoſynam in Terra de Merch, taliter proclamatam. Item pauperibus venientibus ad eleëmoſynam apud Pariſius, tali modo ſimiliter proclamatam, ducentas libras. Et volo, quod iſtæ Eleëmoſynæ fiant infra menſem poſt obitum meum.

Minoritæ Pariſiis, aliique Religioſi.

Item lego Conventui Fratrum Minorum Pariſiis XX. libras. Conventui Fratrum Prædicatorum Pariſiis, XX. libras. Domui Dei XXX. lib. item Conventibus Fratrum S. Auguſtini, Fratrum Carthuſienſium, Fratrum B. Mariæ de Carmelo, Fratrum Sanctæ Crucis & Fratrum Guillimorum Pariſiis, cuilibet Conventui centum ſolidos. Item Fratribus Trinitatis Pariſiis lego LX. ſolidos. Congregationi Pauperum Cœcorum Pariſiis X. libras. Filiabus Dei Pariſiis centum ſolidos. Fratribus Vallis Scholarium Pariſiis centum ſolidos. Conventui Sororum Minorum de Longo-Campo Ordinis S. Franciſci, decem libras; & Conventui ejuſdem Ordinis de Sto. Marcello juxta Pariſios, centum ſolidos. Conventui Monialium de Sto. Antonio juxta Pariſios centum ſolidos.

Vulgo XV. vingts.

Item lego cuilibet Presbytero præſenti die ſepulturæ meæ quinque ſolidos; quibus rogo, quod quilibet ipſorum velit celebrare unam Miſſam de defunctis pro anima mea, dictâ die, vel intra octo dies ſequentes, attardius. Item cuilibet Clerico dictâ die præſenti duos ſolidos, pro uno Pſalterio, dictâ die, vel intra octo dies ſimiliter dicendo. Item lego duos denarios cuilibet pauperi venienti ad eleëmoſynam dictâ die.

Miſſæ.

Item lego mille libras pro ſalute animæ meæ in Comitatu Burgundiæ, videlicet ſexcentum libras in Terrâ quam ratione Dotalitii mei teneo; & quatuor-centum, in aliâ parte dicti Comitatûs, quam tenet cariſſima filia mea Regina prædicta, diſtribuendas per manus Executorum meorum, prout ſaluti animæ meæ viderint expedire.

Eleëmoſynæ in Burgundia.

Videlicet pauperibus Hoſpitalibus, Domibus Dei, Leproſariis, & aliis piis locis, nec non Monaſteriis, Abbatiis, & aliis Conventibus, tam Mendicantibus quam aliis, pro ſervitio meo faciendo, ter in primo anno obitûs mei; nec non pauperibus orphanis, viduis mulieribus, ac puellis pauperibus maritandis, pro pontibus & calceyis reficiendis.

Hoſpitale Salinenſe.

De quibus tamen ſexcentum libris, volo & ordino, quod XL. libræ diſtribuantur & dentur Hoſpitali ſive Domui Dei, de Salinis, per me ibidem de novo fundatæ, ob remedium animæ cariſſimi Domini & mariti mei prædicti, & meæ: ad emendos redditus perpetuos ad opus dictæ Domûs.

Anniverſarium apud FF. Minores Pariſ. & alibi.

Item volo & ordino, quod in Domo Fratrum Minorum de Pariſius, quolibet anno fiat ſolemniter Anniverſarium meum die obitus mei. Quibus lego pro Pittantiâ à Fratribus ipſis faciendâ, ipſâ die quâ celebrabitur Anniverſarium meum prædictum, per manus Heredum meorum XX. libras.

Item & pro Anniverſario meo ſolemniter quolibet anno die obitus mei in Domo Fratrum Prædicatorum Pariſius, lego pro Pittantiâ faciendâ dictis Fratribus ipſâ die per manus heredum meorum in perpetuum, decem libras.

Item volo & ordino, quod duo millia librarum diſtribuantur gentibus Hoſpitii mei, cuilibet ſecundum ſtatum, conditiones & merita ipſorum; conſideratione habitâ, quod ex præcedenti Teſtamento retributionem à me ſervitiorum ſuorum uſque ad præſens tempus habuerunt.

Thomas de Bourgs.

Item lego Fratri Thomæ de Bituricis Confeſſori meo centum libras ſemel, nec non & decem libras reddituales anno quolibet ad vitam ſuam, ſupra unum manerium ſitum apud Quarrerias prope Conflancium, quod quondam fuit Johannis de Caſtanayo; quem quidem redditum Ego quondam acquiſivi à Gerardo Alemanno & ejus uxore in perpetuum.

Item cum propter honores & bona, quos habui & recepi à prædicto cariſſimo Domino & marito meo, onus in me aſſumpſerim Teſtamentum ſuum ſolvendi & adimplendi (licet ad hoc non tenerer) ipſumque teſtamentum de meo proprio totaliter adimpleverim, ac omnia ipſius Legata ſolverim, ſicut credo; volo tamen & ordino, quod ſi aliqua inveniri poſſint non adimpleta, aut etiam non ſoluta, de meo proprio adimpleantur & ſolvantur.

Monaſterium Dominicanarum, *la Thieuloye*.

Item cum in Villa mea Atrebatenſi, in loco qui dicitur *la Tieuloye*, quoddam Monaſterium Sororum incluſarum Ordinis Sti. Dominici fundaverim, & Sororibus jam ibidem per me inſtitutis certos redditus aſſignaverim & deliberaverim, propoſuerimque perficere in dicto Monaſterio quinquagenarium numerum Sororum ipſius Ordinis, cum Dei adjutorio, me vivente, ac redditus ipſarum perficere & augere uſque ad numerum completum mille libratarum Terræ apud Pariſios;

Volo & ordino quod ſi in vitâ meâ dictas mille libratas Terræ apud Pariſios ad plenum non compleverim ſeu deliberaverim Sororibus ipſis, Executores mei illud quod reſtabit adimplendum & aſſedendum die obitus mei, Sororibus ipſis adimpleant, aſſedeant & aſſignent, ſive in redditibus perpetuo eis aſſignandis in terra mea, locis utilioribus

lioribus & propinquioribus pro ipſis, quam fieri poterit bono modo ; ſive in pecunia per executores meos eiſdem Sororibus tradenda & deliberanda de quâ poſſit ad plenum illud quod reſtabit, ut prædicitur adimpleri : & quod quinquagenarium numerum Sororum in dicto Monaſterio perficiant ; ſi per me ibidem in vitâ meâ non fuit adimpletum.

Quam terram eiſdem Sororibus, modo, quo præmittitur, tradendam, vel per ipſas de pecuniâ eiſdem tradenda, emendam, modo quo ſuperius eſt expreſſum, volo & ordino ; ac etiam præcipio Hæredibus meis, quod ipſis Sororibus amortizent, ſive ſit in terra feodali vel alia ; & ex tunc ipſam terram, quantum in me eſt, prædictis Sororibus amortizo.

Item volo & ordino, quod ſi reperiatur, Sorores incluſas, loci qui dicitur *Bonus Locus ſancti Ludoviti* prope ſanctum Audomarum Ordinis Stæ. Claræ, non habere in die Obitus mei in redditibus ſummam quingentarum liberatarum Terræ ad Pariſios annui & perpetui redditûs ; per Executores meos compleatur & perficiatur eiſdem illud quod adimplendum repertum fuit, in pecuniâ per ipſos executores meos ipſis Sororibus tradenda, ad emendos redditus perpetuos. Quos quidem redditus ſic per dictas Sorores emendos volo & præcipio per Hæredes meos admortizari, & eoſdem redditus ex nunc, quantum in me eſt, eiſdem Sororibus admortizo. Clariſſæ Audomar.

Item lego primo Capitulo generali celebrando poſt obitum meum in Monaſterio Ciſtercienſi centum libras. Item primo Capitulo generali Fratrum Prædicatorum, quod celebrabitur poſt deceſſum meum 50 libras. Item primo Capitulo generali Fratrum Minorum, quod celebrabitur poſt deceſſum meum, 50 libras. Item primo Capitulo generali Fratrum S. Auguſtini celebrando poſt deceſſum meum, 40 libras. Item & primo Capitulo Generali Fratrum B. Mariæ de Carmelo, celebrando poſt deceſſum meum, 30 libras.

Rogans humiliter & devotè omnes Conventus prædictos, ut mihi velint concedere, quod in eorum quolibet Conventu celebretur citius quam commodè fieri poterit una Miſſa ſolemnis de defunctis, cum Vigiliis novem lectionum præcedentibus, pro ſalute animæ meæ. Et etiam quod quilibet Frater eorum Ordinis Sacerdos ſingulariter celebrare teneatur pro ſalute animæ meæ. Illi vero qui Sacerdotes non fuerint, quod teneantur dicere ſeptem Pſalmos pœnitentiales cum Litania ſubſequenti.

Item lego cariſſimæ filiæ meæ Reginæ prædictæ quemdam Annulum meum aureum, in quo inſertus ex quidam lapis qui gallicè dicitur *Eſmeraude* : quem quidem annulum donavit mihi cariſſimus Dominus ac genitor meus prædictus.

Item lego Abbatiſſæ & Conventui beatæ Mariæ Regalis prope Pontilaram prædictis, centum libras pro pittantiâ eiſdem faciendâ in die ſepulturę meæ. Pontoiſe

Item lego Conventui Fratrum Prædicatorum de S. Audomaro duas Cruces aureas, quas emi ab executoribus Domini Comitis d'Ornans. Item aliam argenteam deauratam quæ poſtatur in Capellâ mea, lego Sororibus incluſis prope Stum. Audomarum, Ordinis Stæ. Claræ. Item quoddam vas chriſtallinum munitum de argento, ubi ſunt inſertæ Reliquiæ Sti. Ludovici, lego Capellæ Caſtri mei de Heſdinio, & ad opus ejuſdem, unâ cum omnibus ornamentis. Dominicani Audomar. Heſdinum.

Declaro autem, omnia hæc legata mea in præſenti Teſtamento, ſeu ultimâ voluntate meâ contenta, ad Turonenſes intelligi : niſi aliter ſuperiùs declaratum fuerit ſpecialiter & expreſſe. Et volo, quod ad Turonenſes ſolvantur de Monetâ currenti in Franciâ die obitus mei.

De hoc Teſtamento meo ſeu ultimâ voluntate meâ, & pro omnibus conditionibus & legatis, ac omnibus antedictis & diviſis complendis & perficiendis, Ego MATHILDIS prædicta facio, ordino & conſtituo meos veros & legitimos Executores Religioſos Viros dilectos meos, Abbatem Monaſterii Montis Sti. Eligii Atrebatenſis Diœceſis, qui nunc eſt, vel pro tempore fuerit, Magiſtros *Petrum de Palude* & *Petrum de Balma*, de Ordine Prædicatorum, Magiſtros in Theologia, ac Fratrem Thomam de Bituricis ejuſdem Ordinis Confeſſorem meum, nec non & Magiſtros *Johannem de Salinis*, *Johannem de Monte-acuto*, *Jacobum de Aria* & *Petrum de Venato*, dilectos Clericos meos, & Dominum H ..., *de St. Martino* dilectum Militem meum, ac Magiſtrum Hoſpitii mei, qui pro tempore fuerit. Executores Teſtamenti.

In quorum manibus Ego pono & delibero omnes hæreditates meas, mobilia & catalla, præſentia & futura ubicumque ſint ; & ex nunc ipſos induco & pono in poſſeſſionem ſive Saiſinam ex eiſdem pro omnibus prædictis adimplendis & perficiendis.

Volo etiam, & præcipio hæredibus meis, ut ipſi obediant executoribus meis in omnibus & ſingulis, & ea tangentibus, contentis in hoc meo Teſtamento ſeu ultimâ voluntate ; & ad hoc hæredes meos ac etiam omnia mea prædicta obligo cum effectu, quouſque omnia prædicta plenariè fuerint adimpleta.

Item ſi omnes Executores mei prædicti non vellent, aut non poſſent in ſe ſuſcipere onus mei præſentis Teſtamenti, ſeu ultimæ voluntatis, vel executioni ejuſdem non poſſent intereſſe, volo, quod novem, octo, ſeptem, ſex, quinque, quatuor, tres vel duo ipſorum poſſint ſuſcipere, age-

re, & perficere omnia & ſingula in eo contenta, ac ſi omnes præſentialiter intereſſent.

Ita tamen, quod ſi illi tres executores mei prædicti ſint de Ordine Prædicatorum Fratrum, ſive duo ipſorum; ad removendam aliquam ſuſpicionem, quæ poſſet haberi contra eos, nolo quod de executione mei præſentis Teſtamenti ſe intromittere poſſint, abſque aliquo alio Executorum meorum prædictorum.

Item volo & ordino, quod ſi pro præſenti executione & contentis in meo præſenti Teſtamenti ſeu mea ultimâ voluntate executioni demandandis oporteat executores meos prædictos, vel aliquem ipſorum expenſas facere, quod de & in bonis meis accipiantur integraliter & ad plenum. Et cuilibet ipſorum Executorum meorum lego triginta libras pro pœna & labore ſuis, pro prædictis perficiendis & complendis.

Illud meum ſolum Teſtamentum, ſeu ultimam voluntatem, volo ſervari, & præcipio valere Jure Teſtamenti; & ſi Jure Teſtamenti valere non poſſit, volo quod valeat Jure Codicillorum. Et ſi Jure Teſtamenti nec Codicillorum valere poſſet, volo tamen quod valeat jure ultimæ voluntatis & omni alio jure, quo Teſtamentum ſeu ultima voluntas valere poteſt & debet.

Et licet iſtud meum Teſtamentum ſeu ultimam voluntatem meam facere & ordinare poſſim abſque conſenſu aliquorum heredum meorum; verum tamen ad majorem firmitatem & cautelam, rogo cariſſimam filiam meam Reginam prædictam, ut huic præſenti meo Teſtamento ſeu meæ ultimæ voluntati conſentiat, ac promittat, quod contra Legata ſeu aliquid de contentis in hoc Teſtamento meo ſeu ultimâ voluntate non veniet, nec contravenire conſentiet quoquo modo.

Requiro inſuper & rogo teſtes inferius nominandos, qui in ordinatione hujus mei præſentis Teſtamenti ſeu ultimæ voluntatis præſentes fuerunt, quod Sigilla ſua, unà cum Sigillo meo apponant huic præſenti Teſtamento ſeu ultimæ voluntati, in Teſtimonium veritatis.

Aſſenſus Reginæ Franciæ.

Et Nos JOHANNA Dei gratiâ Franciæ & Navarræ Regina, ad requiſitionem cariſſimæ Dominæ & Matris noſtræ prædictæ, præſenti ordinationi Teſtamenti ſeu ultimæ voluntatis ejuſdem Dominæ matris noſtræ liberaliter conſentimus. Et promittimus bonâ fide quod contra Legata prædicta per dictam Dominam noſtram facta ſeu aliquid de contentis in præſenti Teſtamento ſeu ultimâ voluntate, non veniemus, vel contravenire conſentiemus ullo modo. Imo omnia & ſingula in præſenti Teſtamento ſeu ultimâ voluntate contenta faciemus & procurabimus, in quantum poterimus, teneri & executioni totaliter demandari.

In cujus rei Teſtimonium, Sigillum noſtrum huic præſenti Teſtamento ſeu ultimæ voluntati, unà cum Sigillo Dominæ & matris noſtræ prædictæ, ac Sigillis Teſtium inferius ſubſcriptorum fecimus apponi.

Epiſcopus Pariſienſ.

Nos vero HUGO, miſeratione divinâ Pariſienſis Epiſcopus, ac Nos .... Officialis Curiæ Pariſienſis, *Stephanus* dictus *Amirant* Cantor Biſuntinenſis, *Guillelmus de Morſant* Laudunenſis & *Johannes de Grayace*, Meldenſis Eccleſiarum Canonici; ac *Robertus de Meloduno*, & *Egidius* Dominus d'Auteville & Dandinfer, Milites, à præfatâ Domina Comitiſſa Teſtatrice in noſtrâ præſentiâ ſimul & uno contextu, Nos omnes & ſingulos requirente pariter & rogante, ut ad perpetuam roboris firmitatem huic præſenti Scripturæ, quam aſſeruit in noſtrâ præſentiâ ſuum Teſtamentum ſeu ejus ultimam voluntatem fore, Sigilla noſtra ac dictæ Curiæ Pariſienſis faceremus ſeu diceremus apponi; ad ipſius Teſtatricis requiſitionem & rogatum Sigilla noſtra ac dictæ Curiæ Pariſienſis, unà cum ipſius Teſtatricis ac Illuſtris & Excellentis Principiſſæ Dominæ JOHANNÆ Dei gratia Franciæ & Navarræ Reginæ, dictæ Teſtatricis filiæ, Sigillis, huic præſenti Teſtamento ſeu ultimæ voluntati dictæ Teſtatricis duximus apponenda, in robur & teſtimonium veritatis.

Datum Pariſius die XXIV. menſis Martii, anno Domini milleſimo trecenteſimo vigeſimo octavo. 1328.

MATHILDIS, Artheſiæ Comes ROBERTI II. Comitis filia & hæres, OTTHONIS IV. Burgundæ Comitis vidua, obiit Pariſiis anno 1329 die 27 Octobris. Unicum genuit filium ROBERTUM Burgundiæ Palatinum, qui anno 1315 ætatis XV. deceſſit: filias item duas, Joannam PHILIPPI V Francorum Regis uxorem, anno 1329 die 21 Januarii defunctam, paulò poſt obitum matris; (ſecundum veterem gallorum computum, dum annus in paſchate ſolum-modo innovabatur) & Blancam à Burgundia CAROLI IV. Franc. Regis uxorem.

CAPUT CXIX.

PHILIPPUS VI. *è ſtirpe Valeſia primus Francorum Rex, concedit Capitulo Sti. Amati Duacenſi, à Regibus Progenitoribus ſuis fundato, Privilegium, non alium admittendi defenſorem Jurium ſuorum, quam Ballivium Ambianenſem. Datum anno* 1330, *in Confirmationem Privilegii paulò ante conceſſi per Regem* PHILIPPUM V. *anno* 1320.

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſulis.

PHILIPPUS Dei gratia Franciæ Rex, pervigili meditatione penſantes, quod quia in pace factus eſt locus Domini & in Sion habitatio ſua; dignum & juſtum eſſe cenſemus exinde, quod ſervitores ipſius ut in locis ſuis, ſemotis quorumcumque malignantium oppreſſionibus, in pace ſibi ſervire valeant, & quieta tranquillitate lætari, per noſtræ potentiæ brachium, in ſuis manuteneantur Juribus, & abſque injuriis protegantur.

Notum igitur facimus univerſis, tam preſentibus, quam futuris, quod Nos viſis Litteris cariſſimi Domini & Conſanguinei Noſtri Regis PHILIPPI, conceſſis Præpoſito, Decano, Capitulo & perſonis venerabilis Eccleſiæ S. Amati Duacenſis fundationis Regiæ, quarum tenor ſequitur in hæc verba.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum & Navarræ Rex. Non indignè magnificentiæ Regalis credimus attolli præconia, ſi ſacro-ſanctas Dei Eccleſias & perſonas Chriſto famulantes in eis, in ſuis tueamtur libertatibus, & à malignorum quorumlibet aſtutiis & inſultibus præſervemus, & erga univerſas, Progenitorum noſtrorum more, benignæ geramus devotionis effectum. Illas tamen quas ex ipſorum progenitorum cognoſcimus largitate fundatas, ſingulari quadam præ ceteris proſequimur prærogativa favoris.

Noſcat igitur præſentium univerſitas, & ſucceſſiva poſteritas futurorum, quod nos attendentes venerabilem ſancti Amati Duacenſis Eccleſiam ab ipſis progenitoribus noſtris fundatam eſſe magnificè, ipſamque tam in capite quam in membris cum omnibus bonis ſuis in & de ſpeciali Garda Regia & ſub Reſſorto Bailliviæ Ambianenſis, (etiam tempore quo Villa & Caſtellania Duacenſis de Flandrenſi Dominio exiſtebant) fuiſſe, per certa Prædeceſſorum noſtrorum Privilegia;

Nec non à tempore quo Villa & Caſtellania prædictæ Regni Franciæ Dominiis unitæ fuerunt; licet apud Inſulam & in ipſa villa Duacenſi Baillivi Seneſcalli ſeu Gubernatores per progenitores noſtros plures fuerint conſtituti. Quodque per Baillivos Ambianenſes, qui fuerunt pro tempore, conſueverunt in caſibus ad Gardiam & Reſſortum pertinentibus gardiari; ut Præpoſitus Decanus & Capitulum ejuſdem Eccleſiæ ceteræque perſonæ Deo inibi ſervientes eo devotius ſummo creatori debita valeant exhibere obſequia; quo quietius ſemotis quibuſlibet turbationum amfractibus in pacis tranquillitate vixerint;

Ipſis ex certa ſcientia & de ſpeciali gratia concedimus per præſentes, quod ipſi eorumque Eccleſia tam in capite quam in membris & omnia bona ſua in & de Reſſorto Bailliviæ Ambianenſis prædictæ remaneant im-perpetuum, & in omnibus caſibus ad Reſſortum pertinentibus per Baillivos Ambianenſes qui pro tempore fuerint juſtitientur, & à quibuſlibet adverſariorum ſuorum inſultibus defendantur.

Eo non obſtante, quod de partibus Inſulenſi, Tornacenſi, & Duacenſi una fuerit Baillivia noviter ordinata, aut aliter inde per Nos aut Succeſſores noſtros contingat impoſterum ordinari.

Quod ut inconcuſſum & ſtabile perſeveret, præſentes Litteras Sigilli noſtri fecimus impreſſione muniri.

Actum & datum Meldis, anno Domini milleſimo trecenteſimo viceſimo, menſe Novembri.

CONceſſa hujuſmodi per eundem Regem, Præpoſito, Decano, Capitulo, & Perſonis Eccleſiæ ſupradictæ, prout ſuperius ſcripta ſunt & expreſſa, rata habentes & grata, pro ſecuritate, pace, & tranquillitate majori dictorum Præpoſiti Decani, Capituli & Perſonarum ipſius Eccleſiæ, & ut uberius liberiuſque reddere valeant Regi altiſſimo vota ſua, ea laudamus, approbamus, & ex certa ſcientia tenore præſentium confirmamus. Quod ut perpetuâ ſtabilitate perſiſtat, præſentes Literas fecimus roborari noſtri impreſſione Sigilli.

Actum Pariſiis anno Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo, menſe Januario.

Olim à Sententiis latis per Capitulum S. Amati, ſeu per eorum Juſtitiarios, Ballivos &c. (prætermiſſis ipſis etiam Conſiliis Artheſiæ ac Flandriæ, quamvis pleraque ipſorum bona ſub Artheſia & Caſtellaniis Inſulenſi ac Duacenſi ſita ſint) appellabatur ad Baillivium Ambianenſem, velut ad Defenſorem ſeu Advocatum ipſis à Regibus Galliæ conceſſum: indeque demum ad ſupremam Curiam Pariſienſem.

Verum Imp. Carolus V. anno 1521 loco horum Judicum, dedit ipſis ſupremam Curiam Mechlinienſem, ad quam ultimatè recurrerent independenter à Conſiliis Artheſiæ vel Flandriæ.

CAPUT CXX.

LUDOVICUS NIVERNENSIS *Comes Flandriæ concedit licentiam anno* 1334 *pro ædificanda nova Eccleſia in Oppido* Blancobergenſi (*olim dicto* Schaerphout) *cujus vetus Eccleſia fuerat per aquas maris abſorbta.*

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſulis.

LOYS *Conte de Flandres, de Nevers & Retbel, ſçavoir faiſons à tous preſens & à venir, que comme les habitans de nôtre ville de* Blanquenberghe *Nous aient monſtré, que par l'inundation & la forche de l'eauve de la Mer leur Egliſe appellée Nôtre Dame de* Skerpſouct *& li Chimitieres appartenans à ycelle ne puiſſent plus demorer ou lieu ou elles ſont à preſent, & pour ce nous aient ſupplié que pour fere leurdite Egliſe al oes d'un Chimitiere pour ycelle, nous leur voelliemes amortir une pieche de Terre appellée de* Ghentele *contenant environ wilt lingues de Terre tenant au lez devers Nord a le terre* Riquard le Hoc *& au lez devers Zuut a le terre* Guillaume *fils Guillaume fils Ernoud, & tenant des autres deux pars à deux dycs giſans ou Meſtier d'Vutkerke entre les deux dycs deſſusdits en notre juriſdiction ſeulement & pour le tout. Laquelle pieche de terre leſdits habitans acquirent en temps paſſé pour fere ſus icelle l'Egliſe & Chimitiere deſſus-dites, ſi qu'ils nous ont dit.*

Nous en l'onneur de Notre Seigneur Jeſus-Chriſt & de la tres glorieuſe Virgine Marie & pour la neceſſité deſſus-dite & que nous ſoiemes participans en tous les biens, Meſſes & oraiſons qui en ycelle Egliſe ſeront faites & dites, à l'homble ſupplication deſdits habitans avons de grace eſpecial ladite piece de terre amortie & amortizons, voelans & otroians icelle demorer & eſtre a toujourſmais dorenavant dediée à Dieu & à ſa ſainte Egliſe & franche & quitte de toutes charges & redevances & exactions quelcunques que Nous ou Nos hoirs & Succeſſeurs Contes de Flandres avons & porriemes avoir ſus & en ladite pieche de terre.

Sauf & reſervé à Nous à noſdits hoirs & Succeſſeurs la garde dudit lieu, la juriſdiction comme à Nous appartient & peut appartenir en tels lieux & ſemblables, que Nous reſervons à notre Noblece.

Et parmi ces choſes il nous pleſt & ottroions que ladite pieche de Terre ſoit benite pour ledit Chimitiere, & que laditte Egliſe ſoit fundée & edifiée en ycelle, ſauve en toutes autres choſes notre droit & l'autruy.

Et pour que ce ſoit ferme choſe & eſtable nous avons à ces preſentes Lettres fait mettre nôtre Seel; qui furent faites & données à Male le XII. jour du mois de Fevrier l'an de grace M. CCC. XXXIV.

Facultas Ordinarii.

UNiverſis præſentes Litteras inſpecturis, Vicarii Reverendi in Chriſto Patris & Domini, D. A. . . . . Dei gratiâ Tornacenſis Epiſcopi in remotis, agentis, in Spiritualibus & Temporalibus Generales, ſalutem in Domino ſempiternam. Andreas Ghiny, Florentinus, dein S. R. E. Cardin.

Noveritis, quod nos ad ſupplicationem dilectorum noſtrorum Burgi-Magiſtrorum, Scabinorum & totius Communitatis Villæ de *Blanckemberghe* Tornacenſis Diœceſis, contenta & ordinata in Litteris eorumdem, quibus hę noſtræ Litteræ ſunt infixæ, laudamus, approbamus, & Auctoritate Ordinaria confirmamus. Inſtituentes in Eccleſia dedicanda in quadam pecia terræ dicta de Ghentele unam Miſſam ſolempniter celebrandam, per Curatos dictæ Eccleſiæ tam præſentes quam futuros, in perpetuum pro perſonis de quibus in eiſdm Litteris fit mentio, ſecundum Ordinationem in eiſdem Litteris contentam; tam præſentem Curatum quam futuros ad hoc efficaciter, Auctoritate prædicta, perpetuo onerantes & obligantes.

Datum ſub Sigillo Vicariatûs Epiſcopi Tornacenſis, anno Domini M. CCC. XXX IV. feriâ ſextâ poſt Dominicam, quâ cantari ſolet *Oculi mei.*

Litteræ Oppidanorum Blancobergenſium.

A *Tous ceux qui ces preſentes Lettres verront & orront, li Bourgmeſtre & Eſchevin & toute la Communalité de la Ville de Blanquemberghe ſalut & cognoiſſance de verité.*

Sachent tous, que comme en l'onneur de Notre

tre Seigneur Jeſus-Chriſt & de la très glorieuſe Vierge Marie & pour la neceſſité, l'inundation & la forche de l'eauve de la Mer, pour leſqueles no tre Egliſe Paroiſſiale appellée l'Egliſe Notre Dame de Skarphout *& li Chimiteres appartenans à ycelle ne povoient plus demorer ou lieu où elles ſont à preſent, Nos tres Cher & redoutable Prince & Sire Monſieur* Loys *Conte de Flandres, de Nevers & de Retbel ait amortit de ſa grace eſpecial une pieche de Terre appellée de Ghentere contenant environ Wiit lingnes de terre pour faire ſur ycelle l'Egliſe & Chimitere deſſuſdit: comme il appert par Lettres ſcellées dou grant Seel de no dit Seigneur ſur ce faites.*

Et Noſdict Sire & Prince ſoit deſirant que en laditte quant elle ſera dediée, ſoit en ſa remembranche eſtablie une Meſſe ſolempnelle pour lui & pour très Noble Dame Madame Margrite fille de Roy de France Conteſſe de Flandres, de Nevers & de Retbel ſa femme, & pour Loys *leur fil, tant que il ou li uns d'yaus vivera, de Saint Eſprit & après leur treſpas de Requiem chaſcun an perpetuellement ſur ce primerain jour après che que elle ſera dediée; & que à laditte Meſſe dire ſi que deſſus eſt dit li Curez qui pour le temps à venir ſeront ſoient tenu perpetuellement.*

Nous pour che que ladite pieche de terre eſt à noſtre ſupplication, pour ladite Egliſe & Chimitere dedier, par noſtre dict Seigneur amortie; & pour les biens temporels leſquels il a fait & fera encore à ladite Egliſe ſi comme nous eſpoirons, obligons Nous & chaſcun de nous le corps de la Communauté de laditte Ville & chaſcun d'ycelle à faire dire ledite Meſſe ſolempnellement, enſi deſſus eſt dit, ſelon le affection de nodit Seigneur & ſupplions humblement par ces preſentes à Reverent Pere en Dieu Monſieur l'Evêque Tournay ou à ſon Vicaire ou ſpirituel, afin que ce ſoit choſe acomplie & durable que il comme Souverain de ſa Autorité ordinaire voille ladite Meſſe telle comme deſſus eſt dit en ladite Egliſe inſtituer, & les Curez qui pour le temps à venir ſeront Curez d'ycelle Egliſe, à laditte Meſſe dire & celebrer obligier & le Klerke d'ycelle à laus impoſte par Lettres à ces preſentes annexées.

En teſmoingnage de ce avons Nous ces preſentes Lettres ſcellées du Scel de notre Ville, leſquelles furent faites & données l'an de grace M. CCC. XXXIV. le XV. jour dou mois de March.

CAPUT CXXI.

EDUARDUS *Comes Barrenſis fundat Capellaniam ſub invocatione Sti. Georgii in Parochiali Eccleſia* Vilvordienſi *in Brabantia, eamque fundationem confirmat anno* 1334 JOANNES III. *Dux Brabantiæ.*

Ex Archivis Archiepiſc. Mechlin.

NOs JOANNES Dei gratiâ Lotharingiæ, Brabantiæ & Lymburgiæ Dux; notum facimus univerſis, quod cum Excellens Vir *Eduardus* Comes Barrenſis Conſanguineus noſter prædilectus, ac etiam alii, unum Altare in Eccleſia Vilvordienſi, ad laudem gloriam & honorem Domini noſtri Jeſu-Chriſti, nec non B. Georgii Martyris de propriis bonis ſuis fundarunt & de novo conſtruxerunt, & ad hoc proprios & ſpeciales redditus aſſignarunt;

Videlicet primò x. ſolidos groſſorum Turonenſium antiquorum ſuper XXIII. jornalibus terræ allodialis ſitis apud *Omleghem.* Item VII. libras ad quinque jornalia terræ allodialis jacentis apud *Diedeghem* Item IV. libras ad unum jornale prati jacentis apud ..... Item XL. ſolidos ad unum jornale prati jacentis ad locum dictum in *de Heſteere.*

Quos quidem redditus x. ſolidorum groſſorum Turonenſium antiquorum ſupradictos, ac etiam VII. & IV. libras, nec non XL. ſolidos ſupradictos communis pagamenti in burſa currentis, ad conſtructionem prædicti Altaris, ut præmittitur, aſſignatos, & etiam bona, ſupra quibus dicti redditus ſunt aſſignati, Nos, ad Requeſtam prędicti Conſanguinei noſtri Comitis Barrenſis, & ob ſalutem animæ noſtræ, noſtræque Conthoralis dilectiſſimæ, nec non omnium Prædeceſſorum noſtrorum, ad laudem & magnificentiam Creatoris omnium, atque Beatiſſimi Georgii Martyris, tamquam Dominus terrenus, à quo prædicta bona dependent, quantum in nobis eſt, mortificamus, & prædicto Altari pro Nobis noſtriſque Heredibus & Succeſſoribus in perpetuum applicamus, harum teſtimonio Litterarum, noſtro Sigillo ſigillatarum.

Datum Bruxellæ, in Vigilia Exaltationis S. Crucis, anno Domini milleſimo trecenteſimo trigeſimo quarto. 1334.

Digitized by Google

CAPUT CXXII.

LUDOVICUS *Flandriæ ac Nivernii Comes, ad preces Cancellarii ſui* GUILELMI DE AUXONA, *benefacit anno* 1334. *Eccleſiæ Collegiatæ* S. Martini *Leodii, eidemque dono mittit Reliquias Patroni ſui.*

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſulenſ.

LUDOVICUS, Dei gratiâ Flandriæ Nivernenſis ac Regiſtetenſis Comes, Venerabilibus Viris Decano & Capitulo Eccleſiæ ſancti Martini Leodienſis ſalutem & omne bonum.

Devotionis affectio, quam ad Eccleſiam veſtram venerabilis Vir Dominus GUILLELMUS DE AUXONA Cancellarius noſter & Canonicus Pariſienſis habuit & habet ab annis teneris ejuſdem, à qua favente Deo fortunæ ſuę primordia congruis honoribus ſuſcepit, prout ex parte ipſius didicimus; Nos inducit, ut Eccleſiam veſtram prædictam, inſtantiâ & precibus dicti Domini Guillelmi, à quo non ſemel ſed frequentius & cum lacrimis admoniti extitimus, ut de aliquibus Reliquiis glorioſiſſimi Confeſſoris beati Martini Epiſcopi, in cujus honore dicta veſtra Eccleſia eſt dedicata, eandem Eccleſiam participem facere curaremus.

Ea propter particulam unam, ſcilicet de proprio capite, & particulam unam de ſtola propria ejuſdem pii Confeſſoris, quas de proprio noſtro Reliquiario, in quo ſub fideli & indubitata cuſtodia exiſtebant recepimus, & quæ ab olim ab Eccleſia beati Martini Turonenſis noſcuntur veraciter proceſſiſſe, (antiquis regiſtris & documentis noſtris & prædeceſſorum noſtrorum, & ſpecialiter bonæ memoriæ Domini Roberti Dei gratiâ &c. avi noſtri hoc atteſtantibus,) vobis in caſſella argentea deaurata, quam propter hoc idem Dominus Guillelmus fecit fabricari, diligenter reconditas, per fidelem nuncium, ad honorem Dei & ad exaltationem Eccleſiæ veſtræ prædictæ ſunt tranſmiſſæ. Ea propter vos in Domino exhortantes, quatenus has Reliquias cum ſumma devotione recipientes, eas fide indubitatâ venerari curetis, & reverenter inter alias Eccleſiæ veſtræ Reliquias collocetis.

Robertus de Bethunia, Comes Flandr. qui obiit anno 1322.

Et ad pleniorem & magis indubitatam præmiſſorum certitudinem, Nos proprio ore in præſentia Reverendi in Chriſto Patris Domini Adulphi Dei gratiâ Leodienſis Epiſcopi, Venerabilis Viri Domini Johannis Gillardi Canonici Leodienſis & Præpoſiti dictæ veſtræ Eccleſiæ ſancti Martini, & aliorum plurimorum fide dignorum fuimus atteſtati.

Adolphus à Marca Leodienſ. Epiſcop. qui obiit an. 1344.

In quorum teſtimonium & munimen, præſentibus Litteris Sigillum noſtrum duximus apponendum. Datum apud Aldenarde, ſub Sigllo noſtro, 11. die Junii M. CCC. XXXIV.

Litteræ Guilielmi de Auxona, dein Cameracenſis Epiſcopi.

VEnerabilibus Viris, amicis cariſſimis, Dominis Decano & Capitulo Eccleſiæ Sti. Martini Leodienſis, GUILLELMUS DE AUXONA, Legum Profeſſor, Canonicus Pariſienſis, & Cancellarius potentis Principis Domini LUDOVICI Comitis Flandriæ Nivernenſis & Regiſtetenſis, ſalutem & omne bonum.

Sinceræ devotionis affectio, quæ ad Eccleſiam veſtram meos ab annis teneris duxerat cogitatus, mente me inducunt, ut Eccleſiam ipſam, à quâ favente Deo fortunæ meæ primordia ſuſcepi, congruis honoribus attollere ſtudeam & affectione. Not.

Ea-propter, precum veſtrarum frequentiis admonitus, ut de aliquibus Reliquiis glorioſiſſimi Confeſſoris Beati Martini Epiſcopi, in cujus honore Ecc'eſia veſtra miraculoſè eſt dedicata, Eccleſiam eandem facere curarem participem, ſi ad id offerret ſe facultas; particulam unam, ſcilicet de proprio capite, & particulam unam de ſtola propria ejuſdem pii Confeſſoris, quas à dicto Domino Comite de ipſius proprio Reliquiario, in quo ſub fideli & indubitata cuſtodia exiſtebant, & quæ ab olim ab Eccleſia Beati Martini Turonenſis noſcuntur veraciter proceſſiſſe, antiquis regiſtris & documentis ipſius Domini Comitis hoc atteſtantibus, vix cum lachrymis & precum inſtantia potuimus obtinere; vobis in caſſella argentea deaurata, quam propter hoc fecimus fabricari, diligenter reconditas, per fidelem nuncium ad honorem Dei & exaltationem Eccleſiæ veſtræ pio affectu elegi tranſmittendas. Nihil magis congruum arbitratus ſum, ex quo Eccleſia veſtra per me plus valeat ad præſens honorari. Not.

Ea propter vos in Domino exhortor, quatenus has Reliquas cum ſumma devotione recipientes, eas fide indubitata venerari curetis, & reverenter inter alias Eccleſiæ veſtræ collocare. Et ad pleniorem ac magis indubitatam præmiſſorum certitudinem,

Digitized by Google

prædictus Dominus Comes ore proprio omnia prædicta confessus est, & ea attestatus ita esse Reverendo in Christo Patri ac Domino, Domino Leodiensi Episcopo, ac Domino Johanni Gilardi Præposito Ecclesiæ vestræ supradictæ.

In quorum omnium testimonium & munimen, duxi præsentibus Litteris Sigillum meum apponendum, in testimonium præmissorum.

Datum sub Sigillo &c. Noviomi, XXIV. die Aprilis, anno Domini M. CCC. XXXIV.

Hic Guilielmus de Auxona, Legum Doctor Canonicus Ecclesiarum Parisiensis Cameracensis ac Condatensis, Ludovici Nivernensis Flandriæ Comitis Cancellarius, fortunæ suæ primordia se debere testatur Ecclesiæ S. Martini Leodii; in qua verosimiliter beneficium obtinuerat. Fuit dein anno 1337. Episcopus Cameracensis, ac demum Augustodunensis.

Hæc notanda pro Historia Episcoporum Cameracensium, in qua pauca de illo memorantur. Siquidem minus rectè à quibusdam vocatur *Guilielmus de Hannonia*; ac si de Stemmate istorum Principum foret oriundus.

CAPUT CXXIII.

GUILIELMUS DE FLANDRIA, *Comes Namurcensis, fundat anno* 1347. *Beneficium Beatæ Mariæ in Ecclesia Sti. Petri, Castri Namurcensis, sub directione Capituli, quod olim illic extitit ante Unionem suam cum Capitulo Cathedrali. Idem autem Beneficium (unà cum altero S. Georgii) modo est ad servitium Consilii Provincialis Namurcensis.*

Communicavit R. D. Posson, Presbyter Namurc.

GUILIELMUS Comes Namurcensis, dilectis & fidelibus meis, Præposito, Decano, totique Capitulo Ecclesiæ S. Petri Castri mei Namurcensis, ac omnibus aliis Christi fidelibus præsentes cernentibus & visuris, æternam in Christo salutem.

Noverit universitatis vestræ discretio, quod piâ devotione, sanaque consideratione, ad honorem omnipotentis Dei, & veneration[em] specialiter glorioſę Virginis Mariæ ejus charissimæ Genitricis, unam Capellam sive unum Altare in dicta Ecclesia, me fundaturum & ædificaturum polliceor & spondeo. Et ad hoc mea bona Successoresque meos, ac eorum bona specialiter obligo: præcipue pro salute parentum, fratrum, sororum meorum, atque mea.

Pro cujus Capellæ, seu Altaris dote, & ad opus Capellani ibidem instituendi, de bonis meis propriis ex nunc dono & assigno septem modios cum dimidio, annui & perpetui redditûs nudi grani, vulgariter dicti *Moulture*, singulis annis habendos & capiendos ad & super molendinum meum magnum Sambriæ, sub dicto meo Castro situatum.

Item quindecim modios annui & perpetui redditus speltæ bonæ & solubilis, ut de loci territorio, mensuræ Namurcensis, & in Namurco quolibet anno in festo B. Andreæ Apostoli persolvendos; illosque perpetuo ad & super culturas meas de *Vendraco* recipiendos; prædicta molendinum & culturas propter hoc specialiter obligans & hypothecans, me ac meos universales & speciales in dictis molendino & culturis successores ad hoc in perpetuum efficaciter obligando.

Mandans & præcipiens, pro me & dictis Successoribus meis, singulis censitoribus seu cultoribus dictorum molendini & culturarum, ac quibuscumque receptoribus, seu de aliis fructibus seu proventibus ipsorum molendini & culturarum, meo nomine aut Successorum meorum seintromittentibus, quicumque fuerint pro tempore, quatenus dicto termino Rectori prænominati Altaris de prædictis multuræ & speltæ summis ad plenum satisfaciant, sine alterius expectatione mandati: Litteras quittationis à dicto Rectore singulis annis recipientes. Quibus mediantibus, in computationibus mihi & meis successoribus faciendis, prædicti quorum interer[it], de dictis multuræ & spletæ summis, omni contradictione postposita, liberabuntur.

Quem quidem Rectorem Altaris præfati ad lumen dicti Altaris, me autem & Successores meos prædictos ad ornamenta Altaris, & cœtera alia, præter hostias & vinum celebrationi divinorum necessaria, teneri volo. Retineoque mihi & meis Successoribus Comitibus Namurcensibus in dicto Altari perpetualiter plenum Jus Patronatûs & Collationem ejusdem, pleno & eodem jure, quo confero dictæ Ecclesiæ sancti Petri Canonicatus & Præbendas, cum vacant. Nota.

Volo tamen, quod dicti Altaris Collatio facta personæ, ratione ætatis vel aliàs inhabili ad Sacerdotium promoveri infra annum, non valeat ipso jure, nec aliquod jus talis Collatio tribuat accipienti. Et si

conferatur non Sacerdoti, habili tamen, ut dictum eſt, & talis infra annum à tempore Collationis ſibi factæ, non fuerit (juſto impedimento ceſſante) ad Sacerdotium promotus, ſolo lapſu anni, ſine alia monitione, ſit ipſo jure, abſque alicujus Sententiæ prolatione, dicto Altari privatus. Adeo quod non poſſit ei iterato conferri, nec ei contra hæc prodeſſe poterit nec debebit Epiſcopi, Patroni (ſcilicet mei & Succeſſorum meorum) Decani & Capituli prædictorum, ſeu cujuſcumque alterius diſpenſatio aut conſenſus.

Volo inſuper & ordino, quod poſtquam primus Capellanus ibidem fuerit inſtitutus, & per mortem, vel aliter prædictum Altare ſeu Capellaniam vacare contigerit, quod ego & Succeſſores mei prædicti infra XL. dies à tempore vacationis, illud Altare ſeu Capellaniam teneamur conferre.

Quod ſi non fecerimus, ad Decanum & Capitulum ante-dictos poteſtas conferendi devolvatur illâ vice; non obſtante quocumque impedimento juris vel facti, etiam ignorantiæ, vel quovis alio, in mea vel Succeſſorum meorum perſona contingente.

Volo etiam & ordino, quod Capellanus ſive Rector dicti Altaris in propria perſona hujuſmodi Altari ſuo deſerviat, & ſaltem in eo quatuor Miſſas celebret qualibet ſeptimana. Quod ſi non fecerit, (niſi infirmitas aut alia juſta & rationabilis corporalis neceſſitas eum excuſaverit, cujus executionis cognitio ad ſæpe-dictos Decanum & Capitulum pertinebit) pro qualibet Miſſa, in qua defecerit, unum ſextarium ſpeltæ de fructibus ſui Altaris refundere debebit. Qui fructus talis abſentiæ & defectus, per dictos Decanum & Capitulum alteri Sacerdoti dabuntur, qui ſeptimanâ ſequenti defectus prioris ſeptimanæ ſupplebit.

Tenebiturque Capellanus prædicti Altaris ad reſidentiam in Eccleſia S. Petri prædicta, & chorum ipſius Eccleſiæ perſonaliter frequentare: ſicut & alii Capellani Eccleſiæ memoratæ. Nec etiam de licentia mea aut ſucceſſorum meorum dictus Rector ſeu Capellanus a ſervitio ſui Altaris aliqualiter poterit ſe abſentare; poterit tamen, ex evidenti cauſa rationabili, de licentia dictorum Decani & Capituli aliqualiter fore abſens. Super quâ licentia conferenda, ipſis Decano & Capitulo concedo facultatem.

Et ſi minus quindecim diebus dictus Capellanus ſe abſentaverit, interim de fructibus Altaris arbitrio Capituli dicto Altari deſerviatur. Si vero ultra quindecim dies abſentia dicti Capellani ſe protraheret: volo, quod rata omnium fructuum prædicti Altaris pro toto tempore abſentiæ ipſius Capellani, detur Sacerdoti, qui deſervierit Beneficio ſupra-dicto, tempore abſentiæ Rectoris Altaris antedicti.

Qui Rector, ſi ſine licentia dictorum Decani & Capituli a ſervitio hujuſmodi Altaris ſe abſentaret, a tempore abſentiæ uſque ad immediatè ſequens feſtum B. Joannis Baptiſtæ, quolibet anno quo ſic acciderit, foraneus reputetur, & fructus Deſervienti Beneficio, & non alteri, pro rata temporis ſemper cedant.

Præterea volo, (ſi dictum Atare contingat non Sacerdoti conferri,) quod talis nihil inde recipiat, donec ad Sacerdotium ſit promotus; & quod deſerviens Altari fructus inde pro rata percipiat. Quocumque autem tempore Rector Altaris ſacerdos effectus (infra annum tamen, ut dictum eſt) ſuo Beneficio cœperit deſervire, ex tunc fructus pro rata ſuſcipiat pro tempore futuro; annum à dicto feſto B. Johannis Baptiſtæ ſemper incipiendo.

In quorum omnium teſtimonium, robur & munimen, meum Sigillum Litteris præſentibus eſt appenſum.

Et nos Præpoſitus & Decanus & Capitulum ante-dictum, in ſignum Conſenſus & Approbationis omnium præmiſſorum devotè & laudabiliter ordinatorum, etiam Sigillum Eccleſiæ noſtræ præſentibus Litteris duximus apponendum.

Datum anno à Nativitate Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Dominicâ in Paſſione Domini, menſis Martii die viceſimâ. 1347.

Idem GUILIELMUS DE FLANDRIA Comes Namurcenſis, eodem anno, menſe ac die, fundavit Beneficium S. Georgii in Capella quæ eſt in Foreſta de Marlagne, ſub iiſdem (ut ſupra) conditionibus, & ſub eodem fere tenore verborum: item ſub eodem Jure Patronatûs Comitis Namurcenſis, & ſuper-intendentiâ Capituli S. Petri in Arce Namurcenſi.

Porro utrumque hoc Beneficium poſtmodum anno.... incorporatum fuit pro ſervitio Conſilii Provincialis Namurcenſis.

CA-

CAPUT CXXIV.

JOANNES *Bohemiæ Rex, ac Comes Luxemburgenſis,* HENRICI VII. *Imperat. filius, in oppido ſuo* Epternacenſi *fundat ac dotat inſignem Abbatiam Sanctimonialium Ordinis Sanctæ Claræ. Quod ipſum* CLEMENS VI. *Papa Apoſtolicâ Auhoritate confirmat anno* 1346.

Ex Waddingi Annal. Ord. Minor.

CLEMENS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, chariſſimo in Chriſto filio, JOANNI Regi Bohemiæ illuſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Pia Principum fidelium vota, per quæ principes fieri ſatagunt principatûs æterni, libenter Apoſtolico favore proſequimur, & eis benignum aſſenſum, quantum cum Deo poſſumus, impertimur.

Sane petitio tua nobis nobis nuper exhibita continebat, quod Tu, de tuæ, ac progenitorum ac liberorum tuorum animarum ſalute ſollicitè cogitans, & cupiens terrena, &c. felici commercio commutare, unum Monaſterium ad divini nominis laudem & gloriam, ac in honorem & ſub vocabulo B. Mariæ Virginis, & S. Joannis Baptiſtæ, in quo Abbatiſſa & triginta-duæ Sorores Ordinis Stæ. Claræ perpetuum poſſint exhibere Domino famulatum, in Oppido Epternacenſi, Treverenſis Diœceſis, quod in Comitatu tuo Luxemburgenſi fore dignoſcitur, fundare & conſtruere, illudque de propriis tuis bonis, ex quibus Abbatiſſa & Sorores ipſæ, ac earum ſervitores & ſervitrices ſuſtentari valeant, ſufficienter dotare proponis.

Numerus Monialium.

Nos igitur divini cultus augmentum, ac ejuſdem profuſiorem propagationem Ordinis, ad quę etiam tua Regia devota laborare videtur intentio, affectantes, ac laudabilem tuæ devotionis affectum favore Apoſtolico proſequentes, tuis ſupplicationibus inclinati, Monaſterium ipſum in eodem oppido, in loco tamen ad hoc habili & honeſto, cum Eccleſia ſeu Oratorio, campanili, domibus, & aliis neceſſariis officinis, (abſque prejudicio parrochialis Eccleſiæ ac juris cujuſlibet alieni) eidem Monaſterio ſufficienti dote per Te, (ut præfertur,) primitus aſſignatâ, fundandi ac conſtruendi, Diœceſani loci, & cujuſlibet alterius licentiâ minimè requiſitâ, quacumque Conſtitutione contraria non obſtante, Serenitati tuæ plenam authoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium licentiam elargimur.

Tibique quod in eodem Monaſterio poſtquam per te fundatum, ac dotatum & conſtructum fuerit (ut præfertur,) Abbatiſſa & Sorores dicti Ordinis, uſque ad dictum numerum, ad nominationem tuam hac primaria vice dumtaxat, poſſint & debeant ſecundum Inſtituta ejuſdem Ordinis collocari;

Et inſuper eiſdem Monaſterio, Abbatiſſæ, & Sororibus, & earum poſteris in perpetuum, quod omnibus Privilegiis & libertatibus, ac indulgentiis, aliis Monaſteriis, ac locis, & perſonis dicti Ordinis, ſeu ipſi Ordini, ab Apoſtolicâ Sede conceſſis perinde valeant gaudere; ſicut Monaſteria, loca & perſonæ hujuſmodi, quibus conceſſa ſunt, illis gaudere noſcuntur, Auctoritate præfata, tenore præſentium indulgemus.

Nulli ergo &c. noſtræ Conceſſionis &c.

Datum Avinione IV. Kal. Maii, Pontificatûs noſtri anno quarto.

CAPUT CXXV.

CAROLUS IV. *Imperator, Bohemiæ Rex, Comes Luxemburgi, Fundationem inſignis Monaſterii Stæ. Claræ, in oppido Epternacenſi, à patre* JOANNE *Bohemiæ Rege ac Luxemburgi Comite pro* 32 *Monialibus inchoatam, confirmat ac promovet anno* 1348.

Communicavit R. P. Bertholet S. J. Author Hiſtoriæ Luxemburg.

CAROLUS Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus & Boemiæ Rex, nec non Comes Lutzemburgenſis, ſuis & ſacri Romani Imperii ſive Regni fidelibus & ſubjectis, præſentibus & poſteris, Regiam gratiam perpetuâ cum ſalute.

Æterno Regi, per quem vivimus & regnamus, & à cujus pietate inſigniti digno-

ſcimur titulo Auguſtali, tanto nos acceptabiliores reddere devotè ſperamus, quantò ipſum, qui Regnorum noſtrorum moderatur habenas, in venerabilium & ſibi ſpecialiter dedicatorum locorum, & Religioſarum perſonarum, glorioſum nomen ſuum divinarum laudum præconiis aſſiduis extollentium, plantationem & plantatorum gubernationem, nec non rerum temporalium, quarum nobis ab ipſo commiſſa noſcitur diſpenſatio, providâ largitione copioſiùs ſincerioribus affectibus honoramus.

Etſi quælibet venerabilia loca & perſonas hujuſmodi condignis proſequi favoribus Celſitudini noſtræ cura exiſtat, illorum tamen quæ cœleſti favore Paterna pietas inchoavit, humeriſque noſtris conſummanda reliquit, completionibus, utilitatibus, & commodis, ardentioribus deſideriis naturaliter inclinamur.

Hinc cum recolendæ memoriæ quondam Joannes Boëmiæ Rex, ac Lutzemburgenſis Comes, illuſtris genitor noſter, divino quodam motu ſuum intendens condere & condens ultimum Teſtamentum, ad divini nominis gloriam & honorem, ac ſub titulo glorioſæ Virginis Mariæ & ſanctæ Claræ & ſancti Joannis Baptiſtæ, unum Monaſterium, in quo Abbatiſſa & triginta-duæ Sorores Ordinis ſanctæ Claræ perpetuum exiberent Domino famulatum, in noſtro oppido Epternacenſi, Diœceſis Trevirenſis, in loco ad hoc habili & honeſto, cum Eccleſiâ ſeu Oratorio, campanili, & omnibus aliis neceſſariis officinis, per ſe ſuoſque fideles de bonis ſuis dotare, fundare & conſtruere devotè inchoando piè conceperit, mandaverit, & voto laudabili ad actum proceſſerit concupitum;

Et ſubſequenter memorato Rege, prout Altiſſimo Regi placuit, de hoc medio evocato, noſtræ Celſitudinis Serenitas, ſicut eidem Genitori noſtro in temporali Regno & terris relictis per ipſum univerſaliter hæreditario Jure ſucceſſit; ſic & in his quæ ad æterni Regis ſpiritualia obſequia circa dicti Monaſterii Fundationem, per eundem patrem noſtrum in ejuſdem & divinæ recordationis quondam Domini Henrici Romanorum Imperatoris ſeptimi, ſuper-illuſtris Avi noſtri, & progenitorum noſtrorum animarum ſalutem, piè ſunt concepta & laudabiliter inchoata, nedum ſuccedere pium æſtimans, ſed & ſe ad eadem conſummanda & adimplenda, prout tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ex debito teneri reputans & aſtringens.

Supra dicti itaque Monaſterii in prætacto oppido Epternacenſi, quod ad nos ratione Romani Imperii atque Regni directo dominio & ſuperioritate, & ratione Comitatus Lutzemburgenſis tamquam ad Advocatum & Dominum temporalem pertinet, in quo etiam venerabile Ordinis ſancti Benedicti Monaſterium habens Conventum & Abbatem (qui ipſum oppidum & alia ſua regalia à Nobis & Sacro Romano Regno & Imperio recognoſcit & tenet) fundatum exiſtit, cui ultra ſupra & infraſcripta per Fundationem ejuſdem novi Monaſterii prejudicium ingeri vel inferri nolumus, inchoationem, Dotationem, & Fundationem & conſtructionem, quæ jam in magnâ ſui parte finita exiſtunt;

Abbatia Benedict. Epternaci.

Nec non omnia quæ circa dicti Monaſterii & perſonarum ejuſdem diſpoſitionem per dictum genitorem noſtrum & ſuos noſtroſque fideles operosè & piè facta eſſe noſcuntur, ex certâ noſtrâ ſcientiâ Auctoritate Regia approbamus & in Dei nomine confirmamus. Et ad majorem cautelam & ex ſuper-abundanti noſtræ Majeſtatis clementiâ, ſupradicta omnia & ſingula circa dicti Monaſterii erectionem & fundationem ut de novo inchoari, fieri, & jam facta & prædeſtinata confirmari & perfici libere valeant quâcumque contradictione vel impedimento, ſi forſitan nunc vel in poſterum per quempiam fierent, non obſtantibus, ex certâ noſtrâ ſcientiâ & de novo concedimus, autoriſamus, & in his Litteris innovamus.

Et ut dictum Monaſterium nec non Abbatiſſa & Conſorores ejuſdem electionem liberam eligendi Abbatiſſam & perſonas idoneas ad officia dicti Monaſterii, nec non perſonas quaſcumque, ſe & ſua ſimul aut alterum ſine altero ipſi Monaſterio ſeu apud ipſum Monaſterium dedicare ſeu offerre volentes, in dicti Ordinis aut converſorum habitu in Fratres & Sorores, aut in ipſo Monaſterio, ſeu ſeptis, aut curiis, ſeu poſſeſſionibus ejuſdem, ſub ſeculari, ſimplici & honeſto habitu, Deo & dicto Monaſterio obſequi & ſervire volentes, juſque eas recipiendi & admittendi & tenendi & cætera jura liciti Collegii habendi & his fruendi. Electio Abbatiſſæ.

Nec non jus fruendi & utendi nemoribus, rubetis, aquis, aquarum decurſibus, paſcuis, pratis, viis, & inviis, libertatibus, juribus, honoribus, auxiliis, ſuffragiis & conſuetudinibus communibus & ſpecialibus, ſicuti dicti Monaſterii Scabini & oppidani Epternacenſes poſſunt ad omne ipſius Monaſterii, Abbatiſſæ & Sororum ejuſdem commodum & profectum, habere & gaudere libere valeant & habeant, ex largitate Regia concedimus facultatem.

Deſiderantibus inſuper noſtræ Celſitatis ſollicitudinibus intimis, præfati genitoris noſtri vota piiſſima æternæ retributionis intuitu & pro ſuæ ac progenitorum noſtrorum animarum ſalute uſque ad conſummationem felicem, per .... ſollicitudinis ſtudium debitis mancipare effectibus, in hac parte nobis in regalis conſiderationis aciem inter alia adducentibus ſpiritualia ſine congruo fulcimento temporalium ſubſiſtere diu non poſſe, ſupra tactum Monaſterium tam

ratione Regnorum noſtrorum quam Comitatus prædictorum bonis noſtris allodialibus ſubſcriptis,

Dotatio Monaſterii. Videlicet cum quatuor villicationibus ſeu Majoriis noſtris, videlicet Oiſweyler, Erentyen, Bollendorff & in Erſe, prædictæ Trevirenſis Diœceſis cum univerſis & ſingulis earumdem villicationum Dominiis, officiatis, Scabinis & cæteris hominibus, villis, prætoriis, & aliis fundis, juriſdictionibus, diſtrictibus altis & baſſis, cenſibus & domiciliis, decimis, manſionibus, domibus, aviis, terris cultis & incultis, pratis, paſcuis, nemoribus, rubetis, aquis, aquarum decurſibus, viis & inviis, limitibus & terminis, piſcariis, redditibus & juribus quæſitis & inquirendis, & cæteris ſuis pertinentiis, quibuſcumque nominibus nuncupentur, cum omnibus ſuis honoribus & oneribus.

Item ex uberiori noſtræ clementiæ dono, cum exactione ſeu jure exactionis ſeu acceptionis & omnia inde derivanda, ſive in pecunia ſive in blado *Teutonice ungelt* nobis in prætacto noſtro oppido Epternacenſi undecumque proveniente & cedere debente, per dictum Monaſterium Abbatiſſam & Sorores ſeu earum in hac parte Commiſſarios, tenenda, levanda & colligenda.

Inſuper etiam & cum quadam noſtrâ Vennâ piſcali, quam dicti noſtri Comitatûs ratione in alveo *Suræ* prope noſtrum dictum oppidum Epternacenſe in loco vulgariter *Mauderloy* nuncupato, jure veri dominii obtinemus & præſentialiter poſſidemus, cum omnibus ipſius Vennæ piſcariis utilitatibus & emolumentis, quomodolibet ex ipſa provenientibus, & cum omni jure quo noſtri Anteceſſores Comites Lutzeburgenſes eam retinebant, tam ex paterna quam noſtra regali clementia, rite & rationabiliter dotavimus, & dotamus per præſentes.

Piſcatura.

Et dicto Monaſterio præmiſſas Majorias, villas, homines, exactionem & receptionem hujuſmodi, cum omnibus & ſingulis juribus & pertinentiis præ-expreſſis, in dotem piè donavimus & irrevocabiliter dotatione perfectâ donamus & tradimus in his Scriptis, per ipſum Monaſterium & per Abbatiſſam & Sorores ejuſdem pro ſuſtentatione congrua earumdem & dotatione canonicâ in pace & tranquillitate perpetua, ſine inquietatione & perturbatione quibuſlibet habendas, tenendas & ſumendas, ad omne ſui commodum & in perpetuum plene & libere poſſidendas.

Ex eâdem etiam clementiâ adjiciendo declarantes & concedentes, quod ipſum Monaſterium & ejus perſonæ prætactæ pro ſe & ſuis ad utilitatem & beneplacitum ſuum infra limites & terminos villicationum & poſſeſſionum prędictarum & in ipſis molendina piſtrina, curtes, & alias officinas per ſe & alios erigere ſeu conſtruere & fieri facere, & in hujuſmodi curtibus animalia & pecora in propriis & ſecundum conſuetudinem terræ, in circumcirca jacentibus paſcuis nutrire ac nutriri & minari facere, libere auctoritate Regiâ valeant cunctis temporibus ſucceſſivis.

Inſuper ſupra-tacto Monaſterio, & perſonis ejuſdem, præſentibus & poſteris, quouſque cæterorum reddituum pro congrua & ſufficiente ſua ſuſtentatione abundanter fuerint aſſecutæ, bona feudalia & alia à noſtrâ Excellentiâ ſeu noſtris Romano Imperio ſive Regnis aut Comitatu Lutzemburgenſi dependentia, ac ſi eſſent poſſidentium bona propria & libera, titulo emptionis, permutationis, pignoris, locationis, legati & quolibet alio, licite comparandi recipiendi & ſuis uſibus applicandi:

Item quibuſlibet perſonis cujuſcumque ſtatus & conditionis fuerint, dicto Monaſterio, Abbatiſſæ & Sororibus adjutrices manus porrigendi, & de prædictis bonis noſtris & quibuſlibet aliis ſuis bonis à Deo ſibi collatis donandi & legandi, ſeu aliter ſolemniter aut minus ſolemniter reliquendi, & ipſa eorumque dominium in eas transferendi & alienandi; ipſiſque Monaſterio, Abbatiſſæ & Sororibus hujuſmodi bona donata, legata, aut aliter relicta recipiendi, exigendi, locandi, apprehendendi & in uſus ſuos convertendi, ex ſpeciali Regiæ libertatis exuberantia plenam concedimus facultatem.

Cæterum ut Abbatiſſa & Sorores prædictæ Creatoris noſtri laudibus tanto crebrius purius & intimius inſiſtere, noſtroſque defectus apud ipſum ſuis puris orationibus & aliis ſuis bonis operibus ſupplere & peccata diluere, & ipſum Creatorem noſtrum pro noſtra Republica ad nominis ſui gloriam & honorem dilatandâ & gubernandâ interpellare valeant, quo quietius & liberius à ſæcularibus exemptæ negotiis & à malignorum hominum incurſu & perturbatione defenſæ vacare poſſint, eiſdem & ſupradicto Monaſterio, quod jam (ut prætangitur) per piiſſimum Patrem noſtrum noſtramque Celſitudinem & alios fideles noſtros, dotatum, fundatum & in magna parte conſtructum exiſtit,

Nec non ſupra-tactis Abbatiſſæ & Sororibus & earum poſteris in perpetuum, quod in ſe & pro ſe & ſuis Sororibus & fratribus, perſonis, familiaribus, ſervientibus, colonis, manſionariis, terris, poſſeſſionibus, juribus, redditibus & aliis bonis & rebus ſuis omnibus & ſingulis libertatibus, privilegiis, immunitatibus, indulgentiis, litteris, & gratiis, nec non exemptionibus ſæcularium exactionum & ab ipſis & ſuper quibuſcumque aliis perſonis, loca, res aut bona reſpicientibus, pro noſtræ Majeſtatis eminentia, nec non per divæ recordationis Romanorum Imperatores,

& Reges Anteceſſores noſtros & aliter ab homine vel à jure, ſtatuto, privilegio vel conſuetudine, perſonis Eccleſiaſticis Deo dicatis, & Religioſis, & præſertim Monaſteriis locis & perſonis dicti Ordinis, ſeu ipſi Ordini qualitercumque conceſſis, perinde uti & gaudere perpetuo & libere valeant, ſicut Monaſteria, loca & perſonæ hujusmodi quibus conceſſa ſunt illis gaudere noſcuntur aut poſſunt, ac ſi etiam dictis Monaſterio Abbatiſſæ & Sororibus conceſſa ſpecialiter extitiſſent.

Et etiam ac ſi omnia & ſingula hujuſmodi Privilegia de verbo ad verbum ſingulariter & expreſſe præſentibus inſerta fuiſſent; & etiam ac ſi idem Monaſterium, Abbatiſſa & Sorores in ipſis Privilegiis nominentur & ſpecificè forent expreſſæ, Autoritate Regia liberaliter concedimus, & tenore præſentium indulgemus

Porro ut ſupra dictum Monaſterium noſtri culminis irradiatum ſplendoribus continua in ſpiritualibus & temporalibus recipiat incrementa, ipſum, nec non Abbatiſſam & Sorores ejuſdem cum ſua familia, ſervitoribus & colonis inquilinis & manſionariis præſentibus & poſteris ſexus utriuſque cum villicationibus, hominibus, villis, bonis & poſſeſſionibus prætentis & quibuſcumque aliis bonis ſuis, quæ in præſentiarum obtinent ſeu poſſident, & in poſterum auctore Deo juſtè obtinuerint aut poſſederint, quarumlibet exactionum, vecturarum, theloniorum ſeu pedagiorum, angariarum, & perangariarum, nec non juriſdictionum, præſtationum, munerum ordinariorum, extraordinariorum ſervitute, jugo, onere, pleno jure eximimus, & præſentis Paginæ Patrocinio libertamus.

Ita quod nullum telonium, executionem, talliam vel aliam præſtationem in terris vel aquis aut aliter ratione ſui, aut animalium, bonorum & rerum ſuarum dare aut ſolvere, obſequia impendere, aut vecturas præbere quomodolibet teneantur.

Recipientes nihilominus ſupra-dictum Monaſterium, Abbatiſſam & Sorores ejuſdem cum Confeſſoribus, Capellanis, converſis, inquilinis, colonis, manſionariis & aliis perſonis ſuis & familia, nec non cum prætactis villicationibus, villis, venna & cæteris univerſis & ſingulis bonis, libertatibus & juribus ſuis, in noſtræ Eminentiæ & Sti. noſtri Romani Imperii ſive Regni ac dicti noſtri Comitatus protectionem, tutelam & ſalvam gardiam ſpecialem.

Volentes inſuper ac liberaliter concedentes, quod prædictæ Abbatiſſæ & Sorores perpetuis ſucceſſivis temporibus Procuratorem habere valeant, & ipſis electum hominem, ſæcularem habitum, manſionem & convictum diſtinctum ab ipſis Monialibus habentem, qui ad in temporalibus regendum & gubernandum eaſdem prudens & diſcretus exiſtat, de incolis dicti noſtri Oppidi Epternaci, vel aliunde pro ipſius Monaſterii temporalibus utilitatibus procurandis, eligere, ac electum præficere liberè poſſint & valeant: prout utilitati ejuſdem Monaſterii crediderint expedire.

Procurator, ſive Conſervator Privilegiorum.

Quem quidem Procuratorem & ipſius familiam domeſticam ab omnibus exactionum, vecturarum, talliarum, theloniorum, pedagiorum, angariarum, per-angariarum, juriſdictionum, præſtationum, munerum ordinariorum & extraordinariorum, ac ab omni alio ſervitutis jugo & onere, Nobis vel noſtris Succeſſoribus Comitibus Lutzemburgenſibus vel nobis ſubjectis exhibendis eximimus, & in his Scriptis, Religionis favore omnimode libertamus.

Ita quod ejuſmodi onera tam in terrâ quam in aquis, in aliquo nec nobis, nec dictis noſtris Succeſſoribus, nec ſubjectis ſolvere teneantur; recipientes eoſdem in ſimilem protectionem, tutelam, & ſalvam gardiam, prout de Abbatiſſa & Sororibus prius eſt expreſſum. Cum & ipſum Procuratorem ab omnibus oneribus exceptum fore velimus, à quibus & ipſa Abbatiſſa & Moniales prædictæ exemptæ dignoſcuntur; ut eo efficatius & liberius ipſius Monaſterii temporalibus pro Altiſſimi ſervitio valeat deſervire.

Volentes inſuper ut dicti Procuratores infractores Privilegiorum ipſius Monaſterii ac perſonarum ejuſdem, ac ipſum vel dictas perſonas in ſe vel ſuis juribus gravantes, vel aliqualiter opprimentes, per Papales Litteras ac Bullas coram quibuſcumque Judicibus à Sede Apoſtolica impetrandis in jus vocare, & coram dictis Judicibus uſque ad ſententiam definitivam incluſive cum iiſdem fractoribus, gravatoribus, & oppreſſoribus pro conſequendâ juſtitiâ litigare;

(Nullis Conſuetudinibus, Statutis, ſive Privilegiis in dicto noſtro Comitatu habitis vel habendis obſtantibus, quæ quoad præmiſſa carere volumus omni robore firmitatis) poſſint & libere valeant, abſque noſtrâ & dictorum noſtrorum Comitum Lutzemburgentium moleſtatione & offenſa.

Reſervato nihilominus dictis Judicibus, ut congruam ſuarum ſententiarum executionem facere valeant; Conſuetudinibus, Statutis & Privilegiis non obſtantibus ſupradictis. Volentes nihilominus, ut iidem Procuratores ſe ipſos Abbatiſſam & dicti Monaſterii Moniales ac ipſorum familiam domeſticam per Privilegia & Apoſtolica Scripta defendere valeant, ac tueri; nec à quopiam Domino aut judice temporali politico vel civili ad judicium ſæculare trahi valeant aut aliter quomodolibet conveniri, in præmiſſis omnibus & ſingulis adhibitis ſolemnitatibus debitis & conſuetis, omnem nihilominus de Imperialis plenitudine poteſtatis ſupplentes defectum.

Si

Digitized by Google

Si quis tamen in præmiſſis quovis modo foret, aut quo præmiſſa vel eorum aliqua per quæcumque perſonas Religioſas vel ſæculares, cujuſcumque Status vel præeminentiæ fuerint, poſſint argui vel quomodolibet impugnari. . . . .

Præcipientes igitur ſub obtentu gratiæ Imperialis & Regalis culminis, omnia & ſingula præmiſſa, quibuſcumque Litteris, mandatis, vel præceptis, exibitionibus & revocationibus per Nos, alium, vel alios ſub quacumque verborum forma vel aliter emiſſis aut conceſſis, emittendis, faciendis aut concedendis non obſtantibus, quos in quantum præmiſſis forent contraria retractamus & nullius volumus eſſe firmamenti, per univerſos & ſingulos inviolabiliter & perpetuè obſervari.

Diſtrictiùs inhibendo, ne quis memoratum Monaſterium aut Abbatiſſam & Sorores ejuſdem ſuper præmiſſis vel eorum aliquo directe vel indirecte impedire, prohibere aut aliquatenus moleſtare præſumat. Quod qui præſumpſerit, noſtram & ſacri Imperii indignationem incunctanter incurrat. Etnihilominus in ſuæ temeritatis vindictam, ſexaginta libras auri puri componat, medietate ipſarum Fiſco ſeu Cameræ Imperiali, & altera medietate paſſis injuriam applicandis.

Decernentes irritum & inane, quidquid contra præmiſſa vel eorum aliqua ſcienter vel ignoranter nunc vel in poſterum per quempiam contigerit attemptari.

In quorum omnium evidentiam & perpetuam roboris firmitatem præſentes exinde conſcribi Litteras, & Majeſtatis noſtræ Sigillo juſſimus communiri.

Datum & actum Pragæ undecimo Kalendas Maii anno Domini M.CCC.XLVIII. Indictione primâ, Regni vero noſtri anno ſecundo.

Eandem Fundationem anno 1348 *iiſdem prope tenoribus confirmavit Balduinus à Lukemburgo Archiepiſcopus & Elector Trevirenſis, ſupradictorum Joannis Bohemiæ Regis Patruus, & Caroli IV. Cæſ. Propatruus.*

Anno 1349 *idem Carolus IV. Imp. eidem Monaſterio Clariſſarum Immunitatis Privilegium largitus eſt, & anno* 1357 *Protectionis Diploma renovavit: quæ propter prolixitatem hic prætermittimus.*

CAPUT CXXVI.

Wenceslaus Imperator ac Bohemiæ Rex, Abbatiam de Porceto, *Monialium Ordinis Ciſtercienſis juxta Aquiſgranum, in protectionem ſuſcipit anno* 1380, *ac Montem ſeu locum de Porceto (teutonicè Bortcheit) Feudum S. R. Imperii declarat.*

Communicavit D. Wynants Senator Conſilii Brabantiæ.

Wenceslaus Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus & Bohemiæ Rex; Notum facimus, tenore præſentium, univerſis, quod accedens noſtræ Majeſtatis præſentiam honorabilis & Religioſa *Reychardis* Abbatiſſa Monaſterii in *Bortſcheit* prope Civitatem Aquiſgranum, Ciſtercienſis Ordinis, devota noſtra dilecta, ſuo & Conventus ſui nomine Nobis humiliter ſupplicavit, quatenus Conventui & Monaſterio ſuo Montem ipſum, videlicet in *Bortſcheit*, & alia omnia ipſius Monaſterii bona, cum ſuis uſufructibus & appenditiis & pertinentiis univerſis, quæ à Nobis & Imperio ſacro in Feudum dependent, de Regiæ noſtræ benignitatis clementia conferre generoſius dignaremur.

Nos igitur, qui vota quorumlibet rationabiliter ſupplicantium libenter & gratioſè complectimur, præſertim cum juſta petentibus non ſit denegandus aſſenſus, ſibi & prædicto Conventui ac Monaſterio ſuo, animo deliberato, ſano Principum Comitum Baronum & Nobilium accedente conſilio, *Montem*, videlicet *in Bortſcheit*, nec non omnia & ſingula bona, cum eorum appenditiis, juribus, utilitatibus, honoribus & pertinenciis univerſis, quæ ipſa & ſuæ Prædeceſſores Abbatiſſæ ejuſdem Monaſterii de *Bortſcheit* hactenus à noſtris Prædeceſſoribus & Imperio ſacro habuerunt & poſſederunt: & quæ à Nobis & Sacro Imperio dependent, in Feudum, ut præfertur contulimus, & tenore præſentium de certa noſtra ſcientia & authoritate Romana Regia liberaliter conferimus & donamus.

Mandantes univerſis Principibus, Eccleſiaſticis & ſæcularibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, clientibus, judicibus, civitatum oppidorum & villarum Communitatibus, cæteriſque noſtris & Imperii ſacri ſubditis & fidelibus, ut prædictam *Reychardem* Abbatiſſam Monaſterii *Bortſcheit* non impediant ſeu impediri permittant quomodolibet, ſed potius ipſam & bona ſui Monaſterii noſtro & Imperii nomine manutencant protegant & defendant, ſi indignationem noſtram graviſſimam voluerint evitare, præſentium ſub Regiæ noſtræ Majeſtatis Sigillo teſtimonio Litterarum.

Datum Aquiſgrani anno Domini M. tre-

centesimo octuagesimo, Indictione 11. septimo Idus Junii, Regnorum nostrorum anno Boëmiæ XVII. Romanorum vero quarto.

Fredericus III. Imperator rursum confirmavit anno 1489 omnia Privilegia ac possessiones Abbatissæ ac Monasterii Porcetensis (longo Diplomate) & quasdam etiam novas Prærogativas adjunxit

Ex hoc Diplomate etuitur, Abbatissam de Porceto, esse Principem S. R. I. ac Feudatariam Cæsaris. Inter eas etiam recensetur apud *Imhof* in Notitia Procerum S. R. I. pag. 165.

Reichardis Abbatissa Porceti, hoc Diplomate memorata, non reperitur in serie earumdem, in novâ Gallia Christiana.

CAPUT CXXVII.

Testamentum Catharinæ de Bavaria, *Gelriæ & Juliacensium Ducissæ; quo Monasteriis FF. Prædicatorum* Noviomagi *ac FF. Minorum* Harderovici, *per Antecessores fundatis, aliisque, liberaliter anno* 1400 *benefacit.*

Ex Annal. Juliæ, per Brosium.

IN nomine Domini amen. Anno Nativitatis Christi M. CCCC. Indictione octavâ, die Mercurii, tertiâ mensis Novembris, horâ Completorii, vel quasi, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris Domini nostri Bonifacii Divinâ providentiâ Papæ IX. anno undecimo, in mei Notarii publici, testiumque infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum præsentia, personaliter constituta Illustris Principissa Catharina de Bavaria, Gelriæ, & Juliacensium Ducissa, Zutphaniæque Comitissa Dei gratiâ, mentis & sensuum suorum bene compos, licet corpore languens. Considerans, ut asseruit, & cum deliberatione provida verè perpendens, nihil esse certius morte, & incertius horâ mortis, de bonis suis mobilibus & clenodiis, habitis, seu tempore mortis suæ habendis, volensque animæ suæ saluti intendere, Testamentum suum, seu ultimæ suæ voluntatis Ordinationem condidit, dispoſuit, & ordinavit in modum, qui sequitur. Volens, ut valeat, & robur obtineat jure Testamenti, vel saltem jure Codicillorum, seu alterius cujuscumque ultimæ voluntatis, aut eo modo, quo meliùs valere poterit.

In primis quidem voluit & ordinavit, quod omnia & singula debita ipsius, & minùs justè acquisita, si quæ post mortem reperta fuerint, de quibus Executoribus ipsius infrà scriptis legitimè constiterit, de bonis ipsius promptioribus per manus Executorum ipsorum infra-scriptorum ante omnia restituantur & solvantur; habensque, ac tenens in manu sua quasdam certas chartulas papyreas scriptas, ut apparuit, tradidit mihi Notario publico infrascripto in manibus meis, ac humiliter petivit, & desideravit, ut Executores ejus infra-scripti divinæ pietatis intuitu omnia & singula in dictis papyreis chartulis scriptis contenta, in totum exequi velint plenariè cum effectu.

Imprimis voluit & ordinavit, ac elegit sepulturam ipsius ecclesiasticam corporalem in Claustro, Monasterio, seu Ecclesia Religiosorum Virorum Fratrum Conventûs Ordinis Prædicatorum Noviomagensis, Colonienſis Diœcesis esse tradendam. Et si sepultura ipsius ecclesiastica in dicto Monasterio, ut præmittitur, ordinetur in effectu, & tradatur; tunc dictis Fratribus per Executores ipsius infrascriptos viginti scuta antiquæ monetæ Regis Franciæ ad certos annuales reditus perpetuè duraturos per ipsos Fratres supradictos percipienda ad usus dictorum Fratrum & Conventûs applicanda de mobilibus, & clenodiis suis ementur, & tradentur. Pro quibus viginti scutis antiquis supradictis annuatim per ipsos Fratres, ut præmittitur, sic perceptis, & percipiendis, dicti Fratres dicti Ordinis in Ecclesia eorum omni die unam Missam perpetuis temporibus duraturam pro fidelibus defunctis, & specialiter pro anima bonæ memoriæ ipsius Catharinæ Ducissæ & Comitissæ prædictæ constituant, ac pro animabus parentum ipsius, omniumque quorumcunque Dominorum Illustrissimorum Principum, Ducum, & Comitum, ac aliarum Dominarum, Principissarum, Ducissarum, & Comitissarum decedentium Gelriæ, & Juliacensium, Zutphaniæque prædictis bonæ memoriæ quondam pro tempore existentium diligentiâ ad hoc debitâ celebrare teneantur & obligentur cum effectu. In quibus quidem factis Illustris Principissa supradicta propriâ ac spontaneâ voluntate suâ Illustrissimo Principi Domino suo dilecto contorali, & socio suo prædicto de sepultura ipsius supradicta alibi forsitan per ipsum eligenda ac ordinandâ, propter amicitiam ipsius voluntati Donationis suæ benignè commisit, & resignavit glorioſè.

Anniversarium.

Ita quod, si dicto Illustrissimo Principi

Sepulta fuit in Carthuſia Arnhem.

ſepulturam ipſius ſupradictam in loco ſupradicto eſſe tradendam non placeret, & forſitan in Clauſtro Monichuſen, ſive Eccleſia Religioſorum virorum Fratrum Conventûs in Monichuſen apud Arnhem partium Veluæ, Ordinis Carthuſienſis, Trajectenſis Diœceſeos, ob devotionem loci illius, vel ex certis cauſis animum ſuum ad hoc moventibus, ſepulturam ipſius eccleſiaſticam ſupradictam duceret tradendam & ordinandam, vel in quocunque alio devoto loco, ſeu Eccleſia ad hoc per ipſum deputanda, quòd illi loco ſeu Eccleſiæ, ubi Eccleſiaſticæ traderentur ſepulturæ, illi certi reditus annuales ſupradicti, videlicet viginti ſcutorum antiquorum ſupradictorum in omni forma, & modo ſupradictis applicentur & tradentur ..... Donavit, & legavit in verum teſtamentum pro ſalute animæ ſuæ, & animarum ſupradictarum illis duobus clauſtris Monichuſen, ſeu Eccleſiis in Noviomago, & Monichuſen ſupradictis, dumtaxat ad uſus Fratrum & Conventûs applicandi, ſi in aliquo illorum duorum clauſtrorum ſuperiùs nominatorum non traderetur ſepulturæ, ipſius Eccleſiæ ſupradictæ cuilibet ipſorum diviſim decem ſcuta antiqua monetæ Regis Franciæ, per Executores ipſius infraſcriptos, ad certos annuales reditus perpetuè duraturos emendos, & non alios reditus annuales hac vice ex teſtimonio ſuo.

Item donavit, & legavit Fraternitati B. Virginis in Eccleſia majori Parochiali Beati Martini Arnhemenſi quinque ſcuta antiqua monetæ Regis Franciæ ſupradictę, ad certos redditus annuales per ipſos Executores infraſcriptos emendos perpetuè duraturos. Ideoque ipſos Fratres perpetuis temporibus in Miſſis, & memoriis eorum ſecundùm bonam conſuetudinem Fraternitatis prædictæ, pro ſalute animæ ipſius, & animarum ſupradictarum oraturos.

Minoritæ Harderw.

Item donavit, & legavit Fratribus Ordinis Minorum in Harderwyck dictæ Trajectenſis Diœceſeos, ad opus fabricæ, & conſervationem clauſtri ipſorum, & ad alia neceſſaria ibidem facienda ſexaginta ſcuta antiqua monetæ ſupradictę: tenendo Fraternitatem, eaque per ipſos Fratres deſerviendo in Miſſis & memoriis eorum pro ſalute animæ ipſius, & animarum ſupradictarum.

Item donavit, & legavit in communi quinquaginta ſcuta antiquæ monetę ſupradictæ, pauperibus Hoſpitalibus, Clauſtris, & perſonis Eccleſiaſticis, cuilibet ſecundùm neceſſitatem & indigentiam ipſius eroganda & diſtribuenda, prout ipſis Executoribus ad hoc deputatis videbitur expedire pro ſalute animę ipſius, & animarum ſupradictarum.

Item voluit, & ordinavit, quod Executores Teſtamenti ſupradicti dent & tradant Fratri Simoni de Texalia Ordinis Minorum Confeſſori ipſius ducentos florenos Gelrenſes, & illos conſcientię ſuæ commiſit, ut aliis pauperibus ulterius, Eccleſiis & perſonis eccleſiaſticis, ut jam ſupra dictum eſt, eroget, & diſpenſet pro ſalute animæ ſuæ, & animarum ſupradictarum.

Item donavit, & legavit in verum Teſtamentum Illuſtriſſimo Principi WILHELMO Gelriæ, ac Juliacenſi Duci, Zutphaniæque Comiti, Domino ſuo dilecto contorali, & ſocio prædicto, omnia clenodia ſua in ſuperfluum exucia ..... ſpectantia ad eam ex parte Patris, & Matris ſibi advenientia, exceptis tamen Teſtamentis, & Legatis per ipſam legitimè confectis, ac debitis ſuis primitûs & ante omnia per Executores ſuos infraſcriptos ad hoc legitimè deputatos perfectè, & in totum, ut præmittitur, datis & ſolutis, ſecundum quarundam ſcedularum & literarum aliarum deſuper confectarum, ac Sigillo ipſius proprio ſigillatarum (prout in hoc præſenti Teſtamento continentur) tenores & formam in effectu, ut Dominus ſuus, & ſocius antedictus in iſto Teſtamento ſuo, & in aliis operibus miſericordiæ .... propter ſalutem animæ ſuæ cum aliis Executoribus ſuis ad hoc deputatis eò meliùs, & fideliùs ſe haberent, & demonſtrarent &c.

Hujus autem Teſtamenti ſui, vel ultimæ ſuæ voluntatis & Ordinationis elegit, conſtituit, & ſolemniter ordinavit Executores ſuos, ſeu manu-fideles, videlicet Illuſtriſſimum WILHELMUM Gelriæ, ac Juliacenſem Ducem, Zutphaniæque Comitem contoralem ſuum dilectum, & ſocium tanquam principalem, egregium virum Dominum *Jacobum Hey* Eccleſiæ Beatæ Walburgis Zutphanienſem Præpoſitum, Religioſum Virum Fratrem *Gisbertum* in Monichuſen apud Arnhem, partium Veluæ, Ordinis Carthuſienſis Priorem, Magiſtrum *Everardum de Eza* Curatum Eccleſiæ Parochialis de Almeloe Presbyteros, ſtrenuum virum *Robertum de Apeldoren* Militem, & honorabiles ac diſcretos viros *Arnoldum*, & *Goſwinum de Gruuthuys* fratres carnales, laicos, Colonienſis & Trajectenſis Diœceſeos, quemlibet humiliter ſupplicavit, ut divinæ pietatis intuitu Teſtamentum ipſius, prout ſuperiùs narratum exiſtit, exequi velint cum effectu. Executores.

Quod ſi omnes ſimul executioni Teſtamenti nequeant, ſeu intereſſe recuſent, voluit, & ordinavit, quod quidquid per majorem partem ipſorum Executorum ſupraſcriptorum factum fuerit in præmiſſis, ratum maneat, atque firmum. Conferens, & concedens dictis ſuis Executoribus plenariam poteſtatem, & authoritatem, omnia & ſingula bona ipſius mobilia, & clenodia alia ad opus præmiſſorum liberè poſt diſceſſum ſuum adeundi, & invadendi, & apprehendendi, nec non declarandi, corri-

gendi, & interpretandi, ſi qua in ipſo Teſtamento ſuo, ſeu ſcedula ipſi annexa dubia fuerint, vel obſcura, prout ipſis videbitur meliùs expedire. Salvâ ſibi ſemper poteſtate addendi, minuendi, corrigendi, ſeu variandi, & in parte, vel in toto revocandi ſuum præſens Teſtamentum, ſeu ultimæ ſuæ voluntatis ordinationem.

Nec non prædictos ſuos Executores, ac eorum quemlibet revocandi, ac alium ſeu alios, qui in præmiſſis conſimilem habeant poteſtatem, eligendi, conſtituendi, & ordinandi, quotieſcunque, & quando ſibi placuerit, ſeu viſum fuerit expedire.

Et ut hoc ſuum Teſtamentum ſeu ſua præſens Ordinatio vigoroſa permaneat, & roboris obtineat firmitatem ſuper omnibus, & ſingulis ſupradictis illuſtris Principiſſa conſtituens ſupradicta rogavit, & publicè petiit per me *Gerlacum Notarium publicum* infraſcriptum ſibi fieri in forma publica, in meliori forma, quâ dictari poſſunt ad dictamen cujuſque ſapientis, unum vel plura, publicum ſeu publica inſtrumentum ſeu inſtrumenta.

Acta ſunt hæc in Caſtro oppidi de Hattem dictæ Trajectinæ Diœceſeos ſub anno Indictione, menſe, die, horâ, & Pontificatu quibus ſuprà, præſentibus ibidem honorabilibus, ac diſcretis Viris, Dominis ac Magiſtris *Theodorico filio Godefridi de Aſperen*, in Artibus ac Medecinis, & Perſona Perſonatûs Eccleſiæ Parochialis de Aveſaet, *Theodorico Stael* perpetuo Vicario in Eccleſia Beatæ Aldegundis Embricenſis, Fratre *Simone de Texalia* Ordinis Fratrum Minorum, Presbyteris, Capellanis Duciſſæ ſupradictæ, *Arnoldo de Thuyle*, *Gerſilio de Herwen*, & *Petro de Steenbergis* laicis, Domicellis, & familiaribus Duciſſæ prænominatę, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Obiit in Hattem 12. Novembris 1400.

CAPUT CXXVIII.

SIGISMUNDUS *Imperator Monaſterium* Clari-loci, *principale Ordinis Stæ. Crucis, juxta* Huyum *(ubi & Generalis Prior reſidet) in protectionem ſuſcipit Cæſaream anno* 1417; *unà cum omnibus Prioratibus, bonis ac locis eidem ſubjectis.*

Ex Annal. Juliæ. per Broſium.

SIGISMUNDUS Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Dalmatiæ Croatiæ, &c. Rex, notum facimus tenore præſentium univerſis. Alma Mater Eccleſia Sanguine Chriſti vivificata, ut fides noſtra lapſu deperditos ad vitam, ſinguloſque ad ſuperna vocaret, ſtatuas immobiles ſupra petram duram diverſarum Regularum, & variorum Ordinum, uti militantis Eccleſiæ poſtes, ritè locavit. Quas quidem ſtatuas erectas in fidei puritate manutenere, in eſſentia ſpirituali gubernare, & in charitate Dei magnificare pium credimus, & ſperamus fabricam pro futuri ſæculi reſpiramine continuaſſe.

Sanè pro parte Religioſorum, Prioris principalis & fontalis Domûs Cruciferorum, ſuorumque Profeſſorum Ordinis Sti. Auguſtini in Claro Loco prope Hoyum Leodienſis Diœceſis noſtrorum devotorum dilectorum noſtræ Majeſtati oblata petitio continebat, quatenus ipſos, ſubjectoſque, ac bona, & loca ipſorum quæcumque, nonnullis eorundem opportunitatibus hoc exigentibus, ſub noſtræ Regalis Protectionis & defenſionis, ac Salviguardiæ umbram recipere, ipſiſque omnia, & ſingula eorum Privilegia, Litteras, & jura, quæ & quas à quibuſcunque obtinue.unt, de benignitate Regia confirmare, & roborare dignaremur. Nos itaque conſiderantes, quod dum ſpiritualium, & Religioſarum perſonarum neceſſitatibus ſuccurritur, theſaurus immarceſſibilis, æternæ vitæ præmia, & futuræ gloriæ alimenta in gremio reconduntur divinæ charitatis,

Idcirco animo deliberato, non per errorem, aut improvidè, ſed ſano & maturo prehabito conſilio Priorem principalem fontalis Domûs Cruciferorum, ſuorumque Profeſſorum Ordinis S. Auguſtini in Claro Loco prope Hoyum Leodienſis Diœceſis præfatos, præſentes & futuros, ac ipſorum ſubjectos, & familiares, ac bona & loca in noſtram, & Imperii Sacri protectionem, defenſionem, & ſalviguardiam recepimus, & recipimus gratioſè. Volentes ut ipſi, ac Succeſſores omnibus libertatibus, immunitatibus, & gratiis uti debeant, & potiri, quibus cæteri noſtrâ Regali Protectione ſuffulti utuntur, vel potiuntur quomodolibet, conſuetudine, vel de jure.

Inſuper ut præfati Priores, & Profeſſores, ipſorumque ſubjecti & familiares eò devotius in quietis ſinceritate Altiſſimo valeant famulari: ipſis, & eorum Succeſſoribus omnia & ſingula jura, Litteras, Bullas, & Privilegia, quas & quæ à Romanorum Summis Pontificibus ſaltem in temporalibus, aut aliis quibuſvis, cujuſcumque ſtatûs, gradûs, vel prœeminentiæ exiſtant,

Digitized by Google

exiſtant ; etiamſi aliquis Regali , Archi-Epiſcopali , vel Epiſcopali præfulgeat dignitate , ritè obtinuerunt , in quantum de Jure proceſſerunt , ratificamus , approbamus , roboramus , & auctoritate Romanâ Regiâ confirmamus gratioſè.

Quapropter , Venerabili Coloniæ Archi-Epiſcopo Principi Electori , & Illuſtri RAINALDO Duci Juliacenſi & Gelriæ Principi & Conſanguineo , noſtris dilectis, ac Magnifico Comiti Namurcenſi , præſentibus , & futuris committimus , & mandamus , quatenus præfatos Priorem principalem & fontalem Domûs Cruciferorem Ordinis S. Auguſtini , ipſorum ſubjectos , & familiares , ac cætera loca , & bona eorundem ad gloriam omnipotentis Dei , noſtrique , & Imperii Sacri laudem contra quoſcunque manuteneant fideliter , & defendant , ipſos & eorum Succeſſores in præfatis ipſorum Privilegiis , & Litteris , & juribus effectualiter conſervent quibuſcunque ; nec rurſum ipſos quæcunque perſona, cujuſcunque conditionis , honoris, dignitatis , aut gradûs ſpiritualis vel ſæcularis exiſtat , in ſupraſcriptis noſtris ſalviguardia ac Privilegiis , & Litteris ipſorum moleſtare , vel inquietare præſumat : ſub indignationis noſtræ graviſſimæ , & quindecim Marcarum auri puriſſimi pœna , medietate Fiſco noſtro Regali , reliquâ verò medietate prædicto Priori , Profeſſoribus , & Succeſſoribus eorumdem applicandis. Quam mulctam , quicunque contra fecerit, toties quoties contrà factum fuerit , ſe noverit irremiſſibiliter incurſurum, præſentium ſub noſtræ Majeſtatis Sigillo teſtimonio Litterarum.

Datum Leodii anno à Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo decimo ſeptimo , ultimâ Decembris , Regnorum noſtrorum Hungariæ , Dalmatiæ , &c. anno trigeſimo : Romanorum verò ſeptimo.

CAPUT CXXIX.

PHILIPPUS BONUS , *Burgundiæ Dux , Privilegia Namurcenſis Comitatûs Provinciæque confirmat , anno* 1421.

Ex Archivis Urbis Namurc. Vide item Tom. III. pag. 448 horum Diplom.

PHILIPPE *Duc de Bourgogne , Comte de Flandre & de Bourgogne , Palatin Seigneur de Salins & de Malines , à tous ceux que les preſentes Lettres veront , ſalut.*

Comme pour enteriner & accomplir le Traité du Tranſport & Vendition , que notre cher & & très aimé Couſin Meſſire Jean de Flandre Comte de Namur & Seigneur de Bethune nous a fait de ſa Comté de Namur & de ſes Terres & Seigneuries qu'il tient en notre Pays de Flandre , pour y jouir par Nous , nos Hoirs & Succeſſeurs Comtes & Comteſſes de Flandre , notredit Couſin ſe ſoit des-herité par Loy , tant pardevant le Grand Bailly & leſdits de Fiefs deſdits lieux & places , dont leſdits Terres & Seigneuries mouvent & ſont tenues ;

Sçavoir faiſons , que Nous , qui voulons & deſirons ledits pays de Namur entretenir en ſes uſages , liberté , & franchiſſes , avons promis & convenancé , & par ſes preſentes promettons & convenancons par la foy & loyauté de notre corps à nos tres chers & bien aimez les gens d'Egliſe , Nobles , Bourgeois & habitants d'icelluy Pays de Namur & de ſes appartenances & appendances , que après le deces de notredit Couſin de Namur , Nous , nos Hoirs & Succeſſeurs Comtes & Comteſſes de Flandre les garderons & entretenrons en leurs Privileges , Franchiſes , Libertez , Coutumes , & uſages , & d'iceux les laiſſerons & ſouffrirons plainement jouir & uſer, ainſy qu'ils ont fait & font encor à preſent , ſans les y aucunement moleſter n'y faire aucun detour ou empechement en quel manier que ce ſois.

Et avec ce promettons , de faire après ledit trepas les Serments tel & en toz les lieux que les Comtes de Namur ont anciennement accouſtumé de fair.

Et en oult , que nous dez maintenant ferons aſſiſtance , confort , & aide audit Pays de Namur & aux ſujets d'icelluy , ſi aucuns de volonté & contre raiſon les vouloint opprimer ne fair aucune violence.

En temoins de ce Nous avons fait mettre notre Seel à ces preſentes. Donné à Valencienne le 23 jour d'Avril l'an de graces M. CCCC. XXI. après Paques.

Digitized by Google

CAPUT CXXX.

PHILIPPUS BONUS *Burgundiæ Brabantiæque Dux, Prioratus Wavrienſem & Fraxinenſem, ab Affligemienſi Abbatia dependentes, in ſpecialem Protectionem ſuſcipit anno* 1443, *declarans Priores ac Monachos ibidem, ad nutum præfati Abbatis, amovibiles.*

Ex Archivis Abbatiæ Affligem.

PHILIPPUS Dei gratiâ Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgiæ Dux, Flandriæ, Artheſii, Burgundiæ Palatinus, Hannoniæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, & Namurcenſis Comes, Sacrique Imperii Marchio, ac Friziæ, de Salins & Mechlinia Dominus, omnibus & ſingulis has Litteras noſtras inſpecturis ſalutem, & rei infraſcriptæ noſcere veritatem.

Notum facimus, quod Viri Religioſi nobis in Chriſto dilecti Abbas & Conventus Monaſterii Sti. Petri Haffliginienſis Ordinis Sti. Benedicti Cameracenſis Diœceſis infra limites noſtri Ducatûs Brabantiæ ſituati, per Privilegia ac Litteras Donationum ac Confirmationum tam à Sta. Sede Apoſtolica, quam à piæ memoriæ noſtris Prædeceſſoribus & aliis, ſibi & ſuis Prædeceſſoribus atque Monaſterio Haffliginienſi præfato conceſſa ſive conceſſas, Nos debitè & ſufficienter informare curaverunt de duobus Prioratibus, videlicet de Fraxina & de Wavra, quod illi cum Eccleſiis, juribus, bonis, redditibus & omnibus atque ſingulis ſuis pertinentiis ab antiquiſſimo tempore fuerunt, prout adhuc ſunt, membra dicti Monaſterii Haffliginienſis, & eidem Monaſterio firmiter incorporata.

Siti ſunt in Gallo-Brabantia.

Sic quod Abbas Haffliginienſis pro tempore exiſtens ex dicto ſuo Monaſterio unum Priorem cæteroſque Religioſos ad nutum ſuum revocabiles in quolibet Prioratuum præfatorum debeat inſtituere; ut inibi per eoſdem divina Officia debitè celebrentur, quibus, dum & quotiens id Abbati placuerit, revocatis, ne divinus cultus negligatur, alios ex eodem Monaſterio Haffliginienſi Religioſos Profeſſos vice ſeu loco revocatorum, Abbas debeat ordinare.

Et quia Nos, ut verus Advocatus, ſic ſumus prædicto noſtro Monaſterio debitores, ut ipſum in ſuis Juribus & Privilegiis conſervare, & ab injuriis contra quoſlibet defendere teneamur; ob ſalutem animæ noſtræ & participium omnium bonorum quæ in præſcriptis Monaſterio & Prioratibus fiunt im-perpetuum pro nobis noſtriſque hæredibus & Succeſſoribus, per præſentes bonâ fide promittimus, præfatum Monaſterium Haffliginienſe imperpetuum manutenere in jure habendi ac retinendi Prioratus de Fraxina & de Wavra præfatos, cum Eccleſiis, juribus, bonis, redditibus, & ſuis pertinentiis univerſis, eidem Monaſterio veluti inſeparabilia membra, firmiter incorporatos. Nec volumus aut permittemus quantum in Nobis erit, prædictos Prioratus aut eorum quemlibet ſeu bona ad ipſos vel alterum ipſorum ſpectantia, quacumque viâ ſeu colore à Monaſterio Haffliginienſe ſupra-dicto ſeparari, ſive per alios quam per Abbatem Haffliginienſem aut ſui Monaſterii Religioſos, ad id per eundem Abbatem deputatos, quocumque modo regi, aut quovis titulo gubernari aut occupari.

Et quod Nos noſtrique Succeſſores præfatum noſtrum Monaſterium Haffliginienſe in hiis quæ præſcripta ſunt, contra quoscumque ipſum in illis, tempore forſan futuro, quomodolibet perturbare volentes, viriliter defendemus.

Sic quod ſub noſtra Protectione idipſum Monaſterium Haffliginienſe, ſuis juribus præſcriptis plenè frui, pacificè uti, & perpetuo gaudere valebit & perpotiri, harum teſtimonio Litterarum, quas Sigilli noſtri appenſione fecimus communiri.

Datum in Oppido noſtro Bruxellenſi menſe Februarii die vigeſima quinta, anno Domini milleſimo quadrigenteſimo quadrageſimo tertio, ſecundum ſtilum Curiæ noſtræ. In plica habebatur: per Dominum Ducem, Vobis Henrico Magnus, Joanne Hinckart, Symone de Harbays Magiſtris, Nicolao le Cloppere, & Joanne le Grote præſentibus.

Subſignatum: Nulant.

Ratio hujus Diplomatis hæc fuit, quod ſubinde Monachi Benedictini aliarum Abbatiarum, hos Prioratus in Commendam Romæ vel ab ipſo Principe impetraſſent: uti JOANNES DE WAYA, Walciodorenſis Monachus, Wavrienſem tunc obtinuerat.

CAPUT CXXXI.

Narratio Hiſtorica diſſidii inter PIUM II. *Papam &* CAROLUM VII. *Francorum Regem, de Statu ac Proviſione Epiſcopatûs* Tornacenſis *anno* 1460, *collecta ex duabus Epiſtolis* PII II. *ad eundem Regem.*

Epiſtola I.

PIus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, chariſſimo in Chriſto Filio, CAROLO Regi Franciæ Illuſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quæ ad Nos de conditionibus Tornacenſis Civitatis tua Serenitas ſcripſit, non diffitemur ita eſſe, ut ſcribis. Abundans enim multitudo populi eſt in Regni tui confinibus, & quæ manſit in tua & progenitorum omnium poteſtate ſæculis multis, præbetque tibi opportunitate loci commoda permulta & magna.

Quod vero adjungis, Eccleſiam ipſam promiſſam tibi in perſonam Cardinalis Conſtantienſis fuiſſe, in eo vel tua Majeſtas informata verè non erat; vel qui de ea nos compellarunt, reſponſa noſtra interpretati bene non ſunt. Viventium Beneficia promittere mos noſter non eſt: nec fuiſſe, in hunc diem adjutore Deo meminimus.

Recordamur, Oratoribus dixiſſe, cum vacare illam contingeret, rem facturos, de qua contentari meritò poſſes. Daturos autem, cui velles, illam Eccleſiam, nec diximus unquam, nec cogitavimus. Adveniente tamen obitu tranſlati Epiſcopi, facere Majeſtati Tuę rem gratam, in animo geſſimus. Per obitum non vacavit. Senex grandævus incommoda multa perferre in ea Civitate non valens, precatus eſt, illuc robuſtiorem transferri. Fuit juſta & pia ejus petitio. Raræ vel nullæ Supplicationes hujuſmodi à Sede Apoſtolica ſolent repelli.

Si doles, hominem Duci Burgundiæ ſubditum illuc eſſe præpoſitum, minor culpa hæc noſtra eſt, quam fuerit Prædeceſſorum noſtrorum, qui plures Burgundos illic ſtatuerunt. Nos rem novam non fecimus: veterem & uſitatam ſumus ſecuti. Hoc quoque ad transferendum Tullenſem proniores nos facit, quod, ſicut Serenitas tua intelligit, Tornacenſis Diœceſis ſub Dominatu eſt Burgundorum. Nec putamus videri inconveniens poſſe, ſi ex Dominio illo daretur Epiſcopus, infra cujus limites major eſt & amplior juriſdictionis illius pars. Nam quod tua Serenitas queritur, & his & aliis rebus ſecernere commoda Regni tui & conſanguineorum tuorum, Nobis parum cordi eſſe, in hoc credimus evenire tibi quod nobis. Ut enim tu complaceri tibi à nobis ſæpe non putas: ſic nos ſæpe exaudiri à te vota noſtra non cernimus. Non tamen propterea de tua in nos voluntate ſiniſtrum aliquid credimus: cogitamus ſemper cauſas tibi aliquas eſſe, propter quas non fortaſſe poſſes, quæ volumus. Accuſamus neceſſitatem: mente & animo æquiſſimi ſumus.

Par officium à te requirimus Chariſſime Fili; nec vellemus quoties tibi obtemperatum non eſt, toties de animo noſtro judicium faceres. Meminimus in gratiam tuam multa feciſſe, honore tuo multa multis dediſſe. Si ſemper non dedimus, non ſemper eſſe Apoſtolica Sedes poteſt ut vult. Multa illam circumſpicere oportet, multa metiri: ita ſemper actiones ſuas dirigere, ut reddere illarum rationem Deo & hominibus poſſit.

Poſtremò, quod Nobis denuncias, te permiſſurum non eſſe, ut idem Tullenſis Tornacenſi Eccleſiæ præſit, nihil in hoc aliud reſpondemus, niſi Majeſtatem tuam ſane intelligere, quod Regem Catholicum deceat; & nos conſtanter ſperare, Te, ſi factum noſtrum diligentiùs conſiderare volueris, nihil diſſimile à claris Progenitoribus tuis eſſe facturum: quos non minus veneratio in Eccleſiam Dei, & obedientia in ſanctam Sedem Apoſtolicam, quam cetera glorioſa facta, illuſtrarunt. Ipſam autem Tranſlationem, cum facta ſolemniter ſit, mutare ſine reprehenſione non poſſumus.

Unum à te petimus Chariſſime Fili, ut Detractoribus (*Nota*) Sedis Apoſtolicæ ſemper non credas: multa illorum paſſionibus tribuas. Pro certo habeas, Nos Serenitatem tuam amare, illi cum poſſumus, obſequi cupere; nec prætermiſſuros unquam occaſionem aliquam eſſe, in qua tuæ bonitati placere cum Deo poſſemus. Quod ſi in aliquo præjudicatum tuis juribus putas, parati ſumus tuæ Celſitudini juſtitiam cum omni benignitate adminiſtrare.

Datum Romæ IX. Decembris, Anno LX. Pontificatus noſtri tertio.

JOANNES CHEVROT, Burgundus, Epiſcopus Tornacenſium ab anno 1437, ſenex vivere deſiit anno 1460, cum recenter à Pio II. Pont. tranſlatus fuit ad Epiſcopatum Tullenſem, mortuus tamen ante expeditionem Bullarum.

GUILIELMUS FILLATRE, item Burgundus,

Abbas S. Theodorici Remis Ordinis S. Bened. ad preces Philippi Boni, Ducis Burgundiæ, tranſlatus fuit à Pio II. ab Epiſcopatu Tullenſi ad Tornacenſem eodem anno 1460.

Ægrè id tulit Carolus VII. Franciæ Rex, qui ad eundem Epiſcopatum transferri poſtulabat RICHARDUM OLIVIER, Conſtantienſem in Neuſtria Epiſcopum S. R. E. Cardinalem. Hinc graves ad Pontificem querimoniæ, quæ ſunt harum duarum Epiſtolarum argumentum.

Hæc prior eſt Epiſtola 374. ad Carolum VII. Regem Franciæ, ex libro Epiſtolarum Pii II. Papæ excerpta: quæ gravi Contentioni Litterariæ occaſionem dedit. Joannes Launoyus, in Academia Pariſienſi Doctor Theologus, in Authoritatem Romani Pontificis, ac dignitatem Romanæ Curiæ carpendam admodum pronus, ſuum in eandem Curiam ſtylum inde acuere conatus eſt. Excerpſerat ex editione Baſileenſi Epiſtolarum Pii II. anni 1572. verba ſequentia. *Unum à te petimus, Chariſſime Fili*; *ut* Doctoribus *Sedis Apoſtolicæ ſemper non credas, ſed multa eorum paſſionibus tribuas.* Ex hac voce triumphum cecinit: dum alii Theologi magis Catholici Launoyo demonſtrarunt, legendum non eſſe *Doctoribus*, ſed *Detractoribus*. Quod ipſum totus Epiſtolæ contextus ſatis indicat; & ita quidem in prioribus editionibus Epiſtolarum Pii II. Norimbergenſi anni 1496. Lugdunenſi anni 1518. & tertiâ anni 1551. non aliter quam *Detractoribus* lectum fuerit. Hinc contra Launoyum prodiit Romæ anno 1686, in 4. Authore Eximio Viro *Joanne Ciampino*, Romano, Magiſtro Brevium Gratiæ & utriuſque Signaturæ Referendario, Opuſculum doctiſſimum, cui titulus: *Parergon ad Examen Libri Pontificalis, ſive Epiſtolæ Pii II. ad Carolum VII. Regem Galliæ, ab Hæreticis depravatæ, & à Launoiana calumnia vindicatæ.*

Epiſtola altera Pii II. Papæ ad Carolum VII. Regem Franciæ, de Statu ac Proviſione Eccleſiæ Tornacenſis.

PIus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Chariſſimo in Chriſto Filio, Carolo Regi Franciæ Illuſtri, ſalùtem & Apoſtolicam benedictionem.

Niſi tuâ ſignata manu, & tuo fuiſſet impreſſa Sigillo, nunquam tuam putaviſſemus Epiſtolam, quam tuo nomine Michael Secretarius tuus noviſſimè ad Nos detulit. Multa enim continet, quæ à tua prudentia & tuo ſcribendi more videntur aliena. Sed neque portitor, neque ſignum, neque ſubſcriptio patitur, ut tuas Litteras eſſe dubitemus, quæ tamquam abs Te miſſæ redditæ ſunt. Eas ob res cogimur reſpondere, & noſtram excuſare innocentiam.

Neque enim nos ſumus, qui vel tuam Serenitatem, vel alium quempiam odio perſequamur, aut odii cauſâ quidquam agamus. Nos quidem tuam Manſuetudinem ſemper amavimus, ſemper magnificavimus, ſemper obſervavimus, tum propter Majorum tuorum gloriam & magnifica geſta, tum propter modeſtiam & religionem, quas in te ſitas didicimus. Neque ſane in animo noſtro fuit, quicquam agere, quod Tibi aut incommodum eſſet, aut moleſtum. Sed aliter Tibi perſuaſum eſt: ut ſcripta tua oſtendunt, tam nobis, quam ſacro Collegio noſtro directa.

Ignoſcat his divina bonitas, qui talia ſuggerunt: quorum magnum eſt peccatum, ſumma iniquitas, mala mens, malus animus. Illorum eſt, qui tuam Excellentiam adverſus nos irritare aut commovere nituntur. Similes illis ſunt, qui filium tuum à te alienaverunt. Illi enim carnalem Patri filium abſtulerunt: hi nobis Spiritualem auferre nituntur: ſed minimè obtinebunt, ſi tuam conſtantiam & moderationem retinebis, & noſtris vocibus auſcultabis, quæ non tam noſtræ ſunt quam Dei, & Filii ejus Chriſti, cujus Vicariatum, non noſtris meritis, ſed ſua diſpenſatione in terris gerimus.

Audi ergo nos Fili, & in charitate accipe, quę ad tua ſcripta reſpondemus. Scribis de Tornacenſi Eccleſia, ad quam tranſlatum eſſe Tullenſem Epiſcopum haud æquo animo fers, putaſque tibi injuriam factam, quod preces tuas non exaudiverimus, quas pro Cardinali Conſtantiæ ad nos porrexiſti. Et plurima ſubjungis, quæ paulò pòſt capitulatim attingimus. Sed prius quam hoc agimus, rem geſtam accipe: ſic enim & Tua & noſtra cauſa meliùs cognoſcetur.

Fuerunt Oratores tui vel bis vel ter priùſquam vacaret Eccleſia Tornacenſis: dixeruntque noſtrum Anteceſſorem Eccleſiam ipſam diſpoſitioni ſuæ reſervaſſe, ut contingente vacatione, illi provideret de perſona ſibi accepta. Petieruntque, ut Nos idem efficeremus; cum tuæ Serenitatis plurimùm intereſſet in ea civitate, quæ tua eſſet, Epiſcopum præſidere, tuæ Majeſtati fidum & acceptum.

Idem egêre nobiſcum Ducis Burgundiæ Legati, non ſemel ſed iterum, atque iterum dicentes: Diœceſim Tornacenſem fere totam, & reddituum maximam partem in poteſtate ipſius Ducis conſiſtere; ad quem magnopere pertineret, Epiſcopum Tornacenſem eum creari, qui ſibi amicus & charus eſſet, propter magnas & opulentas Flandriæ Civitates vicinas Anglis: in quibus Status ſui robur continetur. Adjicientes, retroactis temporibus, maximè à LXX. annis citra, nunquam in ea Eccleſia præfuiſſe, qui non ex charis Ducis Burgundiæ fuiſſet, & quod unus alter promotus ab Eugenio, tandem tranſlatus extitit ad Eccleſiam Narbonenſem, cum pace illic potiri non poſſet. Joannes de Harcourt: anno 1435.

Intelleximus rem utcumque arduam atque perplexam:

perplexam : nec vel tuis, vel Ducis Oratoribus quidquam certi promiſimus. Sed negantes noſtri moris eſſe, pro aliquo nominatim Eccleſiam Cathedralem reſervare, reſpondimus, contingente vacatione, Nos Eccleſiæ illi ita proviſuros, ut nulli cauſa querelæ meritò eſſe debeat.

Cumque tui Oratores pro Conſtancienſi Cardinali reſervari Eccleſiam peterent, Burgundi vero pro Epiſcopo Trajectenſi, diximus apertè, nulli duas Eccleſias commiſſuros, prout ipſi efflagitabant. Hæc ſunt promiſſa noſtra : hæc acta vobiſcum ſunt ante vacationem.

Eratque noſtrum deſiderium, ut nunquam hæc Vacatio noſtro tempore intercideret, cum videremus abſque turba & moleſtia huic Eccleſiæ provideri non poſſe.

Verum nobis Senas ex Mantua reverſis, reddita ſunt autentica ſcripta & mandata, per quæ Tornacenſis & Tullenſis Epiſcopi ex juſtis cauſis deſiderabant invicem Eccleſias ſuas reſignare, & ad alterutra transferri. Admiſimus nos Reſignationes, & Tranſlationes fecimus, de Fratrum noſtrorum conſilio. Deinde cum Viterbii eſſemus, antequam Tranſlationes prædictæ effectum ſortitæ fuiſſent, nunciatus eſt nobis obitus Epiſcopi Tornacenſis.

Commiſimus cauſam, ut fit, uni Cardinali, & facta eſt relatio in Conſiſtorio. Liberè & graviter omnes Fratres noſtri ſententias ſuas dixêre. Placuit omnibus, Tullenſem Epiſcopum ad Eccleſiam ſic vacantem transferri. Nihil ſine conſilio & matura deliberatione Fratrum egimus. Omnia eis aperuimus, quæ vel tui, vel alii Oratores in hac cauſa expoſuerant, quamquam per ſe cuncta noſſent. Fecimus hanc Tranſlationem ſuadentibus Fratribus : quorum aliqui affirmaverunt, Tullentem olim Epiſcopum tuæ Serenitati & fidelem & acceptum eſſe, ac per ejus medium Tibi ut Duci Burgundiæ complacitum iri.

Cumque Pater ille antiquus, qui multis annis cum laude Tornacenſi adminiſtrarat Eccleſiæ, in extremis vitæ, Sponſæ ſuæ de hac perſona providendum eſſe cenſeret, non videbatur ejus vel votum, vel conſilium ſpernendum. Fecimus ergo hanc Proviſionem : nec vidimus, aut Fratres noſtri viderunt, penſatâ loci & temporum qualitate, utiliùs poſſe provideri. Quod ſi hæc tuę Serenitati non placent, non eſt tamen quod ea in tuam contumeliam facta eſſe dijudices : cum nos te amemus, & honoratum ſemper eſſe velimus.

Si jam ad partes tuæ Epiſtolæ revertamur, eiſque quoad poſſumus ſatisfaciamus ; dicis imprimis, Te nunquam ceſſaturum, quouſque tua deprecatio exaudiatur. Non oportebit Te diu contendere, ſi ea petieris, quæ cum honeſtate concedere valeamus. Eſt enim lucrum noſtrum, quum tibi cæteriſque Regibus juſta petentibus complaceamus.

Dicis, Te loqui de re tui Dominii. Juris-conſulti duplex Dominium tradunt, alterum directum, alterum utile. Civitas (ut ajunt) utroque jure ad te pertinet : Diœceſis Juriſdictio tantùm. Nam utile Ducis eſt, quod multi pluris faciunt Nec tua Excellentia Epiſcopatibus hactenus vim fecit, qui in Ducatu Burgundiæ vacaverunt : quamvis aſſeras, & vere aſſeras, Principatum illum, ſicut & Flandriam à tua Corona dependere.

Dicis, Te inſtare pro Cardinali, pro perſona digna, & bene-merenti. Nihil contra perſonam ejus dictum eſt. Laudamus hominem, & quovis honore dignum cenſemus : cui Cardinalatûs inſignia, miſimus rubeum pileum : quamvis ægre ferimus (ſi verum eſt, quod aliqui retulere) eum ſcilicet in tua Curia non uti Cardinalatûs inſignibus, quaſi non acciperetur cum honore decenti.

Quod ſi ita eſt, decet tuam Excellentiam, qui dicit ſe Cardinales amare, in hac re ita providere, ne dignitas Cardinalatûs in tua Curia minor vel abjectior, quam in aliis videatur.

Dicis, non decere Cardinalem pati repulſam : non patietur, ſi ea petierit, quę abſque alterius injuria, cum Dei beneplacito concedi poſſunt.

Dicis, Eccleſiam fuiſſe reſervatam : & rem hanc à Prædeceſſore noſtro Callixto præconceſſam. Cum Callixtus obiit, omnia ejus promiſſa interierunt. Si vixiſſet in hanc diem, tui mos geſtus eſſet. Nunc de eo nihil poſſumus judicare. Sciunt docti, Reſervationes ſuas ad noſtra tempora non extendi.

Dicis, Oratores tuos impatienter à Nobis auditos fuiſſe &c. *Reliquum hujus Epiſtolæ conſiſtit in Expoſtulationibus mutuis Papæ & Regis Galliæ : quas vide in Libro Epiſtolarum Pii II. Pontif. Epiſt.* 389. *Retuliſſe nobis ſuffecerit ea, quæ ad Tornacenſis Eccleſiæ Hiſtoriam faciunt.*

Poſtremò, per amicitiam, per charitatem, per pacem quam erga Te ſervare debemus, multopere rogitas, ut precibus tuis annuentes, Tornacenſem Eccleſiam Conſtantienſi committamus, & Tullenſis Epiſcopi Tranſlationem revocemus.

Non egemus tot adjurationibus aut tot precibus ; noſtrapte naturâ tibi morem gereremus, ſi res ipſa ferret. Sed audiviſti, quoniam res geſta eſt : jam Tullenſis tranſlatus eſt, ex conſilio univerſi Senatûs Apoſtolici, & ſuæ Eccleſiæ alter præfectus. Quomodo fiet quod petis, ſine injuria ? Jam vero ventum eſt, ut præſenti quæſitum jus ſit ; id ſine cauſæ cognitione auferri non debet. Quod ſi (ut Oratores tui dixere, & Litteræ tuæ ſonant) præjudi-

cium factum putas, & hanc Tranſlationem jure æſtimas revocandam, judicium tibi rectum æquumque offerimus. Cauſa hæc de majoribus eſt, & ad Sedem Romanam pertinet. Perſuade tibi, & nullatenus dubites, ſi cauſâ cognitâ inveniremus ita eſſe, ut arbitraris, facile obtinebis ab hac Sede quod voles. Nihil enim magis optamus, quam Tuæ Serenitati per juſticiam complacere.

Hæc ad tuas Litteras: ad ea, quæ Secretarius tuus expoſuit, non cenſemus reſpondendum. Ea enim dixit, quæ de tua mente nullo modo eſſe putamus.

Datum Romæ, apud ſanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ M. CCCC. LXI. VIII. Kal. Aprilis, Pontificatûs noſtri anno III.

CAPUT CXXXII.

L'autre Requeſte aux noms des Abbé & Religieux de Saint Bertin, tendante à ce qu'il plût à Sa Majeſté ordonner, que dans l'Election qui doit ſe faire pour la nomination d'un nouvel Abbé d'Auchy, & dans celles qui ſe feront ci-après, lorſqu'elle viendra à vaquer, les Religieux d'icelle ne pourront donner leurs Suffrages qu'à des Religieux Profés de l'Abbaye de Saint Bertin, ſuivant la poſſeſſion, en laquelle les derniers ſe trouvent, de ce Droit, depuis près de ſept cens ans, & en conformité des Jugemens & deciſions renduës en leur faveur tant par les Papes, que par les Souverains d'Arthois, toutes les fois qu'ils ont été troublés.

Vû leſdites Requeſtes, la Chartre de Donation faite de pluſieurs Terres, en faveur de Saint Bertin par Adroald, entre leſquelles eſt enoncée celle d'Auchy, dattée du huit des Ides de Septembre, l'onziéme année du regne de Clovis II. Extrait des Annales de Saint Bertin, où il eſt fait mention de la Fondation du Monaſtere d'Auchy pour des Religieuſes en 681. par Saint Bertin, aidé des liberalités d'Adaſquarus, & du retabliſſement de ce Monaſtere en 1072. par Heribert, Abbé de Saint Bertin, qui y mit des Religieux & y établit le premier Abbé: Pluſieurs Copies collationnées d'une autre pretenduë Chartre d'Hubert Evêque de Teroüane, de l'année 1079. concernant la reſtauration de l'Abbaye d'Auchy par Enguerand Comte de Heſdin: Une Chartre pretenduë originale de Charles Comte de Flandre, de l'année 1112. à la ſuite de laquelle eſt tranſcrite une diſpoſition de Baudoüin ſon predeceſſeur, ſur la liberté des Elections des Abbés d'Auchy: Une Copie figurée de la Tombe d'Enguerand, Reſtaurateur de l'Abbaye d'Auchy, de l'année 1072: Une Bulle (1) d'Innocent III. dattée du deuxiéme jour des Calendes May de la douzieme année de ſon Pontificat, contenant un Jugement contradictoire entre les Religieux de Saint Bertin & ceux d'Auchy, portant que, lorſque l'Abbaye d'Auchy viendra à vaquer, les Religieux d'Auchy ſeront obligés de choiſir leur Abbé dans le nombre des Religieux Profés de celle de Saint Bertin: Sentence contradictoire de l'Evêque de Teroüane du onze May 1418. portant que l'Abbé d'Auchy doit être Religieux profés de l'Abbaye de Saint Bertin: Tranſaction du 21. Decembre 1418. par laquelle les Religieux d'Auchy ſe ſont ſoûmis à l'execution de cette Sentence: Jugement de l'Empereur Charle-Quint en faveur de l'Abbaye de Saint Bertin, de l'année 1530. Capitulation de la Ville de Saint Omer, du 22. Avril 1677. dont l'Article ſeptieme porte que la proviſion des Abbayes de Saint Bertin & de Saint Silvin d'Auchy, ſe fera

Diplom. Belg. Tom. I. pag. 7.

en même forme & maniere qu'elle a eté faite juſqu'à preſent : Une Lettre du feu Roy au Sieur Comte de Moubron, ſon Lieutenant General en Flandre, du 4. Août 1677. portant qu'après avoir examiné le procès Verbal, dreſſé par l'Intendant de Picardie & d'Artois, & par le Preſident du Conſeil Provincial d'Arras, des pretentions reſpectives des Abbayes de Saint Bertin & d'Auchy, il a reconnu, que les Abbés d'Auchy ne pouvoient être choiſis que dans le nombre des Religieux de Saint Bertin : Autre depeche du feu Roy, du 21. Août 1702. aux Commiſſaires nommés pour aſſiſter à l'Election d'un Abbé d'Auchy, portant qu'il ne ſera admis dans ladite Election que des Religieux de Saint Bertin : Proteſtation faite ès années 1677. & 1702. par les Religieux d'Auchy contre la diſpoſition des ſuſdites Depeches : Un Etat chronologique des Abbés d'Auchy, à commencer depuis Sulger Religieux de Saint Bertin, établi premier Abbé de ladite Abbaye en 1072. juſqu'à Bertin Portebois, dernier Abbé, pareillement Religieux de St. Bertin, decedé le 24. Decembre 1726, enſemble les autres pieces jointes aux ſuſdites Requeſtes.

Ouy le raport & tout conſideré : Sa Majeſté eſtant en ſon Conſeil, a ordonné & ordonne, que l'Article ſeptième de la Capitulation de Saint Omer & les deciſions donnees par le feu Roy, le quatre d'Août mil ſix cent ſoixante-dix-ſept, & vingt-un Aout mil ſept cens deux, en faveur des Religieux de Saint Bertin, ſeront executées ſelon leur forme & teneur. Et en conſequence, veut Sa Majeſté, que dans l'Election qui doit ſe faire pour la nomination d'un nouvel Abbé d'Auchy, & dans celles qui pourront ſe faire ci-après, lorſque ladite Abbaye ſe trouvera vaquante, les Religieux d'icelle ne pourront donner leurs Suffrages qu'à des Religieux profès de la dite Abbaye de Saint Bertin.

Enjoint Sa Majeſté aux Commiſſaires qui ſeront par elle nommés pour aſſiſter en ſon nom auſdites Elections, de tenir la main à l'execution du preſent Arreſt. Fait au Conſeil d'Etat du Roy, Sa Majeſté y etant, tenu à Fontainebleau le vingtieme jour de Septembre mil ſept cens vingt-ſept. Collationné. Signé : le Blanc.

LOUIS par la grace de Dieu, Roy de France & de Navarre, à notre Huiſſier ou Sergeant premier requis, Nous te mandons & commandons par ces preſentes, ſignées de notre main, que l'Arreſt ci-attaché ſous le contre-Seel de notre Chancellerie, ce jourd'hui donné en notre Conſeil d'Etat, Nous y étant, ſur les Requêtes reſpectives des Religieux de l'Abbaye d'Auchy d'une part, & les Abbé & Religieux de l'Abbaye de Saint Bertin, tu ſignifie à tous qu'il appartiendra, à ce qu'ils n'en pretendent cauſe d'ignorance, & faſſent au ſurplus, pour l'execution dudit Arreſt tous Exploits, Significations & autres Actes requis & neceſſaires, ſans pour ce, demander autre congè, ni permiſſion ; car tel eſt notre plaiſir. Donné à Fontainebleau, le vingtiéme jour de Septembre l'an de grace mil ſept cens vingt-ſept, & de notre Regne le treiziéme. Signé LOUIS. *Et plus bas,* Par le Roy : le Blanc.

(1) Bulla Innocentii III. & alia quædam ad Abbatiam Alciacenſem pertinentia, habentur Tomo III. horum Diplomatum pag. 375. Item vide Notas Tomo I. pag. 317.

CAPUT CLIX.

MARIA ELISABETHA, *Archidux Auſtriæ, Belgii Gubernatrix, Decreto dato Bruxellis anno* 1734. *Præpoſituram* Securiacenſem *vulgo* Sirault, *in Hannonia, ab Abbatia* S. Amandi, *Ordinis S. Benedicti, dependentem, ſuſcipit in Protectionem.*

Communicavit R. D. Roelants, Præpoſitus.

SOn Alteſſe Sereniſſime ayant eu raport du contenu en cette Requeſte & de l'avis y rendu par ceux du Conſeil d'Haynau, prenant favorable egard aux raiſons y contenues & notamment aux Actes de conſentement reſpectivement portez par l'Archeveque de Cambray & par le Curé de Sirault joints à ladite Requete, à par Avis du Conſeil Privé de Sa Majeſté Imperiale & Catholique permis, comme elle permet par cette au Suppliant, de pouvoir conſtruire ſur le fond de la Prevôté de Sirault la Chapelle ci mentionnée, en ſe conformant preciſement auxdits Actes de conſentement, ſçavoir de rendre ladite Chapelle publique pour le terme d'un an, à charge d'y faire les Dimanches & Fêtes une Inſtruction à la Meſſe baſſe, qui ſera celebrée avant la grande Meſſe, à l'heure dont ledit Curé & Suppliant conviendront; à condition que les Offices qui y devront être celebrez les Dimanches & Fêtes par les Religieux de laditte Prevôté ne ſe pourront faire pendant ceux de ladite Paroiſſe de Sirault. Et au ſurplus devra remettre Copie authentique du preſent Decret tant à ceux du Vicariat de Cambray, qu'audit Curé.

Fait à Bruſſelles le 4. *May* 1734. *ſigné Colo. Vt.* Et plus bas, MARIE ELISABETH.

Præter recenſitas à Monaſterio Elnonenſi vulgo Sti Amandi in Pabulâ dependentes Præpoſituras, Cortracenſem ſcilicet & Bariſiacenſem (de quibus Tomo I. pag. 377. & pag. 125. egimus) extat altera, Securiacenſis dicta (vulgo Sirault) in ejuſdem nominis Hannoniæ Cæſareæ pago ſita.

Monumenta quidem quibus Præpoſituræ hujus origo innoteſcat, cum innumeris aliis, varii qui laudato Monaſterio variis in ætatibus, acciderunt caſus, nobis eripuere. Ea quæ ſuperſunt hinc & inde memorant eam eſſe perantiquam, cenſus penſioniſve annuæ debito ergà Monaſterium cui ſubeſt oneratam olim fuiſſe, adeoque cenſus bonaque habuiſſe, ſicut & hodie, ſpecialiter ſibi deſtinata. Extant etiamnùm in Archivis dicti Monaſterii commiſſiones ab Abbatibus ſæculo XIV. datæ quibuſdam è ſuis, pro hujus Præpoſituræ officio obeundo.

Poſtèa Belgium totum dilaniantes turbationes, ſuccedenteſque alii bellorum tumultus deſtructis tandem ædificiis, deſerere coegerunt Præpoſitum, & cum ſuis ad Monaſterium remeare.

Donec Domnus Petrus Honoré Sti. Amandi Abbas 77. poſt duo ferè à devaſtatione ſæcula, anno nempè 1682. eam funditus reſtaurare aggreſſus eſt, parvo adjecto proviſionaliter Sacello. Locum ſic ſuis juribus redditum ſtatim repetiit Præpoſitus, ubi hodie cum duobus & aliquando quatuor Commonachis, pro temporum varietate, regulariter degit.

Cùm Eminentiſſimus Cardinalis De Geſvres Monaſterii Sti. Amandi Abbas Commendatarius paucis hinc annis hujus Præpoſituræ bonorum, ac ſi à menſa Abbatiali indiſtincta forent, duas è tribus partes ſibi reclamaret, ad Cæſaream protectionem ſupplici Libello Curiæ Bruxellenſi deſuper dato refugit Præpoſitus Domnus Maurus Roelans. Re totâ ad ſupremum Hannoniæ Conſilium in eoque Conſiliarium Fiſcalem judicii promendi cauſâ tranſmiſſâ, iiſque poſt accuratam & ſeriam ſupra-recenſitorum & aliorum à Præpoſito ſubminiſtratorum per multas hebdomadas diſcuſſionem reſcribentibus, evidenter conſtitit de antiquitate Præpoſituræ Securiacenſis, eamque ejuſdem eſſe qualitatis ac naturę ac cæteræ quę per Belgium paſſim dignoſcuntur. Mox exiit hoc Decretum.

Veu l'avis, Sa Majeſté Imperiale & Catholique declare, que le Suppliant n'eſt obligé de raporter & conferer à l'Abbaye de St. Amand, ni au Cardinal de Geſvres qui en eſt pourvu à titre de Commande, aucuns revenus des biens, appendances & dependances qui ſous ſa Domination lui appartiennent en ſa qualité de Prevot de la Prevoté de Sirault en Haynau, ni pour le paſſé ni pour l'avenir; ordonne à tous ceux qu'il appartient de ſe regler & conformer ſelon ce. Fait à Bruxelles le 20. *Aouſt* 1733.

Quod Decretum, per aliud anno ſequenti à Sereniſſima Belgii Auſtriaci Gubernatrice prius corroborans ſubſecutum, facultatem facit præfato Præpoſito Roelants, amplum magis extruendi Sacellum in quo divina Officia decentiùs peragerentur, quod & poſtmodum executioni mandatum extitit.

Digitized by Google

DIPLOMATUM BELGICORUM

TOMUS QUARTUS.

PARS TERTIA.

Continens Diplomata, Privilegia, Donationes, per Archiepiſcopos & Epiſcopos, Belgicis Eccleſiis conceſſa.

CAPUT I.

S. Folquinus *Morinorum Epiſcopus, in Eccleſia* B. Mariæ Audomaropoli, *quæ nunc Cathedralis eſt, ordinat Æditum ſeu Cuſtodem, de Monaſterio S. Bertini aſſumendum, anno* 839.

Ex libro, Origine des Egl. de S. Bertin & St. Omer.

EGo Folquinus Dei gratiâ Morinorum Epiſcopus, omnibus fidelibus tam futuris quam preſentibus .... Igitur Ego Folquinus Epiſcopus ſuggeſtione Hugonis Abbatis Sithienſis Cenobii, quod eſt conſtructum in Inſula Sithiu in honore Beati Petri Principis Apoſtolorum, ubi Beatus Bertinus corpore quieſcit, perpendens injuſtitiam lacrimabilem, quam Fridogiſus predeceſſor ſupra-memorati Abbatis eidem ſancto loco intulerat, totâ intentione excogitare cepi, qualiter eundem locum ad priſtinum honorem valerem reducere.

Omnibus certè notum eſt fidelibus, quoniam Sancti Confeſſores Chriſti Audomarus atque Bertinus dum adhuc in corpore eſſent, cimiterium in villa Sithiu in ſuperiori loco ad tumulanda ſua & Monachorum corpora, communi opere fecerunt, in cujus medio Baſilicam in honore Sanctæ Mariæ conſtruxerant. Quam etiam B. Audomarus S. Bertino ſuiſque Succeſſoribus donans per Privilegium quoddam Epiſcopale confirmaverat ..... quam predictus Abbas Fridogiſus non ſolum Sancto Bertino tulit, ſed etiam (quod dictu horribile eſt) Monachos ejus Deo honeſte ibidem ſervientes cum magno dedecore expulit, Canonicoſque ibi conſtituit; dum ſcilicet à temporibus Sanctorum Audomari atque Bertini Religio Monachica ibidem famulans religioſiſſimè floreret.

Quorum lacrimoſe injuſtitie, reclamationique inceſſabili compatiens, & petitioni

Hugonis venerabilis Abbatis adquieſcens, Edilitatem ſeu Cuſtodiam ipſius Baſilicæ Sancto Petro Sanctoque Bertino reddendam & Monachum ad Cuſtodiam ibi ponendum cenſui & ſtatui. Et ut quatuor temporibus in anno Miſſarum ſolempnia celebrarent ſtabilivi, hoc eſt in feria tertia dierum Rogationum, in feſtivitate quoque B. Joannis Baptiſte, & in depoſitione Sancti Audomari, in feſtivitate omnium Sanctorum.

Et quidquid ad ipſum Altare veniret, Monachi Sancti Bertini abſque ullâ contradictione juxta morem priſtinum ſecundum decretum B. Audomari, quod in Privilegio de traditione ipſius loci, Cenobitis ſcripſit & interdixit, haberent, tenerent & in perpetuum poſſiderent.....

Denique jam quidem emerſerant audaciâ temeritatis decepti, dicentes, Primatum locorum ad ſe pertinere debere. Quorum præſumptuoſe ſuperbie reſiſtens, per deſcriptionem capitularem coram quibuſdam Primatibus Regalis Palatii & hujus patriæ eos huic loco ſubegi, & conatum eorum annihilavi, &c.

Actum eſt anno Incarnationis Dominice M. CCC. XXXIX. Indictione II. Imperii autem Hludovici Regis anno XXVI. Præſulatus quoque noſtri anno XXIII. in Eccleſiâ Sanctæ Mariæ, XII. Kal. Julii, præſente univerſali Synodo.

Ego Folquinus ex conſenſu & Precepto Ludovici Imperatoris hæc voluntariè firmavi, & cum Epiſcopali interminatione ſubſcripſi, &c.

CAPUT II.

Origo Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ Gandavi, *nunc Cathedralis, anno* 941. *per* Tranſmarum *Tornacenſem ac Noviomenſem Epiſcopum conſecratæ; qui eam liberam tradidit* Gerardo *Abbati Blandinienſi.*

Ex Motivis litis, inter Epiſc. Gandav. & Abbatem S. Petri.

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. TRANSMARUS Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Sanctæ Noviomenſis Eccleſiæ Antiſtes, omnibus ſanctæ Matris Eccleſiæ filiis pacem & ſalutem.

Cum totius Eccleſiæ quieti & paci congaudemus, maximè tamen Eccleſiis noſtræ Diœceſios eandem quietem & pacem providemus; ex quibus eſt Cœnobium *Blandinium*, a beato Amando olim conſtructum inter Schaldim & Legiam, & dedicatum in honorem beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quod Comitatui & defenſioni ſubjacet glorioſi Marchiſi Arnulphi; cui ad preſens præeſt noſtræ dilectionis filius *Gerardus*, pice memoriæ Abbas.

Pro cujus loci tuitione, Nos præfatus Marchiſus cum eodem Gerardo Abbate expetiit, ut præfato loco omnique procinctui ejus eandem concederemus libertatem, quam beatus *Amandus* dudum à glorioſo Rege Dagoberto & beato Papa *Martino*, nec non prædeceſſore noſtro venerabili *Aychario* Antiſtite Noviomenſi eidem loco impetravit; reſtitutis ei quibuſdam rebus, quæ partim per violentiam, partim per negligentiam ablatæ ſunt.

Sunt autem hæ: manſioniles omnes in portu Gandenſi, cum cenſu earumdem, & cum omni Decima: Naulum etiam quod à pretereuntibus exigitur.

Capellam inſuper, quæ in eodem portu conſtructa nuper populo fuerat, præfati Cœnobii Abbate Gerardo rogante dedicavi, XVII. Kal. Maii, in honore Sti. Joannis Baptiſtæ, & Sanctorum Confeſſorum Vedaſti & Bavonis. Remotâ ab Altari ejuſdem Capellæ omni redemptione & reſpectu, tam noſtro quam Succeſſorum noſtrorum, ut perpetuâ libertate ad Blandinium reſpiceret, ſine ulla Succeſſorum noſtrorum uſurpatione. Dedicatio Eccleſiæ S. Joannis Gand.

Omnem etiam procinctum, à portu Gandenſi ſecus Schaldim fluvium, uſque *Seevergbem*, & ex inde in directum uſque Legiam, cum Eccleſia & Capella in * Meran, tam hæc, quam omnia quæ ad præſcriptum Cœnobium pertinent, noſtrâ Auctoritate firmamus; ut nullus exinde quidquam minuere preſumat: ſed perpetuâ libertate ad ſæpe-dictum Cœnobium reſpiciant. * modo Eccleſia de Marickercke.

Si quis verò exinde quidquam auferre vel minuere præſumpſerit, perpetuo Anathematis vinculo ſubjiciat, niſi reſipuerit.

Et ut hæc firma permaneant, Scripto noſtro corroboravimus.

Signum Tranſmari Epiſcopi.

S. Rudolphi Noviomagenſis & Vermanduenſis Eccleſiæ Archimandritæ.

S. Glorioſi Marchiſi Arnulphi.

S. Gerardi Abbatis.

Ego in Dei nomine Wiboldus Levita, juſſu eximii Tranſmari Epiſcopi, in vice Everardi Cancellarii ſubſcripſi, anno Dominicæ Incarnationis M. CCCC. XLI. Ludovici anno VI. 941.

CAPUT III.

ADELBOLDUS *Ultrajectenſis Epiſcopus enumerat anno* 1021. *ſeptem Vaſallos ſeu Feudatarios ac Officiales Eccleſiæ ſuæ: videlicet Ducem Brabantiæ tanquam Dapiferum; Comitem Gelriæ ut Venatorem; Comitem Hollandiæ ut Mareſcalcum; Clivіæ Comitem ut Camerarium; Comitem de Benthem ut Janitorem; Dominum de Cuyck ut Pincernam; & Dominum de Ghoer ut Signiferum.*

Ex Hiſtoria W. Hedæ pag. 111.

IN nomine Dei, Amen Operę pretium duxi ea, quæ ſequuntur ſcriptis inferere, ne poſteris lateret, quod præſens ætas faceret. Quapropter deſidero notum eſſe cunctis ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus, tam prę ſentibus quàm futuris, quod Ego Adelboldus Dei ſolummodò gratiâ ſanctæ Trajectenſis Eccleſiæ Præſul indignus, cùm Feudales liberi Trajectenſis Eccleſiæ à me feudum ſuum requirerent, prædeceſſorum meorum Epiſcoporum Trajectenſium mihi Literas oſtenderunt, continentes, quæ & qualia bona ipſi & eorum progenitores ab Eccleſiâ Trajectenſi tenuerunt. Quibus viſis, in ſcriptis feci redigi, quæ ſequuntur: Dux Brabantiæ eſt liber Feudalis Eccleſiæ Trajectenſis, tenet in feudum civitatem lapideam in Tiele, cum prędiis, familiis, mancipiis, ſylvis, aquis, piſcationibus, paſcuis, pratis, & Salictum juxta prædictam civitatem Tiele ſitum, & omnibus ad civitatem pertinentibus eandem.

Feuda Traject.

Item totam Campiniam uſque Tournoutervoerde, cum mancipiis, ſylvis, campis; officiumque ejus eſt quod vocatur & eſt Dapifer Epiſcopi Trajectenſis.

Dapifer.

Item Comes Gelriæ eſt etiam liber Feudalis Eccleſiæ Trajectenſis, & tenet in feudum Comitatum Zutphaniæ, cum multis prædiis, mancipiis, pratis, ſylvis, aquis, aquarumvè decurſibus & juſtitiis. Item Embricam cum ſuis attinentiis pro parte mediâ; & alia pars eſt Epiſcopi Trajectenſis. Item in pago Batuâ magnam partem, cum mancipiis utriuſque ſexus & juſtitiis. Item Tielrewert & Bomlrewert, cum multis mancipiis, manſis, terris, caſis, domibus, campis, pratis, aquis, aquarum decurſibus, & Juſticia. Et dicti Comitis officium eſt, quod vocatur & eſt Venator Epiſcopi Trajectenſis.

Venator.

Item Comes Hollandiæ eſt liber Feudalis Epiſcopi Trajectenſis, & tenet in feudum Comitatum Hollandiæ, & terram Kenemariæ, cum terris, manſis, ſylvis, campis, pratis, paſcuis, mancipiis, aquis, aquarum decurſibus, & Juſtitia, exceptis dictarum terrarum decimis, & terrâ Waterlandiæ & Weſt-Friſiæ, quæ totaliter pertinet ad Epiſcopum & Eccleſiam Trajectenſem. Et dictus Comes Hollandię vocatur & eſt Mareſchalcus Epiſcopi Trajectenſis.

Mareſchalcus.

Item Comes Clivenſis eſt liber Feudalis Eccleſiæ, & tenet in feudum in pago Batua in ſuperiori parte ſupra Rhenum, magnam partem terrarum & manſorum, cum caſis, domibus, mancipiis, campis, pratis, paſcuis; & ex alio latere Rheni, & in aliis quibuſdam locis, terras, manſos, caſas, domos, ſylvas, campos. Item Woudrichem, cum agris & campis, cum aquis, aquarumvè decurſibus, & Juſtitiis. Eſt & vocatur Camerarius Epiſcopi Trajectenſis.

Camerarius

Item Comes de Benthem eſt liber Feudalis Eccleſiæ, & tenet in feudum Burchgraviatum ſive Præfecturam Trajectenſem, cum plurimis manſis, terris, inſulis, campis, mancipiis, ſylvis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumvè decurſibus, & juſtitiâ in pluribus locis civitatis & Diœceſis Trajectenſis. Qui vocatur & eſt * Janitor Epiſcopi Trajectenſis.

* Janitor.

Gerardus Domicellus Comes de Benthem reſignavit circa annum 1200. feuda & homines ſuos ad utilitatem Domini de Goy.

Item Dominus de Cuke eſt liber Feudalis Eccleſiæ, & tenet in feudum multas terras, inſulas, & decimas, cum caſis, domibus & ſylvis, campis, pratis & paſcuis, aquis, aquarum decurſibus, & Juſtitiâ in diverſis locis Diœceſis Trajectenſis. Qui vocatur, & eſt † Pincerna Epiſcopi Trajectenſis.

† Pincerna.

Item Dominus de Ghoer eſt liber Feudalis Eccleſiæ Trajectenſis, & tenet in feudum caſtrum Ghoere, & terram dictam Ameide, cum multis terris, manſis, caſis, domibus, ſylvis, campis, mancipiis, pratis, paſcuis, aquis, aquarum decurſibus, mobilibus & immobilibus, & omnibus ad dictos diſtrictus de Ghoer & Ameyde pertinentibus. Qui vocatur & eſt Signifer Epiſcopi Trajectenſis.

Signifer.

Prænominati omnes Feudales Eccleſiæ in generali Synodo Epiſcopi Trajectenſis tenentur, & debent perſonaliter intereſſe, qui feudum ſuum à me receperunt in homagium, ac fidelitatem præſtiterunt coram Domino Henrico II. Romanorum Imperatore invictiſſimo Auguſto, præſentibus Aribone Archiepiſcopo & Archicapellano, Annone Colonienſi, Everhardo Treverenſi, Adelberto Hammelburgenſi Archiepiſcopis, Udalrico Vice-Cancellario & pluribus aliis, Epiſcopis, Comitibus & Regni fidelibus.

Actum in Tulpiaco caſtro anno Domini M. XXI. IV. Non. Januarii, feliciter, Amen.

CAPUT IV.

BERNOLDUS, *Ultrajectenſis Epiſcopus, Eccleſiam S. Michaëlis* Zwollis *in in Tranſiſalania, donat anno* 1040. Daventrienſi *Canonicorum Collegio, poſtmodum Cathedrali.*

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum eſſe volumus cunctis Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus tam futuris quam modo præſentibus, quod Ego *Bernoldus* Dei ſolummodo gratiâ Sanctæ Trajectenſis Sedis Præſul indignus vere conſilus in Domino cum tranſitoriis acquirere perennis vitæ gaudia, annuerim voluntati & petitioni Theodorici Daventrienſis Præpoſiti quandam Eccleſiam ad me pertinentem in Zwolle, Pago Zalland nominato, quam ipſe, dum viveret habendam à me recepit, pro remedio animæ meæ trado & transfundo in futurum poſſidendam Fratribus Daventrienſis Cœnobii eo tenore & conditione, ut quamdiu vivat illam in ſua poteſtate ſine alicujus contradictione retineat, & omni anno eiſdem Fatribus unam Libram Daventrienſem, ſicut ipſe rogavit, perſolvat unde illis per totum annum omni die dominico unus Tractus, quod Teutonice dicitur *een gerichte*, tribuatur.

Zwoll, oppidum Tranſiſal.

Exceptis tamen illis diebus dominicis & feſtis, quibus ex conſuetudine Fratribus convivium miniſtratur. Poſt ipſius vero ex hac luce diſceſſum Fratres ejuſdem Monaſterii in ſuam poteſtatem eandem Eccleſiam recipiant, & in ſuum ſtipendialem uſum quomodocumque melius potuerint vertant: ita ut neque ego ipſe neque ullus Succeſſorum meorum ex illa amplius quicquam redibitionis exigat præter aream & oblationem.

Præpoſitus vero Decimam in Villa *Wengheloe*, quam prius in manu ſua tenuit, ſupradictis Fratribus ſua ſponte dedit, ut cæteris ſolemnibus diebus, quibus novem Lectiones leguntur, inde *een gerighte* poſſint habere.

Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis milleſimo quadrageſimo, Indict. VIII. ſub die VII. Iduum Decembris publice Daventriæ, coram teſtibus odoneis, quorum hîc nomina ſubternotantur: Hazeko, Wydelo, Oddo, Tyemo, Erſlolffs, Robrache, Hoenraedt, Egiltet, Avo, Nortbracht.

Et ut hęc Traditio per ſuccedentium temporum curricula ſtabilis & à Succeſſoribus noſtris pro Dei amore & animarum ſuarum remedio inconvulſa permaneat, hanc præſentium Literarum Cartam Sigilli noſtri impreſſione fecimus roborari.

(1) BERNOLDUS, ſive BERNULPHUS, Vir Sanctus, Epiſcopus Ultrajectenſium XX. obiit anno 1054, Sepultus illic in Eccleſia Colleg. S. Petri, quam fundârat. Sepulchrum ejus anno 1675. apertum, inventaque ſunt ornamenta pontificalia, calix argenteus &c. adhuc integra. Vide Bataviam Sacram Heuſſenii Parte I. pag. 128.

CAPUT V.

LIETBERTUS *Cameracenſis Epiſcopus confirmat anno* 1074. *Fundationem Capituli* Sanctæ Crucis Cameraci, *ab* Elboldo, *dicto* Rubro, *recens inſtituti atque dotati.*

Ex Archivis Capit. Metrop Cameracen. per R. D. Canonicum le Maire.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego LIEBERTUS divina miſeratione Cameracenſis Sedis humilis Epiſcopus: prout vires mihi Deus contulit, Eccleſiæ utilitati providere præcordialier curavi, quoſque Spiritus Sancti gratiâ animatos Eccleſiaſticis commoditatibus inſervire perſenſi, conſilio, auxilio juvare, etiam poſſeſſionum largitione opitulari non ceſſavi.

Igitur Eccleſiam Sanctæ Crucis, Cameraci ſitam, petitione cujuſdam Concivis Cameracenſis, ELDEBOLDI ſcilicet RUBRI, qui ejuſdem Eccleſiæ conſtructor, eandem Canonicorum uſibus deputaverat, Eccleſiis & Altaribus, ad uſus & commoditates Theſaurariæ, exaltare curavi: quibus luminaria & cætera ad Eccleſiam pertinentia miniſtrare, & ſi quid caſu aut vetuſtate fuerit conſumptum reparare, diſpoſui.

Vide aliud Fundationis Diploma apud Miræum Tomo II. pag. 950.

Actum anno Domini M. LXXIV.

CAPUT VI.

Donationem Eccleſiarum de Bergh *&* Linne, *apud Ruræmundam in Gelria, in favorem Ultrajectenſis Epiſcopi jam olim factam per* Baldericum *Leodienſem Epiſcopum, confirmat anno* 1057 *Succeſſor ejus* Theoduinus. *Fuit autem in* Berga *Canonicorum Collegium, inde tranſlatum Ruræmundam; nunc Cathedrale Capitulum.*

PIæ memoriæ Dominus (1) Baldricus Epiſcopus, omnibus modis hujus loci honori conſulens & utilitati, cum in quodam prædio ſuo, quod ipſe Fratribus noſtris dederat, Eccleſia non eſſet, & Epiſcopus Trajectenſis, eo quod in ſuo Epiſcopatu idem prędium jaceat, decimam ſibi vendicaret, conditionem ſubiit hujuſmodi.

Duas Eccleſias pertinentes ad Epiſcopatum Trajectenſem, quarum alteri (2) Berga nomen eſt, alteri Linna, ſitas autem intra hujus Parochiæ terminos, has idem Dominus Baldricus emancipavit, & liberas dedit ab omni ſervitio Epiſcopali, quod deberent vel ſibi, vel Succeſſoribus ſuis.

Quamobrem permiſſum eſt ei à prædicto Epiſcopo, Domino videlicet (3) Adelboldo, Eccleſiam in illo prædio conſtruere, cujus nomen eſt Leinderkirca. Ad quam ab ipſo invitatus eam conſecravit, omnemque illam decimam emancipatam & abſolutam ab omni jure, vel quod ipſe in ea habere, vel Succeſſores ſui habituri viderentur, ad eandem Eccleſiam Epiſcopali auctoritate & perpetua immunitate determinavit, conſtituto tamen, ut ſervitium ſuum ſolveretur Epiſcopo.

Placuit autem Succeſſoribus eorum Domino (4) Dietwino, item Trajectenſi Pontifici (5) Wilhelmo, piæ fraternitatis amore in unum coadunatis, conditionem illam renovare, & in præſente (6) Synodo in auribus Cleri & populi publicè recitare, & ne res apud Succeſſores in dubium & contentionem veniat, Scripto firmatam memoriæ tradere poſterorum.

Teſtes Gerardus, Gotbertus,
Gedezo, Bernerus,
Godeſcalcus, Humbertus, Archidiaconi.

Ex Laycis, Comes Emmo.
Otto, Godefridus, Lambertus.
Reginardus, Humbertus.
(7) Wigmannus Comes. Nuruch.
Hermannus, Warnerus, & quicunque Synodo interfuere, tam Clerici, quam Layci.

Actum eſt hoc anno Incarnationis Domini M. LVII. Indictione x.

Ego Franco Cancellarius recognovi.

Data III. Kal. Novembris in Eccleſia Sanctæ Mariæ.

(1) Baldericus, Leodienſium Epiſcopus XLIII. obiit anno 959.

(2) Bergh, Eccleſia ſita in monte, vulgo *Odilien-bergh*, haud procul Ruremundâ, multis SS. Reliquiis illuſtrata. Vide Hiſtoriam Eccleſiaſticam Gelriæ Ducatûs, Auctore Knippenbergio pag. 46. & 47. Fuit illic olim Capitulum Canonicorum, ſub protectione Ultrajectenſis Epiſcopi. Præpoſitus illius de gremio Ultrajectenſis Majoris Capituli aſſumi debebat. Fuit autem Capitulum hoc anno 1361. è Monte S. Odiliæ tranſlatum Ruræmundam, ſecundùm Diploma editum ſupra pag. 886. & ſequent. Tomi II. confirmantibus Epiſcopis Leodienſi ac Trajectenſi: eſtque hodie Canonicorum Capitulum Cathedrale. Vide Notas ibidem.

Extat quoque Tomo I. horum Diplomatum Belgicorum pag. 499, Donatio Lotharii I. Regis, Monaſterium Bergenſe attribuentis Epiſcopo & Canonicis Eccleſiæ Ultrajectenſis.

(3) Adelboldus, Ultrajectenſium Epiſcopus XIX. deceſſit anno 1025.

(4) Dietwinus, ſive Theoduinus, de *Bavaria* dictus, Leodienſis Epiſcopus, fundator Eccleſiæ B. M. Huienſis, obiit anno 1075.

(5) Guilielmus, Ultrajectenſium XXI. Epiſcopus, obiit anno 1075.

(6) Synodus hęc Leodii habita fuit anno 1057. Unde conſequens videtur, Archidiaconos hîc nominatos, fuiſſe Eccleſiæ Leodienſis non Trajectenſis.

(7) Wigmannus, Comes Zutphaniæ, ac Dominus Gelriæ, ductâ uxore Aleyde Gelriæ hærede, ab Henrico IV. Imperatore primus obtinuit anno 1079. titulum Comitis Gelriæ.

Diploma hoc, uti & ſequens, è vetuſtis Eccleſiæ Trajectenſis Cartulariis primus in lucem dedit *Caſpar Burmannus*, J. C. Ultraject. Antiquitatum peritiſſimus ſcrutator, in Appendice vernacula Antiquitatum Eccleſiaſt. Belgii pag. 290.

Extat quoque ibi pag. 287. Diploma antiquiſſimum Luidgeri Trajectenſis Epiſcopi, quo donat anno 850. Eccleſiæ ſuæ plura mancipia.

CAPUT VII.

GUILLIELMUS, *Ultrajectenſium Epiſcopus, Abbati* Epternacenſi *Ordinis S. Benedicti, in Ducatu Luxemburgenſi, in memoriam* S. WILLIBRORDI *Epiſcopi, utriuſque Eccleſiæ, Trajectenſis nimirum & Epternacenſis Fundatoris, reddit anno* 1063 *Eccleſias XXIV. in Diœceſi ſua, à Comitibus Hollandiæ antea injuſtè ablatas.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis hæc Carta conſignata, & in Synodo confirmata, Banno Epiſcopali corroborata; quam ſi quis ſancto Willibrordo infringere voluerit, Epiſcopi Trajectenſis eſt, Banno confirmare, armis, quibus poteſt, defendere, ad communem utilitatem ſancti Martini Sanctique Willibrordi, quibuſcunque modis poteſt, retinere.

Notum ſit omnibus in Chriſto fidelibus, tam præſentibus, quam futuris, qualiter (1) Ego Wilhelmus, Sanctæ Trajectenſis Eccleſiæ licet indignè vocatus Epiſcopus, per manus Advocati mei Gerolfi Reginberto Venerabili S. Epternacenſis Eccleſiæ Abbati, ejuſque Advocato Theoderico in ſancta Synodo recognovi mediam partem Eccleſiarum earum, quæ infra nominatæ ſunt.

Quarum Matres videlicet hæ, Flardinghe, Kiericwerve, Velſereburg, Heilegelo, Pethem, aliquando à Karolo & Orthodoxis Patribus aliis Beato Willibrordo Patrono noſtro, ac primo Sedis noſtræ Archiepiſcopo, ad eandem Eccleſiam Epternacenſem traditæ fuerant, ſed a (2) Theoderico Comite, ac filio ejus (3) Theoderico, fratreque ejus (4) Florentio invaſæ, atque propter continuam bellorum ſeditionem omni Epiſcopali jure neglecto, in poteſtatem Epiſcopi Synodali auctoritate redactæ fuerant;

Cum Capellis infra nominatis, Harago, Schee, Reinsburg, Warmunde, Lieche, Muthon, Riſantwald, Aſclekervald, Agathenkirika, Hemeſenkirica, Alſcmannedilf, Spirnerezivald, Scloten, Egmonde, Alcmera, Scirmere, Aliſnen, Woggunghen, Aldentorp, Wronlo, quæ neque in termino earum, quæ modo Matres ſunt, ſitæ ſunt; quippe ubi neque conſecratio, neque terminatio ulla erat, neque ipſæ conſecratæ erant, atque ideo omnis decima, ſecundum Conſtituta Canonum, in manibus Epiſcopi erat.

Ea ſcilicet conditione, ut idem Venerabilis Abbas omneſque ejus ſucceſſores ad eandem Eccleſiam Epternacenſem mediatatem habeant earundem Eccleſiarum omnium liberam ab omni ſervitio Epiſcopali, neque cercaturam, neque oblationes Epiſcopo, neque ſervitium Præpoſito, neque ad ædificandas ſive conſecrandas vel ad terminandas eaſdem Eccleſias ullum ſupplementum præbeant, neque ad Synodum coacti veniant. Ipſi miniſtros locare, qui ſuam partem colligant, ipſi Presbyteros ponere, qui ad eaſdem Eccleſias ſerviant, ſimilem cum Epiſcopo poteſtatem habeant, ipſi in omni utilitate, quæ de eiſdem Eccleſiis provenire poteſt, ſive in redemptione earum, ſive in acquiſitione decimarum, ſive in compoſitione illati dampni, excepto Epiſcopali Banno, in omnibus mediam partem accipiant.

Si quid vero culpa Presbyterorum neglectum fuerit, nullum inde dampnum incurrant.

Et ut hæc noſtra Conventio inconvulſa permaneat, ad petitionem utriuſque Advocati in ſancta Synodo Bannum fecimus, Paginam iſtam tranſcribi juſſimus, & ipſi ſubſcripſimus.

Signum Wilhelmi Trajectenſis Epiſcopi.

Signum Gerolfi ejus Advocati.

Signum Reginberti Epternacenſis Abbatis.

Signum Theoderici ejus Advocati.

Hii ſunt teſtes: Auffridus Præpoſitus: Blydgerus Præpoſitus.

Lambertus Præpoſitus. Lindolfus Præpoſitus.

Balduinus Præpoſitus. Anſelmus Præpoſitus.

Engilbertus, & frater ejus Folcardus.

Rotbertus. Heremannus, & frater ejus Werenhere.

Rotbertus. Herradus. Baldricus. Aſcolf. Gomeno. Adalardus. Thiemo. Heremanus & frater ejus Gerhardus. Germig Hubertus.

Ravengerus Præpoſitus.

Bezelinus. Fredericus Adalbertus. Alvezo. Heſel. Orelin. Werenger. Odolt. Winethere. Werenhere. Oſtekin. Everwin.

Ne quis autem hanc Paginam falſam putet, eam Sigillo noſtro utriuſque ſignavimus. Poſtremum vero ad majorem Succeſſo-

rum fidem, Regali etiam auctoritate confirmari poſtulavimus.

Si quis irritam eam faceret, iram omnipotentis Dei, Sanctorumque Patrum noſtrorum, Martini, Willibrordi, omniumque ſimul Sanctorum incurrat, &, quod temptaverit, nunquam efficiat.

Fridericus Cancellarius vice Sigifridi Archi-Cancellarii recognovi.

Data v. Kal. Januarii anno Dominicæ Incarnationis M. LXIII. Indictione II. anno autem Ordinationis Domini Henrici IV. Regis nono, Regni vero VII.

Actum Coloniæ in Dei nomine feliciter. Amen.

(1) WILHELMUS, dictus *de Ponte*, Wichardi Geldriæ Domini filius, præfuit Ultrajectenſi Eccleſiæ XXI. Epiſcopus, ab anno 1054, uſque ad obitum 1075.

(2) THEODERICUS III. Comes Hollandiæ, deceſſit anno 1039.

(3) THEODERICUS IV. ejus filius, obiit 1048.

(4) FLORENTIUS I. frater præcedentis, occiſus anno 1061.

Poſtmodum Epternacenſis Abbas ceſſit anno 1156. Theoderico IX. Hollandiæ Comiti Jus Patronatus in ſupra-ſcriptas XXIV. Eccleſias in Hollandia ſitas (inter quas Egmunda, Rynſburg, Alcmaria, Vlaerdinga &c.) pro centum menſuris terræ. Ceſſionis Diploma refert Anton. Matthæus in Annalibus Egmondanis pag. 30.

CAPUT VIII.

HENRICUS, *Leodienſis Epiſcopus, confert Abbatiæ* S. Huberti *in Arduenna, Ordinis Sti. Benedicti, Allodia de* Braz *&* Grupont, *circa annos* 1082. *&* 1087.

Ex Archivis Abbatiæ S. Hub.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Ego HENRICUS gratiâ Dei Leodienſium Epiſcopus, ex ipſo debito Paſtoralis Curæ ſollicitus, pro augmentatione commiſſæ nobis Eccleſiæ, tum etiam pro obtinendo remedio ſalutis animæ meæ, probatâ apud me honeſta converſatione Fratrum Eccleſiæ B. Petri & beati Huberti in Arduenna ſitæ, tractus tam ejuſdem Religionis amore, quam & ipſius loci ſolitudine, cœpi eis familiariter cohabitare.

Epiſcopus habitat in Abbatia.

Ordinatâ vero menſâ prædictorum Fratrum à THEODERICO Religioſo Abbate pro ejuſdem loci poſſibilitate, cum didiciſſem & indoluiſſem eis cœnam deeſſe, Allodium *Braz* de meo proprio reditu emtum à Montenſi Comitiſſa RICHILDE, filii ſui BALDUINI conſenſu & laude, deſtinavi eis legaliter delegandum, & perpetualiter habendum ad augmentum cœnæ.

Igitur ſub obtentu hujus meæ intentionis cum egiſſem ibidem ſolemnitatem Dominici natalis, primo die procedens ad majus Altare ipſius Eccleſiæ ſancti Petri, in ſolemni præſentia Clericorum & Optimatum meorum, Paſtoralem Virgam eidem ſuperpoſui, confirmans Deo & ſancto Huberto per manus GODEFRIDI Ducis & ejuſdem Eccleſiæ Advocati, legalem Donationem prætati Allodii, cum familia & omnibus ejus utilitatibus & appenditiis, ſcilicet terris cultis & incultis, pratis, ſilvis, aquis, aquarumve decurſibus, & piſcatura, banno, latrone, foralibus & placitis, abſque venatione, quam ſolummodo uſibus meis propriis retinui.

Hoc Dono facto & confirmato anno Incarnati Verbi M. LXXXII. Ordinationis autem meæ (1) octavo, ea conditione ut dum adviverem, Memoria mei ſolemniter fieret, in duodecim menſium Kalendis, & poſt mortem meam tam pro me quam & pro cunctis fidelibus defunctis.

Procedente autem tempore anno itidem M. LXXXVII. ſuggerente Spiritu Sancto, Allodium de *Grupont* eidem Eccleſiæ legaliter in perpetuum habendum tradidi, cum familia & omnibus utilitatibus, & appenditiis ſuis, terris cultis & incultis, pratis, ſilvis, aquis, piſcaturis, & toto banno, latrone, & Placitis, abſque venatione.

Si quæ autem perſona vel noſtrorum Succeſſorum, vel qualiumcumque ſecularium poteſtatum huic noſtræ eleëmoſynæ obviare voluerit, vel invadere, vel tranſmutare, vel minuere, vel novis conſuetudinibus violenter eam infringere, vel Eccleſiæ beati Petri & beati Huberti ſubtrahere præſumſerit, ex auctoritate Dei omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, & ab ipſo nobis conceſſæ ligandi atque ſolvendi poteſtatis excommunicatus æterno Dei judicio ſubjaceat: & niſi reſipuerit, & prędictæ Eccleſiæ dignè ſatisfecerit, in extremo vitæ ſuæ à communione Corporis & Sanguinis Domini privatus cum diabolo & angelis ejus in æternum pereat.

Ut autem hæc noſtra publica Donatio permaneat legaliter, præſentis Privilegii

Digitized by Google

Paginam ſub aſſignatis teſtibus ſigilli noſtri confirmamus impreſſione.

Signum Godefridi Ducis,
S. Alberti Comitis (2),
S. Henrici (3) fratris ejus.
S. Cunonis Comitis (4),
Signum Widonis fratris ejus. (5)
S Hugonis de Bullon.
S. Thiebaldi Advocati,
S. Rodulphi filii ejus,
S. Gilleberti,
S. Godeſcalci,
S. Lamberti de Foron,
S. Albrici,
S. Anſelmi,
S. Cunonis,
S. Godefridi fratris ejus.

(1) Igitur ordinatus eſt anno 1075. quo Theoduinus ipſius deceſſor obiit 9. Kal. Julii; teſte Ægidio Aureæ-vallis Monacho.
(2) Tertii Namurcenſis.
(3) Comitis de Durbuy.
(4) Comitis Montis-acuti.
(5) Hi duo ultimi erant filii Gozelonis Comitis Bohaniæ.

CAPUT IX.

GERARDUS *Morinorum Epiſcopus, fundat ac dotat Prioratum de* Wulfraincourt (*hodie* Framecourt) *juxta Paulopolim in Artheſia, eumque tradit Monachis Benedictinis* Hamenſibus, *anno* 1084.

Ex Cartulario Abbatiæ Hamenſis.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Ego Gerardus Morinorum non meis meritis, ſed ſolâ Dei clementiâ Epiſcopus, notum fieri volo univerſis Eccleſiæ filiis, quod devotione ac precibus cujuſdam Militis Accardi nomine condeſcendens, Altare Villæ quæ vulgo dicitur *Vulfraimcourt* ad opus Monachorum Eccleſiæ *Ham* in prædicto loco Deo famulantium, liberam omni exactionis debito concedo: exceptis XII. denariis quos annuacim in Cœnâ Domini huic Matri Eccleſiæ Fratres ibidem commorantes perſolvent. Aliud quoque Altare, quod dicitur *Altaeloca* ibidem concedo liberum ſub Perſonâ.

Excomunicatos autem noſtros ſivè pœnitentes non recipiant; Oleum cum Chriſmate à nobis ipſi requirant.

Donat etiam Acardus jam prædictus ibi manſionem ſuam in Villâ quæ dicitur *Sains* cum quartâ parte ejuſdem Villæ ad eum pertinente.

Quod ſi locus præfatus divino munere adeo pullulaverit, ut Prior aut Abbas ibi conſtituatur, electio ejus penes eoſdem Fratres & Capitulum Fratrum de Ham pendeat. Electus vero Epiſcopo hujus Sedis Teruanenſis conſecrandus, præſentetur, cui debitam ſubjectionem impendat Si autem aliquis iſtud violare præſumpſerit, excommunicationi SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtræ ſubjaceat, quoad uſque pœnitentiâ ductus ſatisfaciat.

Factum eſt hoc anno Incarnationis Domini M. LXXXIV. Indictione VII. tempore Gregorii Papæ VII. regnante Philippo Francorum Rege, dominante Roberto Flandrenſium Comite, anno Præſulatus Gerardi primo, præſentibus idoneis Teſtibus.

Ego Gerardus Epiſcopus ſubſcribo.
Signum Roretonis Archidiaconi,
Sig. Arnulphi Archidiaconi,
Signum Johannis Abbatis,
Signum Audoëni Abbatis.
S Milonis Decani,
S. Odonis Cuſtodis,
S Raineri,
S. Balduini,
S. Bernardi,
S. Atelmi.
S. Roberti Vice-Comitis.
S. Euſtachii Advocati.
S. Mantet,
S. Arnulphi,
S. Mainardi.
S. Hugonis Comitis de Sto. Paulo,
S. Ateſii Coſtart,
S. Balduini,
S. Euſtachii, S. Mainardi &c.

CA-

CAPUT X.

B. GAUFRIDUS, *Ambianenſium Epiſcopus Prioratum SS. Viti & Modeſti de Liniaco* (Ligny) *ad Canchiam fluvium, in Agro Atrebatenſi* (*aliàs* Ternenſi) *inſtituit anno* 1104, *pro Priore & quatuor Monachis Cluniacenſibus, dependentibus à Prioratu* S. Martini de Campis, *ejuſdem Ordinis, Pariſiis.*

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs Sancti.

Frater (1) Gaudefridus Dei gratiâ Epiſcopus Ambianenſis, omnibus fide & operibus ſanctæ Matris Eccleſiæ filiis præſentibus & futuris, ſalutis præſentis & pacis continuam proſperitatem, & poſt tranſitoriæ vitæ exceſſum, interminabilem jucunditatem.

Orthodoxorum Patrum traditionibus Canonicisque Inſtitutionibus mihi in Epiſcopali officio agenti injungitur, ut ea quæ ſunt Eccleſiæ, cui autore Deo deſervio, cum rationabili ſollicitudine diſpenſentur, & ut quibuſque ejus Miniſtris pro ſuis meritis dividantur. Hiſque curâ ſolerti diſtributis, oportet etiam ut provideamus (quantum poſſibile eſt) quæ ad pacem eis exiſtant autenticis inſtitutis, firmiſque Privilegiis ea præmuniendo contra mundi turbines & procellas, quæ ex inſidiis perfidorum emergunt.

His itaque officio meo & ordini incumbentibus debitis excitatus, cum omni vigilantiâ procuravi ut quæ meis temporibus divinâ gratiâ largiente ex poſſeſſionibus Eccleſiæ meæ à viris religioſis recollecta fuerant & ab injuſtâ Laïcorum pervaſione retracta, ipſis boni teſtimonii & religioſi propoſiti perſonis ab Eccleſiâ noſtrâ nobiſque & Succeſſoribus noſtris jugiter poſſidenda concederem, & ad repellenda pervaſorum jacula quaſi quodam protectionis ſcuto muroque inexpugnabili Privilegiis confirmarem.

Itaque Eccleſiæ S. Martini Conf. egregii in ſuburbio Pariſienſi ſitæ, loco qui dicitur *in Campis* Eccleſiam de Linigeio (Gal. *Ligny*) cum Appenditiis ejus perpetualiter poſſidendam, Ego, & Ingelrannus noſter Archidiaconus, & aliæ Ambianenſis Eccleſiæ perſonæ conceſſimus, ad ſupplenda neceſſaria Monachorum ibi & in Cluniacenſi Monaſterio Domino militantium. Nihil tamen juris noſtri priſcæque poteſtatis in eâ imminuentes: ſed ſicut antiquitus propria Sedes Anteceſſorum meorum fuerat ad Ordinationes faciendas, & ad Chriſma, & ad alia quælibet Sacramenta Eccleſiaſtica conficienda, ita & modo perenniter Monachis id ex debito conſentientibus perſeveret. Locus ubi Epiſcopus Ambian. ordinabat.

Synodalem honorem & cenſus, & circadas & alia omnia quæ ab Eccleſiis noſtri Epiſcopatûs canonicè exiguntur, non pro ſe, ſed pro Eccleſiâ de *Viz* & de *Villereiâ*, & pro canonicè acquirendis, perſolvet.

Concedimus etiam Fratribus quidquid in in Epiſcopio noſtro per nos & Succeſſores noſtros canonicè acquirere poterunt, ſibi & Eccleſiæ noſtræ Cluniacenſi, ſalvis honeſtatibus & utilitatibus prædictis Eccleſiæ noſtræ & Miniſtrorum ejus, indubitanter acquirant. Injuſtas verò occupationes & criminalium cauſarum diſcuſſiones Cleri & populi, Canonicis Conſtitutionibus Monaſtico Ordini interminatas, noſtrâ ſub diſcuſſione conſtituentes.

Ut autem hæc Conceſſionis Confirmatio rata & inviolabilis perſeveret, ſubſcripto probationis Signo ſuppleo, ut ad poſteritatis teſtimonium, & ad veritatis indicium Privilegii hujus ſufficiat Teſtamentum.

Signum Godefridi Epiſcopi.

Signa Ingelranni & Fulconis Archidiaconorum.

Signa Rogeri Decani & Otberti Præpoſiti.

Signa Raineri Theſaurarii, & Rogeri Cantoris.

Signa Giſlaberti, Clari, Hugonis, Radulphi & Balduini, Sacerdotum.

Signa Nantaldi & Gerardi Diaconorum.

Signa Wilelmi, Hugonis, Salomonis, Subdiaconorum.

Actum in Eccleſiâ Ambianenſi, anno 1104. Dom. Incarnationis, Indictione XII. Rege Francorum Philippo, Duce exercitus filio ejus Ludovico, Conſule Ambianenſi Inranno, Epiſcopatus Gaudefridi anno primo. Amen.

(1) GAUDEFRIDUS, aliàs *Gaufridus* vel *Godefridus*, Monachus Benedictinus S. Quintini apud Peronam, inde Abbas Novigenti, eligitur Ambianenſium Epiſcopus anno 1104. Relictâ Sanctitatis fama moritur anno 1118, in Abbatia S. Criſpini apud Sueſſiones. A Molano & Miræo inter Sanctos Belgii recenſetur, ad diem VIII. Novembris.

CAPUT XI.

BALDERICUS *Tornacenſis ac Noviomenſis Epiſcopus, concedit Abbatiæ* Sti. Bavonis Gandavi, *olim Monachorum Benedictinorum, Altaria Sti. Salvatoris, Sti. Martini de Eckerghem, & S. Michaelis, in eadem Urbe: nec non Altaria de Everghem & Ronſsele, anno* 1105.

Ex Actis Iuris, contra Abbat. S. Petri.

EGo BALDRICUS Dei gratiâ Noviomenſium ſeu Tornacenſium Epiſcopus. Omnibus Catholicæ fidei cultoribus, beatæ immortalitatis gaudia, quæ promiſit Deus ſe diligentibus.

Sanctâ & Apoſtolicâ nos docente Scripturâ, Sanctorum Patrum imitari debemus exempla, per quos ſancta fundata & multiplicata eſt Eccleſia. In quantum enim poſſumus, Religioſorum vitam diligimus: & quod à nobis pro libertate Sanctæ Matris Eccleſiæ poſtulant, libenter exaudimus.

Horum ſiquidem unus, Abbas ſcilicet S. Bavonis Gandenſis Monaſterii Wulvericus, vir valde Religioſus, ad nos veniens, oravit ut Altare de Eccleſia quæ *Chriſti Cherca* dicitur, & *Altare de Eeckerchem, cum appendenti Capella ſancti Michaelis; Altare quoque de Everchem, & Altare de Rondeſlo*, quæ Eccleſia ſancti Bavonis per longa tempora tenuerat, eidem Eccleſiæ ejuſque Monachis perpetuò, ſub Perſonatu tenenda concederemus.

S. Salvatoris *vulgo Selikeſt. S. Martini in Eckerghem. Sti. Michaelis Gand. Everghem. Ronſele.*

Sanum igitur nobis viſum eſt conſilium, tanti viri petitioni condeſcendere: & quod rogavit ſibi concedere.

Conceſſimus itaque, Ego ſcilicet, & Lambertus Archidiaconus, ei, ejuſque loco ejuſque Monachis prædicta Altaria perpetuo ſub Perſonatu tenenda; eâ videlicet conditione, quod Perſonis eorundem Altarium morte ſeu qualicumque modo à Perſonatu illo decedentibus, aliæ ab Epiſcopo, ſeu ab ejus Miniſtris, pro voluntate Abbatis ſubſtituantur perſonæ, quæ & ipſorum Altarium curam gerant, & Synodalia jura Epiſcopo ejuſque Miniſtris, ſicut antea, ſolvant.

Quod ut noſtris ſeu futuris in temporibus ratum & inviolatum maneat, L. Archidiacono noſtro cæteriſque Clericis aſſentientibus, Pontificali Auctoritate confirmamus, atque Sigilli noſtri ſigno corroboravimus.

Signum Domini Baldrici Epiſcopi,
S. L. Archidiaconi,
S. Hugonis Abbatis Sancti Amandi,
S. Goteri Decani,
S. Gonteri Præpoſiti,
S. Balduini Cantoris,
S. Lamberti,
S. Alulfi,
S. Geldulfi,
S. Lamberti,
S. Guerrici.
S. Henrici Decani,
S. Hunradi Decani,
S. Bernardi Decani.

Actum anno Dominicæ Incarnationis M. C. V. Indictione XIII. regnante Rege Philippo, Epiſcopante Domino Balderico, Roberto Juniore Flandrenſium Marchiam obtinente.

Signum Guidonis Cancellarii.

CAPUT XII.

BALDERICUS *Tornacenſis ac Noviomenſis Sedium unitarum Epiſcopus, recenſet atque confirmat anno* 1111, *Altaria, in ſua Tornacenſi Diœceſi conceſſa Monaſterio* Sti. Petri *in Blandinio Monte, Benedictini Ordinis, juxta Gandavum.*

Ex Motivo Juris Epiſ. Gand contra Abbat. S. Petri.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Ego Baldericus Dei gratiâ Noviomenſium & Tornacenſium Epiſcopus, dilecto Fratri Ansboldo Abbati Sancti Petri Blandinienſis Monaſterii ſibique ſucceſſivis Fratribus impoſterum. Cum pio Prædeceſſorum noſtrorum ſolamine, ſolertique ſinceræ dilectionis curâ, Eccleſias eorum regimini ſubjectas ſemper tenuiſſe noverimus, ac illorum multiplici largitione in eiſdem Deo militantium ſubſtantiam augmentatam viderimus: Nos exequendis

præcedentium exemplis edocti, temporum veſtigiis inhærentes, & ſi non per omnia, ſaltem in aliquibus in Domo Dei degentibus pro poſſe ſubvenire debemus.

Cognoſcant itaque præſentes & futuri, Fratrem Ansboldum Sancti Petri Blandinienſis Monaſterii Abbatem cum quibuſdam ſibi ſubjectis Fratribus ad nos veniſſe, & ut Altaria, quæ diuturnâ poſſeſſione ſub Perſonatu Eccleſia ſua tenuerat, in perpetuum tenenda firmaremus, humiliter poſtulaſſe. Nos verò piam illius perpendentes petitionem, illi condeſcendere dignum duximus, atque pro Anniverſarii noſtri commemoratione, Lamberti Archidiaconi, noſtrorumque Clericorum aſſenſu, ſicut petierat, Eccleſiæ ſuæ Altaria conceſſimus.

Anniverſarium Epiſc.

Altare de Ooſtburg cum appenditiis ſuis, Altare de Vlardlo cum appenditiis ſuis, Altare de Afsné, Altare de Weſtrem, Altare de Lovendeghem, Altare de Bergina, Altare de Beverne, Altare de Odenghem, Altare de Derſelghem, Altare de Alterive, Altare de Avelghem, Altare de Ottemghem, Altare de Boſſut, Altare de Hollain, Altare de Ramelgies, Altare de Temſeca, Altare de Anetieres, Altare de Meren, Altare de Camphin, Altare de Carvin.

Tali tamen tenore, ut Perſonæ, quas Abbas ibi conſtituerit, ſive duas, ſive plures, ab Epiſcopo, vel Archidiacono, omni exactione, & perſonali redemptione remotâ, Curam ſuſcipiant, & Altaria Epiſcopales conſuetudines Epiſcopo vel ejus Miniſtris, ſicut antea, perſolvant; Abbatis etiam Juſtitiæ de rebus ſibi pertinentibus Perſonæ ſubjaceant.

Quod ſi per ipſum juſtitiam exequi noluerint, & aliquâ præcedente occaſione per Abbatem aliqua Perſonarum mutata fuerit, ab Epiſcopo vel Archidiacono ſimiliter ſuſcepta Perſonatum obtinebit. Hujus quoque Privilegii Sanctionem Pontificali Authoritate ſub anathemate confirmavimus, & ſuſceptorum teſtimonio corroboramus.

S. Domini Balderici Epiſcopi.
S. Bavonis Abbatis Sancti Amandi.
S. Lamberti Archidiaconi.
S. Gunteri Præpoſiti.
S. Goteri Decani.

Actum anno Dominicæ Incarnationis M. C. XI. Indictione ſeptimâ.

CAPUT XIII.

B. Joannes *Morinorum Epiſcopus Prioratui* S. Martini de Campis, *Pariſiis, Ordinis Cluniacenſis, donat anno* 1112. *Eccleſiam S Hilarii de* Frevenc, *hodie Diœceſis Morino-Bolonienſis.*

Ex MSS. Bolon per R. D. Lutt.

NOtum ſit omnibus futuris & præſentibus, quod Ego Johannes gratiâ Dei Tarvanenſis Epiſcopus pro amore Dei & Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Eccleſiam de Frevenz ex integro dedi Monaſterio S. Martini de Campis in manu ſcilicet Domni Pontii Cluniacenſis Abbatis, præſentibus quibuſdam ſuis Monachis, quibuſdam etiam Clericis noſtris; ſalvâ ſubjectione & obedientiâ quam prædicta Eccleſia debet mihi & Eccleſiæ Tarvanenſi, ſalvis quoque reditibus conſuetudinariis.

Hoc autem feci, rogatu Euſtachii Comitis Boloniæ & Mariæ uxoris ejus, & rogatu etiam Hugonis Ribeomontenſis Canonici noſtri, qui ipſam Eccleſiam tenebat, & aſſertione & favore Clericorum noſtrorum.

Factum publicè apud Sanctum Michaelem de Waſto, anno Dominicæ Incarnationis M. C. XII. regnante Lodovico Rege Francorum.

CAPUT XIV.

B. Joannes, *Teruanenſis ſive Morinorum Epiſcopus, agnoſcit Eccleſiam* B. Mariæ Boloniæ *ad mare olim fuiſſe Cathedralem, ordinatque Societatem ac leges inter Canonicos ejuſdem, & alios* S. Wulmari *ibidem, utrobique tunc Regulares: anno* 1113.

Ex iiſdem, ut ſupra.

EGo Joannes Dei gratiâ Morinorum Epiſcopus, omnibus in Chriſto renatis, præſentibus & futuris, notum fieri volo, quod Eccleſia Beatæ Mariæ, quæ in Urbe Boloniâ ſita eſt, Sedes Epiſcopalis, & Eccleſia Cathedralis ab antiquis temporibus poſita eſt. Huic autem Eccleſiæ de totâ Civitate, & de totâ Parochiâ decimæ & oblationes, & omnia jura Eccleſiaſticæ inſtitutionis, antiquâ obſervatione, perſolvuntur.

Quia vero Eccleſia B. Vulmari, quæ in-

tra muros Boloniæ ſita eſt, ut in eâ ſecundum Regulam Beati Auguſtini communiter vivant Fratres, ac Domino deſerviant, à venerabili Comite Euſtachio & Matre ejus Idâ, & uxore ejus Maria condita eſt; Ego quoque pro amore Dei, & fructu impeniæ ſocietatis, & Canonicæ prædictæ Matri Eccleſiæ, Fratribus in Eccleſiâ Sancti Vulmari ſervientibus, Canonicis videlicet ſolis, & non aliis, ſepeliendis Cæmeterium ſuum habere concedimus.

In tempore verò neceſſitatis, Canonici Sancti Vulmari à prædictâ B. Mariæ Eccleſiâ, ſibi ſolis, & non aliis, Oleum infirmorum accipiant. Statutis autem diebus ſolemnes proceſſiones prædictæ Matri Eccleſiæ alias perſonaliter perſolvant. Videlicet in die Palmarum à Canonicis B. Mariæ palmas accipiant, & cum eis Proceſſionis ſolemnia peragant; eodem modo in Litaniâ majore, & in diebus Rogationum, & in aliis cæteris diebus, quibus cum populo Civitatis ad implorandam divinam gratiam, neceſſitate ingruente, prædictę Matris Eccleſiæ Canonici proceſſerint.

Interdicimus autem, ne aliquis in Eccleſiâ Sancti Vulmari baptiſet, nec aliquis in eâ communicet, niſi ejuſdem Eccleſiæ Canonicos. In Purificatione verò B. Mariæ, candelæ in eâ non benedicantur, aut Suſcipiantur, niſi Canonicorum ejuſdem Eccleſiæ. In die abſolutionis, nemo in ea, niſi Canonicus, abſolvatur.

In Paſchâ, Pentecoſte, & in Natali Domini, nemo ibi ad oblationem, vel ad Communionem recipiatur, niſi Canonicus ejuſdem Eccleſiæ. In Eccleſiâ Sancti Vulmari, Parochialis Miſſa nullatenus celebretur, nec propter hoc in eâ nullatenus campana pulſetur.

Interdicimus etiam omninò, ne Canonici Sancti Vulmari quicquam eorum præſumant, quæ prædictæ Matri Eccleſiæ, ſive ejuſdem Eccleſiæ Canonicis, quoquo modo pertinent, prętereà quæ ſupra conceſſimus.

Hoc autem in præſentia Clericorum noſtrorum, & illuſtrium virorum tradimus, & ſuper anathemate conſignamus.

Actum in Boloniâ, anno Incarnationis Dominicæ M. C. XIII.

CAPUT XV.

OBERTUS *Leodienſis Epiſcopus locum* Cornelii-Montis *liberum declarat, ipſius Oratorio in honorem XII. Apoſtolorum dedicato ac FF. Præmonſtratenſibus tradito an* 1116. *Ex quo poſtmodum migrarunt in locum* Belli-reditus.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum ſit omnibus tam poſteris quam præſentibus, quia Dominus OBERTUS Leodienſis Epiſcopus, poſtquam totum *Montem Cornelium* ita liberum fecit, ut quicumque Fratrum, abjectis negotiis ſecularibus Deo militaturus deinceps illi præeſſe debuerit, tantummodo à manu Leodienſis Pontificis donum accipiat;

Poſtea Oratorium SS. Apoſtolorum in eo dedicavit; qui etiam pro ſalute animæ ſuæ conſtituit de ſuo Thelonio ſingulis annis ſolvendos XX. ſolidos, ad uſus Fratrum Deo Sanctiſque Apoſtolis ibidem ſervientium, & V. ſol. ad nocturnum luminare.

Quod ut ſalutiferum piæ imitationis exemplum tam ſuis Succeſſoribus quam cæteris Dei cultoribus fieret, Litteris annotavimus; & ut ratum inviolatumque permaneret, præſenti Sigillo ejuſdem Præſulis muniri fecimus.

Actum eſt hoc, Anno ab Incarnatione Domini M. C. XVI. Indictione IX. regnante Henrico IV. ſub teſtimonio eorum quorum nomina ſubſcripta ſunt.

Fridericus, Prępoſitus de S. Lamberto.

Henricus, Decanus;

& Archidiaconi, Andreas, Henricus, Alexander, Almanus, Steppo;

& nonnulli Confratres ejuſdem Congregationis, cæterarumque Congregationum Leodienſium, Teſtes ſunt hujus rei.

Idem Libertatis donum confirmavit anno 1124. Epiſcopus Adalbero, Olberti Succeſſor. Hujus Diploma, cum multis aliis Abbatiam *Belli-reditus* concernentibus, vide in Annalibus Præmonſtrat. Illuſtriſſ. D. Hugonis, Tomo I. Probationum pag. 272. & ſequentibus. Extant etiam in hoc Opere noſtro Diplomatico duo ſequentia.

Joannes Leod. Epiſcopus approbat anno 1288. tranſlationem FF. Præmonſtratenſium à Monte S. Cornelii, in locum Belli-reditus, vernaculè *Beaurepaire*. Tomo II. pag. 872.

Abbas S. Victoris Pariſienſis, locum de Beaurepaire, quem ante-hac Canonici Regulares incoluerant, tranſfert in Pręmonſtratenſes. Tomo III. pag. 147.

CAPUT XVI.

LAMBERTUS *Tornacenſis ac Noviomenſis Epiſcopus, concedit anno* 1121. *Abbatiæ* Sti. Bavonis, *Ordinis Sti. Benedicti Gandavi, quam-plura Altaria; quorum Patronatum hodie Gandavenſis Epiſcopus obtinet.*

Ex Actis litis inter Epiſc. & Abbatem S. Petri.

IN nomine Patris, & Filii, qui eſt veritas, & Spiritûs Sancti, qui eſt amborum caritas.

Ego LAMBERTUS divinâ miſericordiâ Tornacenſium & Noviomenſium Epiſcopus, tam futuris quam præſentibus Catholicæ Fidei cultoribus, in perpetuum.

Inter multa virtutum inſignia, per quæ ad æternitatis gloriam pervenitur, Nos, qui activæ vitæ ſollicitudine detinemur, id eſſe præclarum & ad ſalutem compendiarium non incongruè arbitramur, ſcilicet Religioſorum virorum Monaſticè degentium vitam diligere, ac debitâ veneratione fovêre, petitionibuſque eorum hilarem præbere aſſenſum, & rebus, quæ uſibus eorum deſervire debent, incrementa ſubminiſtrare.

Quam ob rem cariſſimi noſtri Domni Wulfridi venerabilis Abbatis Monaſterii Sancti Bavonis, & Fratrum inibi Monaſticè commorantium poſtulationes ſuper quibuſdam Altaribus, conſilio & aſſenſu noſtri Archidiaconi Rodberti, ſub præſentia Tornacenſis Eccleſiæ, Clericorumque noſtrorum benignè ſuſcepimus; & ut ipſa Altaria in perpetuum ſub Perſonatu liberè & abſolutè obtineant, in remiſſionem peccatorum noſtrorum, & ob noſtri obitus ſalubrem memoriam conceſſimus.

Altarium autem nomina ſubſignavimus, *Haſpera, Sinchem, Lathem, Dorlo, Venderbolt, Caninchem, Grimmene, Poeſela.* *Aſperen. Sieydinghem. Laethem. Deurle. Vinderhaute Caneghem. Grimmene. Poeſele.*

Traditio ſiquidem horum Altarium hujuſmodi eſt: ut Perſonis, morte ſeu qualicumque modo, à Perſonatu illo decedentibus, aliæ ab Epiſcopo ſeu ab ejus Miniſtris, pro voluntate Abbatis & Fratrum, ſubſtituantur Perſonæ; quæ ipſorum Altarium curam gerant, & Synodalia jura Epiſcopo ejuſque Miniſtris ſicut antea ſolvant.

Quod noſtro tempore & impoſterum, ut ratum & inconvulſum maneat, Pontificali Authoritate confirmavimus, atque Sigilli noſtri Signo corroboravimus.

Signum Lamberti Epiſcopi;
S. Rodberti Archidiaconi,
S. Lamberti Abbatis Sancti Bertini.
SS. Tornacenſium: Goteri Decani,
Theodorici Præpoſiti,
Thedberti Cantoris,
Odfridi Magiſtri,
Alberici Capellani,
Nicolai, Rodgeri, Petri, Bernardi.
S. Decani Hunradi,
Decani Tancradi,
Erpolfi Decani.

Actum anno Dominicę Incarnationis M. C. XXI. regnante Rege Lotheuvico, Epiſcopante Domino Lamberto, Karolo Flandrenſium Comitæ. 1121.

S. Hugonis Cancellarii.

CAPUT XVII.

SIMON DE VEROMANDUIS, *Tornacenſis ac Noviomenſis unitarum Sedium poſtremus Epiſcopus, confert Abbatiæ* Sti. Bavonis, *olim Monachorum Benedictinorum Gandavi (nunc Cathedrali Canonicorum Capitulo) Altare de* Waterloz, *apud Inſulas, anno* 1123.

Ex Actis, ut ſupra.

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, Amen.

SIMON, per miſericordiam Dei Tornacenſis ac Noviomenſis Epiſcopus, *Wulverico* Sancti Bavonis venerando Abbati, ſuiſque Succeſſoribus, in perpetuum.

Quia largiente Domino paſtoralis Curæ regimina ſuſcepimus, in paſcendis ovibus Chriſti vigilantiam adhibêre, gregemque dominicum debitâ ſollicitudine confovêre debemus.

Sanè de Regularibus Eccleſiis locisque religioſis major nobis cura ſolicitudinis incumbit; quibus nimirum annuente Domino, & ſpiritualia miniſtrare, & temporalia conferre ſubſidia nobis injunctum eſt.

Quam ob rem Frater Wulverice, Sancti

Bavonis Abbas venerabilis, loci tui caritate, atque laudabili religione consideratâ, Altare de *Waterloz* (1) tibi & Ecclesiæ tuæ, ad usus Fratrum, in perpetua deinceps libertate tenendum concedimus, nostrique Archidiaconi Roberti Clericorumque nostrorum assensu, præsenti Paginâ Testibus subsignatis confirmamus.

Singulis annis Episcopo Tornacensi & Archidiacono, sive eorum Ministris, Pontificalia jura atque Synodalia, tu & Successores tui juxta morem antiquum persolvetis; debitam quoque reverentiam pariter exhibentes.

Presbyter, qui ad vestrum arbitrium ibidem constituetur, si idoneus fuerit, ab Archidiacono seu Decano curam suscipiet; quibus & ipse debitam perferat obedientiam.

Hoc ut firmum vobis deinceps & inconvulsum permaneat, Episcopali auctoritate confirmamus, atque Sigilli nostri impressione signamus.

Signum Domini S Episcopi,
S. Roberti Archidiaconi,
S. Walteri Abbatis Sancti Amandi,
S. Arnaldi Abbatis Sancti Petri.
S. Alberici Magistri,
S. Odonis Buffoit,
S. Hugonis de Roia,
S. Hunradi Decani,
S. Bernardi Decani.

Actum Remis in Consecratione nostra, anno Dominicæ Incarnationis M. centesimo vigesimo tertio, Indictione primâ, regnante Rege Ludovico, Episcopante Domino Symone, Karolo Flandrensium Marchiam gubernante. Nota Consecrationis.

S. Hugonis Cancellarii.

(1) WATERLOZ, Parochia Diœcesis Tornacensis, sub Decanatu Helcinensi Gallorum. Decimas & bona plurima illic obtinet Cathedrale Capitulum Gandense. Jus Patronatûs est penes Episcopum Gandavensem, ex antiquo jure Abbatis S. Bavonis.

CAPUT XVIII.

SIMON *Tornacensis ac Noviomensis Episcopus, donat anno* 1123. *Abbatiæ* Sti. Petri *in Monte Blandinio, Ordinis Sti. Benedicti juxta* Gandavum, *Altaria de* Eecke *&* Auweghem, *item Capellam de* Coefvoorda, *quæ hodie est Parochia S. Ægidii in Wasia.*

Ex Motivo Episc. Gandav. contra Abbatem S. Petri.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, amen. SIMON Dei gratiâ Tornacensis & Noviomensis Ecclesiæ Episcopus, Fratri *Arnoldo* venerabili Abbati Sancti Petri Blandinensis Cœnobii, suisque Successoribus in perpetuum.

Res quæ Ecclesiis conferuntur, oblationes sunt fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum. Eas nimirum tueri, conservare & augêre, debitâ paternitate debemus. Sanè Pastorale est Officium oves dominicas fovêre, & eorum qui Christi servitio semper assistunt, modis omnibus conservare quietem.

Tibi itaque Frater Arnolde Sancti Petri Blandinensis Abbas, venerabilis loci tui religione, & charitate quam in Christi pauperes erogas, diligenter consideratâ, Ecclesiæ tuæ in libertate perpetuâ *Altare de Eeka & Altare de Oudenghem* concedimus, nostrique Archidiaconi Rodberti, Clericorumque nostrorum consilio & assensu Privilegio præsenti confirmamus. Singulis annis tu & Successores tui juxtà morem antiquum Nobis & Archidiacono nostro Episcopalia simul & Synodalia jura persolvetis, debitam pariter reverentiam exhibentes.

Presbyter qui ad vestrum arbitrium constituetur, curam ab Archidiacono seu à Decano suscipiet, quibus & ipse debitam in omnibus persolvet obedientiam.

Præterea *Capellam de Coefvoorda*, qui locus tamquam heremitalis & solitarius est, tibi tuisque Successoribus omninò liberam in perpetuum concedimus, ut qui ibi constituti fuerint, Episcopo Tornacensi ac Ministris ejus debitam tantummodò exhibeant reverentiam. Hæc vobis confirmamus, & Sigilli nostri impressione consignamus.

S. Simonis Tornacensis & Noviomensis Episcopi.
S. Roberti Archidiaconi,
S. Goteri Tornacensis Decani.
S. Theodorici Præpositi.

Actum Tornaci anno Dominicæ Incarnationis M. C. XXIII. Indictione primâ.

Ego Hugo Cancellarius subscripsi.

CAPUT XIX.

ROBERTUS, *Atrebatenſis Epiſcopus, donat Abbatiæ* S. Bertini *Ordinis Sti. Benedicti Audomaropoli, quatuor Altaria*, Aneſin, Werkin, Salomaris, *&* Hontay, *anno* 1123.

Ex Archivis Abbatiæ Bertinianæ

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti. Ego ROBERTUS Dei gratiâ Atrebatenſis Epiſcopus, venerabili Fratri Lamberto Abbati S. Bertini ejuſque Succeſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum.

Sacerdotali congruit benevolentiæ, eorum qui in ſanctæ Matris Eccleſiæ gremio, fide moribuſque proficiunt, ſancta ſtudia juvare, piis votis concurrere & maxime eorum qui jugo Monaſticæ Sanctionis humilia colla ſubdidêre. Unde Frater reverende, Abba Lamberte, cum à veſtra dilectione rogarer, quatenus aliquot Altaria de noſtra Diœceſi Monaſterio veſtro conferrem, quæ Fratrum ibidem Deo, ſanctiſque ejus Bertino, Audomaro, Folcuino, Silvino ſervientium uſibus proficerent, amore ductus veſtræ veſtrorumque filiorum religionis, petitionem veſtram eo citius, eoque libentius exaudiendam judicavi, quanto clarius conſtat, quam ea quæ fidelium oblatione Eccleſiæ veſtræ collata ſunt non in proprietates Monachorum, non in turpes uſus ſæcularium miſerâ vanitate conſumuntur, ſed hoſpitum ſuſceptioni, pauperum recreationi, ſufficienti domeſticorum amminiſtrationi, honeſtâ & rationabili largitate diſpenſantur.

Laus Bertinenſium.

Hujus igitur rei conſideratione, nec non & Archidiaconorum noſtrorum Drogonis atque Roberti conſilio, hæc Altaria his nominibus nuncupata: Aneſin, Werkin, Salomaris, Hontai, cum appenditiis Capellis, ad refectionem Fratrum vobis perpetuo jure poſſidenda conceſſi; ſalvis dumtaxat noſtris & Archidiaconi Miniſtrorumque noſtrorum conſuetudinibus, ſicut Atrebatenſis Eccleſiæ canonicus mos exigere cognoſcitur.

Hoc inſuper addito, quod Vos veſtrique Succeſſores, niſi præoſtenſa competenti excuſatione, celebrandis Synodis noſtris non omittatis intereſſe. Quiſquis itaque hanc noſtram Donationem quolibet modo infringere vel violare præſumſerit, ſi non ſatisfactione congrua delictum ſuum correxerit, in tremendo examine æternæ diſtrictioni ſubjaceat.

Actum apud Sithienſe Monaſterium anno Dominicæ Incarnationis M. C. XXIII. Indictione I. præſentibus idoneis Teſtibus, quorum ſic nomina ſubnotantur.

S. Roberti Epiſcopi.
S. Drogonis Archidiaconi.
S. Roberti, Archiaconi.
S. Aluiſi * Aquicinctenſis.
S. Bernardi & Hurardi Canonicorum,
S. Hugonis Præpoſiti Bethunienſis,
S. Warneri Decani;
S. Hugonis Diaconi.
Ego Saiwalo, Cancellarius ſubſcripſi.

* Subintellige, Abbatis. Is dein fuit Epiſc. Atrebat an. 1131.

CAPUT XX.

ADALBERO, *Leodienſis Epiſcopus, plures à* GODEFRIDO *Namurcenſi Comite Donationes Abbatiæ* Floreffienſi *factas, ipſique Beato* NORBERTO *traditas Confirmat; ac plura libertatis Eccleſiaſticæ jura ipſe largitur, anno* 1124.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Quia nova quæ veteribus ſuccedunt, ipſa vetuſtatis facta obliviſci nos faciunt, Notum ſit omnibus, quod Ego ALBERO, gratiâ Dei Leodienſium Epiſcopus, petitione quorumdam fidelium, & Domini Norberti Apoſtolici & Regularis viri, conductu etiam Comitis Namurcenſis Godefridi, Eccleſiam de Floreffia, quam prædictus Comes eidem Domino Norberto dederat, & Fratribus ſub Regulâ Sancti Auguſtini viventibus, illam ego tanto honore extuli, tanto libertatis Privilegio ſublimavi, ut Chartâ & Sigillo eam eis, & eorum poſteris confirmarem.

Nota titulos viventi datos.

Quæ Eccleſia libera eſſet à ſervitio, à cæterarumque conſuetudine Eccleſiarum, ab omni prorſus exactione Epiſcopi, Archidiaconi, Decani. His autem Eccleſiæ conceſſis, Eccleſiæ Leodienſi hoc ſolummodo habendum de illâ retinui, Ordinationem Fratrum, & filialem loci ſubjectionem; & ſi quem de eo loco, vel ejuſdem propoſiti, Patrem canonica Eccleſiæ illius libertas elegerit, eum Succeſſor meus

Digitized by Google

ſacret ; vel ſacretur , ubi , petitione Fratrum , & neceſſitate idoneâ cogente , eum ſacrari permiſerit.

Si quid etiam aliquibus in Conciliis , in Synodo , de Jure , de negotiis & utilitatibus Eccleſiæ tractare contigerit Epiſcopum, & per Litteras & Legatum ſuum , de quiete ſuâ Pater evocetur , ad dirigendum ejus conſilium. Parochiam ſive de eis , ſive per eos , boni teſtimonii aliquis de manu Patris accipiat.

De Familiâ Altaris, propter ſolum capitis cenſum , Comes omnem juſtitiam ſibi retinuit , videlicet per cuſſiones , ſanguinis effuſiones , cædes , manûs immiſſiones in ancillis, res de manu morientium ; eâ tamen conditione, ut ſi quis fidelium ibidem bonum aliquod apponeret , poſt defenſionem & injurias Eccleſiæ removendas ipſe & hæres ſuus nihil exigeret.

Laudavit etiam, quod ipſe & hæres ſuus unicus, & ſingularis noſter Advocatus , in ſingularem & unicam Eccleſiæ libertatem , nullum ſubſtitueret Advocatum.

Hujus rei Teſtes ſunt : de Clericis,
Præpoſitus de S. Lamberto , Andreas,
Henricus Archidiaconus junior ;
Primicerius Metenſis Albero,
Steppo Scholaſticus Sancti Lamberti ,
Gerardus Canonicus,
Eppo Capellanus.

De Laïcis : Lambertus Comes de Monte-acuto ;
Comes Herimannus de Salinâ ;
Godeſcalcus de Jaſch ;
Adelardus de Cymay,
Adelo de Namurco ;
Thomas de Ham.

Actum eſt hoc aſſiſtentibus tam Comitiſſâ, quàm filiis & filiabus ſuis , anno Incarnationis Dominicæ M. C. XXIV. Indictione II. regnante Henrico V.

Hoc Statutum Banno Epiſcopi in generali Synodo ſancitum , & tot tam idoneis, tam Nobilibus teſtibus in eodem Conventu XIII. Kal. Junii confirmatum. 1124.

CAPUT XXI.

BURCHARDUS *Cameracenſis Epiſcopus concedit anno* 1125 *Abbatiæ* S. Bavonis , *olim Monachorum Ordinis S. Benedicti* Gandavi , *Altare de* Eſſcha S. Livini *in Comitatu Aloſtano , hodie ſub Archiepiſcopatu Mechlinienſi.*

Ex lite inter Epiſc. Gandav. & Abbatem S. Petri.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Burchardus divinâ miſeratione Cameracenſium Epiſcopus , notum fieri volo tam futuris quam præſentibus , quæ habentur in ſequentibus.

Quoniam officio Paſtoralis regiminis , & ex ammonitione Scripturæ, jubentis eleëmoſinam pauperum non defraudari, Eccleſiis tam nobis creditis quam alienis benefaciendo prodeſſe , & in eis Deo militantibus ſtipendia providêre , prout facultas ſuppetit , debemus ; manum miſericordiæ piè poſtulantibus ſubtrahere in temporalium amminiſtratione non audemus.

Pro noſtra igitur noſtrorumque Prædeceſſorum ſalute, devotæ petitioni Venerabilis Abbatis Wulverici , ceterorumque ejuſdem Cœnobii Sancti Bavonis Fratrum condeſcendentes , Altare de Eſca abſque perſonis deinceps liberum beato Bavoni Gandenſium Patrono canonicè contradimus.

Eſca, vulgo *S. Lievens-Eſſche.*

Hoc autem Privilegium noſtrum ſub hac ſequenti determinatione confirmamus : quatenus Abbas, ſi præſens aut nullâ infirmitate detentus fuerit , Synodales Conventus Epiſcopi frequentet , Juraque Pontificalia Epiſcopo ſive Miniſtris ejus perſolvat. Si vero de abſentia Abbatis aut infirmitate nequidquam horum contigerit, Prior præfatæ Eccleſiæ vicem ſui Abbatis in Synodali frequentatione & debiti perſolutione ſuppleat.

Sacerdos vero in eodem Altari deſerviens curam animarum de propria manu Epiſcopi accipiat , neque Capitulares Conventus Archidiaconi ſui aut Decani obſervare contempnat.

Et ne aliqua futurorum temporum vetuſtas hujus noſtræ Donationis deleat memoriam, Kartam iſtam noſtri impreſſione Sigilli ſubſignavimus ; & ne quis eandem violare præſumat, Auctoritate Dei Patris & beati Petri Apoſtolorum Principis noſtrique Miniſterii ſub anathemate prohibemus.

Signum Radulfi ejuſdem partis Archidiaconi.
S. Anſelli Archidiaconi.
S. Joannis Archidiaconi,
S. Theodorici Archidiaconi,
S. Erlebaudi Præpoſiti,
S. Oilardi Decani.
SS. Guidonis, Rotberti, Lamberti, Offridi , Maſcelini,
Hugonis , Gueriboldi, Canonicorum.

Actum anno Verbi Incarnati milleſimo centeſimo vigeſimo quinto, Indictione tertia, Præſulatûs Domini Burchardi decimo.

CA-

CAPUT XXII.

BURCHARDUS *Cameracenſis Epiſcopus confirmat anno* 1125. *Fundationem Abbatiæ* S. Foliani in Rhodio, *Religioſorum Præmonſtratenſium in Hannonia; Præpoſito & Canonicis Capituli Foſſenſis prima Fundamenta ponentibus, ſub certâ hîc expreſſâ recognitione.*

Vide Tom. I. Diplom. Belgic. p. 103.

BURCHARDUS Dei miſeratione Cameracenſium Epiſcopus, tam futuris, quam præſentibus in perpetuum. Cum ad noſtræ ædificationis profectum, Salomonis clamet Autoritas: *Congregationi pauperum affabilem te facito, & ſi quod beneferis, ſcito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa*: ſanum reputavimus conſilium, ob animæ noſtræ ſalutem, piæ petitioni Eccleſiæ B. Foillani de *Foſſis* condeſcendere.

Noſtrarum igitur perſonarum communicato conſilio, Altare de *Strepi* cum omnibus appendiciis ſuis, Altare de *Arkenna*, propè Nivellas, Altare de *Walers*, Capellam de *Burla-fontana* eidem Eccleſiæ, ad uſus ſiquidem Fratrum qui in Capella S. Foillani in ſylvâ de *Carbonariis*, ubi martyriſatus eſt, regulari habitu Deo deſervientes, libera & abſque omni penſione conceſſimus.

Ita tamen, ut Altare de *Strepi* Epiſcopo Cameracenſi ſive ipſius Miniſtris, quotannis in feſtivitate Lucæ Evangeliſtæ tres ſolidos perſolvat.... tantumdem Altare de *Walers*, Altare verò de *Arkenna* decem & octo nummos Nivellenſis monetæ: Burlafontana ſex nummos. Hoc autem fiat, ſalvo jure Archidiaconorum per omnia.

Et quia omne membrum capitis ſui dignitatem quocunque debet venerari reſpectu, ſtatuimus ut ſingulis annis Capella illa Eccleſiæ *Foſſarum* aureum nummum ſive duodecim nummos cenſualiter reddat. Recognitio.

Quod ſi locus ille meritis B. Foillani & Fratrum religione adeò excreverit, ut loci facultas Abbatis dignitatem exigat, ſancimus, ut Fratres in unum convenientes, Foſſenſis Capituli aſſenſu & conſilio ſibi Abbatem eligant, electum Foſſas conducant & aſſumpto baculo ſuper altare, Cameracum ut conſecretur, reducant, deinde conſecratus per manum Archidiaconi in ſede ſua collocetur. Cerimoniæ in electione Abbatis.

Ut autem hujus rei ſeries rata permaneat, terribili maledictione promulgatâ in prevaricatores, datâ pace conſervatoribus, præſentem Paginam noſtræ imaginis impreſſione ſignavimus, & ſubſignatorum Teſtium adſtipulatione canonicâ corroboravimus.

Signum Anſelmi eorumdem Altarium Archidiaconi.

Signum Erleboldi Præpoſiti.

Medardi Decani.

Roberti Cantoris,

Balduini, Radulfi, Werinbaldi, Godefridi, Hugonis, Marcellini.

Signum Guidonis, Gerardi, Capellanorum.

Actum anno Incarnati Verbi M. D. XXV. Præſulatûs Domini Burchardi octavo.

CAPUT XXIII.

SIMON *Tornacenſis Epiſcopus donat Abbatiæ* S. Bavonis, *Ordinis* S. *Benedicti* Gandavi, *Altare de Moerſeke, vulgariter* Moeſſche, *in Agro Teneramundano, anno* 1125.

Ex Actis litis inter Epiſcopum Gandav. & Abbatem S. Petri.

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, amen. SYMON, per miſericordiam Dei Tornacenſis ac Noviomenſis Epiſcopus, Wulverico ſancti Bavonis venerando Abbati, ſuiſque Succeſſoribus, in perpetuum.

Quia largiente Domino Paſtoralis Curæ regimina ſuſcepimus, in paſcendis ovibus Chriſti, vigilantiam adhibere, gregemque Dominicum debitâ ſollicitudine confovere debemus. Sane de Regularibus Eccleſiis locisque religioſis, major nobis cura ſollicitudinis incumbit, quibus nimirum annuente Domino, & ſpiritualia miniſtrare, & temporalia conferre ſubſidia nobis injunctum eſt.

Quam ob rem, Frater Wulverice, ſancti Bavonis Abbas venerabilis, loci tui caritate atque laudabili Religione conſideratâ,

Digitized by Google

Altare de (1) *Murzeke*, tibi & Eccleſiæ tuæ, ad uſus Fratrum, in perpetua deinceps libertate tenendum concedimus, noſtrique Archidiaconi Roberti, Clericorumque noſtrorum aſſenſu, præſenti Paginâ teſtibus ſubſignatis confirmamus.

Singulis annis Epiſcopo Tornacenſi, & Archidiacono ſive eorum Miniſtris, Pontificalia Jura atque Synodalia, Tu & Succeſſores tui, juxta morem antiquum perſolvetis: debitam quoque reverentiam pariter exhibentes. Presbyter qui ad veſtrum arbitrium ibidem conſtituetur, ſi idoneus fuerit, ab Archidiacono ſeu Decano, curam ſuſcipiet, quibus & ipſe debitam perferat obedientiam.

Hoc ut firmum vobis deinceps & inconvulſum permaneat, Epiſcopali auctoritate confirmamus, atque Sigilli noſtri impreſſione ſignamus.

Signum Domini Symonis Epiſcopi,
S. Roberti Archidiaconi,
S. Arnulfi Abbatis Sancti Petri,
S. Aluiſi Abbatis Aquicinenſis,
S. Haroldi Abbatis Ardenburgenſis.
SS. Tornacenſium: S. Goteri Decani,
S. Theoderici Præpoſiti,
S. Lietberti Cantoris,
S. Walteri Magiſtri,
S. Movini,
S. Walteri.
SS. Capellanorum, S. Odonis Byffoit,
S. Hugonis de Roia,
S. Heynradi Decani,
S. Bernardi Decani.
S. Mannonis,
S. Rodulfi,
S. Winemari.

Actum Inſulis anno Dominicæ Incarnationis M. centeſimo vigeſimo quinto, Indictione III. regnante Rege Ludovico, Epiſcopante Domino Symone, Karolo Flandrenſium Marchiam gubernante.

S. Hugonis Cancellarii.

(1) Notiſſimum eſt, Abbatiam S. Bavonis Gandavi anno 1536 per Paulum III. Pont. fuiſſe ſæculariſatam, ac loco Monachorum Benedictinorum inſtitutos fuiſſe Canonicos ſæculares, qui hodie Capitulum Cathedrale Gandavenſe conſtituunt. Hinc Epiſcopus Gandavenſis, in Jura Abbatis quondam Bavoniani ſuccedens, hodie Patronus eſt Eccleſiæ B. Martini de Moeſeke, ſub Territorio ac Decanatu Teneramundano. Abbatiæ S. Bernardi ad Scaldim, Ordinis Ciſtercienſis plures quoque hîc obtinet poſſeſſiones. Vide Sanderi Flandriam.

CAPUT XXIV.

S. NORBERTUS, *Magdeburgenſis Archiepiſcopus, in Eccleſia ſua Metropolitana Canonicos Regulares Ordinis ſui Præmonſtratenſis in locum ſæcularium ſubſtituit, anno* 1129.

Ex Actis SS. ad diem VI. Junii.

EGo NORBERTUS Dei gratiâ Magdeburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus. Notum ſit omnibus tam futuris quam præſentibus, quod Ego ſtatum Magdeburgenſis Eccleſiæ attendens, & eam ſublimare in Religione cupiens, & immunitate integrare, & minus correcta reformare ſtudens, in ipſa civitate Eccleſiam beatæ Mariæ genitrici Dei perpetuæ Virgini dedicatam, interiùs & exteriùs adeò attenuatam, ut & ſarta tecta ipſius Eccleſiæ omnino ferè eſſent annihilata, ut duodecim Clericis in ea Deo deſervire conſtitutis non ſufficerent alimenta;

Ex his enim, quæ ad illam pertinebant Eccleſiam, plurima erant Militibus diſtributa, quædam per negligentiam jacebant inculta, quædam in aliorum uſus uſurpata, ita ut Eccleſia ferè irrecuperabiliter eſſet deſtituta.

Nos itaque paupertati eorum & frequenti eorum querimoniæ condolentes, & Eccleſiam magis creſcere quam decreſcere cupientes, monendo, exhortando, ſuadendo hoc ab eis obtinuimus, ut de illa exeuntes Eccleſia, Religioſis viris communi vitâ ſub Regula beati Auguſtini deſervientibus cederent & ſe proviſioni noſtræ ſine omni conditione crederent.

Ut autem ipſi in Clauſtrali ſicut priùs diſciplina ſub Decano viverent, Eccleſiis aliis in civitate eos attitulavimus, quoſdam in Eccleſia beati Nicolai collocavimus, quoſdam de bonis ipſius Eccleſiæ ſuſtentavimus. Fratres enim noſtros Eccleſiæ ſubſtitutos priſtinis Eccleſiæ poſſeſſionibus & juſtitiis donavimus, & pro ampliore pace & quiete eos ad neminem, niſi ad Nos & Succeſſores noſtros, reſpectum habere ſtatuimus.

Ut igitur hæc in perpetuum inconvulſa permaneant, Banno Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli & noſtro confirmamus; conſervantibus pax & remiſſio peccatorum.

Si verò aliqua conditionis alicujus perſona ſtudii noſtri laborem præſumpſerit caſſare, temerario auſu pauperes Chriſti diſturbare, aliquâve occaſione voluerit eli-

Digitized by Google

minare, ſit Anathema, Maranatha uſquè in diem Domini.

Ego Cluderus ſubſcribo,
Ego Tiburtinus ſubſcribo,
Ego Wernerus ſubſcribo,
Ego Sedagius ſubſcribo,
Ego Anſelmus ſubſcribo,
Ego Theodoricus ſubſcribo,
Ego Sigeldus ſubſcribo,
Ego Godeſcalcus ſubſcribo.

Actum eſt ab Incarnatione Domini anno M. C. XXIX. Indictione VII. IV. Kalendas Novembris, in ſuburbio civitatis Magdeburgenſis, in Abbatia beati Joannis Baptiſtæ.

CAPUT XXV.

ERMESINDIS *Comitiſſa de* Muhalt *fundat ac dotat Monaſterium* S. Victoris *Monialium Ordinis Cluniacenſis in ſuburbio* Huienſi. *Fundationem confirmat* ALBERO *Leodienſis Epiſcopus, anno* 1130.

Ex Archivis Abbatiæ S. Huberti.

IN nomine Sanctæ & individuę Trinitatis. Ego ALBERO Dei gratiâ Leodienſis Epiſcopus, notum eſſe volo tam præſentibus quam futuris Eccleſiæ filiis, quod Domina ERMENSENDIS (1) Comitiſſa de Muhalt, quæ uxor extitit Nobiliſſimi Comitis ALBERTI, divina patrimonia quæ in ſuis poſſeſſionibus Eccleſiarum ſunt, piâ liberalitate amplificans, ſuggerente quadam nobili & religioſâ fœminâ nomine REGINA (2) ſibi etiam conſanguinea, Eccleſiam beati Victoris (4) quam jure ſui allodii, in cujus feudo ſita erat, in ſuburbio Hoyenſi libere poſſidebat, Eccleſiæ Cluniacenſis beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & ſuæ filiæ quæ eſt in (3) *Marcuniaco*, indotatam ſine aliquibus appenditiis, tantum cum ſui ambitu cœmiterii, in ſuum perpetuum Jus legavit Monaſtico Ordini, deputatam noſtræ defenſioni & omnium Leodienſi Sedi Præſidentium, adverſus omnem calumniam jure Parochiali commiſit.

Amplius, ſi quis ex familia ſua ſpiritu bonæ devotionis perſuaſus aliquid de ſuis rebus vel poſſeſſionibus liberis ad jus prædictæ Eccleſiæ transferre vellet, & proprium patrimonium ibidem inſtituere, votum illud ſuo aſſenſu confirmavit; quoniam tali ratione Dominum, ſub quo nulla paupertas ſortitur, quia ſua eſt terra & plenitudo ejus, facile municipia ſua, Eccleſiam ſuam viſitaturum non dubitatur.

Sed quoniam prædicta Eccleſia nihil adhuc poſſidebat, unde vel ſolus in ea Monachus qui officio miniſtraret Sacerdotali ſuſtentaretur, duxerunt oneroſum Eccleſiæ illi Præſidentes, cum propter locorum diſtantiam & itineris difficultatem, tum etiam propter continuam ſollicitudinem procurandorum ſtipendiorum aliquem de longinquis ſuis Fratribus ad datam ſibi Eccleſiam mittere. Idcirco diſpoſitione providâ, ipſa Trinitatis, ſuâ authoritate, Dominus Abbas Cluniacenſis ſub teſtimonio memoratæ Comitiſſæ ordinavit, ut ſi illa facultatibus adeo creſcat, Matri ſuę Eccleſiæ quæ eſt in Marcuniaco in pignore filialis dilectionis & debitæ ſubjectionis annorum meorum ſingulis annis per manus Prioris ejuſdem ſupradictæ Eccleſiæ mitteret.

Hanc igitur aſtipulationem Ego Albero humilis Miniſter ſanctæ Leodienſis Eccleſiæ, teſtimoniali ſcedulâ confirmare, & Sigilli mei appoſitione ſtudui roborare, anno Dominicæ Incarnationis M. C. XXX. Indictione II. Conrado Regni Sceptra regente.

Eadem Comitiſſa prædicta dedit Eccleſiæ Sancti Victoris decem bonaria terræ cenſualia. . . . .

Bulla LUCII II. *Papæ, pro eodem Monaſterio, circa ann.* 1145.

LUCIUS, Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo Leodienſi, & dilectis filiis Capellanis de Caſtro Hoyenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Quoties illud petitur à nobis, quod Religioni & honeſtati convenire dignoſcitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium deſideriis congruum impartiri ſuffragium. Dilectioni itaque veſtræ notum fieri volumus, quod Religioſorum Fratrum Cluniacenſium precibus inclinati, Religioſarum Sanctimonialium de Marcuniaco neceſſitatibus paterno affectu providere volentes, Eccleſiæ ſancti Victoris, quæ juxta præfatum Caſtrum ſita eſt, liberam ſepulturam conceſſimus; ut videlicet eorum qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, devotioni & extremæ voluntati nullus obſiſtat: ſalvâ tamen juſtitia Matricis Eccleſiæ.

Quia igitur quæ à Sede Apoſtolica ſtatuuntur, à vobis debent irrefragabiliter obſervari, per Apoſtolica Vobis ſcripta mandamus, quatenus eandem Eccleſiam ſu-

Digitized by Google

per hac noſtra conceſſione nullatenus perturbetis, nec quemlibet ibidem ſupradicto modo ſepeliendum, niſi forte excommunicatus ſit, prohibeatis.

Datum in Laterano XIV. Kal. Junii.

(1) ERMENSINDIS. Ejus Teſtamentum extat in Collectione Diplomatica Guichenonii, pag. 292.

(2) REGINA. Vide Diplomata Miræi Tomo I. pag. 358. ubi memoratur fundatrix Prioratûs de Aiwaille, in Arduenna.

(3) MARCIGNY, Prioratus Monialium Ord. Cluniacenſis, in Diœceſi Matiſconenſi.

(4) Situm eſt hoc Monaſterium S. Victoris in Suburbio Huienſi, Diœceſis Leodienſis. Initium ei dedit B. Notgerus Epiſcopus circa annum 1007, ad preces S. Odilonis Abbatis Cluniacenſis Dotem contulit Ermenſindis Comitiſſa de Moha, Alberti Comitis vidua; quam poſtmodum notabiliter adauxit Hugo Comes de Moha & Dalbourg, Ermenſindis è filio nepos. Eandem confirmavit anno 1130. Albero Leodienſis Epiſcopus.

Fuit hic Prioratus Monialium immediatè ſubjectus Abbati Cluniacenſi, uſque ad annum 1579. quo tranſiit in juriſdictionem Abbatis S. Jacobi Leodii. Anno 1595, rebelles Batavi proditoriè occupato Oppido Huyenſi, locum hunc ſpoliarunt, fugatiſque Monialibus, omnia earum ornamenta ac munimenta flammis tradiderunt. Aſt poſtmodum providâ Prioriſſarum ac Rectorum ſeu Priorum curâ, revendicata & ampliata ſunt bona: ita quidem ut *Catharina Bolland*, quæ ab anno 1637. Prioriſſa extiterat, numeraret in cœtu ſuo viginti Moniales, pleraſque nobiles, ac 12. Sorores Converſas. Quapropter Alexander VII anno 1656. Prioratum iſtum Abbatiæ honore condecoravit.

CAPUT XXVI.

ANDREAS *Ultrajectenſis Epiſcopus confirmat anno* 1131. *Abbati Monaſterii* S. Trudonis *in Hasbania, Ordinis S. Benedicti, Eccleſiam de Alburch in Velua.*

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum ſit omnibus Chriſti fidelibus, tam futuris, quam modo præſentibus, qualiter Ego Andreas, Dei gratiâ Trajectenſis Epiſcopus, cauſam quandam inter me & Abbatem Sancti Trudonis & Monachos ejus, quorundam amicorum meorum ſuggeſtione ortam, timore Dei & amore juſtitiæ reliquerim, & à fatigatione eorum penitus ceſſaverim.

Habet enim idem Abbas & Monachi infra noſtri Epiſcopatus terminos Eccleſiam quandam, ſtipendiis ipſorum deputatam, in villa, quæ vocatur Alburch, infra cujus terminos, in villa, quæ vocatur Babilonia, quædam fuere Novalia, cujus Decima noſtri juris eſſe videbatur.

Nos vero, licet juſtitia aliquatenus nobis favere videretur, viros Religioſos nequaquam fatigare præſumentes, eandem Decimam libere eis poſſidendam remiſimus, & ut Domini miſericordiam pro peccatis noſtris cotidianis orationibus interpellarent, ſi quid juris habere videbamur, in manus eorum tradidimus.

Illud quoque firmâ Traditione decrevimus, ut nullus noſtræ Sedis Epiſcopus eidem Decimæ manum inferat, ſed eam prædictis Monachis libere poſſidendam permittat. Et ut hoc ratum & inconvulſum permaneat, hanc Cartam ſcribi juſſimus, & Sigilli noſtri impreſſione ratam ſignavimus.

Datum anno Dominicæ Incarnationis M. C. XXXI. Indictione nonâ, anno regni Lotharii VI. Epiſcopatus noſtri IV. tempore Theodorici, Advocati, Comitis Hollandiæ, & Domini Rotberti Abbatis.

Huic Traditioni Teſtes interfuerunt idonei,

Meingotus Præpoſitus,
Hermannus Præpoſitus,
Athelelmus Præpoſitus,
Rodulphus Præpoſitus,
Philippus Præpoſitus;
Alberus Scholaſticus de Sancto Petro,
Alwinus Chori-epiſcopus,
Libertus Decanus,
Ingelbertus Scholaris,
Godeſchalcus Decanus.

Monachi de Sancto Trudone, Folcardus & Humbertus,
Goezwinus de Valcanberch,
Dodekinus Presbyter.
Egenoldus, Athalardus, layci.

CAPUT XXVII.

Abbatia Heyliſſemienſis *Religioſorum Ordinis Præmonſtratenſis juxtà Thenas in Brabantia, fundatur atque dotatur à Nobili Viro* REINERO DE ZETRUD ; *id-ipſum confirmante* ALEXANDRO *Leodienſi Epiſcopo, annò* 1132.

Ex Archivis Archiepiſc. Mechlin.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Ego ALEXANDER Dei gratiâ Leodienſis Epiſcopus, notum facio tam futuris quam præſentibus, quod *Renerus de Zetrud*, (1) Vir Nobilis, tradidit partem Aliodii ſui, quæ dicitur *Cappendael*, & dimidiam partem Eccleſiæ de *Pellaines*, Eccleſiæ beatæ Mariæ de (2) *Helencines*, mediante Fratre ſuo Venerabili *Florinenſi* (3) Abbate, me præſente, legitimâ Donatione ob remedium animæ ſuæ, cum ea Libertate quâ ille tenebat, patrimoniali & proprietario jure ;

Videlicet ut in omnibus utilitati & voluntati Fratrum Deo inibi ſub Regula beati Auguſtini de Ordine Præmonſtrati ſervientium applicetur, & nullum ſuper his bonis quæ de manu ejus deſcenderunt in (4) *Cappendael*, ſicut prędictum eſt, & in Eccleſia de (5) Pellaines impedimentum Fratres patiantur ; quia abſolute traditum ab ipſo inconvulſè conſervari Eccleſiæ optavit futuris temporibus in perpetuum.

Cujus Donationem Nos approbantes, & ratam in omnibus eſſe volentes, Cartam hujus Donationis confirmavimus, & auctoritate à Deo nobis conceſſa, omnes ſuper hoc eos inquietare præſumentes, nî reſipiſcant, anathematis ſententiâ condemnavimus.

Et quoniam materia litis exorta eſt inter Ermenricum dicti loci de Helencines Abbatem ex una, & Archidiaconos noſtros ex altera partibus, idque ratione adminiſtrationis Sacramentorum, & diſpenſationis cum domeſticis ejuſdem Domus ; illo dicente eas ſibi competere vi Bullæ Sanctiſſimi Domini (6) Innocentii Secundi hîc exhibitæ : & è contra his ſuſtinentibus quod hoc ex Bullæ verbis generalibus elici non poſſit ; huic difficultati obviare volentes, declaramus dictum Indultum Sanctiſſimi Domini noſtri Innocentii eſſe evidens, poſſeque virtute ejuſdem memoratum Ermenricum per ſe vel ſuos adminiſtrare omnia & ſingula Sacramenta ſuis domeſticis, & familiaribus.

Et inſuper gratificari volentes huic novellæ Plantæ, ut majus capiat incrementum, dicto Abbati, & Succeſſoribus ejus, omne Jus noſtrum Epiſcopale quod habemus, vel quolibet titulo habere poſſumus in domeſticos dictæ Eccleſiæ vel Allodii de Cappendael, eis cedimus in perpetuum.

Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis M. C. XXXII. Pontificatûs Innocentii II. anno ſecundo. 1132.

Teſtes hujus fuerunt Archidiaconi prædicti,

Nicolaus Præpoſitus Sancti Dionifii,

& Reibaldus Præpoſitus Sancti Joannis, & alii multi.

(1) ZETRUD, hodie *Zetru-Lumay*, Flandricè *Zittaert-Lummen*, notabilis Parochia in Diœceſi Namurcenſi, Autgardienſi, Parochiæ Diœceſis Mechlinienſis contermina.

Jus Patronatûs pertinet ad Abbatem Averbodienſem Ordinis Præmonſtratenſis, in Brabantia.

(2) HELENCINES, hodie *Heyliſſem*, Abbatia Præmonſtratenſis, fundata in Parochia ejuſdem nominis, quæ ſubeſt Archidiœceſi Mechlinienſi, in agro Thenenſi, ad limites Leodienſis Diœceſios.

Primi Religioſi Heiliſſemenſes ut & primus Abbas, Ermenricus, ex Florceffienſi Cœnobio in Namurceſio, miſſi ſunt. Unde Patrem Abbatem Floreffienſem reverentur.

(3) GERARDUS, frater *Reineri de Zetrud*, Abbas Florinenſis Ordinis S. Benedicti in Diœceſi Leodienſi, qui anno 1134. relicto Abbatiali regimine tranſiit ad Ordinem Ciſtercienſem in Abbatia Signiacenſi, ubi ſanctè obiit.

(4) CAPPENDAEL, vicus ſeu villa, adjacet Abbatiæ Heyliſſemienſi : ibique gaudet Prælatus pleno Jure Archidiaconali : ut habet hoc Diploma.

(5) PELLAINE, Parochia Gallo-Brabantiæ ac Diœceſis Namurcenſis, de Patronatu Abbatis Heiliſſemienſis.

(6) INNOCENTII II. Pont. Bulla jam extat pag. 19. hujus Tomi IV.

CAPUT XXVIII.

SIMON *Tornacenſis ac Noviomenſis Epiſcopus donat Abbatiæ* Lobienſi, *Monachorum Benedictinorum Exemptorum, in Diœceſi Leodienſi, Altare de* Ham, *in agro Teneramundano, anno* 1135.

Ex Actis Litis inter Epiſc Gandav. & Abbat. S. Petri.

SYMON Dei gratiâ Tornacenſium atque Noviomenſium Epiſcopus, dilecto in Chriſto, Leonio, Lobbienſis Eccleſiæ venerabili Abbati, ſalutem & dilectionem.

Quia ab Apoſtolo, dum tempus habemus, monemur operari bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei & Religionis; id-circo tuæ rationabili favens petitioni, quia in Eccleſia de Ham antea duos Decimæ manipulos poſſederas, etiam totum Altare, pro animâ meâ, aſſenſu Domini Roberti Archidiaconi noſtri, ſuperaddidi: dans tibi & Eccleſiæ tuæ illud liberum & abſque Perſonatu; ſalvis tamen juſtitiis & redditibus noſtris, Miniſtrorumque noſtrorum.

Quod ut perpetuo inconvulſum atque illibatum permaneat, præſentem Cartam Sigilli noſtri impreſſione Teſtiumque roborari præcepimus ſubnotatione; quatenus, ſi quis ei, quod abſit, obviare tentaverit, & admonitus non reſipuerit, perpetuo (donec ſatisfaciat) ſubjaceat anathemati.

Signum Domini Simonis Epiſcopi.
S. Roberti Archidiaconi.
S. Volterii Decani.
S. Theoderici Præpoſiti.
S. Herimanni Abbatis S. Martini.
S. Abſalonis Abbatis S Amandi.
S. Theoderici .... S Eligii.

Actum Tornaci anno Dominicæ Incarnationis M. C. XXXV. Epiſcopatûs Domini Simonis XIII.

Ego Hugo Cancellarius legi & ſubterſignavi.

HAMME, inſignis ac populoſa Parochia, in Diœceſi Gandavenſi, Ditionis Teneramundanæ, multis Municipiis prævalens. Toparcha eſt Nobilis D. de Leſcornet. Eccleſia magnifica, anno 1742. à fundamentis reædificata. Præter Jus Patronatûs, habet Abbatia Lobbienſis Decimas potiores: cæteras Paſtor loci, & Abbatia Monialium de Sweybeecke, Ordinis Ciſtercienſis, & Capitulum Teneramundanum.

CAPUT XXIX.

NICOLAUS *Cameracenſis Epiſcopus confert anno* 1138. *Abbatiæ* Eenhamenſi, *Ordinis S. Benedicti, Altaria de* Bas-Silly, Tongres B. M. *& medietatem Altaris* S. Martini de Tongra, *in Hannonia, ac Diœceſi Cameracenſi.*

Ex Archivis Eenhamenſi.

IN nomine Domini. NICOLAUS divinâ miſeratione Cameracenſium Epiſcopus tam futuris quam præſentibus in perpetuum. Debito officii noſtri commonemur, ut juſtis petitionibus acquieſcentes, proſperis Eccleſiarum ſucceſſibus invigilemus.

Proinde petitioni Venerabilis Fratris noſtri Snellardi Eihamenſis Eccleſiæ Abbatis pié condeſcendentes Altare de Baſſiigi, Altare de Tongra Beatæ Mariæ, & medietatem Altaris de Tongra S. Martini libera & ſine Perſona, ſalvis noſtrorum & miniſtrorum noſtrorum debitis, conſilio Clericorum noſtrorum eidem Eccleſiæ Eihamenſi concedimus.

Ut autem hæc illibata & inconvulſa præfatæ Eccleſiæ permaneant, datâ conſervantibus benedictione, in prævaricatores quoad reſipuerint, Excommunicationis ſententiam enuntiamus, atque canonicâ ſubſignatione hujus noſtri Decreti Paginam aſſignamus.

Signum Theodorici eorumdum Altarium Archidiaconi,
SS. Joannis, Alardi, Theodorici Archidiaconorum.
S Guidonis Præpoſiti.
S. Gerardi Decani & Archidiaconi, Guidonis, Galteri, Guerembolđi.
Item Guerembolđi, Willelmi, Hugonis, Rotberti, Herewardi, Radulfi, Bartholomei, Euſtachii, Canonicorum.

Actum anno Incarnati Verbi M. C. XXXVIII. Indictione XV. Præſulatus Domini Nicolai ſecundo.

Ego Guerembolđus Cancellarius recenſui.

CAPUT XXX.

* Pas, apud Paulopolim.

ALUISUS, *Atrebatenſis Epiſcopus, Prioratum de* Paſſu, * *in ſua Diœceſi, olim Capitulum VII. Canonicorum, ſubjicit Prioratui* S. Martini de Campis, *Ordinis Cluniacenſis, Pariſiis, anno* 1138. *Qui Prioratus de* Paſſu *hodie ſubeſt Abbati* Hamenſi, *in Diœceſi Andomarenſi.*

Ex Hiſtoria Comitum S. Pauli pag. 30.

IN nomine Patris & Filii, & Spiritûs Sancti, unius veri ac ſummi Dei. Amen. Quoniam inter omnia veteris ac novæ inſtitutionis præcepta, duo maximè charitatis ubera commendantur, Amor videlicet Dei & proximi;

Ego Alviſius Dei gratiâ Atrebatenſis Epiſcopus, Eccleſiam B. Martini de Campis & Fratres ejuſdem loci maximo ſemper in Deo & propter Deum diligens & complexus affectu, Eccleſiam de *Pas*, cum appenditiis ſuis, hactenus ſub manu Laicâ ancillatam, eo qui eam huc uſque tenuerat, & filiis ejus, Canonicis etiam ipſius loci in hoc nobis aſſenſum præbentibus, ad Cellam ibi ſub jure & Eccleſiâ Sancti Martini de Campis ejuſque Succeſſoribus, hujus preſentis Paginę authoritate (ſalvo in omnibus jure & conſuetudinibus Attrebatenſis Epiſcopi & Archidiaconi Miniſtrorumque ejus) contradimus, & in libertatem Spiritûs deinceps jure perpetuo poſſidendam, Sigilli Noſtri impreſſione confirmamus.

Eo videlicet tenore, ut Presbyter Parochialis & ei deinceps ſucceſſuri, qui à Priore ejuſdem loci Epiſcopo præſentabuntur, & de manu Epiſcopi curam ibi in populo agendam ſuſcipient, unam de ſeptem Præbendis, primam ſcilicet quæ eveniet in poſterum, in futurum perpetuâ ſucceſſione obtineant. Presbyter vero interim donec Prębenda aperta ſit, de jure Parochiali ibi vivat.

Quidquid autem vel in varia ſupellectile vel in agrorum & redituum poſſeſſione in vitâ Clericorum ex devotione fidelium prædicto loco conferetur, tam hæc quam cæteri Eccleſiæ redditus, fraternè inter Clericos & Monachos ſicut ad præbendas attinet, ex æquo dividantur: niſi ſi quid ab aliquo fidelium ſpecialiter ipſis Fratribus denominetur, proprium erit Monachorum.

Poſt mortem vero Clericorum, Presbyter Parochialis in eo ſtatu in quo tunc Præbendæ erunt, ſuam deinceps ſine participatione ſuccedentis augmenti, obtinebit. Ipſo autem Presbytero decedente, tam domus ejus cum ſuppellectile, quam libri & ornamenta Sacerdotalia ad Eccleſiam & uſum Presbyteri ſubſtituendi remanebunt.

Cætera vero ejus quælibet poſſeſſio, tam de mobilibus quàm de immobilibus in jus Monachorum tranſibit.

Hoc præterea adjicientes, facimus & ſtatuimus, quatenus Prior & Fratres *de Pas*, Eccleſiæ B. Martini de Campis, ad quam pertinent, duas uncias auri, unam in feſtivitate B. Martini quæ eſt in hieme, & alteram in ejuſdem feſtivitate quæ eſt in æſtate, annuatim perſolvant.

Volumus etiam & hoc in futurum conſervari præcipimus, quatenus prout res exterior (Deo largiente) in dies augebitur, ita numerus Monachorum Deo ſervientium pro rerum facultate ibidem multiplicetur; & ſi adhuc creverit, ut juxta Cluniacenſis Monaſterii conſuetudinem ex integro Ordo ibidem conſervetur.

Ut autem hoc libertatis donativum ratum & inconvulſum permaneat, in augmentum firmitatis, fideles Teſtes adnotare procuravimus.

Signum Domni Hugonis Atrebatenſis Archidiaconi.

S. Domni Roberti Oſtrevandenſis Archidiaconi,

S. Domni Gozuini Aquicinenſis Abbatis,

S. Domni Leonis Abbatis Sancti Bertini,

S. Domni Abſalonis Abbatis Sancti Amandi,

S. Domni Hugonis Haſnonienſis Abbatis.

& Domni Liberti Marchianenſis Abbatis;

Signa Domnorum, Gilberti Abbatis S. Nicolai,

& Hugonis de Monte S. Eligii.

S. Domni Urſonis Abbatis Sancti Dioniſii Remenſis,

& Domni Balduini Abbatis Sancti Vincentii Sylvanectenſis.

S. Domni Gervaſii Abbatis S. Nicaſii, aliàs Sancti Nicolai *de Aridâgamantiâ*.

Si quis autem in craſtinum hujus noſtræ Inſtitutionis tenorem ſciens, contra eam venire, temerare, minuere, aut quolibet modo infringere præſumpſerit, ſi ſecundò tertiove commonitus non reſipuerit & Eccleſiæ Dei ſatisfecerit, hunc talem præſumptorem & SS. Canonum contemptorem Excommunicationis ſeveritati innodatum ſubjicimus.

Ego Aluiſius Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus hoc libertatis Donativum re-

legi, subscripsi, & in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, propriâ manu confirmavi.

Actum Attrebati in Synodo, in Basilicâ B. Mariæ semper Virginis Dominæ nostræ anno Christi M. C. XXXVIII. Indictione I. concurrente V. Epacta VII. anno autem Pontificatûs Domini Alvisii Atrebatensis Episcopi VII.

CAPUT XXXI.

ADALBERO, *Leodiensis Episcopus, confirmat anno* 1140. *translationem Monialium Ordinis S. Augustini, è loco de* Kerckrode *juxta* Rodam-Ducis, *Ducatûs Limburgensis, in locum dictum* Marienthal, *sub regimine Abbatis* Rolducensis.

Communicavit D. Consiliar Vice Comes de Wynants.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego ADALBERO, sanctæ Leodiensis Ecclesiæ Episcopus, in perpetuum. Notum facio omnibus Christi fidelibus tam præsentibus quam futuris, quod *Rudolphus*, qui dictus est *de Turri*, Ministerialis *Adolphi de Safenberg*, consensu & rogatu uxoris suæ *Waldradis*, & filiorum suorum *Pagani*, *Bevebardi*, *Hermanni*, dedit Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Sanctique Gabrielis, quæ est in *Rode*, per manum Domini sui ejusdem Ecclesiæ Advocati, Allodium quod habuit in Hubach, pro salute animæ suæ & parentum tam suorum quam uxoris suæ. In quo Ecclesia constructa est in honore Dei Genitricis Mariæ & Johannis Euangelistæ, in qua pauperes ejusdem Ecclesiæ Rodensis Sorores serviunt Deo ejusque Genitrici.

Safenberg.

Ipsum autem Allodium, cum vinea ad se pertinente, quæ usque ad silvam porrigitur, locatum videlicet inter Allodium Ecclesiæ Dei Genitricis, quæ est in *Resene*, & Allodium quod pertinet ad *Vettelhoven*, & in ipsa ripa fluminis *Hubech* clauditur, cambuit idem Rudolphus cum allodio suo quod emerat propriâ substantiâ. Idem scilicet positum est inter *Defurnogen* & ipsum Claustrum, in monte *Logescossetò*; & una pars sita est supra *Bortte*, & alia ad *Maren*. Has duas partes dedit pro ipso Allodio, *Nicolao de Frysheym* filio Henrici, Ministeriali B. Petri Coloniæ.

Justum præterea videtur & competens, ut de respectu etiam & obedientia, quam eædem Sorores Abbati & Ecclesiæ suę Rodensi hactenus exhibuerunt, quo modo in futurum exhibebunt, certa & rationabilis præscribatur linea.

Sorores ergo, quæ in prænominato loco transpositæ sunt, qui locus (ut dictum est) proprius est Rodensi Ecclesiæ, omnimodam subjectionem & obedientiam Abbati & Ecclesiæ, à qua transmissæ sunt, ut hactenus exhibuerunt, exhibebunt; ut videlicet nulla Sororum sine licentia & consilio ejus intromittatur vel suscipiatur. Nullus Fratrum ad regimen vel servitium earum, præter eos quos ipse cum consilio Fratrum admiserit, admittatur.

Quod si aliqua intromissa, vel aliquis admissus fuerit, irritum sit & instabile.

Hæc quoque caritatis vicissitudo Sororibus impendatur, ut nullam præter consensum Sororum sanioris consilii suspicere compellantur: ne in aliquo pauperes Sorores graventur. Quæ vero intromissæ communi consensu fuerint, tempore quo Abbati visum fuerit, secundùm morem & consuetudinem Ecclesiæ Professionem devotè faciant, & obedientiam ei promptè & humiliter promittant.

Soror autem, quæ pro regimine Ordinis præponi debet Sororibus, idonea & tali officio utilis, per Abbatem, cum consilio Fratrum & Sororum quas ipse admittere voluerit, præponatur: cui ab omnibus Sororibus, secundum Institutionem Religionis & Ordinis, absque contradictione obediatur.

Nullum tamen officium, nullam obedientiam alicui Sororum, præter Abbatis & Prioris sui consilium & consensum injungere præsumat; nec aliquam singularitatem sibi usurpet: sed Ordinem ipsa observare, & ad hunc observandum alias monêre instruere & cohercêre satagat.

Si autem (quod absit) negligens, vel in aliquo notabilis & minus utilis reperta fuerit, Abbas, communicato cum Senioribus Ecclesiæ Fratribus consilio, etiamsi Sororibus displiceat, ab officio eam submoveat, & aliam idoneam loco ejus substituat.

Frater quoque, qui vice Prioris post Abbatem in omnibus Ecclesiæ providebit, cum consilio Fratrum de Congregatione eligatur, & Sororibus per manum solummodo Abbatis præficiatur, omnemque subjectio-

jectionem & integram obedientiam tam Abbati ſuo quam Eccleſiæ ſuæ cum omni humilitate exhibeat ; ſeſeque in omnibus ad Eccleſiam , ut alium quemlibet Fratrum , in nullo diſſimiliter negotio , pertinere cognoſcat.

Porro idem Frater , ſi huic negotio non ſufficiens , vel non idoneus inventus fuerit, ad Clauſtrum ſuum evocetur , & ab obedientia ſibi credita relaxetur , alterque per manum Abbatis & conſilium Fratrum loco ejus ſubſtituatur.

Hanc tam legaliter & piè factam Traditionem , ne quis in poſterum calumniari poſſit vel audeat , Banno confirmamus , præſenti etiam Cartulâ cum Sigilli noſtri impreſſione ſancimus , ſubſcriptis Teſtibus qui huic Traditioni interfuerunt ; quorum hæc ſunt nomina.

Arnoldus , Colonienſis Archiepiſcopus.

Arnoldus , Archidiaconus & Præpoſitus Majoris Eccleſiæ.

Tyepoldus , Præpoſitus S. Severini.

Leodienſes Archidiaconi , Alexander & Elbertus.

Rembaldus , Præpoſitus Sancti Johannis & Sanctæ Crucis.

Nicolaus , Præpoſitus S. Dionyſii.

Henricus , Præpoſitus S. Mariæ in Trajecto.

Liberi homines : Adolphus Comes de Saphenberg , ejuſdem Eccleſiæ Advocatus, & filius ejus Hermannus.

Goeſuwinus de Heinsbergh , & filius Goeſuwinus.

Conrardus de Mercheym.

Tiepaldus de Eleſclo.

Miniſteriales Comitis Adolphi , Megenzo ,

Rudolphus , cujus ſuperius mentio facta eſt.

Chriſtianus de Rinchedorp.

Data eſt hæc Cartula anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo quadrageſimo , Indictione III. quinto Kalendas Septembris.

MARIENTHAL , id eſt *Vallis B. M.* ſita eſt in Ducatu Juliacenſi , Diœceſis Colonienſis ad Arulam fluvium (vulgo Aar) ſub Comitatu Saphenbergenſi.

Conſule etiam Diplomata ac Notas de Monaſterio Sinnich , ſub eadem Abbatia Rodenſi , Tomo III. Diplom. Belgic.

Eſt etiam locus *Marienthal*, in Ducatu Cliviæ, ad Hulam fluvium , in quo Conventus PP. Auguſtinianorum Provinciæ Colonienſis , ſæculo XVI per Lutheranos vaſtatus , ſed poſt annos aliquot debite reſtauratus. Plura vide in Chorographia Provinciæ Belgicæ Auguſtinianæ, Authore P. Tombeur , Lovan. pag. 211.

CAPUT XXXII.

ARNOLDUS *Colonienſis Archiepiſcopus confirmat tranſlationem Monialium XXXVII. è loco de* Kerckrode *in Marienthal anno* 1140. *ſub directione Abbatis* Rolducenſis , *Ordinis Sti. Auguſtini in Ducatu Limburgenſi , qui & ipſas fundavit.*

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego ARNOLDUS Dei gratiâ Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus , omnibus tam præſentibus quam futuris Chriſti fidelibus.

Cum ea quæ à fidelibus cognita & nobis revelata fuerunt, Auctoritate Epiſcopali nos firmare conveniat ; ea quæ in præſentia noſtri facta ſunt , corroborare nos decet attentius. Unde notum vobis facio , quod cum Abbas Rodenſis Eccleſiæ , pro majore Fratrum ibidem Deo ſervientium tranquillitate , tranſpoſuiſſet Sorores ejuſdem Eccleſiæ , in Vallem , quę prius *Hubach* , nunc autem *Sanctæ Mariæ* dicitur, conſcriptis Cartis de reſpectu & obedientia, quam eædem Sorores Abbati & Eccleſiæ ſuæ , à qua transmiſſæ ſunt exhibebunt , omnibuſque legitimè diſpoſitis , diſcrevit eis Abbas quædam Allodia agros & vineta ; non ut ea penitus ſequeſtraret ab Eccleſia Rodenſi, cujus propria ſunt & poſſeſſiva : ſed ut illis pro tempore ſubpeditarent nutrimenta. Quorum hîc ſubjecta continentur vocabula.

Allodium videlicet *Rudolphi* , qui dictus eſt *de Turri* , cum vineis. *Giſenrothe* , cum agricultura apud *Aſth*. Allodium quod dicitur *Reth* , cum agricultura & quadam ſilva. Et huic inferius terra *Walpreſchsfort* nuncupata , & ibidem unus cenſualis manſus. Apud *Bornen* dimidius cenſualis manſus. Apud *Nieuwilre* ſeptem ſolidi & quatuor denarii Colonienſis monetæ. Apud *Gudolph-Rothe* ſeptem ſolidi Colonienſis monetæ. Apud *Frieſthem* quatuor ſolidi Colonienſis monetæ , exceptis duobus denariis. Apud *Waule* molendinum decem ſolidorum & trium obulorum.

Prædicta vero Allodia cum ſuis Appenditiis ipſæ Sorores de manu Abbatis ſui pro victûs ſuſtentatione perpetuè poſſidenda (ſi ſaltem ſub Rodenſis Eccleſiæ diſciplina authore Deo perſeveraverint) ſuſceperunt.

Sollicitabant autem Abbatem cum humili ſupplicatione, ut eis, novellum ſilveſtrem & ab homine nunquam inhabitatum locum ingreſſis, aliquo beneficio pro ædificiorum perfectione partialiter ſubveniat; cum prænominata bona tantæ multitudini, quæ triginta & ſeptem fuere, victus ſubſidium vix præſtare poſſent.

Numerus Monialium.

Abbas autem, accepto Seniorum Fratrum qui tum aderant, conſilio, conſideratâ loci importunitate, aſſignavit ipſis quædam allodia, quæ ipſis ad tempus in prædictis adminiſtrent neceſſaria; quorum hîc continentur nomina.

Allodium apud *Meniſcozen*, cum agris & vineis. *Neutrothe*, cum poſſeſſione & agricultura. Præterea manſum cum dimidio, quem ante annum à *Theodorico de Bodenheim* Rodenſis emit Eccleſia.

Hanc reſervans Succeſſoribus libertatem, ut cum Sorores authore Deo, aut fidelium oblationibus, ſive propriis manuum laboribus, in ædificiis cæteriſque vitæ neceſſariis proviſæ fuerint, aut quandocumque Abbati placuerit, prænominata loca Eccleſiæ ſuæ Rodenſi, cujus propria ſunt, ſine aliqua Sororum contradictione reſtituat.

Eâdem lege conceſſit ipſis vineam, quæ à ſiniſtris ad exitum ejuſdem Vallis eſt ſita, in clivo montis pendula. Et cum ſit illis contigua & opportuna, dedit hanc ipſis libertatem, ut ſi quam ejuſdem quantitatis & valoris vineam in terminis Villæ de *Arwiler* poſtmodum obtinere poſſent, eandem Abbati & Fratribus legitimâ aſſignabunt permutatione, aut aliâ quacumque conventione cum Abbatis & Fratrum conſenſu Eccleſię ſuæ perpetuè poſſidendam confignabunt. Porro ſi Sorores id facere recuſaverint aut neglexerint, proprietas dictæ Villæ, cum prænominatis allodiis ad Eccleſiam Rodenſem revertentur.

Amore igitur conſervandæ veritatis, ne res in præſentia noſtra acta tempore currente memoriam excidat humanam, & Eccleſia Rodenſis ſuâ privetur hæreditate, Cartham præſentem fieri volui, quam & Sigillo noſtro roboravi, anathematis vinculum adjiciens, ſi quis ea quę rationabiliter acta ſunt, infringere temptaverit: ſubſcriptis Teſtibus, qui huic Traditioni interfuerunt, quorum hæc ſunt nomina.

Adalbero, Leodienſis Epiſcopus.

Arnoldus, Archidiaconus & Præpoſitus Majoris Eccleſiæ.

Tiepoldus, Præpoſitus Sancti Severini.

Leodienſes Archidiaconi: Alexander, & Elbertus.

Reynbaldus, Præpoſitus Sancti Johannis & Stæ. Crucis.

Nicolaus, Præpoſitus S. Dionyſii.

Henricus, Præpoſitus S. Mariæ in Trajecto.

Liberi Homines: Adolphus Comes de Saphenbergh, & filius ejus Hermannus.

Goeswinus de Heynsbergh, & filius ejus Goeswinus.

Conrardus de Mereheim.

Tiepaldus de Eleſlo.

Miniſteriales Comitis Adolphi, Megenzo; Rudolphus, cujus ſuperiùs facta mentio; Chriſtianus de Rinchedorp.

Data eſt hæc Cartha anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo quadrageſimo, Indictione tertiâ, quinto Kalendas Septembris.

CAPUT XXXIII.

ADALBERO II. *Leodienſis Epiſcopus, confirmat anno* 1140. *Abbatiæ* Flonenſi *Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini apud* Hujum, *poſſeſſiones omnes, à quinque Prædeceſſoribus ſuis eidem conceſſas.*

Ex Archivis hujus Abbatiæ.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Notum ſit, quod ego ALBERO Dei gratia Leodienſis Epiſcopus, ſciens boni Paſtoris nomen nulla rectius via poſſe comparari, quam ſtatum Eccleſiarum in melius reformando, duxi dignum Eccleſiam S. Matthæi, quæ eſt in Flona, & noſtra eſt, meliorare, reformando ſtatum ejus noſtræ Auctoritatis manu, ſtudio & diſcretione.

Primus Abbas Flonenſ.

Igitur hæc ſunt quæ tibi, GUALTERE Abba tuiſque Succeſſoribus & filiis tuis Canonicam vitam profeſſis ad quietam & tranquillam vitam veſtram confirmamus in perpetuum.

HENRICUS Leodienſis Epiſcopus, quod ad ſuam omniumque Succeſſorum ſuorum ſalutem de loco veſtro & ipſis munificentiis tam magnifice celebratis ſtatuit, confirmavimus, & de verbis quibuſdam teſtamenti ejus quæ dubia videbantur, jam deinceps non ambigendum ſub anathemate interdicimus.

Locus veſter & villa ab omni prorſus exactione ſit libera; nec omnino cuiquam Eccleſiaſticæ ſæcularive perſonæ liceat hoc commutare, perturbare, vel minuere quod ab eodem prædeceſſore meo Henrico de

Digitized by Google

rebus veſtris Eccleſiaſticis & ſæcularibus diffinitum legimus & tenemus.

Locus autem veſter eſt à campo *Gerines* uſque ad ſilicem Hugonis in latitudine. A vertice autem montis in intus ad levam cum ab Amanio venitur, duo bonaria in latitudine. Nemora noſtra, ſilvas, aquas, prata, vel paſcua utilitatibus veſtris veſtrorumque, quæ à quinque Prædeceſſoribus meis ſcivimus conceſſa, concedimus, & teſtamenti noſtri Pagina in poſterum profutura confirmamus.

Sed & quæcumque ab eiſdem Prædeceſſoribus meis Eccleſiæ veſtrę collata ſunt, promta voluntate annuimus; ſtatuentes ne ulli omnino liceat ea immutare ulla ſubreptione, aſtutia, ſeu violenta pervaſione: quæ ſingulis nominibus exprimimus, ut ea ſecurè obtineatis, atque celebrata frequentius ſtent & inconvulſa permaneant.

Vallem inter medium montium, à ponte Flonę uſque ad finem vallis, nullis noſtris uſibus aptam, quam OBERTUS Epiſcopus tradidit ad quoſcumque uſus velletis, & piæ memoriæ FREDERICUS reconfirmavit. Villam *Mals* quam ALBERO Epiſcopus donavit. Arcis montem à fine uique ad finem ejus circumcirca, quem ALEXANDER Epiſcopus ad miniſterium vini Miſſarum devotiſſime ſancto Matthæo obtulit, Nos quoque ad noſtram noſtrorumque ſalutem retradimus & reconfirmamus, recondonamus & reofferimus, ac Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti auctoritate & Apoſtolico aſſenſu rata eſſe decernimus.

Hæc ſunt quæ Prædeceſſorum eleemoſynâ vobis provenerunt, & ita ſtatuimus.

Quæ vero munificentiâ Principum, ſeu nobilium, vel aliorum fidelium vobis ſuccedunt, eadem caritate prout decet Epiſcopum, in noſtra protectione pro veſtri tuitione, pace, & tranquillitate ſuſcipimus, ſalvo jure Advocati veſtri, ſtudentis commodis veſtris & utilitatibus. Comes GISLEBERTUS DE AIS, itemque Comes LAMBERTUS DE MONTAU, Vennam, quæ veſtræ participatur, & in aquis & pratis, paſcuis, & nemoribus ſuis; Allodii Clarimontis omnem utilitatem, quam vobis pro ſe ſuorumque ſalute contulerunt, & REINARDUS & CONO filii eorum recognoverunt, amplectimur, & propriis eorum ſtudiis traditionis & eleemoſynæ conturbatores perpetuo anathemate condemnamus.

De nemore tamen hoc diſcretum eſt, ut omni tempore & die tres carros in nemus habeant, hoſpitale unum, clauſtrum duos, ad ſilvam, quæ mortua dicitur.

Sciendum vero, quod Curia veſtra de Hotiva omnia viva & mortua ad uſus ſuos de nemore habet. Hunativa ſextam partem Eccleſiæ & Villæ cum omnibus uſuariis & appendiciis & in eadem Villa commutationem Hedelwigis & Philippi filii ejus legitimâ compoſitione celebratam confirmamus.

Jairam, *Roſut*, *Tilieres*, poſſeſſiones de *Winel* & de *Jeſtin*, ambarum *Herecinel*, ambas Eccleſias, medietatem Eccleſiæ de *Boſoit*, Eccleſiam de *Drait*. Deroldi quoque lardum, quæ in novella quoque traditione vobis liberè conceſſimus, cum Eccleſiâ de *Erpens* in protectionem noſtram ſuſcepimus; excommunicantes omnes inquietantes Eccleſiam ſancti Matthęi ex his, vel conturbare volentem. Lege *Holoſtines*.

Et ut breviter concludam, quidquid in poſſeſſionibus Eccleſiarum, terrarum, molendinorum, cenſuum, Eccleſia ſancti Matthæi de Flona juſte & legitime poſſidet, hoc in noſtra & omnium Succeſſorum meorum, & Matris Eccleſiæ firma protectione ſuſcipimus; perpetua excommunicatione damnantes, quicumque vos de cetero fraudulenter conturbare præſumſerint.

Sed & adhuc id tenendum determinamus, ut videlicet tam locus ipſe infra conſtitutos terminos, quam habitatores ejus omnino liberi ſint, liberum baptiſma habeant, tam de Lege Synodali quam de juſtitia ſæculari, nec Archidiacono, nec Decano, non Advocato alicui, nec Miniſtro Epiſcopi, nec ulli hominum omnino reſpondeant, niſi ſoli Abbati ipſius loci.

Quod ſi aliquid quod vires ſuas excedat emerſerit, de falſitatibus aut furtis, aut per ſe terminare non potuerit, ad Epiſcopum cauſam referat, ut per eum, non per aliquem Miniſtrum vel ſubmiſſam perſonam diffiniatur.

Et ſi aliquid temporalis emolumenti inde provenerit, tertia pars ſit Epiſcopi tamquam Advocati, reliqua Fratrum ipſius loci. Viginti domos quot modo habetis, habeatis in perpetuum.

Acta ſunt hæc Leodii in Conventu noſtro, anno Incarnationis Dominicæ M. C. XL. Indictione III. Epiſcopatus vero mei anno III. regnante CONRADO hujus nominis ſecundo, Teſtibus idoneis Archidiaconis, Dodo, Alexandro, Johanne de Conirval, Canonicis, Nicolao Præpoſito S. Dionyſii, Waſone, Petro, Henrico de Cair, Godefrido de Scoie.

Abbatibus, Zuazelino S. Laurentii,
Elberto, S Jacobi,
Arone, Montis Cornelii.

Nobilibus: Goſewino de Falcomonte, Lamberto de Tiubetch, Theoderico de Argenteal, & Guillelmo fratre ejus, Ebaldo de villa veteri;

Familiaribus, Wederico de Prato, Lamberto & Arnulfo fratribus Hoienſibus;

Civibus Leodienſibus Henrico, Boſcelvino, Lamberto Gruneter.

Digitized by Google

CAPUT XXXIV.

ALBERO II. *Leodienſis Epiſcopus, confirmat anno* 1141. *fundationem Monaſterii de* Geroldi-Sarto (Geronſart) *Canonicorum Regularium juxta Namurcum, à Prædeceſſoribus Epiſcopis non ita pridem inchoatam: ac ſignanter ratam habet Donationem Eccleſiæ de* Herpen, *à Toparchis loci illius conceſſæ.*

Communic. R. D Poſſon Presbyter Namurc.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego ALBERO gratiâ Dei Leodienſium Epiſcopus, notum facimus omnibus Eccleſiæ Chriſti fidelibus, tam futuris quam præſentibus;

Vide Dipl ejus in Miræo Tomo II pag. 818.

Quia Anteceſſor noſter bonæ memoriæ Dominus ALBERO * Epiſcopus hujus nominis primus, rogatu Fratris Johannis Sacerdotis, aliorumque Dei ſervorum, cum eo ſub Regula Sti. Auguſtini Canonicè viventium, partem prædii Epiſcopalis juxta *Jamxedam*, infra terminos beatæ Mariæ Namurcenſis, liberalitate ſuâ Deo & Sto. Auguſtino obtulit, & eiſdem Dei ſervis per manum Lamberti Comitis, qui Advocatus erat ipſius prædii, firmâ & legitimâ Donatione contradidit; ubi à prædictis Dei ſervis, coöperante fidelium devotione Eccleſia novo conſtructa eſt opere, & plures inibi Deo ſervientes adunati ſunt.

Quorum honeſtâ converſatione permotus Prædeceſſor noſter Alexander, devotionem ſuam eidem Eccleſiæ applicuit, eamque in honorem Dei ad titulum Beatæ Mariæ ſemper Virginis Sanctique Auguſtini, Epiſcopali benedictione dedicavit, atque ad ampliandum ipſius atrium de prædio Epiſcopali ſuper-audidit.

Et ne qua ex hoc in poſterum ſuboriri poſſet controverſiæ calumnia, certis ab adjacenti terra per circuitum diſcrevit terminis, & tam ea quæ ab Anteceſſore noſtro prædicto Alberone collata fuerant, quam quæ ipſe Alexander contulerat, in dotem ac poſſeſſionem perpetuam legaliter confirmavit.

Horum Nos exemplo commoniti, & ſpe divinæ miſericordiæ obtinendæ ſubnixi, eundem locum dileximus, eique Fratrem Joannem Sacerdotem præfecimus. Et in omnibus utilitati & paci ſervorum Dei inibi commanentium paternè conſulentes, omnem Sylvam adjacentem, & loca paſcualia neceſſariis eorum uſibus, ſicut prius tenebant, abſque exactionis alicujus reſpectu perpetualiter indulſimus; ut tam in uſu ignis neceſſario, quam in conſtruendis ſive fulciendis ædificiis, competens habeant ex noſtra munificentiâ beneficium, & ſufficiens ac perpetuum in quoſcumque uſus neceſſarios ſolatium.

Hac autem ratione eidem loco præfatum Joannem præpoſuimus, ut more aliarum Eccleſiarum noſtrarum, in quibus regulariter vivitur, Fratribus & omnibus illic Deo ſervientibus tamquam Pater & Prior verbo & exemplo in corpore & anima prodeſſe ſtudeat, nullique Perſonæ niſi nobis & Succeſſoribus noſtris Leodienſibus Epiſcopis reſpondeat.

Confirmamus etiam Eccleſiam de *Herpen*, quam Nobilis mulier *Haduidis* vidua cum filio ſuo *Philippo*, per manum *Berengerii de Lez* liberi hominis, nobis legaliter tradidit, ad opus prædictorum Fratrum illic Deo ſervientium.

Quod ſi quis præſentium vel futurorum hæc aliquando infringere temptaverit, & quietem ſervorum Dei iniquis machinationibus perturbare præſumpſerit, hunc modis omnibus execramus, ac perpetuæ maledictionis anathemate condemnamus.

Unde in teſtimonium confirmationis Carta hæc Præcepto noſtro conſcripta & Sigilli noſtri eſt impreſſione ſignata Et de his qui præſentes fuerant Teſtes idonei adhibiti ſunt, ſupra memoratus Beregerius de Lez, per cujus manum Traditio hæc facta eſt.

Comes Otto de Duras.
Guillelmus Advocatus de Cinei,
Theodorus de Argentel frater ejus,
Manaſſes de Hierge,
Hadelardus de Lez,
Adelardus de Peroſwez.

Hi vero fuerunt Teſtes Traditionis Eccleſiæ de Herpen, quam ut prædiximus, cum ipſo loco, qui vocatur Sti. Auguſtini-*Sart*, Fratri Joanni Sacerdoti tamquam Priori & Prælato liberè commiſimus, præſentibus, & collaudantibus filiis & Fratribus noſtris, quorum hæc ſunt nomina.

Henricus, Major præpoſitus & Archidiaconus.
Elbertus, Archidiaconus...
Alexander, Archidiaconus.
Reimbaldus Decanus...
Nicolaus, Bruno, Theodoricus, Wido, Waſo, Petrus, Chriſtianus, Hubertus, Henricus.

Actum eſt hoc, anno ab Incarnatione Domini M. C. XLI. Indictione V. anno IV. regnante Rege CONRARDO.

CAPUT XXXV.

Acta in Dedicatione Ecclesiæ S. Adalberti in Egmunda, *Monachorum Ordinis S. Benedicti in Hollandia*, per HERIBERTUM *Episcopum Ultrajectensem anno* 1143. *qui simul omnia ejusdem Cœnobii Privilegia confirmat.*

Ex vetusto Codice Membrana ceo.

* Aliàs *Hiribertus.*

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, *Hardbertus* * Dei gratiâ Trajectensis Episcopus, dilecto in Christo Fratri Hecmundensis Cœnobii Abbati Waltero, ejusque Successoribus regulariter substituendis, & cunctis Fratribus ibidem sub Monastica disciplina religiosè agentibus vel acturis.

Justum arbitramur & officio Pastorali omnino congruum, piis petitionibus facilem inclinare auditum, & benignum præbere assensum. Notum igitur esse volumus tam posteris quam præsentibus, quod Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo tertio, Nonas Octobris, dum devotis tuæ Fraternitatis petitionibus acquiescentes, annuente Domino Hecmundensem Ecclesiam dedicaremus, in præsentia nostri ac Venerabilium Abbatum *Henrici* de Sto. Paulo, *Wilhelmi* de Monasterio Sti. Mauritii Myndensis, pariterque *Themonis* Præpositi de Sto. Bonifacio, multorumque Clericorum & Monachorum, adstante glorioso Comite *Theoderico de Hollant*, unà cum nobilissima Conjuge sua *Sophia*, & *Domino Conrado de Merohe*, & Viris clarissimis *Gerardo de Theylingh*, *Berewoldo* ejusdem Ecclesiæ Advocato, *Arnoldo Spicar*, *Alwino Castellano de Leyden*, aliisque plurimis utriusque sexûs Nobilibus, & liberis, & Ministerialibus tam nostris quam Comitis, & infinitâ multitudine plebis;

Dedicatio Ecclesiæ.

Privilegium Domini *Innocentii* secundi Papæ ad eandem Ecclesiam destinatum fecimus legi distinctè ac apertè ad intelligendum: in quo videlicet recitatum est, qualiter Vir illustris præfatus Comes *Theodericus* Jherosolymam proficiscens, tam vice suâ, quam etiam *Petronillæ* Comitissæ Matris suæ, Monasterium Hecmundense B. Petro Apostolorum Principi, devotionis intuitu, proprietario jure obtulerit atque contradiderit, & Dominus Papa susceptum cum omnibus pertinentiis suis Privilegii sui Authoritate communiverit.

Narratur Fundatio.

Nos ergo Reverendissimi Patris summæ Sedis Apostolicæ Præsulis rectissimis (ut dignum est) devotè insistentes vestigiis, quod ille dignè ac laudabiliter Apostolica Authoritate statuit vel decrevit, pro impensa nobis divinitus gratia Pontificalis dignitatis, jure quo possumus & debemus confirmamus.

Ut scilicet, quascumque possessiones, quæcumque bona, tam in Ecclesiis, quam Decimis, terris, vineis, aquis, silvis, pratis, pascuis, mancipiis, aut aliis quibuscumque idem Monasterium justè in præsentiarum possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, aut aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma Vobis in perpetuum & illibata permaneant.

Nec ulli omnino hominum liceat præfato Monasterio temerario ausu aliquam violentiam irrogare, ut aut ejus possessiones auferat, aut ablatas retineat seu minuat, sed omnia integra conserventur, eorum quorum sustentationi collata sunt usibus omnimodis profutura.

Præmissis vero omnibus, terra eadem, Die Dedicationis, a Comite Comitissâque sub testimonio ipsius & nostri, omniumque illorum, quorum Nomina supra memoravimus, ac totius Ecclesiæ solemni Donatione contradita; id est: sextum mansum Allodii sui, quod est situm in loco, qui dicitur Gouda, inserimus, quo nimirum pertingit, & interpositione Banni nostri, eidem Ecclesiæ jure perpetuo possidendam confirmavimus.

Præterea concessimus Fratribus Cœnobii Hecmundensis, ut sint in omnibus, vel quæ emunt vel etiam vehunt, ædificiis Monasterii, vel suis usibus necessaria in Civitate nostra seu cunctis locis nostræ Ditioni subjectis, à Thelonaria exactione omnino liberi, & tranquillâ vitâ Deo famulaturi nullâ importunitate aut inquietudine debeant amodo perturbari.

Si qua ergo Ecclesiastica aut sæcularis persona hoc sciens, aliquid temerariè præsumpserit, post secundam vel tertiam commonitionem (nisi perperam commissa satisfactione correxerit) sententiam divinæ animadversionis incurrat, & à corpore juris Ecclesiæ segregata, æternæ damnationi subjaceat.

Sit autem pax & gratia Domini nostri J. C. cunctis eidem loco sua jura servantibus, quatenus & hîc fructum bonæ actionis, & in futuro præmia percipiant æternæ retributionis. Amen Bene valete.

Hys etiam Testibus astantibus, coram Episcopo confirmata est hæc Carta.

Præpoſiti. Conradus, de Tylen.
Arnoldus, de S. Maria.
Canonici. Geſvehardus, Rodulphus, Conradus, de Sta. Maria.
Goſwinus. Thico. Bruniggerus, de Sto. Johanne.
Wilhelmus. Wolbodo, Capellanus.
Laïci. Theodericus de Alcma.
Godefridus de Harnesberghe,
Harbernus de Nethen.
Albero. Gerardus, Frater ejus.
Egbertus de Amſtel.
Albertus Thelonarius; & quos ſupra memoravimus.
Acta ſunt hæc, Indictione ſextâ.

CAPUT XXXVI.

ARNOLDUS, *Archiepiſcopus Colonienſis fundat ac dotat anno* 1144. *Monaſterium de* Furſtenbergh *apud* Xanctos *in Clivia; quod primùm quidem incoluerunt Monachi Benedictini ex Abbatia* Sigeburgenſi; *poſtmodum autem devênit ad Moniales Ordin.s Præmonſtratenſis.*

Ex Actis Sanctorum die VI. Junii

IN nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. ARNOLDUS, non merito, ſed ex vocante gratiâ Dei, dictus ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Omnibus qui communem nobiſcum ſortiti ſunt fidem, perpetuam pacem & æternam ſalutem.

Teſtatur Archiepiſcopus Colonienſis Arnoldus.

Notum eſſe vobis volumus, qualiter Monaſterium B. Mariæ in monte Vurſtenberg juxta Sanctum, vel inchoatum ſit, vel qualiter illud nos, & apud Deum, & apud homines, per omnia provehi cupientes, cunctorum, quæ hactenus ibidem rationabiliter oblata ſunt, generalem fieri conſcriptionem decrevimus, ad provocandam ſcilicet devotionem bonorum, & ad pravorum poſtmodum verſutiam reprimendam.

Age igitur, noſtram erga locum illum benignitatem oſtendamus, & Paginam hanc, diverſis fidelium donariis refertam, quaſi coronulam variis intextam floribus, Domino Jeſu Chriſto ſanctæque Virgini Matri ejus fideliter offeramus. Miniſterialis quidam Sti. Petri, nomine Henricus de Alpheim, cum eſſet vir ſpectatæ probitatis,

Cœptum ſuadente S. Norberto.

conſilio & auxilio Norberti, Sanctenſis tunc Canonici, poſtea Magdeburgenſis Epiſcopi, à D. Friderico Colonienſi Archiepiſcopo obnixis precibus impetravit, ut, æternę remunerationis obtentu, Beneficium, quod ſibi in prædicto monte Vurſtenberg

Donatio Sigeberg.

paterna, imo avita tranſmiſſione provenerat, Monaſterio Sigenbergenſi legitima donatione contraderet; Hac ſcilicet ratione, quatenus aliquantos ejuſdem Cœnobii Fratres evocaret, qui in fundo ipſius beneficii Monaſticum Ordinem inchoarent.

Per Henricum ab Alpheim.

Archiepiſcopus, ut erat ad talia promptus ac facilis, legatum coram idoneis teſtibus feudum Sigenbergenſi Eccleſiæ confirmavit. Adducti ſunt Fratres: paulatimque cœpit ibi pollere divina religio, fixèque decretum eſt, locum illum perpetuo Sigenbergenſi ſubjacere cœnobio.

Idem quoque Henricus Allodium, quod habitabat in Villa Geiſt obtulit Deo, & S. Mariæ, manſum unum, annuos perſolventem ſolidos VII., exceptis duobus nummis; VIII. maldaria mixtim, hoc eſt dimidium hordei & dimidium avenæ; duos porcos valentes IIII ſolidos & ſex denarios obtulit, & aream domus jacentem Sanctis, cujus penſio XII. nummorum eſt.

Dotem auxit Norbertus cum fratre Heriberto.

Hujus viri exemplum ſecuti prædictus Norbertus, & Frater ejus Heribertus, obtulerunt curtim Egre, cum omni utilitate ſua. Utque firmior eſſet conceſſio, & Deo gratior oblatio, curtilos aliunde donatos æquanimiter eodem fecerunt: cujus curtis annui redditus ſunt VI. maldaria tritici, III. ſiliginis, XII. hordei, VIII. avenæ, unum legumenis, quæ ſimul fiunt XXX. maldaria; pro tractu Rheni ſolidi XI. & rombus, ſiquis in eo tractu capitur, dimidius.

Et Cuno Abbas Sigenbergen.

Obtulerunt & agellum in Wedreke, quod ſolvit maldaria II. ſiliginis, unam & dimidiam hordei: alium ibidem agellum ſolventem III. maldaria braſii, IV. ſolidos præter duos denarios. Item alium in Meitreke, qui reddit X. & VIII. denarios. Cuno primus Sigenbergenſium Abbas, ad omne opus bonum ſemper paratus, accepit à Rudolfo de Bart, per concambium, curtem unam in Birtine, & tradidit eam B. Mariæ, cum conſenſu totius ſui Conventus, cum omnibus ad eam pertinentibus, ſilvis & campis, agris & pratis, cultis & incultis. Eſt autem jus curtis illius in omni ſilva, quæ ad curtim Comitis in eadem villa pertinet, dum poſt paſtionem glandium porci taxantur, quod crannam vocant. Officialis Fratrum decimam omnium porcorum, vel denarios pro porcis accipiat; & in ditione utriuſlibet curtis, ſi quod piaculum vindicandum fuerit, ut ſunt furta, ſanguinis effuſio, & his ſimilia, quidquid inde commodi pervenerit, Officiales utique Comitis & Fra-

tres æqualiter inter se divident.

Enumerantur alia ab aliis oblata.

Curtem apud Walheim obtulerunt Alwardus & Wolthildis, venientes ad commissionem cum filiis suis: & in Erpete VIII. jugera cultulis terræ, IV. jugera vineti, & fundum domus apud Pielcheim terram, persolventem IV. solidos Susatiensis monetæ; & XV. mancipia, quorum mares IX. denarios, feminæ IV. solvent.

Agena Abbatissa de Frethema, & Stephanus Frater ejus, dederunt allodium apud Mereheim, quod solvit marcam unam gravis monetæ, tres statuas cum x.... Reinbertus de Wiscele & Theodorus filius ejus, dederunt apud Veldwig mansos II. & dimidium, cum omni utilitate; VIII. homines censuales [ad censum] ceræ: apud Nereibich domum & fundum, solventem XII. denarios Davendrenses. Apud Birte Bertrudis dedit mansum, qui pendet IV. solidos & dimidium Dusbergensis monetæ: Apud Lengele terram, solventem III. solidos Davendrenses: in Diedeheim XXX. nummos ejusdem monetæ

Hubertus de Oie dedit apud Magelheim medium pondo. Razo de Birte apud Hungese, III. solidos Davendrenses. De eâdem Villâ Rutgerus, apud ore, V. mancipia ad censum cerç. Volmarus Presbyter de Rese, apud Wetzevelt, IV. maldaria siliginis & unum fabæ apud Boemelwig. Bernardus de Wisse, maldaria III. siliginis, & totidem maldaria brasii ordeacii. Vietpoldus de Recken, apud Pelheim, dedit mansum unum, solventem solidos III. Durtmundensis monetæ. Wiedekint de Dusburg allodium apud Hile, pendens X. denarios. Trimintrudis ancilla Dei comparavit apud Riencheim terram reddentem mediam marcam.

Cum variis juribus.

Apud Butreche pro Vertlero oblatum est allodium, unde solventur IIII. solidi. Ibidem dedit Fridericus de Butburge terrulam, quæ solvit XIV. denarios Daventrensis monetæ; pondo, & III. solidos Durtmundenses. Ibidem comparaverunt ipsi Fratres allodium, quod præstat IV. solidos Colonienses monetç. Gertrudis de Nervenich dedit pro animâ Comitis Adalberti possessionem, quç solvit III. solidos & dimidium Durtmundenses, & unum mancipium. Apud Viscele, Bertrad de Hogeslotrehiem, obtulit allodium, unde solvi debent IV. solidi & VI. denarii Colonienses monetæ ad lumen Ecclesiæ.

Item mulier quædam obtulit bona, de quibus XVIII. Denarii post mortem ejus incipient solvi. Megfridus quidam, commissionis suæ tempore, apud Kierbruch IV. mancipia, cum allodio, quod solvit XXVII. solidos Colonienses monetæ & III. statuas, hoc est tria noctis hospitia, excepta susceptione, qua suspiciendus est ille, qui inde censum defert; quæ erit cœna, & requies noctis & prandii in mane. Apud Kasle, Hugo quidam, pro filiâ sua, XXV. nummos Dusburgenses monetæ. In Hulte emerunt Fratres allodium, cujus utilitas XII. denarii annui.

Item à Comite Strombergensi.

Bertolfus, Comes de Stroemburg, obtulit legaliter Monasterio Sigenbergensi mansos V., quos prædictus Cuno, ejus loci Abbas, consensu totius Ecclesiæ illius, contulit in usus Fratrum Sanctis in monte Deo servientium. Hi mansi persolvunt solidos XV. Davendrenses monetæ, porcos X. oves V; nullusque allodii hujus erit Advocatus, nisi tantum Colonienses Archiepiscopus; ipsique mansioniles eodem modo putentur, quo ceteri eo loci S. Petri homines in pratis & campis, silvis & aquis.

Et Friderico.

Arnoldus quidam de Kempene feudum, quod habuerat ab Almaro Coloniæ Advocato, reddidit: quod D. Fredericus Archiepiscopus, ipso Arnoldo petente, dedit B. Mariæ ob recordationem anniversarii sui. Hoc beneficium in Kempene primitus quidem III. solvit: sed postmodum, invocato consilio pro solidis datæ sunt duæ feminæ; quarum posteritas dabit quod justum est. Apud Keilar Fridericus medium mansum, solventem III. solidos Davendrenses, de II. maldaria avenæ.

Ante Clive, Renizo de Strale V. jugera, quorum census II. solidi Davendrensis monetæ. Agellum dedit Imo, pro filiâ suâ, trium sextariorum hordei. Gerbergus de Selcheim mansum I. apud Alfene. Azela de Bumele VI. jugera. Ibidem Gela de Kalkere trutam in monumento duorum malderorum ordei. Heribertus de Genepe, pro fratre suo Ereberto occiso, mansum unum Brakele quod solvit VII. solidos Davendrenses. Apud Rimagen, Manegaldus Xantensis Canonicus, & supra nominata Bertad, comparaverunt V. jugera vinearum, quarum medietas præfato vivente Clerico, reliqua pars eo defuncto Fratrum in Monte erit.

Atque Hildolfo Archiepiscopis.

Dominus Hildolfus Archiepiscopus, dedicans Oratorium S. Martini in ipso monte, dedit possessiones domorum IX. in Sanctis, quarum aliæ plus, aliæ minus solventes, summam conferunt V. solidorum, ad lumen ipsius Capellæ. In Monte Arnoldus Comes jugerum I. Adelheidis Sanctimonialis III. jugera dedit.

In campo Megeneete jugera sunt VII. ad montem pertinentia; quorum I. Volmarus & uxor ejus. Wilhelmus II. Videricus de Eile I. Rudolfus de Megeneete I, Amizia de Budweche, Rudulfus de Lo, Bezela de Megeneete II. Apud Wentervelde, Henricus Monachum professus, jugerum I.

In Ebbecheren, Grunzelinus de Bevenburch, possessiunculam XII. nummorum. Gebehardus, Presbyter de Brutine, sub montem, medium jugeris. Amelune I. Sne-

Digitized by Google

& aliis: do II. jugera in monte. In ſaltu qui Hieſe dicitur, æquale jus habebunt per omnia, prope homines utriuſque curtis in Britine.

Cuno, Clericus in Wiſſele, in Rimagen emit jugerum vineæ, deditque B. Mariæ. Heribertus de Britine, allodium quod poſſederat in monte ad v. jugera terræ; & tradidit è cenſu ſuorum. In Lappeſdal jugerum unum, à quodam Ingelgero, Hieroſolymam profecturo, ſuſceptum in dextero montis latere. Rutgerus & Hermannus, frater ejus, dederunt agrum, ut putatur, ad quantitatem jugeris I. Gerhardus de Lattingen, II. jugera Sanctis.

Quæ omnia ipſe Arnoldus confirmat. Hæc, & ſi qua ſunt alia, diverſis temporibus, diverſis in locis, à diverſis utriuſque ſexus perſonis, Domino Jeſu Chriſto, ſanctæque Genitrici ejus perpetuæ Virgini Mariæ in memoriam omnium fidelium vivorum & mortuorum legaliter in ſæpe dicto Monte oblata & legitime ſuſcepta ſunt, Epiſcopali noſtra auctoritate roboravimus; æternum Dei judicium, & judiciariam ſententiam imprecantes in omnem animam hominis, quicumque horum quippiam quocumque modo vel ingenio defraudaverit, vel defraudari conſenſerit; quamdiu vivit, expers ſit omnium orationum quæ in ipſo Monte, ſeu per totam fiunt Eccleſiam; & moriens, partem accipiat cum illis, quorum vermis non moritur & ignis non extinguitur, quia peccatum eorum à facie Dei numquam delebitur, niſi reſipuerit, & digne Deo ſatisfecerit.

Acta in Monte Vurſtenberg, anno Dominicæ Incarnationis M. C. XLIV. Indictione VII, anno primo Domini Apoſtolici Lucii, regnante Romanorum Imperatore, Occidentis, Conrado III. anno VII.; Orientis, ſub Emmanuele Comneno II.

(1) VURSTEMBERGH, communiùs *Furſtemberg*, locus in Ducatu Cliviæ ſitus, prope oppidum Xanctenſe. Fuit hîc Monaſterium B. Mariæ in Monte, fundatum anno 1144 per *Arnoldum*, Archiepiſcopum Colonienſem, traditumque Abbati & Monaſterio Sigebergenſi: ut ex hoc Diplomate colligitur. Ipſe-met S. *Norbertus*, exiſtens adhuc Xanctenſis Canonicus, Fundationi huic coöperatus eſt unà cum fratre ſuo Heriberto, de paterna ſuâ hereditate.

Poſtmodum autem Furſtenbergenſe Monaſterium ab Ordine Benedicti no tranſiit ad Præmonſtratenſem; vel ipſo vivente ſancto Præſule Norberto, vel ſaltem non diu poſt ejus mortem; fuitque Præpoſitura Monialium, quæ anno 1586. ut ſeſe bellorum tumultibus ſubducerent, in Oppidum Xanctenſe domicilium tranſtulerunt. Pauciſſima de eo habet Illuſtriſſ. Hugo in Annal. Præmonſtratenſ. T. I. pag. 691.

(2) SANCTUM, vulgo *Xanctes*, antiquum Ducatûs Cliviæ oppidum, inſigni Canonicorum Collegio, ſub invocatione S. Victoris & Sociorum Martt. illuſtratum. De quo vide Miræi Faſtos Belgicos ad diem x. Octobris.

(3) SIGEBERGH, antiqua, nobilis & etiamnum florens Abbatia Benedictinorum, prope Bonnenſem Reſidentiam Electoralem, in Diœceſi Colonienſi. Diplomata Fundationis ejus dedimus Tomo II. pag. 1136. & ſequent. horum Diplomatum Belgic.

S. NORBERTUS, Præmonſtratenſis Ordinis Patriarcha, ipſum oppidum Xanctenſe ſuis natalibus illuſtravit, ibique aliquando fuit Canonicus. Deceſſit Archiepiſcopus Magdeburgenſis anno 1134. Colitur VI. Junii.

CAPUT XXXVII.

HENRICUS II. *Leodienſis Epiſcopus, confirmat Donationes à* THEODERICO *aliiſque Nobilibus Viris factas anno* 1146. *Abbatiæ* Flonenſi *Canonicorum Regularium, juxta Hujum, Diœceſis Leodienſis.*

Ex Actis Litis ejuſdem Abbatiæ in Concilio Mechlinienſi, contra Dominum de Rochefort.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Memoriæ fidelium fideliter commendamus in perpetuum, qualiter *Theodoricus* Miles, *Robertus* frater ejus, *Godefridus Auweerti* filius, ſuas Traditiones legitimè perfecerunt Eccleſiæ Flonenſi.

Igitur Theodoricus Miles, filius Theodorici Judicis de Hermala, æternæ ſalutis reſpectu pratum quod habebat ſupra Moſam in Villa *Hotine* prædictæ Eccleſiæ ad Altare Beati Matthæi Apoſtoli per manum Domini ſui Reinardi in hereditariam poſſeſſionem legitimè tradidit. Communi præterea conſilio, & eorum qui Traditionem faciebant, & qui eam ſuſcipiebant, cenſus, videlicet quatuor denariorum eſt definitus in Nativitate Beati Johannis Baptiſtę heredibus ejus annuè ſolvendus, ut hujus actionis memoria conſtaret pro memoria, & omnis proreptio ceſſaret.

Deinde Robertus frater ejus eâdem ſpe ſalutis æternæ dimidium molendinum quod in *Umbray* poſſidebat, (nam altera pars ipſius officinæ jam Fratribus de Flonis liberè ceſſerat) ſimiliter per manum prædicti Reynardi Domini ſui hereditariè delegavit; cenſum impoſuit, videlicet ſex denarios in feſto ſancti Andreæ Apoſtoli ſuis Succeſſoribus

ribus dari, ne delegatio hæc aliquâ ſubreptione immutari poſſet.

Hanc autem Traditionem ſicut & ſuperiorem, Henricus filius Domini Reynardi & uxor ipſius Lutgardis, filia quoque Reberti Richira ab omni ſua repetione vel jure abſolverunt & legaliter conceſſerunt. Antequam vero hæc Conceſſio fieret Eccleſiæ Flonenſi à Roberto, Godefridus, Aileberti filius, hoc idem dimidium molendinum, quod ab eodem tenebat hereditarium prædictis Fratribus vendidit; eundem Robertum, eos inde inveſtire fecit, & ſibi abdicavit in perpetuum.

Harum igitur trium Traditionum Viri fideles & nominati, veritatis teſtimonio probati, coöperatores & Teſtes ſunt.

Et de prima quidem Theodorici, liberi Viri Euſtachius Advocatus, Givardus de Baldeneis & filius ejus Balduinus, Giſlebertus de Lens, Guedericus, & frater ejus Goſcewinus de Roſut, Alexander de Herecines, familiares Viri, Tiebaldus de Boſſoit, Robertus Albus de Hermala, Godefridus Judex, Nihardus Villicus, alter Godefridus Miles, Adelardus Hoienſis, Werilenus de Umbray, & alii quàm plurimi, qui viderunt & audierunt & laudaverunt.

De ſecunda vero Godefridi, Albertus Presbyter Amanienſis Canonicus, Theodoricus Presbyter & ibidem Canonicus, Arnulphus Villicus Amanienſis & frater ejus Theodoricus, Wilulphus Flonenſis molendinarius, Lambertus piſcator, Johannes cacabarius, & alii quam plures hæc videntes & aſſentientes.

De tertia deinde Roberti, Robertus Presbyter de Mean, Givardus de Baldineis & filius ejus Balduinus, Tiebaldus de Boſſoit, Robertus Albus, Godefridus Judex & quam plures Viri fideles.

Hæc ſic ordinata peracta ſunt, & confirmata anno Dominicæ Incarnationis milleſimo, centeſimo quadrageſimo ſexto, Indictione nonâ, regnante Conrardo Rege, me Henrico ſecundo præſidente Leodienſi Eccleſiæ. Itaque quicumque hæc privaverit ab Eccleſia, Dei juſtitiâ, Beati Matthei Apoſtoli vindictâ, noſtrâ Epiſcopali cenſurâ, alienus fiat à ſalute Chriſtiana. Amen.

CAPUT XXXVIII.

MILO I. *Morinenſis Epiſcopus, concedit Abbatiæ S. Auguſtini, Ordinis Præmonſtratenſis, juxta* Teruanam *in Arthesia, quinque Altaria, anno* 1147.

Ex Cartulario hujus Abbatiæ.

EGo MILO Dei gratiâ Morinorum Epiſcopus, dilecto filio Alelmo de Sancto Auguſtino Abbati, ſuiſque Fratribus Regularem vitam profeſſis in perpetuum.

Univerſis Sanctæ Eccleſiæ Doctoribus & Magiſtris convenit, ut fidelium & maximè eorum qui temporalia poſtponentes paupertati ſpontaneæ ſe pro Chriſto ſubdiderunt, intentioni piæ ſemper annuant, & non ſolum in ſpiritualibus ſed etiam in temporalibus eis pro poſſe conſulere ſtudeant.

Hujus itaque conſiderationis intuitu, dilecte fili Alelme Abba, Tibi tuiſque Fratribus in Eccleſiâ Sancti Auguſtini Religioſam vitam ducentibus Altaria de *Nieles*, de *Qualquella*, de *Beingebem*; de *Haringes*, & de *Rinch* in perpetuum conceſſi, ut Fratrum ſuſtentationi proficiant, & mei memoria perpetuo in Eccleſiâ ipſâ celebretur.

Si quis hujus Paginam Donationis ſciens ei temere obviare temptaverit, donec errorem ſuum ſatisfactione correxerit, Anathema ſit.

Actum eſt hoc anno Domini M. C. XL. VII. coram his Teſtibus,

Philippo, Milone, Archidiaconis,
Odone Magiſtro,
Alelmo, Balduino, Canonicis.

LUCIUS II. *Papa confirmat anno* 1145. *Donationem Eccleſiæ de* Cauquelle, *cum decimationibus, factam ſupradictæ Abbatiæ, per* EUSTACHIUM III. *Boloniæ Comitem.*

LUcius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Abbati & Fratribus Sancti Auguſtini Morinenſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Juſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facilem præbere conſenſum, & vota quæ à rationis tramite non diſcordant effectu proſequente complere.

Ea propter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato occurrentes aſſenſu, Eccleſiam de *Qualquella* cum decimatione ſegetum, allecium & aliarum rerum ad eam ſpectante, ſicut eas juſtè ac ſine contraverſiâ poſſidetis, devotioni veſtræ auctoritate Apoſtolicâ confirmamus, & præſentis ſcripti Patrocinio communimus. Statuentes ut nulli omnimodo hominum li-

ceat hanc Paginam noſtrę Confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire.

Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Laterani, X. Kalendas Februarii.

Hanc donationem firmavit Eugenius Papa III. eidem Abbati, Bullâ datâ Virduni per manum Gu donis Cardinalis & Cancellarii S. R. Eccleſiæ X. Kal. Decemb. Indict. II. anno 1147. Pontificatûs Eugenii Anno III.

Nieles & Qualquella Parochiæ juxta Caletum. Beinghem juxta Tornehem, Diœceſis Bolonienſis.

Haringhes, Diœc. Iprenſis.

Rincq, Audomarenſis.

Qualquella, ſive Cauquelle, nunc de Patronatu Epiſcopi Bolonienſis, in Decanatu de Merk.

CAPUT XXXIX.

HENRICUS II. *Leodienſium Epiſcopus, confirmat anno* 1151. *Donum Eccleſiæ de* Lommershem*, Abbatiæ* Rondenſi, *Canonicorum Regularium in Ducatu Limburgenſi, conceſſum à* JUDITA *ſeu* Jutta, WALRAMI I. *Ducis Limburgi conjuge: quæ illic ſuſcepto habitu Religioſo, devixit atque ſepulta eſt.*

Vulgo Rolduc.

PAtres, Eccleſiarum ſuarum, ſubditorum ſuorum, maximèque Religioſorum poſſeſſiones, quas legitimâ traditione ſuſcepiſſe cognoſcuntur, defendere, manutenere, & confirmare tenentur. Ad hoc enim à Deo ſublimatos, & ab ipſis perſonis Eccleſiaſticis capiti ſuo impoſitos, ſemper meminiſſe decet.

Ducissa Jutta monialis in Roda.

Ea-propter Ego HENRICUS hujus nominis ſecundus, Dei gratiâ Leodienſis Epiſcopus, notum facio tam præſentibus quam futuris, quod Domina *Jutta*, nobiliſſima Matrona, uxor Ducis *Gualrami de Lymborch*, contulit ſe ad *Rodenſem* Eccleſiam, mutato habitu, & promiſſâ obedientiâ ſecundum Regulam Beati Auguſtini & tenorem Canonicæ Profeſſionis, tradiditque propriâ manu, aſſentientibus filiis ſuis Dominis *Henrico* & *Gerardo*, præfatæ Rodenſi Eccleſiæ Eccleſiam in *Lumersbem*, cum omni dote ſua & Familia ejuſdem Eccleſiæ & Decimis ad eam pertinentibus.

Cum vero viam univerſę carnis fuiſſet ingreſſa, charitate ipſius caſtiſſimæ Matronæ & filiorum ejus veni Rode, ad ſepulturam ejus. Quâ ſolempniter impletâ, prędicti filii ejuſdem *Henricus* & *Gerardus*, & filiolus Domini *Henrici* ejuſdem nominis, *Arnoldus* quoque filius *Ruberti* Comitis de *Lymburch* natus, & Domina *Beatrix* filia præfatæ Dominę, & *Theodericus* filius *Erleberti* Comitis de *Teckelenburch*, natus ex alia filia, præfatam Eccleſiam in *Lemmersheim* Rodenſi Eccleſiæ legitimâ Donatione tradiderunt.

Quam Donationem præſentibus quamplurimis Viris Religioſis & Nobilibus,

Wilbaldo (1) Abbate Stabulenſi,
Stephano, Abbate S. Jacobi,
Onulpho (2) Abbate Porcetenſi,
Euwino, Præpoſito Steinveldenſi,
Gotwino Domino de Falckenburch,
Conrado de Daelhem,
Lamberto de Luretho,

Cum Abbate Erpone (3) & Fratribus Eccleſiæ, propriâ manu ſuſcepi, & ab omnibus qui aderant adſtipulantibus Banno noſtro confirmavi, & Cartæ hujus adteſtatione, cum Sigilli noſtri impreſſione, anathemate interpoſito roborare ſtudui.

Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo quinquageſimo primo, Indictione XIV. Epactâ primâ concurrente VII. 1151.

(1) WIBALDUS, doctus ac famoſus ſcriptor, de quo in nova Bibliotheca Belgica Tomo II.

(2) ONULPHUS, Abbas in nova Gallia Chriſtiana Tomo III. pag. 1028. prętermiſſus. Fuit dein Porcetum Abbatia Monialium Ciſterc.

(3) ERPO, Abbas VI. Monaſterii Rodenſis.

NB. Erant tunc etiamnum Moniales in Roda, habentes ſuum Monaſterium haud procul ab illo Canonicorum Regularium: illis autem adjungi voluit prefata D. Jutta, quæ & in Roda ſepulta eſt. Ita habet Hiſtoria MSS. Abbatiæ Rodenſis.

Diploma hoc magnæ inſuper utilitatis eſt ad dignoſcendum Stemma Genealogicum Ducum Limburgenſium, de quo confuſè tantùm Miræus Libro I. Diplom. Belgic. pag. 198.

CAPUT XL.

NICOLAUS, *Cameracenſis Epiſcopus, confert Abbatiæ* Floreffienſi, *Ordinis Præmonſtratenſis in Namurceſio, Altaria de* Solra-Bertholdi *&* Belloranio, *ſuæ Diœceſis, anno* 1154.

IN nomine Domini. NICOLAUS Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus, tam futuris quam præſentibus. Nulla virtus major æſtimatur, nullumque ſtudium commendabilius eſt, quam Eccleſiis quaquà verſum ad laudem Dei conſtructis, rerum impenſione benefacere, res earum ampliare, eiſque deſervientibus ſtudio humanitatis opitulari: quare hujus rei gratiam apud Deum ſcimus non poſſe perire.

Hujus ergo ſacræ ædificationis Chriſti quoddam optabile Commonitorium mecum ſecretius revolvens, ſalubrèque mecum æſtimans, ad petitionem dilectiſſimi noſtri Gerlandi Venerabilis Abbatis de Floreffia, ubi ſanctæ Religionis odor dulci redolentiâ novo temper vernat flore, Altare de *Solra Bertoldi* & Altare de *Belloranio* cum omnibus ad ea jure pertinentibus liberè & abſolutè Eccleſiæ de Floreffia contradidi, ſalvo per omnia jure Eccleſiæ Cameracenſis & Epiſcopi & Miniſtrorum ejus.

Fiduciam quidem habemus, quod Fratrum Deo famulantium continuis orationum ſuffragiis, pondus impoſiti nobis oneris, ſub quo gemere cogimur, poſſit magna ex parte relevari & exonerari. Et quoniam hominum memoria in tempore conſeneſcit, & diuturnitate ſuperveniente ipſa legitimè celebrata antiqua oblivio: ſolemnis cura dicitur, ubi res bono ordine conſummata ſtatim Litteris cognoſcenda traditur.

Hoc diligenter attendens, Beneficia quæ præfatæ Eccleſiæ bonâ devotione contuli conſervare volens, Paginâ præſenti noſtri Sigilli impreſſione factam Donationem munimus: & ne quis eis injuriam inferat, ſub Anathemate prohibemus; Teſtibus ſubnotatis.

Radulphus Archidiaconus,
Ulricus, Anſelmus,
Ouvalricus, Clerici Epiſcopi, & alii quamplures huic rei interfuerunt.

Actum anno Dominicæ Incarnationis M. C. LIV. Epiſcopatûs Domini Nicolai XVII.

Præter hoc Diploma, extant & alia quædam inter Documenta Annalium Præmonſtratenſium Illuſtriſſ. D. Hugonis Abbatis, Epiſcopi Ptolemaïdis: &c. Parte I. pag. 57. & ſequent. E quibus notandum Diploma *Baldwini* Comitis Hannoniæ & Marchionis Namurci, datum anno 1195. pro libertate Eccleſiæ *Solræ S. Gangerici* eidem Monaſterio Floreffienſi collatâ; item Hugonis Epiſcopi Leodienſis, pro Eccleſia de Saure anno 1216. &c.

CAPUT XLI.

NICOLAUS, *Cameracenſium Epiſcopus, Altaria, bona, poſſeſſioneſque univerſas Abbatiæ* Grimberganæ, *Præmonſtratenſis Ordinis juxta Bruxellam, confirmat anno* 1155.

SIcut pii Paſtoris officium eſt ovibus ſuis pabula miniſtrare, ſic nimirum aſtuti Paſtoris, ſollicitudo, ne oves ſibi creditæ à lupis invadantur & diſtrahantur ſedulo debet invigilare. Inde eſt quod & Nos, tam animarum quam corporum, pro modulo noſtro curam gerentes, quæ & quanta oviculis noſtris, dicimus* autem Fratribus Grimbergenſibus, à nobis ſeu à Prędeceſſoribus noſtris, ſanctæ Cameracenſis Sedis Pontificibus, ſive à Grimbergenſis Eccleſiæ Principibus, vel à cæteris devotis Chriſticolis, uſque ad tempora noſtra religioſâ devotione collata ſunt, Sigilli noſtri authoritate cupimus innovare; & innovata in perpetuum integra conſervare.

* Lege ſpecialius.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Nicolaus Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus tam præſentibus, quam futuris in perpetuum. Sciant tam præſentes quam poſt futuri, Nos Altare de *Ameirengem* ad honorem S. Petri Apoſtolorum Principis Eccleſiæ Grimbergenſi ſub idoneis Teſtibus

Digitized by Google

donaſſe, & in perpetuum præſenti Paginâ confirmaſſe.

Teſtes: S. Theodorici Præpoſiti & Archidiaconi.

S. Radulphi Archidiaconi.

S. Wilhelmi Decani.

Actum anno Incarnationis Dominicæ M. C. LV. Epiſcopatûs Domini Nicolai XXI.

Wemmel. Releghem. Berchem. Ramſdonc. Meys. Ophem. Nieuwenrode. Strombeeck

Dominus Odo piæ memoriæ Prædeceſſor meus dedit Eccleſiæ Grimbergenſi, ſubſcripta Altaria, videlicet *Vuambelinis*, *Radeſſengem*, *Berthem*, *Rameſaum*, *Meuza*, *Ophem*, *Rode*, *Strumberges*, quæ & nos quoque benignè concedimus, & orationibus Fratrum pro hoc benefacto animam noſtram commendamus.

Dominus autem Walterus *Draeckenbart* Fundator Eccleſiæ Grmbergenſis, dedit eidem Eccleſiæ in eadem Villa in dotis nomine, ſex manſos. Gerardus filius ejus unum; qui, quia pro diverſitate locorum diverſa ſortiuntur nomina, eorum vocabula ſic à nobis & ab incolis diſtinguuntur; ad atrium duo, ad *Spreet* tres, ad vadum ſuum *Strombec* unus, in *Heienbec* unus. Præterea prædictus piæ memoriæ Walterus dedit antenominatæ Eccleſiæ extra eandem Villam allodii ſui non modicam quantitatem, quam hîc exprimimus.

In *Ghela* ſex bonnaria terræ, in *Oncla* manſum unum, in *Berlar* tres, in *Sulla* ſex bunnaria terræ. In *Meramer* de terra Reizonis ſextarium ſiliginis, ſextarium ordei, duo ſextaria avenę menſurâ Rumeſtenſi, & denarium & capponem, in *Langlar* duos manſos. In *Hoft* unum. In *Linthout* novem bunaria terræ, in *Marchtinis* ſex. Ad *Hamme* duo, in *Varenduno* manſum unum.

Anno ab Incarnatione Domini M. C. XLIX. Walterus de *Meldbruic* vir ingenuus & cohæredes ſui totum allodium ſuum quod habuerunt in *Hembec* liberâ & legitimâ Donatione ſub liberorum & legitimorum Teſtium adſtipulatione Eccleſiæ Grimbergenſi dederunt; quorum nomina ſunt: Walterus Berthold, Gerardus frater ejus, Advocati ejus Eccleſiæ, Walterus & Rabbodo de *Crainhem*, Gerardus de *Wolverthem*, & alii multi. Domini Mechlin.

Anno verò Incarnationis Dominicæ ....; Walterus *de Compar/um*, frater uxoris prędicti Walteri de *Meldbruc*, qui & ipſe vir ingenuus, totum allodium ſuum quod poſſederat in *Amelrengem* cum omnibus coheredibus ſuis prædictæ Eccleſiæ ſuper Altare liberè & legitimè ſicut mos eſt, ſub legitimarum perſonarum teſtimonio dedit.

Quorum nomina ſunt hæc: Walterus Berthold & Gerardus Advocati ſupradictæ Eccleſiæ, Waltherus, Antonius, & Arnoldus de *Meldbruch*, Walterus & Rabbodo de *Crainhem*, Gerardus de *Wolverthem*, Alardus de *Beinghem*, Gerardus de *Meuza* & alii quam plures. Cujus allodii partem Rothardus quidam Miles in feodo tenuit; quam concedentibus hæredibus ſuis, partim legitimè vendidit, partim cum filio ſuo parvulo Gerardo in eleëmoſynam, Grimbergenſi Eccleſiæ dedit.

Hujus rei Teſtes ſunt: Bernerius de *Oſſela*, Albertus de *Amelrengem*, Sacerdotes.

Egericus de *Merchten*. Wilhelmus de *Ophem*.

Perinde Walterus de *Eglergem* allodium quod in eadem prędicta Villa habuit, Eccleſiæ Grimbergenſi vendidit, & præſente & aſſentiente filio ſuo in manu Gerardi Advocati ejuſdem Eccleſiæ, legitimè coram multis Teſtibus reſignavit.

Teſtes Baldericus & Balduinus Canonici. Henricus de Platea, & alii multi Chriſtiani viri.

Ut autem hæc omnia Grimbergenſi Eccleſiæ integra conſerventur, Sigilli noſtri Authoritate præſens Scriptum confirmamus; & optatâ conſervatoribus pace, in malevolos & detractores Patris & Filii & Spiritûs Sancti anathema ſeminamus.

Extractum ex documentis Annalium Præmonſtrat. per Illuſtriſſ. Abbatem *Hugonem* Epiſcopum Ptolemaidis, Parte I. pag. 613; ubi & tria alia videri poſſunt Diplomata, in favorem Abbatiæ Grimberganæ: primum *Mariæ Comitis de Viana*, Dominę Grimbergæ anno 1280; alia *Joannis* I. Ducis Brabantiæ ann. 1284. & 1297.

CAPUT XLII.

GODESCALCUS *Atrebatenſis Epiſcopus, donat Abbatiæ* Viconienſi, *Religioſorum Præmonſtratenſium juxta Valencenas, Altare de* Raiſmes, *anno* 1156.

EGo GODESCALCUS, Dei gratiâ Atrebatenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Gerardo Venerabili Abbati Eccleſiæ Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quæ conſtructa in Viconia, *Caſtrum-Dei* nuncupatur, cæteriſque Fratribus à Deo ſibi commiſſis, tam præſentibus quàm ſucceſſuris, in perpetuum.

Dignitatis nobis commiſſę conſideratione compellimur, ut qui Epiſcopali Cathedrę præſidemus, bonorum virorum deſideriis & utilitati conſulentes, petitioni eorum hilari condeſcendamus affectu. Igitur dilectiſſimę fili

fili Geralde Abbas, Altare Novi-Caſtelli quod veſtris diebus in Monte conſtituto deſuper Ramis conſtructum eſt, ſalvo jure Epiſcopali, Tibi, tuiſque Fratribus perpetuâ Libertate poſſidendum concedimus.

Quod ut ratum inconvulſumque ſortiatur effectum, ad compeſcendas quorumlibet importunitates, Sigilli noſtri impreſſione & ſubſignatorum virorum canonicâ Atteſtatione, hanc Paginam fideliter communimus.

S. Clarembaldi Præpoſiti.
S. Nicolai Decani.
S. Frumaldi * Magiſtri & Presbyteri.
S. Vedaſti & Simonis Subdiaconorum.
S. Raimaldi Hamenſis Eccleſiæ Abbatis.

* Dein fuit Epiſcopus 1174.

Actum Atrebati, anno Incarnationis M. C. LVI.

CAPUT XLIII.

FREDERICUS *Archiepiſcopus Colonienſis confirmat anno* 1158. *Donationem Eccleſiæ ac Decimarum de* Lommershem, *à D.* Jutta *Ducisſâ Limburgi factam Abbatiæ* Rodenſi, *Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini, in eodem Ducatu.*

Communicavit D. Vice-Comes de Wynants Conſiliar. Brab.

Eccleſiaſtici regiminis authoritate monemur, ut Eccleſiaſticorum jura ipſis conſervare debiti ſervoris alacritate conemur: ut dum eos contra malos, quibus per ſe reſiſtere nequeunt, tuemur, ab imminentibus animarum noſtrarum periculis, ubi noſtra deficiunt merita, eorum orationibus adjuvemur.

Proinde Ego FREDERICUS, hujus nominis ſecundus, Dei gratiâ Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, notum facio tam præſentibus quam futuris, quod Domina *Jutta* nobiliſſima Matrona, uxor Ducis *Gualerami de Lymburg*, tradidit propriâ manu, aſſentientibus filiis ſuis *Henrico* & *Gerardo*, Rodenſi Eccleſiæ Eccleſiam in *Lommesheim*, cum omni dote & familia ejuſdem Eccleſiæ, & Decimis ad eam pertinentibus.

Cum vero prædicta Matrona viam univerſæ carnis fuiſſet ingreſſa, in Rodenſi Eccleſia ſepulta eſt, ubi prædicti filii ejuſdem, Domini *Henricus* & *Gerardus*, & filius Domini *Henrici* ejuſdem nominis, *Arnoldus* quoque filius *Roberti de Lineburch*, natus ex Domina *Beatrice* filiâ ipſius Dominæ; nec non & *Theodericus* filius *Eckeberti Comitis de Teckelenburch*, natus ex alia, præfatam Eccleſiam in *Lommersheim* Rodenſi Eccleſiæ à matre & ab avia ſua datam, legitimâ Donatione iterato tradiderunt.

Quam Donationem tunc temporis, quamvis juvenis eſſem, factam certiſſimè cognovi. Poſt annos vero aliquos ex Privilegio chariſſimi Fratris noſtri *Henrici* Epiſcopi Leodienſis, qui prædictam Dominam terræ commendavit, & huic Donationi interfuit, pleniùs didici.

Amore igitur conſervandæ veritatis, cum prædictam Donationem Rodenſis Eccleſia in pace poſſideret, Cartam præſentem fieri volui, quam & Sigillo noſtro roboravi, & Banno Epiſcopali confirmavi; eadem præſenti confirmans Cartâ, quæ Prædeceſſor meus *Arnoldus* confirmavit ipſi Eccleſiæ: Allodium videlicet, quod ab Eccleſia de *Lommeſchem* in.... prædicta Rodenſis acquiſivit Eccleſia: & quod à Ruberto & Gerardo ibidem emerunt. Item Allodium Joannis in Burne, & Allodium Werneri in Mercene, & quidquid eadem Eccleſia ibi & in Endeſtorum poſſidet, triginta ſcilicet diurnales de Allodio Gerardi Sacerdotis, & filii ipſius ... & decem quæ Henricus addidit, & duodecim quæ Gunterus; decem etiam quæ Hermannus... dederunt. Allodium ſimiliter quod ab Eccleſia Floreffienſi in Hoygen, & à Carolo triginta tres diurnales in eadem diebus meis Rodenſis emit Eccleſia: decem quoque diurnales, quos Conſtantinus de Zewenich cum ſua Agnete dedit.

Facta eſt autem hæc Carta anno Dominicæ Incarnationis M. C. LVIII. Indictione VI. Epactâ XVIII.

CAPUT XLIV.

DESIDERIUS, *Morinorum Epiſcopus, conſtituit anno* 1170, *unà cum* Roberto *Præpoſito Eccleſiæ* S. Audomari, *ut quiſque eorum, ſicuti & Succeſſores, Præbendam in mutuis Eccleſiis obtineant.*

Ex Motivo Juris Capituli Audomar. contra Abbatem S. Bertini. pag. 34.

QUia inter alios defectus & incommoda vitę etiam lapſu memoriæ perſepe fallitur humana fragilitas, magnoſque ſtrepitus crebramque litigandi neceſſitatem ingerit rerum oblivio: ad hoc precavendum mandari Litteris id decrevimus ac Sigillis communiri, quod inter Nos, id eſt, inter Eccleſiam Morinenſem & Eccleſiam ſancti Audomari, à Prædeceſſoribus noſtris inſtitutum agnovimus, & à nobis approbatum eſſe definitumque perhibemus.

In diebus ſiquidem beatæ recordationis primi Milonis Venerabilis Morinorum Epiſcopi, ſimilique tempore Gerardi Audomarenſis Præpoſiti, ad creandam inter Eccleſias potiorem dilectionis neceſſitatem mediantibus ac diu tractantibus bonæ voluntatis ac ſapientibus viris, auctore Deo conſtitutum eſt, quatenus & Teruanenſis Epiſcopus in Audomarenſi, & Audomarenſis Præpoſitus in Teruanenſi Eccleſia fieret obtentu Præbendæ Canonicus.

Ita videlicet, ut in perpetuum per ſingulos deceſſus perſonarum novus ſemper Succeſſor, ſive Præpoſitus ab Epiſcopo vel Epiſcopus à Præpoſito, ſine mora ſive difficultate fieret inveſtitus præbendâ deceſſoris.

Cum igitur ad vinculum mutuæ pacis & caritatis firmius inter nos aſtringendum id actum eſſe proſpicimus, ideo Nos, Ego videlicet Deſiderius Epiſcopus, Ego quoque Robertus Beati Audomari Præpoſitus, utriuſque Capituli benevolum habentes aſſenſum, rem bene inchoatam toto poſſe noſtro confirmamus & mutuis roboramus Privilegiis; appoſito excommunicationis edicto, ne quis id quod à ſublimibus viris inchoatum eſt, & à nobis perfectum, præſumat aliquando caſſare vel mutare.

Et quoniam in Eccleſiis noſtris pacem & quietem Fratrum non tantum diligere, ſed etiam conſervare nos oportet, & omnem de acceſſu Prælatorum oppreſſionis auferre ſuſpicionem, ſcriptum reliquimus ac præfixum, ne vel Epiſcopus vel Præpoſitus in Capitulum, cujus vel hic vel ille prædicto modo Canonicus fuerit, admittendum ſe æſtimet, niſi ſponte ſua fratres eum vocaverint, vel niſi, &c.

CAPUT XLV.

ALARDUS, *Cameracenſis Epiſcopus, tradit Monialibus de* Novo-Sarto, *quæ ſuberant Abbatiæ* Grimbergenſi, *Ordinis Præmonſtratenſis, Altare de* Ruysbroeck, *Diſtrictus Mechlinienſis, anno* 1177.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Alardus Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus tam præſentibus quam futuris in perpetuum.

Quoniam quæ Canonicè & legitimè aguntur, longo temporis interveniente ſpatio, quantotiens oblivionis nebula à memoria hominum ſoleant evaneſcere, quæ legitimè à nobis acta ſunt, ſcripto annotare, & Sigilli noſtri impreſſione confirmare duximus neceſſarium.

Sciant igitur tam præſentes quam poſteri nos, Altare de *Ruiſchebruec* ad honorem S. Dei Genetricis Mariæ, ſanctique Joannis Evangeliſtæ, Eccleſiæ de (1) Novo-Sarto in uſus Sororum ibidem Deo ſervientium, ſub idoneis Teſtibus donaſſe, ſalvo jure Epiſcopali, & id-ipſum præſenti Paginâ confirmaſſe.

Teſtes. Sig. Joannis Cantoris,

Ulrici, Goberti, Canonicorum ſanctæ Mariæ.

SS. Wolcheri, Gaufridi, Canonicorum S. Gaugerici.

S. Henrici Decani Bruxellenſis.

S. Villelmi Decani Mechlinienſis.

S. Iveri. S. Balduini. S. Everardi, Perſonarum.

S. Gualteri. S. Goſvini Presbyterorum.

Actum anno Incornationis Dominicæ M. C. LXXVII. Epiſcopatûs Alardi primo. (2)

Digitized by Google

(1) Novum-Sartum, id eſt, *Nieuwen-Rode*, vicus ſub Parochia de Meys. Fuit hîc olim Præpoſitura Monialium Præmonſtratenſium, à vicina Grimbergenſi dependens. De eadem vide Tomo II. horum Diplom. pag. 740, ubi obſervatum, fuiſſe olim plerumque duplicia Monaſteria Præmonſtratenſium, ſicuti in Ordine S. Birgittæ.

(2) Alardus, è Theſaurario electus fuit Epiſcopus Cameraci anno 1176, juxta hoc Diploma: quem alii ab anno 1175. electum fuiſſe volunt. Unde vel hîc, vel apud Scriptores Camerac. erratum eſt.

CAPUT XLVI.

Arnulphus, *Archiepiſcopus Trevirenſis, confirmat circa annum* 1182. *Fundationem Prioratûs de* Uſeldange*, *in Ducatu Luxemburgenſi, inſtituti per* Nicolaum de Uſeldange *pro Monachis Moliſmenſibus Ordinis S. Benedicti, Diœceſis Lingonenſis. Idem Prioratus hodie unitus eſt Collegio Societatis Jeſu Luxemburgenſi.*

* Vide Notas ſupra pag. 214.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Arnulphus Trevirorum humilis Miniſter, univerſis tam præſentibus quam futuris in perpetuum. Notum facio, quod Domino Wirico de Uſeldinges univerſæ viam carnis ingreſſo, uxor ejus Margaretha, & uniuscujuſque amborum filius Nicolaus, molendinum pro remedio animæ prædicti Wirici ſuper fundo Beatiſſimæ Dei Genitricis Mariæ ab ipſo jam dudum reædificato, Eccleſiæ Moliſmi abſque omni contradictione tradiderunt.

Ne quis ergo ſuorum, quod abſit, ſucceſſorum prædictam Eccleſiam de ædificiis molendini in poſterum forte revendicando, niſi vera dicendo gravare præſumat, Nos teſtimonio bonorum virorum uſi, ſcilicet,

Domini Andreæ Abbatis B. Maximini,

Domini Rodulphi Canonici B. Petri Majoris Eccleſiæ,

Bartholomæi de Eſch, Filiorumque ejus Godefridi & Henrici,

Domini Joannis de Burſcheidt, filiorumque ejus,

Domini Rogeri de Uſeldinges,

Domini Ancelini de Carcele de Eule,

Aliorumque innumerorum, autoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, & B. Petri Principis Apoſtolorum, atque noſtrâ, excommunicavimus eum quicumque infractor horum extiterit.

Acta ſunt hæc &c.

CAPUT XLVII.

Everardus *Tornacenſis Epiſcopus concedit anno* 1183. *Abbatiæ S. Bavonis Ordinis Sti. Benedicti Gandavi, Altare de* Zele, *& Capellam de* Grimberghe *apud Teneramundam; quæ dein à Succeſſore ejus* Stephano *conceſſa fuerunt Abbatiæ* Sti. Ludgeri Werdinenſi, *Monachorum ejuſdem Ordinis in Germania.*

Id eſt Everardus.

EVerardus Dei gratiâ Tornacenſis Epiſcopus, omnibus ad quos Litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem in Domino.

Univerſitati veſtræ notum eſſe volumus, Perſonatum & Altare *de Sele*, Eccleſiæ Sti. Bavonis in Gandavo, Dei intuitu, & ob peccatorum noſtrorum nec non & Prædeceſſorum & Succeſſorum remedium Nos in perpetuum liberè donaſſe. Quod ne labili hominum memoriâ oblivionis incurrat lituram, vel aliquorum perverſâ adinventione, ipſi Eccleſiæ prejudicium inſurgat, id ipſum quod à Nobis tam ſalubriter actum eſt & conceſſum, dignum duximus præſenti Paginæ diligentius imprimere, & cereâ Sigilli noſtri impreſſione communire, & perſonarum nomina quæ huic Donationi interfuerunt ſubnotare.

Bele Parochia Agri Teneramundani.

S. Arnulfi Tornacenſis Eccleſiæ Decani,

S. Goſſuini Archidiaconi,

S. Theodorici Archidiaconi,

S. Theodorici Præpoſiti,

S. Johannis Cantoris,

S. Gerardi Abbatis S. Petri Gandavenſis,

S. Euſtachii Abbatis Sti. Amandi.

S. Ivonis Abbatis Sti. Martini.

S Thomæ, Tirrici, Gunteri, Henrici, Presbyterorum.

Actum Tornaci anno Domini M. C. LXXXIII.

NOTA.

Paulò poſt, per Tranſactionem initam inter Abbates S. Bavonis Gandenſem & S. Ludgeri Werdinenſem in Germania, tranſiit hoc Altare de Zele, cum Capella de Gremberghe, decimis, oblationibus, Jure Patronatûs &c. ad præfatum Abbatem Werdinenſem, qui eodem uſque hodie potitur, etiam ut Paſtor primitivus, in vim ſententiæ quam contra Epiſcopum Gandavenſem obtinuit in magno Conſilio Mechlinienſi, die 10. Aprilis 1688. occaſione cujuſdam Permutationis de Cura de Zele, quam Epiſcopus contranitente Abbate approbaverat, ſupplendo ejus conſenſum.

Litteræ Approbationis Tornacenſis Epiſcopi hujuſmodi tenoris ſunt, per Extractum è præfata Sententia libellata.

Diploma STEPHANI *Epiſcopi.*

STEPHANUS, Dei permiſſione Tornacenſis Eccleſiæ humilis Miniſter, omnibus ad quos Litteræ iſtæ pervenerint, in perpetuum. . . .

Nos autem intelligentes præfatam Eccleſiam (de Zele) ad Monaſterium Sti. Ludgeri pertinere, & pium eſſe Monaſterii ejuſdem jura perturbata in ſtatum priſtinum reformare: de voluntate & conſenſu Abbatis & Monaſterii S. Bavonis prænominatam Eccleſiam, & Capellam, cum decimis territorii ſui & oblationibus Altaris cunctiſque pertinentiis & obventionibus; Perſonatum quoque & Inſtitutionem & Præſentationem Sacerdotis, qui de manu Tornacenſis Epiſcopi Curam recipiat, ſecundum morem Diœceſis noſtræ, quo cætera Monaſteria Sacerdotes in Eccleſiis ſuis ſolent inſtituere, concedimus & confirmamus. . . . .

Sequitur Mandatum Epiſcopi, quod Præpoſitus de Zele, in locum Abbatis Werdinenſis, debeat quotannis venire ad Synodum Diœceſanam Tornacenſem &c.

Datum Tornaci anno ab Incarnatione
1194. Domini milleſimo centeſimo nonageſimo quarto, duodecimo Kalendas Maii, Conſecrationis noſtræ anno ſecundo.

Signum Domini Stephani Tornacenſis Epiſcopi.

S. Arnulphi Decani.
S. Goſuini Archidiaconi.
S. Theoderici Flandrenſis Archidiaconi.
S. Theoderici Præpoſiti.
S. Joannis Cantoris.
S. N. N. N. N. Presbyterorum.
S. Domni Gerardi Abbatis S. Petri Gandenſis.
S. Domni ..... Abbatis S. Amandi in Pabula.
S. Domni ... Abbatis S. Martini Tornacenſis, & aliorum.

Ratihabitio Capituli Cathedralis Tornacenſis, Kalendis Maii 1194.

DEcanus & Capitulum &c.

Nos autem, quod præfata duo Monaſteria (ſcilicet S. Bavonis & S. Lutgeri) tranſegerunt, & quod prænominata Eccleſia de Zele & Capella de Gremberge, cum decimis territorii ſui & oblationibus, Perſonatu quoque & Inſtitutione ac Præſentatione Sacerdotis, ad Monaſterium Sti. Lutgeri pertineant: & cætera quæ præfatus Dominus noſter Stephanus Eccleſiæ Tornacenſis Epiſcopus in Scripto ſuo conceſſit & confirmavit, approbamus & confirmamus. . . . .

Bulla INNOCENTII III. *Papæ.*

INnocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis..... Abbati Monaſterii Sancti Ludgeri Werdinenſis, ejuſque Fratribus tam præſentibus quam futuris Regularem vitam profeſſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cum à nobis petitur &c. Ea-propter dilecti in Domino filii &c.... Monaſterium & perſonas veſtras, cum omnibus, quæ in præſentiarum rationabiliter poſſidetis, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus. Specialiter autem in Rode, in Helmſtadt, in Ketwich, & Weerden Parochialium Eccleſiarum Decimas; Eccleſiam in Zela, quam à Monaſterio S. Bavonis in Gandavo canonicè obtinuiſtis. Allodium in Zela. Jus quod habetis in Capella de Gremberghe, ſicut ea omnia juſtè ac ſine controverſia poſſidetis, Vobis, & per Vos eidem Monaſterio veſtro Authoritate Apoſtolicâ confirmamus, & præſentis Scripti Patrocinio communimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat &c.

Datum Laterani, XIV. Kalendas Junii, Id eſt, anno 1200.
Pontificatûs noſtri anno ſecundo.

Altaria ſunt, S Lutgeri in Zele; & Beatæ Margaretæ in Gremberghe, cum tribus Capellaniis, poſtmodum unitis Curæ per I. Gandenſium Epiſcopum Janſenium. Lindanus in ſua Teneramundi dicit, olim fuiſſe in Zele Præpoſituram Benedictinorum Werdinenſium; quem conſule.

CAPUT XLVIII.

RADULPHUS *Leodienſis Epiſcopus confirmat Donationes factas Monaſterio de* Geronſart, *Canonicorum Regularium, juxta Namurcum, ab Epiſcopis Prædeceſſoribus; item Donationes Eccleſiarum de Herpen & de Mazareo*, factas à Toparchis locorum; anno* 1183.

* Hodie *Maizeray.*

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Ego RADULFUS, Dei gratiâ Epiſcopus Leodienſium, notum facimus univerſis in poſterum, quod Anteceſſor noſter Dominus Albero Leodienſium Epiſcopus hujus nominis primus, ſicut ex Scripto ejus intelleximus, partem prædii Epiſcopalis juxta Jamnedam, intra terminos Stæ. Mariæ Namurcenſis, Deo & Eccleſiæ B. Auguſtini de Sarto liberalitate ſua obtulit, & per manum Lamberti Comitis, qui Advocatus erat ipſius prædii, firmâ & legitimâ donatione contradidit.

Hodie *Jambe* in ſuburbio Namurc.

Dominus quoque Alexander Succeſſor ſuus, veſtigiis Prædeceſſoris ſui inhærens, devotione ſuâ eidem Eccleſiæ applicuit, & Fratribus ſub Regulari habitu inibi canonicè viventibus, ſilvam adjacentem & loca paſcualia, in quoſcumque uſus neceſſarios, abſque exactionis alicujus reſpectu perpetualiter indulſit. Et ne qua ex hoc in poſterum exoriri poſſet controverſiæ calumnia, certis ab adjacenti terra diſcrevit terminis.

Vide T II. horum Diplom. pag. 818.

Nos igitur, devotionem eorum attendentes, & pacem ſervorum Dei illic commanentium paternè conſulentes, quodque ab Anteceſſoribus noſtris Leodienſium Epiſcopis, vel aliis Dei fidelibus eidem loco rationabiliter eſt conceſſum & Scriptis eorum firmatum, per præſentis Scripti Paginam eidem Eccleſiæ confirmamus.

Herpen

Confirmamus etiam eidem loco Eccleſiam de Herpen, cum integra dote & appenditiis ſuis, quam Haduidis nobilis mulier cum Philippo filio ſuo per manum Berengerii de Lez legaliter donavit, & mediam partem Eccleſiæ de Mazareo, cum appendiciis ſuis, à Gela Nobili muliere, & filiis ſuis Theoderico & Adelardo, ſupra-dicti loci Fratribus per manum Philippi Advocati legitimè donatam. *Mazareo.* alias *Maizeray.*

Statuimus quoque, & Epiſcopali Auctoritate decernimus, ut prædicta Eccleſia ſub Regulari habitu & B. Auguſtini Regula perpetuò impoſterum tempore perſeveret, nullique unquam ſæculari vel Eccleſiaſticæ perſonæ liceat hoc noſtrum mutare vel irritare Decretum: ſed inconvulſa & illibata permaneat noſtra diſpoſitio. Decedenteque ejuſdem loci Patre, ſecundum Canonum Inſtituta Succeſſor eligatur idoneus, cum Fratrum aſſenſu & noſtro ac Succeſſorum noſtrorum dono, & circa ſubditos ſalutem operetur animarum.

Si quis autem præſentium vel futurorum hanc noſtræ Conſtitutionis Paginam auſu temerario infringere præſumpſerit, hunc modis omnibus execramus, ac perpetuæ maledictionis anathemate condemnamus.

Et de iis qui præſentes fuerunt Teſtes idonei adhibiti ſunt...

Albertus Præpoſitus,
Simon Decanus,
Albertus Decue, Archidiaconus,
(1) Albertus de Louaing, Archidiaconus,
Petrus de Momalia,
Henricus de Marembais,
Henricus de Donglebiert.

Actum eſt hoc anno Dominicæ Incarnationis M. C. LXXXIII. 1183.

Appendix Parochiæ de Herpen fuit olim Capella de Anduwaing, aliàs *Andoy*, conceſſa per Decanum & Capitulum B. M. V. Namurci Monaſterio de Geronſart anno 1436. eidemque incorporata. Porro Eccleſia de Andoy iterum erecta fuit in parochialem ſub invocatione S. Quintini anno 1614. per Epiſcopum Buiſſeret.

De hac Abbatia, uti & de Ord ne *Vallis Scholarium* (qui anno 1653. unitus fuit Congregationi Canonicorum Regularium S. Genovevæ Pariſiis) prolixiùs actum fuit Tomo II. horum Diplom. Belgic pag. 818.

(1) ALBERTUS DE LOVANIO, in Eccleſia Leodienſi Archidiaconus Campiniæ, & S. Joannis Leodii Præpoſitus, anno 1191. poſt Radulphum electus eſt Epiſcopus; à Cœleſtino III. Pont. confirmatus, & S. R. E. Card nalis creatus, Remiſque conſecratus. Sed anno 1193. die 24. Novembris, à nefariis hominibus interfectus Remis, inter Sanctos Belgii memoratur. Reliquiæ ejus ad inſtantiam Alberti Archiducis anno 1612. Remis Bruxellas tranſportatæ ſunt.

Digitized by Google

CAPUT XLIX.

DESIDERIUS *Morinenſium Epiſcopus unà cum* THEOBALDO *Ambianenſi* 1187. *Statuta quædam ordinat Capitulo Oppidi* S. Pauli *in Artheſia, illique Decanum conſtituit.*

DESIDERIUS Dei gratiâ Morinenſis Epiſcopus omnibus Chriſti fidelibus ad quos Litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem in eo ſine quo non eſt ſalus.

Univerſitati veſtræ liqueat, quod cum Venerabilis & dilectus noſter THEOBALDUS Ambianenſis Epiſcopus accepiſſet in mandatis à fœlicis memoriæ Urbano Papâ, ut ad Eccleſiam Sancti Salvatoris in Caſtro Sancti Pauli accederet, & ea, quæ in eadem Eccleſia minùs ordinata deprehenderet ad honorem Dei corrigeret, & in meliùs mutaret, nec non & contentionem Canonicorum illius loci inter Manſionarios & Foraneos ortam diligentius ſedare ſtuderet, Nos ſecum ſollicitudinis hujus participem dignatus eſt advocare;

Quod cum factum eſſet, ordinavimus ibi quod ad cultum Dei ibidem conſideravimus ſtatuendum, beneficium univerſum quod de Altari de *Aureavillâ* & *de Frevens* in Diœceſi Ambianenſi inſtitutis & de Altari de *Wachin*, percipiunt in Diœceſi Atrebatenſi, eis qui nocturnis & diurnis officiis aſſidui eſſent, quotidianis eſſe ſtipendiis erogandum: reſiduum verò beneficiorum omnibus Canonicis æqualibus portionibus conferretur.

Et ut ordo Eccleſiæ illius & Statuta noſtra meliùs ſervarentur, Decanum eis aſſignavimus, taxatâ ſollicitudini illius de Eccleſiæ Beneficiis certâ portione, &c.

Datum anno M. C. LXXXVII.

CAPUT L.

HENRICUS VI. *Imperator, hoc Diplomate circa annum* 1190. *declarat, Imperatores Romanorum in Eccleſia Cathedrali S. Martini Ultrajectenſis eſſe Canonicos Præbendatos.*

Ex Sylloge Præpoſitor. ac Decanor. Traject.

HENRICUS, divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ, dilectis fidelibus ſuis, Præpoſito, Decano, totique Capitulo Sancti Martini, Majoris Eccleſiæ Trajectenſis, gratiam ſuam & omne bonum.

Quoniam antiquiſſimis retroactis temporibus Romanorum Reges & Imperatores, Anteceſſores noſtri, veſtram ſunt experti devotionem, eo quod, communi electione & canonicâ, Regem Romanorum ſeu Imperatorem pro tempore exiſtentem, & eorum Succeſſores, in Canonicum Eccleſiæ veſtræ & in Fratrem elegiſtis, faciendo Præbendam ipſi debitam officiari per duos Sacerdotes, à Rege ſeu Imperatore inſtituendos, qui pro Regibus, Imperatoribus & tranquillitate pacis regni Dominum inceſſabiliter exorarent.

Proinde noſtrâ Imperiali Excellentiâ veſtram Eccleſiam protectione tuebimur ſpeciali. Verum quia noſtræ Excellentiæ innotuit, quod, mortuis Sacerdotibus prædictis, Regibuſque & Imperatoribus interdum in remotis agentibus, neglectum eſt hujuſmodi in veſtra Eccleſia inſtituere Sacerdotes; & cum de hiis, quæ ad Deum ſunt, major à nobis diligentia requiritur, nolentes per hujuſmodi negligentiam Eccleſiam veſtram debitis in hac parte privari obſequiis, Regia Auctoritate ſtatuimus, ut ſtipendium Præbendæ nobis aſſignatæ, per manum *Theoderici Decani ipſius Majoris Eccleſiæ* ejuſque Succeſſorum in perpetuum duobus Sacerdotibus conferatur, qui illud deſervire, &, ut præmittitur, pro noſtrâ ſalute & Imperii tranquillitate idonei exiſtant Dominum exorare.

Et ut hæc rata maneant, & inconvulſa perpetuo teneantur, Sigilli noſtri impreſſione hanc Cartam juſſimus inſigniri.

Datum anno noſtri Regni XI. Indictione VI. menſis Maii die XV. in Chriſti nomine. Amen.

Idem antea per Diploma anno 1143. declaraverat Conradus III. Imp. Vide Tom. I. noſtrorum Diplom. Belg. pag. 532, ſimulque Notas appoſitas.

Itaque Imperator, uti Trajecti ad Rhenum, ſic etiam Romæ in Baſilica S. Petri ſeu Vaticana

inter Canonicos recenſentur. Item Aquiſgrani in Baſilica Mariana, Coloniæ in Metropolitana, Bambergæ, Ratisbonæ & alibi in Germania. Similiter Dux Brabantiæ Moſæ-Trajecti in Sti. Servatii, Nivellis in S. Gertrudis, &c. Sic quoque Rex Galliæ Canonicus eſt & Abbas S. Martini Turonenſis, S. Quintini in Viromanduis &c.

CAPUT LI.

Fundationem ac dotem Eccleſiæ Parochialis de Waelhem *juxta Mechliniam (de Jure Patronatûs Capituli Metropolitani) à Prædeceſſoribus* Walthero *& Ægidio de* Berthaut *Mechliniæ Dominis inchoatam, anno* 1203, *auget ac perficit* Henricus de Berthaut, *Dominus Ghelæ.*

Ex Archivis Paſtoratûs.

UNiverſis præſentes Litteras viſuris, H. Miles dictus Berthout Dominus de Geele, ſalutem in Domino.

Nos volentes ſuper limitatione Parochiæ de Waelhem certificari, ne in aliquo ſuo jure in quantum limites & termini dictæ Parochiæ ſe extendunt, alienetur Eccleſia de Waelhem vel moleſtetur, fideli noſtro Waltero Droſſato Terræ noſtræ commiſimus, ut ex parte noſtra inquirat, quomodo Eccleſia de Waelhem in prima fundatione à prædeceſſoribus noſtris, videlicet Dominis Walthero & Egidio, Fratribus, dictis Berthout, coram Epiſcopo qui tunc dictam Eccleſiam conſecravit, fuerit limitata.

Conſecratio Eccleſiæ.

Quam limitationem nos ratificare voluimus, ut dicta Eccleſia, tam à Nobis quam noſtris Succeſſoribus in perpetuum jure ſuo frui liberè valeat & gaudere. Unde dictus Walterus Droſſatus noſter, unà cum Domino Simone Chriſtianitatis Antverpienſis Decano, vocatis coram ſe antiquioribus Scabinis Parochiæ de Waelhem, videlicet Goſwino de Viercamere, Tilmanno de Hildemere, Joanne de Aelſt, Waltero Wile, & Geringo filio Gennekini, Scabinis de Waelhem, Arnoldo dicto Raet, Amikino dicto Puch, Rabadrico de Hildemere, Henrico dicto Kerckhof, Hildegardo Stradycke, Waltero de Venne, Gennekino, Laurentio & Paridano, intellexit ab iiſdem, & prius Jurati ſub juramento jam preſtito dixerunt:

Quod limitatio dictæ Parochiæ uſque ad publicam viam quæ Duffle dirigitur, & ſe protendit uſque ad manſionem Henrici verſus Mechliniam, ex una parte, quæ ad dictam Parochialem de Waelhem pertinere dignoſcitur, & à viâ Stedycke ſuperiore tenente ad vadum, rivi aliàs de Beke, & uſque ad ſepem Clauſtri de Roſendal, ex altera, ſe extendit, cum univerſis Decimis ac novalibus Parochiæ de Waelhem. Abbatiæ Ord. Ciſt.

Item prædicti Prædeceſſores noſtri, videlicet Walterus & Egidius dictus Berthout, aſſignaverunt dictæ Eccleſiæ de Waelhem in Parochia de Duffle duas partes decimæ Manſûs Henrici Villici, Lamberti de Duffle, Goeſwini dicti Albi, & Balduini de Stradycke, & in Parochia Mechlinienſi duas partes ſimiliter, & ibidem univerſas Decimas in Papenbroek.

Item tres bonnarii partes terræ in Langenbroeck, item viginti ſolidos Lovanienſes annuatim recipiendos ex cenſu noſtro de Waelhem.

Et nos ad honorem & laudem Dei & beatæ Virginis præmiſſa omnia, à noſtris Anteceſſoribus facta, & Eccleſiæ de Waelhem ſeu Curatis aſſignata, conceſſa ſeu dotata & collata, noſtri munimine Sigilli approbavimus & ratificavimus.

. . . . *Deeſt finis.*

CAPUT LII.

Hugo de Petraponte, *Leodienſis Epiſcopus, acquirit Eccleſiæ ſuæ ſupremum Dominium Terræ* Lummenſis, *prope Dieſthemium, à* Ludovico *Comite Loſſenſi, anno* 1203.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen.

Hugo, Dei gratia, Leodienſis Epiſcopus, Waltherus Decanus, Archidiaconi, totuſque Leodienſis Eccleſiæ Majoris Conventus, omnibus ad quoſcumque hæ Litteræ pervenerint, in perpetuum.

Notum ſit omnibus, tam futuris quam præſentibus, quod Lodowicus Comes de Los, bonâ devotione erga Nos & totam

Digitized by Google

Leodienſem Eccleſiam ductus, qui & Nos, cujus erat ipſe Homo Ligius, & conſanguineus propinquus, & totam Eccleſiam noſtram in omnibus negotiis ſuis arduis fideles, propitios, & valde amicos neceſſarios ſenſerat, Eccleſiæ noſtræ contradidit Caſtrum de *Monteigni*, cum territorio & omnibus ejus appenditiis; ſimiliter & Caſtrum de *Bruſtem* cum omni etiam territorio ſuo & omnibus ejus appenditiis, & Allodium etiam de *Hallud* cum munitione ejus, cum omni etiam territorio ſuo & omnibus ejus appenditiis, & totum Allodium de *Taſſadrelos*, in quo eſt ſita Abbatia de Averbodio, & Allodium & Caſtrum de *Lumen*, quod Lodowicus Advocatus de Hasbania de ipſo Comite tenebat & tenet, ipſe Comes in manus noſtras reportavit. Et hæc omnia ſupradicta in Feodum recepit à Nobis, ſibi & omnibus hæredibus ſuis propinquioribus ſub eadem Feodi lege in perpetuum tenenda relinquens.

Bruſthem.

Teſſenderlos Lummen, al. *Lumay.*

Nos autem præfati Comitis devotioni, cum Cleri, Baronum, Nobilium, Miniſterialium conſenſu pio favore congaudentes, dignum duximus noſtram benevolentiam huic benevolentiæ adjungere.

Unde quæſtionem & reclamationem, quam contra eum in Caſtro de *Duras* habere poſſemus, ei prorſus remiſimus; & libere & abſolute conceſſimus, ut ipſum Caſtrum cum omni territorio & omnibus homagiis ad ipſum Caſtrum pertinentibus ſine ulla reclamatione, ipſe Comes & omnes hæredes ejus propinquiores poſſideant. Ab hac poſſeſſione excipitur futura ſæpedicti Caſtri familia, quæ, ſicut ab antiquo nobis tradita eſt, Eccleſiæ noſtræ in perpetuum poſſidenda relinquitur.

Duras.

Et ſi contigerit, quod Nos, vel per judicium definitivum, vel per aliquem Concordiæ caſum, præfatum Caſtrum de Duras à Duce Lovanienſi, à quo jam dictus Comes de Los ſe dicit in Feodum habere, recuperaverimus, præfatus Comes de Los, & omnes hæredes ſui propinquiores jus ſuum proſequentur, & illud liberè & abſque ulla contradictione à Nobis in Feodum recipient, ſicut prædictum eſt.

Et in quibuſcumque prædictus Comes jus ſuum oſtendere poterit, & coram Nobis in Jure ſtare voluerit, Nos & tota Leodienſis Eccleſia, Barones & Nobiles & Miniſteriales, cum univerſâ totius Leodienſis Epiſcopatûs poteſtate totis viribus & bonâ fide ei & omnibus Succeſſoribus ſuis conſilio & auxilio erimus. Hoc ei promiſimus & confirmavimus; in hoc ei omnes obligati tenemur.

Actum eſt hoc publicè & ſolemniter in præſentia noſtra Leodii X. Kalendas Julii, anno Verbi Incarnati M. C. C. III. Indictione VI. Epactâ VI. concurrente III. Præſidente Leodienſi Epiſcopo Hugone. 1203.

Teſtes ſunt, de Clericis,

Walterus Decanus,
Johannes, Henricus, Archidiaconi,
Henricus Cantor,
Henricus, Foſſenſis Præpoſitus,
Lambertus, Præpoſitus Sancti Petri in Leodio,
Radulphus Præpoſitus Sancti Pauli & Sancti Johannis in Leodio.

Sancti Jacobi in Leodio, Sancti Ægidii in publico Monte, Sancti Johannis Florinenſis Abbates.

Teſtes ſunt de Nobilibus Viris,

Lodowicus Advocatus Hasbaniæ,
Henricus Dux de Limborc,
Albertus Comes de Dasborc & de Muſal,
Hugo de Florines,
Waltherus Advocatus de Bar,
Johannes de Hannonia,
Anſelmus de Falemagne,
Henricus de Daules,
Petrus de Hubines,
Walterus de Morealmez.

Teſtes ſunt: de Caſa Dei,

Bodo de Hozaimont,
Warnerus de Nivelle,
Gerardus de Hoſaimont,
Libertus de Fealme,
Lambertus de Hoio.
Libertus & Rigaldus de Leſſy,
Faſtrardus de Hemricurt.

Et ut ratum & inconcuſſum omnibus ævis permaneat, noſtro Sigillo & Eccleſiæ Majoris, & Ludowici Comitis de Los Sigillo contra omnem caſum corroboravimus & communivimus. Et ſi quis hanc noſtræ Confirmationis Paginam infregerit, & contra hanc Ordinationem aliquid temerè attemptaverit, eum authoritate Dei Patris Omnipotentis, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Domini Papæ & noſtra, excommunicavimus, & excommunicatum & vitandum denuntiamus, donec condignè reſipuerit, Deo & Nobis ſatisfaciens.

CAPUT LIII.

GOSWINUS *Tornacenſis Epiſcopus, Controverſiam quæ erat inter Abbatem S. Petri in Monte Blandinio, & Capitulum Canonicorum veteris Eccleſiæ Stæ. Pharaildis Gandavi, ſuper Juribus Sepulturæ, determinat anno* 1212.

Ex Proceſſu inter Abbatem S. Petri & Epiſcopum Gandavenſem.

GOSSUINUS, Dei gratiâ Epiſcopus; & *Johannes*, Archidiaconus Tornacenſis, univerſis Chriſti fidelibus tam præſentibus quam futuris, ad quos præſentes Litteræ pervenerint, in Domino ſalutem.

Univerſitati veſtræ volumus eſſe manifeſtum, quod cum inter Abbatem & Conventum Sti. Petri Gandenſis ex una parte, & Canonicos Stæ. Pharaildis ex altera, quædam coram Nobis cauſa verteretur, Auctoritate Apoſtolicâ, ſuper quodam Parochiano, quem prædicti Abbas & Conventus ſuum eſſe Parochianum & apud Sanctam Pharaildim in ipſorum præjudicium ſepultum eſſe dicebant, occaſione cujuſdam Reſcripti Apoſtolici eis indulti;

Tandem cauſâ hac diutius agitatâ; mediantibus bonis Viris & diſcretis, de aſſenſu partis utriuſque, talis inter eos interceſſerit forma Compoſitionis:

Videlicet quod præfati Canonici in præſentia noſtra conſtituti firmiter coram multis nobiſcum præſentibus promiſerunt, quod de cetero nullum Parochianum in Decaniâ Gandavenſi, quorum prædictus Abbas Perſona eſſe dignoſcitur, ſepelient, ſine prædictorum Abbatis & Conventûs aſſenſu.

Et hac Compoſitione obſervata, ſuper memorata cauſa, inter eos ulterius ceſſabit controverſia.

Actum Tornaci anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo duodecimo, menſe Aprili.

Capitulum Canonicorum S. Pharaildis, è vetere ſuo templo quod eſt prope caſtrum, tranſlatum fuit ad Eccleſiam S. Nicolai in mediullio urbis, anno 1618. Authoritate Regiâ & Ordinariâ. Vide Tom. II. horum Diplom. Belgic. pag. 1109.

CAPUT LIV.

Ordinatio quinque Capitulorum Ultrajectenſium, *prolata anno* 1219, *de frequentandis mutuis Eccleſiis, in feſtivitatibus ſuorum reſpectivè Patronorum.*

Ex Sylloge Præpoſitor. Ultraject.

QUoniam, à prima fundatione Eccleſiæ Trajectenſis, Decanus & Capitulum Sancti Bonifacii Trajectenſis Fraternitatem ſpecialem cum Majori Eccleſia habuit, & ob hoc Conventus dictæ Majoris Eccleſiæ cum proceſſione ſua in die Patroni ſui, ſcilicet Bonifacii, venire conſuevit; & Conventus Sancti Bonifacii ad Majorem Eccleſiam cum proceſſione ſua ad Stationes & ſolempnitates, prout in Ordinario Eccleſiæ pleniùs continetur, conſueverunt.

Poſtmodum vero Beati Petri, Sancti Johannis, ac Sanctæ Mariæ Eccleſiis conſtructis, ac per Epiſcopos & Majorem Eccleſiam primitus dotatis, prædictarum Eccleſiarum Conventus ad ipſam Eccleſiam Majorem, nec non ad Sanctum Bonifacium in Stationibus & ſolempnitatibus, in dicto Ordinario contentis, in ſignum & memoriam filialis ſubjectionis, cum ſuis proceſſionibus venire aſtricti tenebantur, & venerunt ipſarum Eccleſiarum Conventus & Capitula.

Multis quoque temporibus aſſiduiſque precibus & inſtantiâ maximâ ſupplicabant Capitulo Majoris Eccleſiæ, ut cum Proceſſione ſua in feſtivitatibus ſuorum Patronorum ad ipſorum Eccleſias, Patronos eorum honorando, venire dignarentur.

Tandem, quia ab hujuſmodi precibus & inſtantiis non ceſſabant, Nos Capitulum Majoris Eccleſiæ ad inſtinctum & importunas preces & inſtantias Venerabilis Viri Domini *Reynboldi*, Decani noſtri Majoris, Præpoſiti Sanctæ Mariæ, Sancti Petri & Sancti Johannis Canonici apud nos inſtantia, ſpecialem gratiam ipſis in hoc faciendo conſenſimus, quod in feſtivitatibus Patronorum ſuorum, videlicet Sancti Petri, Sancti Jo-

hannis, Sanctæ Mariæ, cum proceſſione noſtra venire deinceps debeamus.

Acta ſunt hæc in Capitulo Majoris Eccleſiæ, præſentibus venerabilibus Viris Decano & Capitulo Sancti Bonifacii, Fratribus noſtris, & in hoc conſentientibus per Reynboldum Decanum prædictum, anno Domini M. C. C. XIX. in crastino Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.

CAPUT LV.

GUILIELMUS, *Archiepiſcopus Remenſis, Authoritate Metropolitana viſitat Eccleſiam Collegiatam S. Gudilæ Bruxellis, ibique decernit Statutum de Reſidentia Canonicorum *, anno* 1220.

* Henricus Dux Brab. id ipſum confirmat eodem anno. Vide Diplom. Belg. T. II. pag. 989.

Ex Archivis Capituli S. Gudilæ.

GUILIELMUS Dei gratiâ Remenſis Archiepiſcopus, univerſis tam præſentibus quam futuris, ad quos præſentes Litteræ venerint, in Domino ſalutem.

Ad notitiam veſtram volumus pervenire, quod cum Nos ſecundum Paſtoralis officii debitum Provinciam noſtram viſitantes ad Eccleſiam Sanctæ Gudulæ in Bruxellâ Cameracenſis Diœceſis veniſſemus, ibidem prout decuit ſuper his quæ reformatione & correctione indigebant, inquiſitionem fecimus diligentem.

Inquiſitione vero factâ, inter cætera comperimus, quod penſatis ejuſdem Eccleſiæ facultatibus, pauci ibi erant Servitores, ad exequendum divinum Officium diurnum pariter ac nocturnum. Cauſa autem hujus paucitatis, ſicut ex relatione multorum fide dignorum cognovimus, hæc erat: quod cum ad ſervitium ejuſdem Eccleſiæ, duodecim tantummodo Canonici eſſent intituluti, abſentes & foranei fere tantundem perciperent, quantum præſentes & in eâdem Eccleſiâ reſidentes; pauci ibidem reſidêre curabant: cum fere omnes onus refugerent, ſolum temporale commodum amplectentes.

Quia vero iſtud nobis abſonum videbatur, ac omni rationi contrarium: habito prudentum, qui nobiſcum erant conſilio, præſentibus Eccleſiæ ejuſdem Canonicis, nec non de voluntate & aſſenſu Nobilis Viri H. Illuſtris Ducis Lotharingiæ, præfatæ Eccleſiæ Patroni, providâ deliberatione ſtatuimus, ut quicumque de cætero in eâdem Eccleſiâ Canonici inſtituentur, ſi abſentes & foranei habeantur, medietatem tantummodo ſuarum percipiant Prębendarum. Reliqua vero medietas ejuſdem Eccleſiæ Capitulo relinquetur, Vicariis idoneis & honeſtis, qui ab ipſis Canonicis eligentur, & per totum Annum in Eccleſiâ deſervient, fideliter eroganda.

Ut autem noſtra Conſtitutio robur obtineat firmitatis, præſentem Paginam Sigilli noſtri munimine fecimus muniri.

Decernimus autem, ut quicumque huic noſtræ Ordinationi ſe temere duxerit opponendum, excommunicationis ſententiam ſe noverit incurſurum.

Datum per manus Hugonis Cancellarii noſtri, Anno Dominicæ Incarnationis M. C. C. XX. menſe Octobris.

Non tamen denegamus admiſſionem Privilegiorum hactenus per nos receptorum, deducto ſalario Vicarii vices Confratris abſentis in divinis ſupplentis, quod ſalarium hactenus Confratres quantumcumque Privilegiati deducere ac ſolvere ſine difficultate debuerunt & conſueverunt.

JOANNES III. *Brabantiæ Dux fundat in eadem Eccleſia S. Gudilæ anno* 1289. *Capellaniam Trium Regum, in memoriam relatæ à ſe Victoriæ* Woeringanæ.

NOS JOANNES Dei gratiâ Lotharingiæ Brabantiæ ac Limburgi Dux, notum facimus univerſis præſentes Litteras inſpecturis, quod Nos Capellaniam in Eccleſia noſtra *B. Gudilæ* Bruxellenſis, de conſenſu Capituli nuper in honorem Trium Regum à Nobis funditus conſtructam, aſſignamus, & purè propter Deum hereditariè & perpetuò confirmamus. Dictam Capellaniam dotantes XVI libris Bruxellenſ. ad cenſum noſtrum in *Orſendael*, à perſonis infraſcriptis aut eorum ſucceſſoribus in dicto cenſu recipiendis.

Videlicet &c. à *Wilhelmo de Bellegem* XXI. ſolidos &c. ab *Oda* & *Margareta* filiabus *Walthери Egloy*, Begginabus, XXVII ſolidos cum IX. denariis. A *Goſwino* filio *Goeris* V. ſolidos. A *Walthero Leone* V. ſolidos &c. Ab *Arnoldo Crayvenblic* XXIX. ſolidos cum dimidio. A *Reinero Egloy* XVIII ſolidos cum IV. denariis &c. A *Walthero de Noede* XXVIII. denarios. Ab *Henrico de Noede* III. ſolidos cum dimidio. A *Walthero de Huldenberghe* V. ſolidos &c. Ab *Amalrico Taye* III. ſolidos. Ab *Henrico de Jetterbeke*

Erant iſti de Familiis Patriciis Bruxell.

VI. ſol. Ab *Eliſa Borgravinne* VII. ſolidos. A *Willelmo Mennen* XXX. denarios. Ab *Henrico Rodelant* XII. denarios &c.

Volentes & expreſſè conſentientes, quod prædictus omnis Cenſus ſuperiùs expreſſus & nominatus, Capellano, cui Nos & noſtri Succeſſores dictam Capellaniam contulerimus, deliberetur à perſonis prædictis ſeu eorum Succeſſoribus in dicto Cenſu, ſingulis annis, prout Nobis ſolvi & reddi fuit hactenus conſuetum.

Dux Brab. Patronus Capellaniæ.

De quibus XVI. libris Capellanus noſter prædictus, in die S. Bonifacii Martyris; quâ die per Dei gratiam, non noſtris meritis, Victoriam de inimicis noſtris obtinuimus, ſolvet XX. ſolidos, Bruxellæ diſtribuendos: prout Capitulum duxerit ordinandum. Nota.

In quorum omnium teſtimonium & munimen, præſentes Litteras noſtro Sigillo fecimus ſigillari.

Actum & datum anno Domini M. C. C. LXXXIX. in feſto Purificationis B. Mariæ Virginis. 1289.

CAPUT LVI.

ADAMUS, *Morinorum Epiſcopus, Fundationem Monaſterii Fratrum Ordinis SS. Trinitatis pro Redemptione captivorum, apud* Hondiſcotam *in Flandria, à Viro Nobili* GUALTERO *Milite de Hondiſcota inchoati, confirmat, anno* 1222.

Ex Archivis Camer. Ration. Inutilis.

ADAM, Dei gratiâ Morinorum Epiſcopus, univerſis Chriſti fidelibus, ad quos iſtæ Litteræ pervenerint, in Domino ſalutem.

Cum per opera miſericordiæ Chriſto militantes ab ipſorum Paſtoribus fovendi ſint, & in negotiis promovendi; juſtis eorum poſtulationibus dignum duximus, exhibere benivolum exauditum.

Quare veſtra noverit univerſitas, quod ſub noſtra ſuſcipimus protectione poſſeſſiones & bona Fratrum Ordinis ſanctæ Trinitatis & Captivorum Chriſti, de Claro vivario apud Hondeſcota; præſertim & Decimam, à Patrono venerabili *Waltero de Hondſcota*, Milite Fratribus ante-dictis in helemoſina collatam, ſicut in Carta dicti *Walteri* pleniùs continetur, Sigilli noſtri munimine confirmamus & approbamus. Similiter quidquid de cetero memorati Fratres juſtè & canonicè poterint adipiſci.

Actum anno gratiæ milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſecundo.

CAPUT LVII.

* Famoſè dicta *Ley Godefroy.*

LEX GODEFRIDI * *ſive Decretum* GODEFRIDI DE FONTANIS *Cameracenſis Epiſcopi, anno* 1227. *promulgatum, pro exercitio Juriſdictionis Officialis, Præpoſitorum ac Scabinorum Epiſcopi, in Civitate ac Territorio Cameracenſi.*

Communicavit R. D. Le Maire Canonicus & Magnus Miniſter Camerac.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. GODEFRIDUS Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus, Univerſis fidelibus tam præſentibus quam futuris in perpetuum. Sicut olim per Moyſen Dominus Plebi ſuæ leges dedit conſcriptas, quæ Bonos in pace foverent & à malis compeſcerent Inſolentes; ſic & fortè fortiùs hiis diebus quibus crevit malitia ſuper Terram, idem voluit obſervari; ut ſcilicet Leges tradant ſubjectis Rectores & Principes populorum, per quas benè & pacificè vivant Boni, Mali verò à ſuis temeritatibus reprimantur.

UNde notum fieri volumus univerſis, quod cum inter Nos & etiam Prædeceſſores noſtros *ex una parte* & Cives noſtros Cameracenſes *ex alia*, dudum orta fuiſſet diuque duraſſet contentio ſuper Dominio Civitatis, & ex hoc frequenter turbatio inter Clerum & populum oriretur; tandem per Sereniſſimos Dominos noſtros FREDERICUM piiſſimum Imperatorem &

Textus authenticus.

NOus voulons ke conneute coſe ſoit à tous, ke comme entre Nous & Nos Predeceſſeurs d'une part, & Nos Citains de Cambrai d'autre, grant-pieche a fuſt meute contencions & longement euſt duret d'endroit l Signourie de le Cité, & de chou deſtourbiers aveniſt ſouvent entre le Clergiet & le Peuple; empardefin par Nos haus Signeurs FEDERI tres piu Empereur & le Roi HENRI ſen fil

Henricum Illuſtrem Regem filium ejus, ac Principes Imperii ac Regni Alemanniæ ſolempni judicio declaratum fuiſſet, quod ad Nos & Succeſſores noſtros & ad Eccleſiam noſtram pertinebat omninò Dominium antedictum, ſicut in ipſorum Imperatoris & Regis Privilegiis continetur; Nos omnimodis affectantes, ut de cœtero viverent in pace & juſtitia Cives noſtri, & non ſolum cum Clero ſed etiam inter ſe firmam pacem haberent, de aſſenſu Capituli noſtri & conſilio ſapientium & bonorum Virorum ſtatuimus eis Leges in perpetuum obſervandas, quibus Cives & Civitas utiliter & honeſtè regantur, & ſcriptas edidimus publicè in hunc modum.

Inſtituentur duo Præpoſiti & quatuordecim Scabini ab Epiſcopo, in Civitate Cameracenſi permanſuri, ſi Epiſcopus voluerit, per annum. Quos tamen omnes vel partem infra Annum amovere, vel poſt annum retinere poterit Epiſcopus, prout ei viſum fuerit expedire. Et tales Scabinos debet inſtituere qui ſint Cives diſcreti & bonæ opinionis, & aſtricti ad onera Civitatis.

Forma Juramenti quod Scabini facient, talis erit. Jurabunt quod Jura & Libertates Eccleſiæ & Eccleſiaſticarum perſonarum ſecundùm Deum pro poſſe ſuo ſervabunt. Perſonam, jura & bona Epiſcopi tanquam Domini ſui, & Capituli, diligenter & fideliter cuſtodient.

Cauſas Civium ſecundùm Leges inſtitutas ab Epiſcopo, Capitulo conſentiente, bonâ fide judicabunt.

Forinſecorum Inqueſtas legitimè dabunt.

Forma Juramenti quod Epiſcopus & Capitulum facient, talis erit. Epiſcopus & aliquis de Capitulo in animam Capituli, jurabunt, quod diligenter ſervabunt perſonas & res Civium Cameracenſium.

Omnes autem Emendas pecuniarias & forisfactiones & eſchaantias colliget, qui ab Epiſcopo fuerit inſtitutus ad colligendum per Scabinos.

Si quis infra Civitatem Hominem occiderit; ſi deprehenſus fuerit & convictus, relinquitur puniendus Præpoſito vel Præpoſitis, ſecundum Judicium Scabinorum. Si ſubterfugerit, ædificium domûs ejus diruetur, & mobilia ejus erunt Epiſcopi.

Ædificia domorum quæ propter Homicidia diruentur, publicentur. Mobilia verò & areæ erunt Epiſcopi. Nec infra annum ab aliquo poterunt reædificari vel claudi: elapſo verò anno, dare vel vendere poterit Epiſcopus reædificandas quibuſcumque voluerit, exceptis illis qui perſonam Homicidæ uſque ad quartum gradum conſanguinitatis attingent, propter odium Homicidii. Ita quod qui ædificaverit, debitos redditus perſolvet; & domus in eodem ſtatu in quo ante fuerat remanebit, videlicet vel libera, vel ad onera Civitatis.

& les Princes de l'Empire & del Regne d'Alemaigne par ſolempnel Jugement fuſt declaré ke à nos Succeſſeurs & à noſtre Egliſe partenoit doutout li Signourie devantdite, enſi comme il eſt contenu es Privileges des devant-dis Empereur & dou Roi; NOUS en toutes manieres deſirant ke dore en avant noſtre Citain veſquiſſent en pais & en juſtice, & non tant ſeulement avec le Clergiet, mais entriaus meiſmes auſſi euſſent ferme pais; de l'aſſentement de noſtre Capitle & par conſeil de Preudommes & ſages, Nous leur eſtauliſons Lois à warder à toujours, par leſquelles li Citain & li Cités pourfitaulement & oneſtement ſoient gouvrenet; & les avons données eſcrites apertement en ceſte maniere.

I. *Doi Prouvoſt & quatorſe Eskievin ſeront eſtauli depar l'Eveske en le Cité de Cambrai pour ademourer, ſe li Veskes voloit, par un an: leſquels nekedent tous u partie li Eveskes porroit oſter devens l'an, u retenir aprés l'an, enſi comme il verra ke beſoins eſt. Et ceux Eskievins doit il eſtaulir ki ſoient Citain, diſcret, & de boinne opinion, & as kierkes de le Citet.*

II. *Li Forme del Sairement ke li Eskievin ſeront, ſera tele. Il jureront ke les Droits & les Frankiſes de l'Egliſe & des Eccleſiaſtes perſones ſelonc Diu à leur pooir warderont Le perſonne, les Drois & les biens del Eveske ſi comme de leur Signeur, & dou Capitle, ſoigneuſement & fiaulement warderont.*

III. *Les Cauſes des Citains ſelonc les Loix eſtaulies del Eveske, Capitle conſentant, en bonne foi jugeront.*

IV. *Les Enqueſtes des Forains donront loiaument.*

V. *Li Fourme del Sairement, ke li Eveskes & li Capitles feront, ſera tele. Li Eveskes & aucuns de Capitle en l'ame de Capitle jureront, ke ſoigneuſement warderont les Perſones & les Coſes des Citains de Cambrai.*

VI. *Toutes les Amendes de pecune, les Fourfais & les Eſcances cueillera ki del Eveske ſera eſtaulis à cuellir par Eskievins.*

VII. *Se aucuns devens le Citet ociſt home; s'il eſtoit pris & convaincus, on le delivre au Prouvoſt u as Prouvos, à punir ſelonc Jugement d'Eskievins. S'il s'en fuioit, on abateroit l'edefiſe de ſe maiſon, & li meuble ſeront l'Eveske.*

VIII. *Li edifiſe des maiſons ki pour omecide ſeront abatues, ſeront publiés. Mais li meuble & li aire ſeront l'Eveske. Ne devens l'an ne poront d'aucun eſtre redefyes u cloſes. Mais l'an paſſet donner u vendre les pora li Eveske à redefyer, à queconkes il vaurra, fors à chiaus ki le perſone del homecide apartenroient duskes ou quart degret de lynage, pour le haine del omecide. En tele maniere, ke cil ki edifiera, le deues rentes paiera; & li maiſon en autel eſtat comme ele avoit eſte devant, remanra, ſi comme franke, u as kierkes de le Citet.*

Pro

Pro quibuſcumque cauſis aliis præterquam pro homicidio domus diruantur, reædificari poterunt.

Prætercà qui Hominem Civitatis Cameracenſis aut Clericum vel aliquem de familia Clericorum infra Bannilegam occiderit; ſi deprehenſus fuerit & convictus, relinquitur puniendus Præpoſito vel Præpoſitis ſecundum judicium Scabinorum, tanquam ſi Hominem occidiſſet infra Civitatem. Si verò ſubterfugerit, ædificium domûs ejus diruetur, & publicabitur, & mobilia & area erunt Epiſcopi, ſicut ſuperiùs eſt expreſſum.

Si quis infra Civitatem Hominem membro mutilaverit; ſi deprehenſus fuerit & convictus, relinquitur puniendus Præpoſito vel Præpoſitis, ſecundum judicium Scabinorum, & triginta libras perſolvet: quarum decem ſint vulnerato, & viginti Epiſcopo. Si ſubter-fugerit, domus ejus diruetur & publicabitur, & à Civitate bannietur

Idem erit qui infra Bannilegam Civem vel Clericum, vel aliquem de familia Clericorum membro mutilaverit.

Præter hos duos modos, ſi quis infra Civitatem hominem cutello acuto vulneraverit, aut infra Bannilegam hominem Civitatis vel Clericum vel aliquem de familia Clericorum Civitatis; & detentus & convictus fuerit, reliquitur puniendus Præpoſito vel Præpoſitis ſecundum judicium Scabinorum.

Si quis Cutellum acutum extraxerit contra aliquem ſine feriendo; & deprehenſus fuerit & convictus, quindecim libras perſolvat, & Civitatem amittat, donec retulerit & ſolverit dictam pœnam.

Si quis in Furto deprehenſus fuerit, per Sententiam Scabinorum Prępoſito vel Præpoſitis relinquitur puniendus. Et ſi in deprehenſione illa, ille cui facta eſt injuria, Latronem verberaverit, nullius Legis ob hoc reus deputabitur. Et ſi quis verberatori lęſionem in ultionem intulerit, noverit in ſe Scabinorum inimicitias redundare.

In Duello convictus relinquitur puniendus Præpoſito vel Prępoſitis ſecundum judicium Scabinorum, ſalvo in aliis jure Epiſcopi.

Civis Civem ad Duellum appellare non poteſt. Et ſi hoc fecerit, & ille qui fuerit appellatus inde querimoniam fecerit; Appellatus hoc emendabit per pœnam centum ſolidorum, unde tertia pars Appellato & duæ Epiſcopo reddentur.

Idem dicimus, ſi Forinſecus Civem appellaverit Et ſi Civis Forinſecum appellet, Duellum debet deducere per proprium Corpus ſuum, & Forinſecus ſimiliter. Et ſi Civis habere debuerit Advocatum par jus & legem, Forinſecus eum ſimiliter habebit ſi voluerit.

IX. *Pour quelconkes autres cauſes, fors por homicide, maiſons ſeront abatues, redefyer les peut on.*

X. *Après, ki homme de le Citét de Cambrai u Clerc, u aucun de maiſnie de Clers ocira devens de Banliwe, s'il eſtoit pris & convaincus, il eſt delivrés à punir au Prouvoſt u as Prouvos ſelonc jugement d'Eskievins, autreſi-comme s'il euſt l'omme ocis devens le Citét. Mais s'il s'en fuioit, li edefiſes de ſe maiſon ſeroit abatus & manifeſtes; & li meuble & li aire seront l'Eveske, en-ſi-comme il eſt deſſeure expreſſét.*

XI. *S'aucuns devens le Citét tolt à home membre; s'il eſtoit pris & convaincus, il eſt delivrés à punir au Prouvoſt u as Prouvos ſelonc jugement des Eskievins, & ſe paiera XXX. livres, dont les X ſeront au nauret, & les XX. à l'Eveske. S'il s'en fuit, ſe maiſon eſt abatue & manifeſte; & le banira on de le Citet.*

XII. *Chou meiſmes ſera de celui ki devens le Banliuë Citain u Clerc u aucun de maiſnie de Clers tolt membre.*

XIII. *Fors ces doi manieres s'aucuns devens le Citét navre homme de coutel agut, u devens le Banliwe home de le Citét, u Clerc u aucun de maiſnie de Clers de le Citét; & il ſoit detenus & convaincus, on le delivre à punir au Prouvoſt u as Prouvos, ſelonc jugement d'Eskievins.*

XIV. *S'aucuns trait coutiel agut contre aucun ſans ferir; s'il eſt pris & convincus, XV. livres paie, & pierge le Citét de ſi-adont k'il raporteroit & paieroit le painne.*

XV. *S'aucuns eſt pris en Larrechin, par Sentenſe d'Eskievins, on le delivre au Prouvoſt u as Prouvos à punir. Et ſe en cele priſe, cius à cui li injure eſt faite, bat le Larron, il n'iert de chou en coupaules de nule loi. Et s'aucuns au Bateur fait bleceure pour lui vengier, face k'il eſt anemis as Eskievins.*

XVI. *Ki iert vaincus en bataille campel; on le delivre à punir au Prouvoſt u as Prouvos, ſelonc Jugement d Eskievins, ſauf en autres coſes le droit l'Eveske.*

XVII. *Citains ne puet apeler Citain à Camp de bataille. Et ſe il le fait, & cius ki ſeroit apelés ſe plainſiſt de chou, li Apelans l'amenderoit par le paienne de cent ſols, dont li tierce part ſera à l'Apelét, & les* 11. *ſeront rendues à l'Eveske.*

XVIII *Ce meiſme diſons Nous, ſe li Deforrains apieloit le Citain. Et ſe Citains apele le Deforain, il doit le Camp de bataille deduire par ſen propre corps; & li Deforain auſſi Et ſe li Citains devoit avoir Avoét par droit & par loi, auſſi l'aroit li Deforains, s'il voleit.*

Si Forinſecus appellet Forinſecum in Civitate, Præpoſiti & Scabini inde facient quod debebunt.

Nec Appellatio poteſt fieri niſi de Murdro, de Treuga infracta vel Rapina; & qui aliter faceret, ſolveret prætatam Emendam.

Si quis infra Civitatem, vel Bannilegam aliquam mulierem vi oppreſſerit, relinquitur puniendus Præpoſito vel Præpoſitis, ſecundum judicium Scabinorum, ſalvo in aliis jure Epiſcopi.

Si quis infra Civitatem armis molutis aliquem hominem vulneraverit, vel hominem Civitatis, vel Clericum vel aliquem de familia Clericorum infra Bannilegam; ſi percuſſor deprehenſus & teſtibus legitimè convictus fuerit, viginti libras perſolvat, & domus ejus diruatur. Et ſi non habuerit domum, triginta libras perſolvat & expenſas in medicos, & damna quæ occaſione vulneris incurrit. Et creditur læſo ſub periculo animæ ſuæ adjurato, de eo qui ei vulnus intulit, vel de eis qui intulerunt, cum ammiculo legitimæ Inquiſitionis ſuper hoc faciendæ.

Item quicumque fecerit quod domus ſua obruatur per judicium Scabinorum, Præpoſitus vel Præpoſiti & Scabini eam facient obrui.

Si quis infra Civitatem alicui convitiatus fuerit, quadraginta ſolidos perſolvat, tertiam partem læſo, & duas Epiſcopo.

Si quis palmo vel pugno percuſſerit, centum ſolidos perſolvat; & ſi ſanguinem fecerit, decem libras. Si percuſſerit baculo, decem libras. Et ſi ſanguinem fecerit, quindecim libras.

Eodem modo punietur qui percuſſerit patino, vel pugno cum lapide, vel ictu conſimili, ſicut & de baculo.

Si dejecerit ad terram, centum ſolidos.

Si per capillos traxerit dejectum, vel pede percuſſerit, decem libras.

Qui ad domum fecerit aſſultum cum armis, tenebitur ad pœnam triginta librar. Si ſine armis, Scabini eum punient, ſecundum quantitatem & modum forisfacti.

De omnibus Pœnis iſtis dabitur tertia pars læſo, & duæ Epiſcopo.

Conſtituimus pacem omni Mercatori aut Negotiatori ad Mercatum venienti, exceptis his qui aut pecuniæ commodatæ aut prædæ factæ in Cives poſſunt argui. Quod ſi quis aliquem veniendo aut redeundo perturbaverit; ſi ſpoliaverit ipſum aut captivaverit, convictus reddet Capitale cui damnum intulit, cum Emendatione quindecim librarum, quarum tertia pars injuriato & duæ Epiſcopo reddentur.

Si quis autem Hominem Civitatis, aut aliquem Forinſecum, vel Civem fugientem ſuper debito convenire voluerit; ſi Juſtitia præſensnon fuerit, ipſum arreſtare poterit.

XIX. *Se li Deforains apele le Deforain en el Citét, li Prouvoſt & li Eskievin feront de chou, chou k'il devront.*

XX. *Ne Apiaus ne puet eſtre fais ſe n'eſt de Murdre, de Triwe enfrainte, u de Reube; & ki autrement le ferost, il paieroit le devant-dite painne.*

XXI. *S'aucuns devens le Citét u le Banliwe aucune Feme oppreſſe par force, on le deſivre au Prouvoſt u as Prouvos, à punir ſelonc Jugement d'Eskievins, ſauf en autres coſes le droit l'Eveske.*

XXII. *S'aucuns devens le Cité nœvre aucun home d'arme molue, u home de le Citet, Clerc u aucun de maiſnie d'Clers devens le Banliuwe; ſe cius ki a donnét le colp, eſt pris, & loiaument convaincus par tieſmoingnage, il paiera XX. livres & s'abatera on ſe maiſon. Et s'il n'a maiſon, XXX. livres paie, & les deſpens des Mies, & les damages k'il a encourut par l'ocoiſon de le plaie. Et ſe croie au Bleciet, ſour le peril de s'ame, quant il ſerost conjurés, de celui u de chiaus ki le plaie li aront faite, awec chou con en fera loial Enqueſte ſour chou.*

XXIII. *Après, kiconkes fera ke ſe maiſons ſoit abatue par Jugement d'Eskievins, li Prouvoſt u li Prouvos, & li Eskievin le ſeront abatre.*

XXIV. *S'aucuns devens le Citét diſt Lait, XL. ſols paie, le tierce partie au Bleciet, & les II. à l'Eveske.*

XXV. *S'aucuns fiert de paume u de puing, cent ſols paie. Et s'il fais ſanc, X. livres. Et s'il fiert de baſton, X. livres. Et s'il fait ſanc, XV. livres.*

XXVI. *En autretel maniere ſera punis ki aroit feru de patin u de puing awec piere, u de colp ſamillant, enſi comme de baſton.*

XXVII. *S'il le jete à tiere, cent ſols.*

XXVIII *S'il traine par les caviaus le keut à tere, u fiert d'u pie, X livres.*

XXIX. *Ki à maiſon fait aſſaut awec armes, il ſera tenu à le painne de* XXX *livres, & ſe ſans armes, li Eskievin celui puniront, ſelonc le quantité & le maniere del fourfait.*

XXX. *De toutes painnes on donra le tierce part au Bleciet, & le II. à l'Eveske.*

XXXI. *Nous eſtauliſons pais à tous Marcheans & Beſoignans venans al Marchie, fors à chiaus ki de monnoie preſtée u de proye faite es Citains pueent ieſtre arguet. Et s'aucuns deſtourboit aucun en venant u en repairant; s'il le dereuboit u prendoit, & il en fuſt convaincus, il renderoit celui le ſien à cui il aroit fait le damage, & l'amende awekes de XV. livres; deſquels li tierce part ſera celui cui li injure eſt faite, & les II. ſeront rendues à l'Eveske.*

XXXII. *S'aucuns viens araiſnier home de le Citét, u aucun Deforain u Citain fuitiu, ſe li Juſtice n'eſtoit preſens, il le porroit arreſter. Et ſe cius eſtoit rebelles & ne vauſiſt venir de-*

Et ſi ille rebellis extiterit & ante Judicem venire noluerit, advocabit in auxilium ſuum duos de Civitate ad minus, qui eum detinebunt, quouſque coram Judice vel coram Juſtitia comparuerit. E ſi per vim voluerit ſe contratenere, per vim ad Juſtitiam adduci poterit, ſine aliquo forisfacto. Et ſi Homines vocati ei opem ferre noluerint, & ſuper hoc convicti fuerint, tantum ei reddent, quantum probare poterit, ſe per defectum eorum amiſiſſe.

Quicumque autem aliquem in cauſam traxerit pro catallo vel debito, quod probatum fuerit per Judicium Scabinorum, de debito Creditori ſuo reddendo infra quindenam reddere tenetur per ſalvam ſecuritatem faciendam. Quod ſi facere ſecuritatem vel noluerit vel non potuerit, Præpoſitus Epiſcopi eum faciet detineri & cuſtodiet eum legitimè. Et ad finem quindenæ oportebit Creditori, Præpoſito reddere cuſtum rationabilem quem Præpoſitus poſuerit ad eum cuſtodiendum, in cibis & in aliis expenſis, & Emendationem Juſtitiæ, qualem ipſe debitor debebit. Et jurabit Creditor coram Præpoſito & Scabinis, quod legitimè cuſtodiet eum ſuper terram in ferro, vel fuſto, ſi voluerit; & ei ſufficientem eſcam dabit, per quam poſſit rationabiliter ſuſtentari. Et tamdiu eum captum tenebit, donec de debito ſuo & de cuſtis quos pro eo poſuerit, eidem creditori fuerit ſatisfactum.

Et ſciendum, quod Liberi homines ſunt in priſione Præpoſitorum, alii verò in priſione Juſticiæ.

Liberi Homines debent quotidie pro expenſis duos ſolidos, alii verò duodecim denarios, quamdiu in priſione erunt, ſive Præpoſiti ſive Juſticiæ, ſive Creditoris.

Nec ille qui eſt in priſione pro debito, poni debet cum Latronibus vel Maleficis aliis. Et Juſtitia ſemper debet habere ferreamenta & alia inſtrumenta priſionis, parata ſecundum quod Lex requirit. Et in exitu priſonis debet Ferreamentum duodecim denarios, & Cippus quatuor denarios.

Si quis aliquod eorum commiſſorum fecerit, quod pecuniariâ pœnâ debeat multari, & ſtatutam pœnam ſolvere noluerit vel nequiverit, quindecim dies in priſonia ponatur. Quibus tranſactis, in Pilloriaco ponatur, & à Civitate banniatur. Nec ultrà in Civitatem reeire poterit niſi priùs ſatisfecerit injuriam paſſo, & retulerit pœnam forisfacti.

Quotiens autem teſtes producuntur, qui teſtimonium perhibituri ſunt de quacumque facta injuria, oportet eos priùs jurare quod verum dicent, ſecundum quod viderunt & audierunt.

In injuriis corporalibus & factis atrocioribus illatis Civibus vel Clericis vel Familiis Clericorum, valebit teſtimonium cujuſlibet honeſti viri Chriſtiani, ſalvo eorum

vant le Juge, il apellera en s'aitive iaus, dens de le Citet au mains, ki celui detenront deſiadont k'il ſera devant le Juge u le Juſtice Et s'il ſe voloit par force contretenir, par force li porroit on amener à le Juſtice, ſans fourfait. Et ſe li home apielét ne li vuelent faire aitve, & ſour chou il eſtoient convaincu, autant li renderont, combien il porroit prouver k'il aroit perdu par leur defaute.

XXXIII. *Quiconkes aucun traira en cauſe pour Catel, u pour dete ki ſeroit prouvée par Jugement d'Eskievins, il eſt tenus par ſauve feurté, faiſant de le dete rendre à ſen Creencier devens quinſaine. Et s'il ne voloit u ne pooit faire feurté, li Prouvos l'Eveske le fera detenir & lui warder loiaument. Et a le fin de quinſaine, il convenra le Creencier rendre au Prouvoſt le couſt raiſnable, lequel li Prouvos ara mis à lui warder, en viandes & en autres deſpens, & l'Amende de le Juſtice tele comme li Deteres devera. Et juerra li Creenciers par devant le Prouvoſt & les Eskievins, ke loiaument il wardera celui four tiere en fier, u en fuſt s'il veut, & k'il li donra ſouffiſamment viande par le quele il ſe porra raiſnaulement ſouſtenir. Et ſi longuement le tenta, deſi-a-dont k'il ſera aſſés fait au Creencier de le dete & des cous k'il ara pour lui mis.*

XXXIV. *Et eſt à ſavoir, ke li Franc home ſont en le priſon des Prouvos, & li autre en le priſon le Juſtice.*

XXXV. *Li Franc homme doivent caſcun jour pour deſpens* II. *ſols* XII. *deniers; tant comme il ſeront en le priſon, ſoit dou Prouvoſt, u de le Juſtice, u dou Creencier.*

XXXVI. *Et chius ki eſt en priſon pour dete, ne doit eſtre mis awec les larrons u autres maufaiteurs. Et li Juſtice doit adés avoir les fiers & les autres eſtrumens de le priſon apparillies en-ſi comme Lois requiert. Et a l'iſſir de le priſon, li Fier doivent* XII. *deniers & li Ceps,* IV. *deniers.*

XXXVII. *S'acuns fait aucuns de ces fourfais ke on doive vengier par painne de deniers, & le painne eſtaulie il ne vuelle u ne puiſſe paier, on le mette* XV. *jours en priſon. Et apres* XV. *jours on le mete el Pelori, & le baniſſe on de le Citet. Ne en le Citét ne porra revenir, s'il n'a anchois aſſésfait à celui ki aroit ſouffert li injure, & raporteroit le painne del fourfait.*

XXXVIII. *Cantes fies ke tieſmoingnage ſont conduit, ki tieſmoingnage ont à porter de quelconkes injure faite, il leur convient premiers jurer, k'il dirent voir ſelonc chou k'il ont veut & oit.*

XXXIX. *En injures corporeus & en fais tres crueus fais as Citains, u as Clers, u as maiſnies des Clers, vaurra li tieſmoignages de caſcun honieſte home Creſtyen; ſauf chou ke devans les*

Digitized by Google

quod coram Scabinis teſtimonium proferatur pro Civibus, & pro Clericis coram ſuo Judice proferatur. Et Manens in Civitate in his poteſt habere teſtimonium tam forinſeci quam manentis in Civitate. Forinſecus autem contra Civem non poteſt habere teſtimonium, niſi Manentis in Civitate.

Si quis verò convictus fuerit falſum perhibuiſſe teſtimonium, numquam de cætero ad teſtimonium admittetur; & ſexaginta libras perſolvat, vel à Civitate perpetuò bannietur.

Infames homicidas qui vulgò *Mourdreurs* appellantur, fures etiam & prædones publicos, bannitos ab oppido vel civitate per ſuos Judices pro tali crimine, Civitas non recipiat; ſed poſtquam iciverit ipſos eſſe tales, banniet eos.

Si Epiſcopus aliquem banniverit de terra ſua, in Civitate remanere non poterit.

Item ſi aliquis in Civitate inventus fuerit qui inſidietur rebus vel perſonis Epiſcopi, Clericorum vel Civium, de Civitate expellatur. Si verò in ea remanere voluerit, ad ſecuritatem præſtandam compellatur.

Eccleſiarum redditus, ſcilicet in Caponibus, in Denariis & rebus aliis, ad ſtatutum terminum perſolventur, & portabuntur ad domus eorum quibus debentur. Capones etiam, & Denarii qui cum Caponibus debentur, infra octavum diem Natalis Domini ſolvi debent. Si vero intra ſtatutum terminum ſoluti non fuerint, ſinguli debitores reddituum pœnam incurrent duorum ſolidorum. Et ad ſolutionem tam reddituum quam legum, per aliquem miſſum à Baillivo & Scabinis negligentes debitores compellantur.

Idem juris de redditibus Civium ſtatuimus.

Scabini ſub juramento Scabinatûs ſui promittent, quod ingreſſus & exitus domorum & hæreditatum omnium quæ vendentur, infra octo dies poſt venditionem reddent illis ad quos pertinet. Et nominabunt eis venditorem & emptorem.

Nullus omnino Bannus, vel Præceptum, vel Commandeſia, vel quocumque modo nominetur, quidquid ſit in eluſionem Banni, fiat niſi per Epiſcopum.

Si Præpoſitus vel Præpoſiti Conventum indixerint ſub pœna quinque vel decem ſolidorum vel amplius; qui non venerit, pœnam perſolvat ſtatutam.

Si quis cujuſcumque ſexûs ad tantam paupertatem devenerit, quod non habeat unde ſe ſuſtentare poſſit, & hanc paupertatem ſuam per teſtimonium vicinorum ſuorum Præpoſito vel Præpoſitis & Scabinis oſtenderit; cognitâ veritate, poterit hæreditatem ſuam vendere, Auctoritate & Judicio Præpoſitorum & Scabinorum.

Item ſi Homicida alibi Civitatem intraverit, perſona ejus ſalva erit; niſi quantum juſtitia dictaverit.

Eskevins tieſmoignages ſont portés pour les Citains, & pour les Clers devant leur juge. Et li Manans en le Cité puet avoir en ces coſes le tieſmoingnage & dou Deforain & dou Manant en le Cité. Mais li Deforain encontre el Citain ne puet avoir tieſmoingnage fors dou Manant & le Cité.

XL. *S'aucuns eſt convaincus k'il ait porté faus tieſmoignage, jamais ne ſera rechius à tieſmoignage & LX livres paiera, u on le bannira de le Cité à tousjours.*

XLI *Gens de maiſe renommée, Homecides ke on apiele* Mourdreur, *Larrons & Reubeurs communement, ki ſont banit de Vile u de Cité par leur Juges pour tel crieme, li Cités nes rechevera mie, mais tantos comme ele ſara k'il ſoient tel, ele les banira.*

XLII. *Se li Eveske baniſt aucun de ſe terre, il ne porra demourer en le Cité.*

XLIII. *Après, s'aucuns eſtoit trouves en le Cité, ki feſiſt await as choſes u as perſones del Eveske, u des Clers u des Citains, on le mete hors de le Cité. Et s'il voloit ens demourer, on le conſtraingne à donner ſeurtet.*

XLIV. *Les Rentes des Egliges, c'eſt à ſavoir en Capons & en Deniers & en autres coſes paiera on au tierme eſtaulit, & portera on as maiſons de chiaus à cui on les devera, & li Capon & li Denier deut awec les Capons doivent eſtre paiét devens le wittiſme jour del Noel. Et ſe devens le terme eſtaulit n'eſtoient payét, caſcuns ki devereit ces Rentes, fourferoit le painne de* II. *ſols. Et au paiemement auſſi bien des Rentes ke des Lois ſeront conſtraint li Deteur negligent par aucun envoiés dou Baillin & des Eſkievins.*

XLV. *Ce meiſme droit eſtauliſons des Rentes des Citains.*

XLVI. *Li Eſkievin proumetteront ſour le Sairement de leur Eskievinage, que les entrées & les iſſues des Maiſons & des Yretages tous ke on vendera, renderont devens les wit jours après le vendaige, à chiaus à cui il appartenra. Et leur nomm ront le vendeur & l acateur.*

XLVII. *Nus Bans, nus Commendemens, nule Commandiſe, u comment ke on l'apiaut, koi ke ce ſoit en non de Ban, ne ſoit fait ſe n'eſt par l'Eveske.*

XLVIII. *Se li Prouvos u li Prouvoſt font commandement au Peule ſor painne de* V. *Saus, u de* X *Saus, u de plus, ki ne venra, il paiera le painne eſtaulie.*

XLIX. *S'aucuns de quelconkes eage vient à ſi grant poureté, k'il n'ait dont il ſe puiſt ſouſtenir, & cele ſuie poureté par tieſmoingnage de Voiſins il monſtre au Prouvoſt u as Prouvos & as Eskievins, conneute le verité, il porra ſen Yretage vendre par l'autorité & le jugement des Eskievins & des Prouvos.*

L. *Apres, ſe Homecide d'autre liu entre en le Citet, ſe perſonne ſera ſauve, fors de tant ke Juſtice enſeignera.*

Item

Item quicumque reus vel forisfactor Civitatem intraverit, ſalvus erit; & Civitas eum detinere debet, quandiu paratus eſt ſtare Juſticiæ ſecundum Legem Civitatis; exceptis illis de quibus ſpecialiter eſt expreſſum.

Statuimus inſuper, quod nulli de Civitate alicui Patriam inpugnanti ſervire liceat. Quod ſi forte hujuſmodi ſervitium cœperit, priuſquam ille cui ſervire cœperat contra Civitatem guerram movere cœperit, ſervitium illud cœptum conſummabit; ita tamen quod conductu ſuo damnum Civibus non inferat. Sed & ſi rapina alicubi de ſubſtantia Civium facta fuerit, ubi ſub Domino ſuo militet, ſi quicquam inde ei offerat nullâ calliditate quaſi ne reddat, accipere recuſabit; ſed eâ conditione, quod reverſus in Civitate reddet ei cui ablatum eſt, quantum in partem ſuam pervênit. Quod ſi ampliùs exigeretur, juramento ſe expurgabit, quod nec conductum fecerit ibi, nec plus habuerit.

Præterea quæcumque motio agatur, firmiſſimam pacem cunctos in procedendo pariter & redeundo ſtatuimus habere. Quod ſi quis quolibet modo infregerit, eandem legem ſubire compelletur, quam infra Civitatem pacem violantibus inſtituimus. Ab hac tamen lege excipimus illos, qui homines habent conducere.

De Talliis faciendis conſtituimus hoc. Si infra Civitatem oporteat fieri Talliam, de Epiſcopi aſſenſu per Præpoſitum vel Præpoſitos & Scabinos fieri & colligi debet & in uſus debitos converti, per conſenſum Epiſcopi, & per eoſdem ex parte Epiſcopi. Ita quod Talliæ factæ per Præpoſitos & Scabinos in duabus paribus Tabularum fideliter ſcribentur, & ſubmonitio Talliæ, fiet ſub teſtimonio utrarumque Tabularum. Deinde unum par reponetur penes illos, quos ad hoc Epiſcopus deſtinaverit, alio pari penes Scabinos remanente; & collectâ Talliâ, fiet computatio per utraſque.

Item vectura Piſcium in foro, & Stalli pro vendendis piſcibus, per Baillivum Epiſcopi per conſilium Scabinorum diſponentur. Singuli etiam Venditores jurabunt, quod legitimam facient venditionem omni ementi, ſecundum qualitatem temporis, & ſtatum Civitatis. Si autem venditor Piſcium aliter fecerit, & ſuper hoc convictus fuerit, Baillivus Epiſcopi, de conſilio Scabinorum, hoc diſtrictè emendabit.

Item vacante Sede, Præpoſiti & Scabini & tota Civitas tenebitur Capitulo quod eſt in loco Vice-domini, eodem modo quo tenebantur priùs Epiſcopo. Et idem poſſe habebit Capitulum, quod Epiſcopus. Et Capitulum tenebitur ſimiliter Ci-

LI. *Après, kiconkues coupaules a fourfait entre en le Cité, ſauf ſera, & li Cités le doit detenir tant comme il ſeront apparilliet d'eſtre à Juſtice, ſelonc le Loi de le Citét: fors chiaus deſquels il eſt eſpeciaument expreſſés.*

LII. *Nous eſtauliſons enſeur, ke tous ke il ne loiſe à nului de le Cité ſervir à aucunui, ki le Pais guerrit. Et s'il par aventure tel ſervice avoit commenciét devant chou, ke cil a cui il l'avoit commenciét à ſervir, eut commenciet mouvoir guerre contre le Citét; le ſervice k'il ara commenciet, il le parfera enſi, k'en ſen conduit il ne face damage as Citains. Et ſe rapine en aucun liu ſoit faite de le ſuſtance des Citains, ù ke il ſoit deſous ſen Signour ſiervans; s'il l'en offre aucune coſe, il ne le refuſera à prendre por nule boiſdie pour chou k'il ne le renge. Mais par tele condition, ke quant il ſeroit revenus en le Citét, k'il renge à celui à cui on l'a tolut, autant comme il en avoit en ſe partie. Et ſe plus l'en demandoit t'on, il ſe purgeroit par ſen ſairement k'il ne fiſt la conduit, ne ke plus n'en eut.*

LIII. *Après, quelconkes meute ſoit faite, Nous eſtauliſons tous avoir tres ferme pais, en alant & en revenant. Et s'aucuns en aucune maniere enfraignoit icele pais, il ſeroit conſtrains à ſouffrir cele meiſme Loi ke nous avons eſtaulie à chiaus ki pais briſeroient en le Citét. Et de ceſte Loi nous metons hors, chiaus ki les Hommes ont a conduire.*

LIV. *Des Tailles à faire, Nous eſtauliſons chou. Se devens le Cité il convigne Taille eſtre faite, del conſentement l'Eveſque par le Prouvoſt u par les Prouvos & les Eskievins doit eſtre faite & cuellie & eſtre miſe en uſages con coit par le conſentement de l'Eveske par les devantdis Prouvoſt u Prouvos & les Eskievins de par l'Eveske. Enſi que les Tailles faites par le Prouvoſt & les Eskievins en* II. *paires de Taules ſoient fiaulement eſcrites, & li Semonſe de le Taille ſera faite par le tieſmoignage des* II *Taules. Et après, une paire en ſera miſe par devers chiaus cui li Veskes i ara pour chou mis, & li autre paire demouerra devers les Eskievins, & le Taille cuellotte, contes ſera fais par les* II. *paires de Taules.*

LV. *Après, les Voitures des Piſſons el Marchiet, & li Eſtal pour vendre Piſſons doivent eſtre dyſpoſit par le Baillin l'Eveske par conſeil d'Eskievins. Et caſcuns Venderes juerra ke loiaument fera le vendage à tout acatant ſelon le qualitét dou tans & l'eſtat de le Citét. Et ſe le venderes des Poiſſons ſe faiſoit autrement, & de chou il fuſt convaincus, li Baillius l'Eveske par conſeil d'Eskievins amanderoit chou deſtroitement.*

LVI. *Après, quant li Sieges de Veskiet ſera ſans Veske, li Prouvoſt, li Eskievins & toute li Citét ſeront tenu au Capitle, ki eſt en liu de Viſdame; en autele maniere k'il eſtoient tenu devant à l'Eveske. Et cel meiſme pooir ara li Capitles ke li Eveskes. Et li Capitles enſement ſera te-*

vitati, donec alius electus fuerit, & de Regalibus Investitus.

Et cum aliquis in Episcopum electus fuerit, & de Regalibus Investituram receperit, assecurabit ipse & Capitulum personas & res Civium, & Legem præscriptam, sub forma Juramenti prædicti.

Et Cives similiter, tam ipsum, quam Capitulum & Legem dictam, assecurabunt præstito juramento.

Omnes Leges præscriptas juraverunt Episcopus & Capitulum & Cives bonâ fide servare. Et si quid in posterum videretur emendandum vel addendum, pro melioratione & regimine Civitatis, in eis Episcopus, de consilio Capituli, fideliter emendaret vel adderet, & emendationem vel additionem, si qua facta fuit, ut dictum est, judicabunt Scabini, sicut alia supra-dicta.

Sciendum vero, quod Episcopus quando voluerit, querelas Civitatis audiet & terminabit cum Scabinis; vel eas Præpositis & Scabinis audiendas & terminandas relinquet.

Quicquid autem statuerimus vel ordinaverimus de prædictis, non est nostræ intentionis, vel Capituli nostri, renunciare in aliquo Privilegiis, Nobis & Ecclesiæ nostræ ab Imperatore vel Rege, ut dictum est, concessis. Sed ea volumus & intendimus in omnibus illibata servari.

De omnibus quæ Scabini Episcopi judicabunt, pro justitia facienda per Jus & Legem, nec possunt nec debent ab aliqua justitia tanquam culpabiles reprehendi.

Occasione hujusmodi Legum & Institutionum, Justitiæ Ecclesiasticæ & Libertati Cleri nullo modo intendimus derogare, qui suo jure, scilicet Ecclesiastico, regi debet.

Ut igitur dictæ *Leges* ad utilitatem & Pacem publicam constitutæ, firmiùs & cautiùs in perpetuum observentur, ipsas Cartâ præsenti diligentiùs annotatas, nostri fecimus Sigilli karactere communiri. Capitulum quoque Nostrum, & Civitas similiter, ipsis sua appenderunt Sigilla.

Datum anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo septimo, mense Novembris.

nus à le Citét desi-adont, ke aultres sera esleus, & de ses Regales enviestus

LVII. *Et quant aucuns sera eslius en Eveske, & ara rechiut l'Envieſture de Regales, il asseurra il & li Capitles, les Personnes & les Coses des Citains, & le Loi devant escrite, par le forme del Sairement devant-dit.*

LVIII. *Et li Citain aussi asseurront & l'Eveske & le Capitle & le Loi devant-dite, par leur Sairement.*

LIX. *Toutes les Lois devant-escrites juerront li Eveskes & li Capitles & li Citain en boinne foi à warder. Et s'on i veoit aucune coſe à amender ci aprè, u à ajouter, pour l'amandement & le governement de le Citét, en ces coſes, li Eveskes del conſeil de Capitle finalement amendera u ajoutera. Et l'amende u l'ajouſtement, s'aucun en fait, enſi comme dit eſt, jugeront li Eskievin enſi-comme les autres coſes devantdites.*

LX. *Et eſt à ſavoir, ke li Eveskes quant il vaurra, ora & tierminera les quereles de le Citét, awec les Eskievins, u il les lairra as Prouvos & as Eskievins, oir & à terminer.*

LXI. *Quelcunkes coſe, ke Nous aions eſtaulie u ordenée des devantdites coſes, n'eſt mie de Noſtre entencion u de Noſtre Capitle renuncier en aucune coſe as Privileges à Nous & à Noſtre Egliſe del Empereur u del Roi, comme dit eſt, otroyés. Mais ces Privileges Nous volons & entendons en toutes coſes à warder, ſans blecier.*

LXII. *De toutes les coſes ke li Eskievins l'Eveske jugeront pour juſtice faire par Droit & par Loi, ne pueent, ne doivent d'aucune juſtice comme coupaule i eſtre repris.*

LXIII. *Pour l'oquiſon de ces Lois & de ces Eſtauliſemens, n'entendons Nous en nule maniere à faire tort à le juſtice Eccleſiaſte, ne a le Frankiſe de Clergie, ki de ſen droit ſi comme Eccleſiaſte doit eſtre gouvrenés.*

Et ke leſdites Lois, à le utilitet & le pais apierte eſtaulies, plus fermement & plus ſagement ſoient à tousjours wardées, ſi comme eles ſont par ceſte Chartre preſente diligenment notées, avons fait affremer, par l'emprainte de Noſtre Saiel. Et Nos Capitles & li Citét autreſi i ont pendu leur Saiaus.

Ce fut donnet, l'an del Incarnation Notre Signeur Jheſu-Criſt, Mil deus cens vint ſiet, el mois de Novembre.

C'eſt li Fourme dou Sairement que Meſſire li EVESKES DE CAMBRAI doit faire, quant il vient premierement à Cambrai, & il a rechiut l'Envieſture de ſes Regales.

TOut premiers à le Banliuwe, u anſchois que Meſſire li Eveſques entre en le Cité, ſoit as Cans, u à Saint Ladre, on li requiert de par toute le Vile, qu'il face tel Sairement

SIRE, vous jurés, *in verbo Sacerdotii*, que vous asseurès les Personnes & les Coses des Citoyens de Cambrai, & le Loi escrite, les Usages, & les maniemens de le Cité de Cambrai.

Apreſque Meſire li Eveſques ſera venu en le Cité, à l'entrée de l'Egliſe Noſtre Dame de Cambrai, on li doit dire & requerre de par toute le Vile.

SIRE, vous jurés, *in verbo Sacerdotii*, que vous warderez soigneusement en bonne

Digitized by Google

foi, & asſeurés les Perſonnes & les Coſes des Citoiens de Cambrai, le Loi eſcrite, les uſages & les Maniemens de le Cité de Cambrai.

Et tout en autel maniere doit faire un Canonnes de Noſtre Dame, & jurer pour le Capitle à l'entrée dou Mouſtier Noſtre Dame, quant Meſire li Eveſques ara fait ſen Sairement.

Le Serement de l'Eskevinaige.

VOus jurés ſour ces Sains & ſour tous les autres, ke vous bien & loiaument le Perſone & les Droits de Monſigneur le Veske de Cambrai, ſicomme de vo Signeur, warderes fiaulement.

Et les Droits & les Frankiſes & les Perſones de Capitle & des Eccleſiaſtes Perſones ſelonc Dieu, à vo pooir warderes.

Les Cauſes & les querieles des Citains de Cambrai, ſelonc les Lois eſtaulies de Monſigneur le Veske, par le conſentement de Capitle, jugerés loiaument.

Les Enqueſtes des Deforains donrés loiaument.

Et les entrées & les iſſues, ke vous recheverés des vendaiges & des wers ke on fera par vous, renderes a chiaus a cui on le devera rendre, devens les wit jour ke vous les ares rechiutes, & nommerés le vendeur & l'acceteur, ſe vous les ſavés nommer.

Et menrés les Citoiens & leur biens par Loi & par Dit d'Eskievins.

Et celerés le conſeil des Eskievins.

Se Dius vous aiwt, & cil Saint, & tout li autres

Et ales faire ſerement a Capitle dedens VIII. *jours.*

PROUVOST. Vous jurés ſour ces Sains & ſour tous les autres, que vous bien & loialment warderes les Droitures Monſigneur le Veske de Cambrai.

Et menrés les Citains & les Kateuls par Loi & par Dit d'Eskievins.

Et celerés le Conſeil Monſigneur le Veske & le Conſeil des Eskievins.

BAILLIUS. Vous jurés ſour ces Sains & ſour tous les autres, que vous le Perſonne & les Drois Monſigneur le Veske & de Capitle warderes bien & loialment.

Et que vous les Perſonnes des Citains & des Manans, ne leur Catels, ne menrés fors par Loi & par Dit d'Eskievins.

Serement de le Juſtice.

JUSTICE. Vous jurés ſur ces Sains & ſur tous les autres, que vous ferés bien & loialment l'office de le Juſtice, & warderes les Drois de le Juſtice; les Citains, les Manans & leurs biens, traiterés & menrés par Loi & par Dit d'Eskievins.

Toutes les Commandiſes qui vous ſeront kierkies par Prevoſt, par Eskievins, ou par Sergans, renderez entierement au Prevoſt & a Eskievins.

Les Priſonniers warderés loialment & honeſtement ſelonc che qu'il vous ſeront recommandés, & d'eaus ne prenderés emolument ne exaction fors, che ki eſt accouſtumé.

Si vous ayt Diex, & cil Saint & tout li autres.

Et chiax ki vauront tenir priſon en le Cambrette, là les metterés.

CAPUT LVIII.

GODEFRIDUS DE FONTIBUS *Epiſcopus Cameracenſis confert anno* 1232. *quinque Altaria, cum Advocatiis, in uſum Canonicorum Eccleſiæ Collegiatæ Sti. Gaugerici Cameraci.*

Ex Archivis Capituli Metropol. Cameracenſis per R. D. Canonicum Le Maire.

Godefridus de Fontaines.

GDei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus univerſis præſentes Litteras inſpecturis, ſalutem in Domino.

Noveritis, quod Nos Advocatias in quinque Villis Sancti Gaugerici Cameracenſis, videlicet *Wambaix*, *Flekiers*, *Erres*, *Ramelies* & *Thunio Sancti Martini*, cum redditibus & ſcaantiis & aliis appenditiis ipſis Advocatiis annexis, quas Dominus *Renerus* dictus *Grobeis de Heregny*, Miles, qui eas à Nobis in Feodum tenebat, & qui eaſdem Nobis vendidit & werpivit, prout recognovit coram Paribus, Matheo de Hellhy, Johanne de Croiſſet, & aliis multis Hominibus noſtris, ibidem aſtanti-

Digitized by Google

bus & audientibus, de consensu & voluntate Ecclesiæ Cameracensis, dedimus & concessimus Ecclesiæ Beati Gaugerici Cameracensis, liberè & absolutè in perpetuum possidendas & habendas, cum integritate reddituum & scaantiarum, prout jam dictum est.

Promittentes, quod ipsas Advocatias jam dictas warandemus ipsi Ecclesiæ beati Gaugerici Cameracensis, cum omnibus appendiciis suis. Obligantes Nos ad hoc, & etiam nostros Successores; ita quod Cantores qui pro tempore fuerint in prædicta Ecclesia Sancti Gaugerici, Nobis debent facere Homagium, secundum quod faciunt Decanus & Præpositus ejusdem Ecclesiæ.

Quod ut firmum & stabile in perpetuum habeatur, præsentes Litteras Sigilli nostri munimine duximus roborandas; & dictas Advocatias, prout superius est expressum, ipsi Ecclesiæ confirmantes.

Actum anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo secundo, feriâ tertiâ ante Pentecosten, mense Junio.

CAPUT LIX.

Theodoricus Comes de Wied *Trevirorum Archiepiscopus, confirmat anno* 1234. *Fundationem Abbatiæ de* Bona-Via (*vernaculè* Bonne-Voye) *pro Monialibus Ordinis Cistercienſis, in Ducatu Luxemburgensi.*

Theodoricus Dei gratiâ Trevirorum Archiepiscopus, universis Christi fidelibus in nostrâ Diœcesi constitutis, præsentis vitæ miseram Ebdomadam felici Sabbatho terminare.

Quoniam, ut ait Apostolus, *Omnes stabimus ante Tribunal Christi, recepturi prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit, sive malum*; oportet Nos diem missionis extremæ, misericordiæ operibus prævenire, ac æternorum intuitu seminare in terris, quod reddente Domino cum multipliculo fructu, recolligere valeamus in cœlis, firmam spem fiduciamque tenentes; quoniam qui *parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam.*

Inde est, quod cum dilectæ filiæ Abbatissa & Conventus Ordinis Cistercienſis de *Bonâ-Vid*, Ecclesiam & domos eidem Ordini necessarias ædificare intendant, quibus ad hoc cum in paupertate sufficientiam suam postvenerint, aliorum ... suffragia oportuna, universitatem vestram monemus & hortamur attentè in remissionem vestorum peccaminum, injungentesque tenus eis ad hoc grata subsidia, & pias eleëmosynas erogetis; ut & ipsæ per vestrum auxilium perficere valeant quod intendunt, & vos per hæc & alia bona, quæ, Domino inspirante feceritis, ad æternæ possitis felicitatis gaudia pervenire.

Nos enim de omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus Autoritate confisi, omnibus qui eis ad id manum porrexerint caritatis, vel qui ad honorem beatæ Dei Genitricis in quatuor solemnitatibus ejusdem glorioſæ Virginis, videlicet Nativitate, Purificatione, Annunciatione, Assumptione, ad earum Ecclesiam devotè confluxerint, XL. dies de adjuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus.

Nolumus autem has Litteras per varia loca nostræ Diœcesis deportari, sed in eodem Cœnobio jugiter reservari.

Datum anno Domini M. CC. XXXIV. mense Decembri.

In Ducatu Luxemburgensi, omnium Provinciarum Belgii vastissima, quatuor tantùm sunt Abbatiæ Religioſorum: S. Maximini juxta Treviros, Epternacensis, & Munsterienſis, Ordinis S. Benedicti; & Aureæ-Vallensis, Ordinis Cistercienſis. Quibus addi posset Prumiensis Ordinis S Benedicti: sed cujus Abbatialis dignitas unita est Archiepiscopatui Trevirensi.

Tres sunt Abbatiæ Monialium Cistercienſium: Bonæ-viæ Clari-Fontis & Differtangiæ; una Canonicarum Regularium Ordinis S. Augustini dicta *Hoſtin*; duæ quoque Ordinis S. Clarę, S. Spiritûs Luxemburgi, & Epternaci.

Addi possunt Prioratus varii: atque imprimis Hoffalizię Vallis Scholarium, Marienthal, nobilium Monialium Ordinis Prædicatorum, Neder-Pruim Ordinis S. Benedicti: multique alii qui hodie non subsistunt.

Historiam Luxemburgensis Ducatûs ac Provincię octo Tomis gallicè complexus est, tersèque & accuratè descripsit R. P. *Joannes Bertholet* Societ. Jesu anno 1741. & sequent. Accedunt ad Tomos singulos plura Documenta atque Probationes.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LX.

GUIDO DE LAUDUNO *Cameracenſis Epiſcopus conſentit in admiſſionem Sororum de* Porta B. Mariæ, *Ordinis S. Victoris*, (*in foro granario ſub Parochia de* Molenbeca, *olim juxta, nunc intra Bruxellam*) *anno* 1238, *ſub certis Conditionibus à Capitulo B. Gudilæ acceptatis. Hodie eſt Monaſterium de* Jericho, *Monialium Sti. Auguſtini.*

GUIDO Dei gratiâ Epiſcopus, Wilhelmus Archidiaconus in Brabantia, & M. Gerardus Scholaſticus Cameracenſis, præſentes Litteras viſuris ſalutem in Domino.

Noverit univerſitas veſtra, quod cum Controverſia oriretur inter Decannum & Capitulum S. Gudulæ Bruxellenſis & Presbyterum de Molenbeka ex una parte, & Sorores de Porta B. Mariæ juxta Bruxellam ex altera, ſuper eo, quod dictus Decanus & Capitulum & Presbyter, Sorores non permittebant pacificè manere in ſuo Perſonatu infra fines Parochiæ de Molenbeka, cum hoc dicerent in ipſorum præjudicium redundare: & tandem partes dictæ, de Bonorum conſilio, ſuper his in Nos, Wilhelmum Archidiaconum & Gerardum Scholaſticum compromiſiſſent ſub pœnâ centum librarum Bruxellenſium, & ſe Ordinationi noſtræ ſuppoſuiſſent: Nos habito bonorum Conſilio diligenti, & tractatu cum Partibus, penſatâ æquitate, hinc inde Arbitrium ſeu Ordinationem noſtram pronunciamus, in hunc modum: videlicet.

Quod Sorores prædictæ ſolvent ſingulis annis in Nativitate B. Joannis Baptiſtæ dicto Decano & Capitulo & Presbytero Parochiæ de Molenbeka, pro recompenſatione Juris Parochialis, XX. ſolidos Bruxellenſes: ita ut quam diu vixerit Joannes ad præſens Presbyter de Molenbeka, habebit XII. ſolidos pro ſua portione, & dictum Capitulum VIII. ſolidos. Poſt deceſſum vero dicti Joannis, Capitulum medietatem percipiet, & Presbyter Parochiæ de Molenbeka medietatem aliam, in pecunia ſupradicta.

Ordinamus etiam, quod Sorores prædictæ non poterunt recipere ad ſepulturam corpora defunctorum pertinentium ad Eccleſiam B. Gudulæ Bruxellenſis, vel ad Parochias ſibi ſubjectas, niſi prius Miſſam in propriis Eccleſiis habuerint, vel Presbytero de ſuis oblationibus fuerit ſatisfactum.

Ordinamus etiam, quod ſi quis in lecto ægritudinis habitum earum aſſumat, & in illa infirmitate decedat, quod Miſſam habeat in ſua Parochiali Eccleſia, vel pro jure ſuo Presbytero ſatisfaciat.

Ordinamus etiam, quod ſi emptione vel elëmoſynis, vel alio quocumque modo dictæ Sorores terram acquiſierint, quæ prius fuerit Eccleſiæ D. Gudulæ decimalis, & terra illa per dictas Sorores ad actum alium redigatur, quod recompenſatio fiat pro ſua Decima, ad arbitrium Epiſcopi Cameracenſis, vel Archidiaconi loci, Eccleſiæ B. Gudulæ ſupradictæ.

Si quid vero in Dicto noſtro, vel Ordinatione, dubium fuerit vel obſcurum, Interpretationem vel Declarationem Nobis reſervamus faciendam: & Interpretatione vel Declaratione factâ, ſicut & cætera ſupradicta, tenebuntur Partes prædictæ ſub eadem pœna inviolabiliter obſervare.

Nos autem Guido Epiſcopus, qui Ordinationi hujuſmodi interfuimus, & quantum potuimus ſecundum Deum, partes noſtras ad Compoſitionem inter-poſuimus reformandam, hujuſmodi Ordinationem ratam habemus & approbamus Authoritate Epiſcopali, & ne aliquid ex inde revocetur in dubium, confirmamus.

Conſenſerunt etiam dictæ Sorores coram Nobis, quod ſi ipſæ in ſolutione dictæ pecuniæ, ſicut prædictum eſt, ad terminum ſtatutum deficerent, Nos ex tunc in locum & perſonas earum, prout Nobis juſtum videbitur, animadvertere poſſimus.

Datum anno Domini M. C. C. XXXV III. menſe Octobri.

Tranſcriptum ex Libro cui tit. *Annales Eccleſiæ B. Gudilæ*, qui extat in Biblioth. Eminentiſſ. Domini Cardinalis Archiepiſcopi noſtri. Vide ulteriùs Hiſtoriam Archiepiſcopatus Mechlin. Authore D. Van Geſtel.

NB. Prædium Dudinſart, de quo Miræus Tom. IV. Tomo I. Diplom. pag. 383. fuit olim datum Monialibus de Cluſa, vulgo *Ter-Cluyſen*, quæ habitarunt in Silva Soniæ, haud procul à Prioratu Septem-Fontium; & ſunt illę ipſæ quæ dein migrarunt in Jericho.

Vide Notam ibidem pag. 383 appoſitam.

CAPUT LXI.

Concordatum inter WALTHERUM DE MARVIS *Tornacenſen Epiſcopum, & Abbatiam S. Petri, Monachorum Benedictinorum Gandavi, pro Jure Patronatûs Eccleſiarum* S. Ægidii & Sti. Pauli, Kemſicke, & Vracene, *in Waſia, &* Swalmæ *Omnium SS. in Comitatu Aloſtenſi, anno* 1239.

Ex Actis litis inter Epiſcop. Gand. & Abbatem, in Senatu Mechlin.

WALTHERUS Dei gratiâ Tornacenſis Epiſcopus, univerſis præſentes Litteras inſpecturis ſalutem in Domino.

Noverit univerſitas veſtra, quod cum controverſia haberetur inter Nos, & dilectos noſtros Reverendum Abbatem & Conventum S. Petri Gandenſis, ſuper Jure Patronatûs Eccleſiæ S. Ægidii (1) & ejus pertinentiis, & ſuper Eccleſiis S. Pauli (2) & omnium Sanctorum (3) ad Patronatum noſtrum pertinentibus; ſuper quibus per Nos ipſis injuriatum eſſe dicebant; tandem pro bono pacis in bonos Viros, Henricum Decanum Waſiæ, Euſtachium de Belſele, & Ar. de Vracene Presbyteros compromiſſum fuit à Nobis & ab ipſo Abbate, pro ſe & pro Eccleſia ſua, in hunc modum.

Modus antiquus definiendi lites.

Quod quidquid limitando, commutando, vel compenſando inter Nos, ordinarent, (prout in Litteris Compromiſſi ſuper hoc confectis continetur) ratum & firmum Nos, & prædicti Abbas & Conventus haberemus.

Quorum duo, ſcilicet H. Decanus & E. Presbyter, tertio vocato nec procedere volente cum eis, Dictum ſuum & Ordinationem protulerunt in hunc modum.

Quod Jus Patronatûs in Eccleſiis ſancti Pauli & Omnium Sanctorum, & omnia ad Patronatum pertinentia, penes Nos pacificè & quietè remaneant. Et hoc idem de Eccleſia Sancti Ægidii ordinarunt.

Sed poſtmodum ipſis Abbate & Conventu prædictam Ordinationem reclamantibus, ita cum ipſis convênimus, quod Jus Patronatûs, & Decimæ ad Jus Patronatûs pertinentes in Eccleſia ſancti Ægidii, videlicet tertia gerba, à Nobis & ipſis communiter haberetur: ſalvâ portione competenti Presbytero deſervienti ibidem. Et ita quod prædictam Eccleſiam Sti. Ægidii, cum vacaverit, viciſſim Nos, & ipſi Abbas & Conventus conferremus: ſed ipſi primâ vice. Parochia S. Ægid. in Waſia.

Cætera autem omnia in Ordinatione prædictorum Virorum contenta, in ſuo robore remanebunt: hoc excepto, quod Eccleſia de Kemſeca (4) Competentiam habeat quindecim librarum ad minus: quæ Competentia, ſi in aliquo ſecundum Ordinationem prædictorum Virorum defecerit, Nos ipſam ſupplere tenemur. Et de 20 ſolidis Presbytero de Vracene (5) pro recompenſatione reddendis à Patrono Eccleſiæ de Kemſeka, eidem Presbytero de Vracene tenebimur providere; & quoad alia omnia Ordinationem prædictorum Virorum ratam habemus & firmam. Kemſicke. Vracene

In cujus rei teſtimonium & etiam firmitatem, præſentes Litteras Sigilli noſtri munimine fecimus roborari.

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo nono, menſe Julio, feriâ quintâ ante Diviſionem Apoſtolorum.

(1) STI. ÆGIDII, ingens Parochia Waſiæ, Diœceſis Gandenſis, Diſtrictûs Hulſtenſis, in quâ (in vim hujus Diplomatis) Jus Patronatûs habent alternatim, Epiſcopus Gandavenſis, olim Tornacenſis, Jure Ordinarii; & Abbas Sti. Petri. Prodiit autem hîc Paſtoratus à vetere *Capella de Coefvoorde*, quæ modo non amplius ſubſiſtit; cujus Patronatus jam pridem datus fuerat Monaſterio S. Petri. Vide Bullam Eugenii III. Papæ de anno 1145. inter hæc Diplomata Tomo III. pag. 41.

(2) S. PAULI, inſignis Parochia Waſiæ, Diœceſis Gandenſis, Diſtrictûs Waſiæ; cujus Jus Patronatus olim penes Epiſcopum Tornacenſem, modo eſt penes Gandavenſem, uti Ordinarium.

(3) OMNIUM SANCTORUM, vulgo *Alderheylighe Swalmen*; Parochia Comitatûs Aloſtani, Diœceſis Mechlinienſis, Decanatûs Rothnacenſis. Jus Patronatûs olim erat penes Tornacenſem Epiſcopum, modo eſt penes Archiepiſcopum Mechlinienſem, Jure Ordinarii.

(4) KEMSICKE &

(5) VRACENE, Parochiæ Diœceſis Gandavenſis in Waſia; ambę ſub Patronatu Abbatis S. Petri Gandavi.

Digitized by Google

CAPUT LXII.

THEODORICUS *Trevirorum Archiepiſcopus, Eccleſiam* S. Wulfilaïci (*vulgo* S. Walfroy) *in urbe Luxemburgenſi anno* 1240 *poſſidendam concedit Abbatiæ* Aureæ-Vallenſi, *Monachorum Ciſtercienſium.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, amen. Ego THEODORICUS Dei gratiâ Trevirorum Archiepiſcopus, dilectis filiis Fratribus (1) *Aureæ Vallis*, præſentibus & futuris, ſalutem in perpetuum.

Æquitatis regulâ favorabiliter innuente compellit pietas, cohortatur honeſtas, ut hii quos Deus dignatur Pontificali dignitate vigere, profectui ſubditorum, & maximè Religioni deditorum, ſolerter teneantur invigilare, & preces eorumdem pias digno ſatis affectui mancipare.

Nos ergo volentes erga Vos, utpote filios cariſſimos, pium & verum oſtendere Patris affectum, petitioni veſtræ, quam juſtam attendimus & exauditione dignam, efficacem præbemus aſſenſum.

Unde eſt, quod approbantes confirmamus Vobis & Succeſſoribus veſtris in perpetuum, Patronatum Eccleſiæ *S. Walfragii* (2), cum ſuis Appendiciis, Capellis de *Firmitate*, de *la Moillei*, & de *Moirey*; donum ſcilicet ſundi quod contulit vobis Dominus *Joannes Miles de la Fontaine*, qui cognominatur *Tauſignus*, laude & aſſenſu *Hadwigis* uxoris ſuæ, & liberorum ſuorum, & Hugonis fratris ejuſdem Johannis.

Quoniam vero, qui Deum diligit, diligit & ſervos ipſius; ideoque ut ſervientes Deo in veſtro Monaſterio, in augmentum meriti noſtri, ſollicitudine noſtrâ melius de cætero ſuſtententur, & cultus ibidem divinorum, remotâ panis inopiâ, celebrior habeatur;

Nos intentione paternâ, paci veſtræ & utilitati providere cupientes, ipſam prædictam Eccleſiam *S. Wulfflagii*, cum ſuis prædictis Capellis appendiciis, Vobis & veſtris Succeſſoribus perpetuò tenendam donamus, & Sigilli noſtri impreſſione confirmamus.

Ita tamen, quod in eadem Eccleſia Vicarius inſtituatur, ad Præſentationem Abbatis Aureæ Vallis, qui Curam habeat animarum.

De reparanda Eccleſia, de ſolvendo cenſu ejuſdem Eccleſiæ, de providendis hiis, quæ ad divinum ſpectant obſequium, id agent Fratres Aureæ Vallis, quod ex conſuetudine tenetur fieri in Eccleſiis Decaniæ de *Givegney*.

Vicarius igitur habebit tertiam partem tertiæ partis Decimę, quæ competit ſupradictis Fratribus in eadem Eccleſia; tertiam partem nihilominus habebit, in omnibus Oblationibus feſtivis & cotidianis.

Si autem ex nutu Dei acciderit, Vicarium ſupra-dictum Eccleſiæ viam carnis univerſæ ingredi, eliget Abbas *Aureæ-Vallis* perſonam, & præſentabit eam Archidiacono. Archidiaconus vero, omni occaſione poſt-poſitâ, abſque contradictione inveſtiet eam dono Vicariæ, ſub ſtipendio ſupra-dicto, eique Curam injunget animarum. Producta igitur perſona fidelitatem faciet Abbati prædicto, de ſervando ſuo Jure.

Ut ergo prædictam Eleëmoſynam, legitimè datam & ſuſceptam, deinceps cum ſua integritate poſſideatis, Authoritate Metropolitanâ prohibemus, ne quis Vos impoſterum ſuper ea moleſtare præſumat. Si quis autem, poſt hanc prohibitionem noſtram, Vos inquietare præſumpſerit, iram Dei omnipotentis, & BB. Apoſtolorum Petri & Pauli, ſi congruâ ſatisfactione non emendaverit, ſe noverit incurſurum.

Actum anno Verbi Incarnati M. CC. LX. menſe Novembri.

(1) AUREA-VALLIS. De hac Abbatia prolixius agitur Tomo II. horum Diplomatum pag. 1159. in Notis.

(2) WALFRAGIUS, aliàs WULFILAÏCUS, gallicè dictus WALFROY, gente Longobardus, ad S. Martini Turonenſis Epiſcopi venerationem è patria egreſſus, tum S. Aredii Lemovicenſis Abbatis inſtitutis exercitus & Diaconatûs Ordine inſignitus, demum in Trevirenſi territorio ſedem fixit. Ubi montis cacumen elegit, in quo ſancto ſuo tutelari Martino Baſilicam & Monaſterium ædificavit, erectâ ſibi columnâ, ad ſequenda per id tempus celeberrimi Stylitę Simeonis Antiocheni veſtigia.

Diſtabat prædictum Monaſterium à caſtro Ivodio leucis fermè tribus; dum autem illac tranſiret Gregorius Turonenſis Epiſcopus, cum Felice Guntramni Regis Legato pergens ad Chidebertum Regem Auſtraſiæ, Confluentiæ commorantem, in itinere divertit ad Wulfilaïcum Diaconum, jam per 20. & ultra annos inibi habitantem; & ab eo benigniſſime receptus eſt. (Annus tunc erat 585. à Chriſto nato.)

Wulfilaicus totam vitæ ſeriem tunc enarravit Gregorio, quam ipſe deſcripſit in Hiſtoria Francorum libro 8. cap 15. Unde Viri hujus ſummam auſteritatem Sanctitatemque admirari poſſumus. Siquidem in columna ſua res divinas ad-

Digitized by Google

miratus, ita ſubinde rigore glaciali urebatur, ut ungues pedum ejus vis frigoris excuteret, & in barbis ejus aqua gelu connexa candelarum more pendêret.

In caſtro Ivodio fanum Dianę evertit, ac tandem inter fratres Monachos obiit circa annum 595. Poſtmodum everſo hoc Monaſterio, viſum fuit Egberto Trevirorum Epiſcopo, oſſa ſancti Viri è monte vicino transferre Ivodium: ubi præcipuam omnibus admirationem auxit, quod madeſcente circum ſolo, largiſſimus imber effuſus, à ſanctis tamen Reliquiis, quamvis in aperto, ſic abſtinuit, ut ne gutta quidem in Divi feretrum decideret.

Hodie nullæ ſuperſunt Ivodii Reliquiæ S. Wulfilaïci: reſtat tamen Cultus, uti & Luxemburgi, ubi eſt Parochialis Eccleſia, dicta communiter S. Walfridi. Mirum quoque, nullam hujus Sancti factam fuiſſe mentionem à Molano neque à Miræo, cujus Notitiam ex Hiſtoria Gregorii Turonenſis dederunt Hagiographi S. J. Tomo II. Julii, pag. 478.

CAPUT LXIII.

PETRUS *Morinenſis Epiſcopus, Abbatiæ* Sti. Auguſtini, *Religioſorum Præmonſtratenſium juxta Teruanam Morinorum urbem, ab Epiſcopis Prædeceſſoribus fundatæ, concedit novales Decimas in Parochia de* Moerbeecke *anno* 1241.

Ex Archivis Abbatiæ deſcriptum miſit Dominus Godefroid Inſul.

PETRUS, Dei gratiâ Morinorum Epiſcopus, univerſis præſentes Litteras inſpecturis ſalutem in Domino.

Cum nos Eccleſiam Sti. Auguſtini Morinenſis, quæ à noſtris Anteceſſoribus fundata dignoſcitur, diligere prærogativâ charitate debeamus, dignum eſt & omni conſonum rationi, ut in ſuis petitionibus maximè juſtis & licitis, aſſenſum noſtrum & conſenſum ſibi inveniat favorabilem & benignum.

Morbeeke. Hinc eſt, quod cum prætata Eccleſia infra fines Parochiæ de *Morbeke* majores decimas, ex dono piæ memoriæ *Lamberti* quondam Epiſcopi Morinenſis prædeceſſoris noſtri, percipiat & perceperit ab antiquo, & quædam Novalia facta ſint in Parochia ſupradicta, prædicta Eccleſia Nobis humiliter ſupplicavit, ut Decimas Novalium in prædicta Parochia factorum & etiam faciendorum, eidem quantum in Nobis eſt, concedere dignaremur.

Nos vero ipſius Eccleſiæ admittentes juſtum deſiderium ad petita, ut prædictas Decimas de Novalibus factis & faciendis infra fines prædictæ Parochiæ percipere & habere debeat, Autoritate Diœceſana in quantum poſſumus & in nobis eſt, duximus liberaliter indulgendum, eaſdem dictæ Eccleſiæ concedentes.

Ut autem prædicta omnia robur habeant & obtineant perpetuæ firmitatis, præſens Scriptum Sigilli noſtri Authoritate dignum duximus confirmandum.

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo, quadrageſimo primo, menſe Aprili. 1241.

CAPUT LXIV.

Scholaſticus Eccleſiæ Collegiatæ Sti. Bartholomæi Leodii (Patronus Eccleſiæ de Hervelé *juxta Lovanium) cedit anno* 1242. *partem Decimarum ibidem Joanni Militi de Heverlé, probante* ROBERTO *Leodienſi Epiſcopo. Cujus Succeſſor* JOANNES DE BAVARIA *confirmat anno* 1398. *alteram earumdem Decimarum ceſſionem, in favorem Abbatiæ Parcenſis, Ordinis Præmonſtratenſis.*

Ex Actis litis. in Archivis Archiepiſcopatus communicavit anno 1740. A. D. Canon. Holvoet.

ROBERTUS Dei gratiâ Leodienſis Epiſcopus; univerſis præſentes Litteras inſpecturis ſalutem in Domino.

Noveritis, quod cum diſcordia verteretur coram Nobis Auctoritate ordinariâ, inter dilectum ac fidelem noſtrum Magiſtrum Andream Scholaſticum St. Bartholomæi in Leodio ex una parte, & Johannem de Havrech * Militem, ex altera, ſuper Decima de Havrech noſtræ Diœceſis, tam majori quam minuta, dicente dicto Milite, quod eadem Decima jure hæreditario ſpectabat ad eundem, mediante annua penſione

* Flandrice *Heverlé.*

ſione, quam propter hoc Scholaſtico prædictæ Eccleſiæ S. Bartholomæi reddere tenebatur: præfato Scholaſtico in contrarium renitente;

Tandem interveniente bono pacis, bonorum virorum conſilio, & partium conſenſu, Nos de ſpeciali mandato & expreſſo præfati Magiſtri Andreæ ejuſdem Eccleſiæ Scholaſtici, dictam Decimam præfato Johanni Militi & ejus hęredibus tenendam conceſſimus, ſub annua penſione quatuordecim Marcarum Leodienſium Scholaſtico prædictæ Eccleſiæ, qui pro tempore fuerit, ſingulis annis mediatè in Natali Domini, & mediatè in Paſcha reddendarum.

Hoc adjecto, quod ſi dictus Miles, ſeu heredes aut Succeſſores ipſius, priùs requiſiti, in ſolutione prædictæ pecuniæ per tres ſeptimanas defecerint, ipſi pro qualibet die qua ultra illas tres ſeptimanas defecerint, præfato Scholaſtico quinque ſolidos albos pro pœna ſolvere tenebuntur. Et nichilominus per excommunicationis aut interdicti ſententias compelli poterunt ad prædicta.

Et hæc omnia dictus Miles in noſtra præſentia ſolempni firmavit juramento; nichilominus heredes & Succeſſores ſuos obligans ad hæc omnia juranda Scholaſticis Eccleſiæ ſupradictę, prout ſibi invicem ſucceſſerint, ſi fuerint ſuper hoc requiſiti.

In cujus rei teſtimonium præſentes Litteras Sigilli noſtri munimine duximus roborandas.

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo XLII. feriâ quartâ poſt *Invocavit* me: menſe Martio.

Diploma alterum, pro Abbatiâ Parcenſi, *Ordinis Præmonſtratenſis juxta Lovanium.*

JOANNES DE BAVARIA, Dei gratiâ Electus Leodienſis & Comes Loſſenſis; notum facimus tenore præſentium univerſis, quod anno à Nativitate Domini milleſimo
1398. tricenteſimo nonageſimo octavo, menſis Novembris die VII. comparuit coram Nobis & noſtris Hominibus Feudalibus noſtri Epiſcopatûs Leodienſis ſubſcriptis in Curia noſtra de Curinghen fidelis noſter dilectus Dominus HENRICUS, Dominus temporalis Dominii de HEVERLE', Miles. Qui ibidem purè (ut dicebat) propter Deum & pro ſalute animæ ſuæ ejuſque uxoris legitimæ, ſuorumque parentum & progenitorum, reſignavit & reportavit in manibus noſtris, werpivitque & effeſtucavit quatuor Decimas Villæ de Heverlé, cum earum appendiciis univerſis, à Nobis & Eccleſia noſtra Leodienſi in Feodum moventes.

Et hoc fecit nomine & ad opus Venerabilium & Religioſorum Virorum Dominorum Abbatis & Conventus Monaſterii Parcenſis, Ordinis Præmonſtratenſis noſtræ Dioceſis, nobis in Chriſto dilectorum.

Quibus ſic actis, Venerabilis Pater, Dominus Joannes Abbas Monaſterii prædicti, pro ſe & ſuo Conventu memoratis, Arnoldum dictum Van Velde Nobis deliberavit pro Homine & Vaſallo, ad relevandum pro ipſis Abbate & Conventu Feodum hujuſmodi: Nobiſque exinde præſtandum fidelitatis homagium, juxta conſuetudinem Curiæ noſtræ.

Et Nos prædictis reſignationi, reportationi, werpitioni & effeſtucationi cæteriſque præſcriptis noſtrum conſenſum adhibendo pariter & aſſenſum, eaſdem Auctoritate noſtra Ordinaria ſeu Diœceſana laudavimus, confirmavimus & approbavimus. Ac tenore præſentium, quantum in nobis eſt, laudamus, confirmamus & approbamus; ſalvoque Nobis in præmiſſis, & cuilibet jure ſuo, reddidimus præfato Arnoldo Feodum memoratum, ipſeque illud in nomine & ad opus dictorum Abbatis & Conventûs à Nobis relevavit, & exinde præſtitit fidelitatis homagium, juxta ritum & conſuetudinem Curiæ noſtræ debitis & conſuetis.

Quæ omnia memoriæ noſtrorum hujuſmodi Feodalium noſtri Epiſcopatûs ſubſcriptis fecimus commendari: præſentibus ibidem fidelibus noſtris, dilectis Dominis de Lintris, Engelberto Domino de Lovervaulx, Arnoldo de Steinvoert, Jacobo Chabot Domino de Semeries, Militibus: Godenuldo de Eldris, Huberto de Malſen, Johanne Euſtacii de Zomewer Receptore pro tempore noſtri Comitatus Loſſenſis, & pluribus aliis.

Datum ſub noſtro Sigillo præſentibus appenſo, anno & die, quibus ſupra.

Joannes XXIII. Papa, præfatas Litteras Donationis confirmavit per Bullam datam anno 1411.

CAPUT LXV.

ROBERTUS *Leodienſis Epiſcopus Statuta præſcribit anno* 1242 *Fratribus & Sororibus Domus Leproſorum, ſub Regula S. Auguſtini, in* Monte-Cornelio, *juxta Leodium; quem locum incolunt hodie PP. Carthuſiani Leodienſes.*

ROBERTUS Dei gratiâ, Leodienſis Epiſcopus, dilectis filiis, univerſis Fratribus & Sororibus Domûs Leproſorum de Cornillon, juxta Leodium, in perpetuum.

Ex injuncto Nobis Paſtoralis curæ officio, ſaluti & paci noſtræ providere, & humilitati veſtræ, pietatis intuitu cogimur inclinari. Ea-propter dilecti in Chriſto filii, volentes vos omnes & ſingulos, tam viros quam mulieres, tam ſanos quam infirmos, in Domo Dei honeſtè & pacificè converſari; Statuimus, quatenus diſciplinam Capituli, inſtituta ſilentii & laboris, cœteraſque bonas & approbatas conſuetudines & inſtitutiones Domûs veſtræ, diligenter & fideliter obſervetis: nec Prælatus audeat in illis aliquid immutare, vel cum aliquo diſpenſare, niſi quando viderit expedire.

Præcipimus autem, ut illi qui apud vos renunciant ſæculo, Profeſſionem ſuam ſolemniſent vivâ voce, in hunc modum.

Formula Profeſſionis.

Ego N. facio profeſſionem, & promitto ſtabilitatem in hac Domo N. Voveo etiam, & promitto Deo, & B. Mariæ. & N. hujus Domûs Patri, abdictam proprietatem, & cuſtodiam caſtitatis perpetuam, & obedientiam, ſecundum Regulam Divi Auguſtini, ad diſcretionem tuam, tuorumque Succeſſorum, & quod ero obediens tibi, tuiſque Succeſſoribus uſque ad mortem.

Prælatus autem ſit providus & diſcretus, ut eandem Regulam vos pro modulo veſtro firmiter faciat obſervare. Prohibemus autem diſtrictè in virtute obedientiæ, ne quis veſtrûm proprium aliquo modo poſſideat: ſed ſi quis aliquid habeat proprii, in continenti reſignet. Si quis verò proprium deprehenſus fuerit habere, monitione præmiſſâ, de Domo expellatur, nec recipiatur ulteriùs, niſi dignè ſecundum Regularem Diſciplinam pœniteat. Quod ſi proprietas apud quempiam inventa fuerit poſt mortem, ipſa cum eo, in ſignum perditionis ſuæ, extra atrium ſubterretur. Quicumque verò tam in his, quàm aliis quibuſlibet obſervantiis vel caſibus negligentes vel reprehenſibiles inventi fuerint, Prælatus eos charitativè corripiat, & eorum exceſſus corrigat & emendet, pœnam debitam tranſgreſſoribus, juxta modum culpæ & perſonæ delinquentis infligendo.

De quolibet autem Conventu, duæ perſonæ diſcretæ, & zelum Religionis habentes aſſumantur, quæ ſollicitè inveſtigent ea, quæ correctione & reformatione digna fuerint, & ea fideliter perferant ad Prælatum, qui manifeſtos exceſſus in manifeſto, & occultos in occulto ſtudeat emendare, cum dilectione hominum, & odio vitiorum, cauſas & origines malorum radicitus extirpando.

Cui Prælato, tam Clerici quàm Laici, tam ſani quàm infirmi, tam viri quam mulieres obedientiam pariter & reverentiam ſtudeant exhibere. Cum autem à vobis eligendus fuerit Prælatus, ſtatuimus, ut antequam ad electionem procedatur, evocentur viri prudentes & Deum timentes, qui vos de modo eligendi inſtruant, & ad eligendum idoneum Paſtorem diligenter commoneant; in cujus electione, nullum jus unquam ſibi vendicare præſumant. Diſtrictiùs autem prohibemus, ne per Laïcos ſæculares cum Fratribus & Sororibus prædicta electio præſumatur. Quæ ſi fortè præſumpta fuerit, ipſam eſſe irritam noveritis & inanem &c.

Deſunt reliqua.

Excerptum hoc Fragmentum ex libello *Caroli de Viſch* Ordinis Ciſtercienſis, cui titulus: Tractatus Hiſtoricus de Inſtitutione SS. Sacramenti & de Religioſa Profeſſione S. Virginis Julianæ, impreſſo Brugis anno 1663. Cujus quidem libelli argumentum erat, demonſtrare, eandem *Julianam* fuiſſe Inſtituti Ciſtercienſis, contra Præmonſtratenſes, qui eam Ordini ſuo vindicant. Et adhuc ſub judice iſta lis eſt. Vide *Acta SS.* per PP. Societ. Jeſu Tomo I. pag. 437. ad diem v. Aprilis, quo colitur.

De *Cornelio Monte*, & *B. Julianâ*, vide Notas Tomo III. horum Diplomatum Belgicorum pag. 148.

CAPUT LXVI.

ROBERTUS DE THOROTA *Leodienſis Epiſcopus, benefacit Abbatiæ* Flonenſi *Canonicorum Regularium Ordinis Sti. Auguſtini juxta Huum, anno* 1244. *Idem facit* JOANNES ANGIANUS *Epiſcopus Leodienſis, anno* 1275.

Ex Archivis Abbatiæ.

ROBERTUS Dei gratiâ Leodienſis Epiſcopus, univerſis præſentes Litteras inſpecturis, æternam in Domino ſalutem.

Univerſitati veſtræ notum eſſe volumus, quod Henricus Miles de Hermale, conſentiente Wilhelmo de Aſtenoit ſororio ſuo, totam Decimam, tam groſſam quam minutam pertinentem ad ipſos, & quam à Nobis tenent in Feodum, jacentem ſuper littus Moſæ ex utraque parte, inter Villam de Engis uſque ad montem de Umbray, Viris Religioſis Abbati & Conventui Flonenſi, pro quinquaginta Marcis Leodienſis monetæ legalis & ſolubilis obligavit, & eam in manus noſtras, tam ipſe Miles, quam ejus Sororius prędictus, ad uſus prædictorum Abbatis & Conventus reportarunt. Et eiſdem in eleëmoſynam contulit Miles ſæpe-dictus fructus dictæ Decimæ, uſque ad plenariam ſolutionem & ſatisfactionem pecuniæ ſupradictæ.

Nos vero eandem Decimam modo ſupradicto in manus noſtras reportatam, ſæpedictis Abbati & Conventui reddidimus, & noſtrum præbuimus aſſenſum obligationi memoratæ.

In cujus rei teſtimonium, ad petitionem prædicti Militis & Sororii ſui prænominati, Abbati & Conventui Flonenſi Litteras noſtras præſentes, Sigillo noſtro ſigillatas, contulimus; ſub teſtimonio Balduini Villici cognomento Buleth, Hubini Mauricii Cambitoris & le Hurletech, Jacobi de Leuze & Loiebeuf.

1244. Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quarto, menſe Aprili.

II. *Diploma* JOANNIS *Epiſcopi.*

JOHANNES Dei gratiâ Leodienſis Epiſcopus, univerſis præſentes Litteras inſpecturis, ſalutem in Domino ſempiternam.

Noverit univerſitas veſtra, quod cum in tota Decima tam groſſa quam minuta de Hermalle, ad Henricum de Hermalle & Wilhelmum de Aſtenoit ejus Sororium, Milites ſpectante, olim ab ipſis Militibus pro centum Marchis Leodienſibus, Viris Religioſis Abbati & Conventui Flonenſis Monaſterii obligatâ, (ſicut in Litteris Venerabilis Patris Henrici Dei gratiâ quondam Leodienſis Epiſcopi Prædeceſſoris noſtri ſuper hoc confectis vidimus contineri) Henricus dicti W. de Aſtenoit Militis filius, & ejus fratres, partem ſibi dictæ Decimæ reclamarent, & ſuper illa inquietarent eoſdem Abbatem & Conventum, tandem ipſi Abbas & Conventus partem ejuſdem Decimæ à dictis Henrico de Aſtenoit & ejus fratribus, quomodocumque & ex quacumque cauſa contingebat eos, vel contingere poterat quoquo modo, acquiſiverunt legitimè pro LXXVIII. Marchis Leodienſibus, ſibi ab eiſdem Abbate & Conventu in parata & numerata pecunia perſolutis, & L. Marchis ejuſdem monetæ ex dictis centum Marchis, pro quibus ipſa Decima obligata fuerat (ut præmittitur) eiſdem Henrico de Aſtenoit & ejus fratribus dicti W. Militis liberis, à dictis Abbate & Conventu quitatis.

Et quia non conſtabat Nobis ad plenum, à quo dicta Decima (quæ Feodalis eſt) deſcendebat, utrum videlicet à Nobis, an à dicto Henrico de Hermalle Milite, Nos ſuper hoc certificari volentes, ad eundem Henricum Dominum de Hermalle Militem miſimus duos de noſtris Hominibus Feodalibus, videlicet Arnuldum de Jehain, & Arnuldum de Oudumont Milites; qui ex parte noſtra monerent eundem Henricum Dominum de Hermalle Militem, ut ipſe, qui eſt Homo noſter Feodalis, ſub fidelitate quâ nobis tenetur, diceret, à quo dicta Decima tenetur in Feodum, utrum à Nobis, vel ab ipſo.

Qui quidem Henricus Miles, per dictos Homines noſtros ſic monitus, dixit ſub eadem fidelitate qua nobis tenetur, quod à Nobis dicta Decima tenetur & teneri debet in Feodum. Quâ reſponſione per dictos Homines noſtros nobis in aliorum Hominum noſtrorum præſentiâ reportatâ, Nos partem prædictæ Decimæ ſic ab eiſdem Religioſis à præfatis Henrico de Aſtenoit & ejus fratribus acquiſitam, & eandem partem Decimæ tam à Sibilla matre fratrum ipſorum, quæ in illa uſufructuariam ſe dicebat, quam à dictis fratribus in manus noſtras reportatam & quitatam, coram Nobis ad opus dictorum Religioſorum, pro parte ad ipſos in dicta Decima pertinente,

Hermalle, municipium.

Digitized by Google

præfatis Abbati & Conventui reddidimus in præſentia Hominum noſtrorum in Feodum, ab eiſdem Abbate & Conventu eorumque ſucceſſoribus pleno jure in perpetuum poſſidendam & tenendam.

Super quâ parte dicti Abbas & Conventus Arnuldum de Oudumont Militem ſupra-dictum, ſub teſtimonio noſtrorum Hominum pro ſe Nobis dederunt Hominem; qui nobis de Juribus & ſervitiis feodalibus ipſorum Religioſorum nomine reſpondebit.

In quorum teſtimonium, dedimus præſentes Litteras præfatis Religioſis, Sigilli noſtri munimine roboratas.

Ubi autem reddidimus dictam partem Decimæ Religioſis ſæpe-dictis in Feodum, interfuerunt,

Jacobus dictus de Claro-monte,
Wilhelmus de Hemericourt,
Balduinus de Suoron,
& Arnoldus de Odumont, Milites, noſtri Homines Feodales, aliique quam-plures.

Actum & datum Leodii, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quinto, menſe Julio. 1275.

CAPUT LXVII.

CONRARDUS DE HOCHSTADEN, *Archiepiſcopus Colonienſis, exhortatur ad eleëmoſynarum largitionem, pro conſtructione Eccleſiæ de* Sinnigh, *Nobilium Monialium Ordinis S. Auguſtini, in Ducatu Limburgenſi, anno* 1254.

Ex Archivis Monaſter. Sinnich.

CONRADUS Dei gratiâ Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Italiæ Archi-Cancellarius, univerſis Chriſti fidelibus per Provinciam Colonienſem conſtitutis, ſalutem in Domino ſempiternam.

Quoniam (ut ait Apoſtolus) omnes ſtabimus ante Tribunal Chriſti, accepturi prout in corpore geſſimus, ſive bonum fuerit ſive malum; oportet nos diem meſſionis extremæ miſericordiæ operibus prævenire, ac & eorum intuitu ſeminare in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in cœlis; firmam ſpem, fiduciamque tenentes, quoniam qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam.

Cum igitur dilecti in Chriſto Prior, Magiſtra & Conventus Monialium Monaſterii in *Sinnecke* Ordinis Sancti Auguſtini, Leodienſis Diœceſis, circa ſuæ ſtructuram Eccleſiæ, quæ novella exiſtit Plantatio, laborent opere ſumptuoſo, nec ad hujus conſummationem operis propriæ eis ſuppetant facultates, veſtram in Domino charitatem attentè rogandam duximus & hortandam, in remiſſionem peccaminum vobis injungentes, quatenus recipientes benignè ipſius Eccleſiæ nervos, cum ad vos venerint eleëmoſynas petituri, pia eis charitatis ſubſidia de collatis vobis à Deo bonis & facultatibus impendatis, & per hæc & alia bona quæ Domino inſpirante feceritis ad æternæ valeatis fœlicitatis gaudia pervenire.

Nos enim de omnipotentis Dei miſericordia confidentes, omnibus qui ad ſtructuram dictæ Eccleſiæ manus porrexerint caritatis, quadraginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis, & unam caremam miſericorditer relaxamus præſentibus. Quarum uſum in Civitate & Diœceſi Colonienſi prope noſtræ fabricam Eccleſiæ inhibemus: niſi conſenſus ipſius obtineatur Eccleſiæ; præſentibus quoad uſque ipſius Monaſterii ſtructura duraverit, in ſuo robore duraturis.

Datum Coloniæ anno Domini M. C. C. quinquageſimo quarto, menſe Junio. 1254

CAPUT LXVIII.

Litteræ exhortatoriæ Abbatis Rodenſis *Ordinis S. Auguſtini datæ anno* 1254 *pro Eccleſia & Monaſterio Monialium de* Sinnigh *ejuſdem Ordinis, in Ducatu Limburgenſi; in quibus fit mentio Diplomatis præcedentis.*

VIris venerabilibus & in Chriſto dilectis, Præpoſitis, Decanis, nec non Eccleſiæ Paſtoribus, vel Eccleſiaſticis, Nos permiſſione divinâ Abbas totuſque Conventus in *Rode* devotum cum intimis orationibus obſequium.

Fidelitati veræ lamentabiliter conquerimur, quod Eccleſia Sororum noſtrarum infra annos XVIII. bis combuſta, gravibus expenſis reædificata, tamen tertiâ vice, miſerabili eventu, incendio periit cum maximo damno & diſpendio ipſarum Sororum noſtrarum.

Et

Digitized by Goog

Et quia in loco novo valde competenti novum Clauſtrum eis ædificare proponimus, ſi ad ædificationem propriæ non ſuppetant facultates, rogamus & ſupplicamus univerſitati veſtræ quatenus eis compati velitis: quia valde utile eſt ut temporalia detis quatenus æterna recipiatis. Diſtinctè enim exponimus vobis, quanta beneficia rependantur omnibus benefactoribus, videlicet in novis clauſtris nobis ſubditis, & in aliis locis ubicumque Fratres noſtri commorantur, tam pro vivis quam defunctis communionem in perpetuum Miſſarum & in mille Pſalteriis & reliquis bonis quæ fiunt, in vigiliis, in caſtigationibus, in matutinis, in jejuniis & in omnibus horis tam nocturnis quam diurnis.

Noverit etiam diſcretio veſtra, quod Venerabilis Dominus Conrardus Sanctæ Eccleſiæ Colonienſis Archiepiſcopus, afflictioni & gravamini noſtro compatiens, permotus affectu tam in ſuam Diœceſim quam vi Suffraganeæ ſuæ, preces noſtras admiſit, omnibus benefactoribus noſtris quadraginta dies de injuncta pœnitentia relaxando. Si qui autem volunt plenam Fraternitatem recipere, ut fiat eis in obitu ſicut Fratribus noſtris, accedant & ſcribantur nomina eorum & ſtudeant promereri ad Dominum Deum.

In Eccleſia enim nova conſtruenda Altare fiet ad honorem beatæ Catharinæ Virginis, in quo omnino ſecundâ feriâ Miſſa celebrabitur pro benefactoribus noſtris defunctis, & infra hebdomadam Miſſa pro omnibus viventibus benefactoribus noſtris.

Datum Rodæ anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quarto, Vigiliâ Sti. Martini Epiſcopi & Confeſſoris.

CAPUT LXIX.

CONRADUS DE HOCHSTEDEN *Archiepiſcopus Colonienſis donat Abbatiæ* Rodenſi, *Canonicorum Regularium in Ducatu Limburgenſi, Decimas Novalium Parochiæ de* Lommersheim, *in compenſationem damnorum &c. anno* 1248.

Ex eodem MS. ut ſupra. Domini Conſiliar. Wyanti.

CONRARDUS Dei gratiâ Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archicancellarius, dilectis in Chriſto Abbati & Conventui Rodenſis Eccleſiæ, Ordinis S. Auguſtini, Leodienſis Diœceſis, ſalutem æternam in Domino.

Cum Decimas Novalium apud Lommerſheim vel aliàs in noſtra Diœceſi habeatis, in quibus nobis Jus vendicare poſſemus: cumque etiam ſint quidam Milites, utpote *Chriſtianus de Oetenbeim*, ſeu alii, qui licet de agris cultis Decimam vobis ſolvant, de Novalibus quæ ipſi excoluiſſe dicuntur, Decimas ſolvere contradicunt, de quibus nos intromittere ſeu de facto ſeu de jure poſſemus;

Nos obtentu devotionis, quam ad nos & ad noſtram habetis Eccleſiam, ſpeciali vos favore & gratiâ proſequentes, volentes etiam per Nos aliquam vobis fieri dampnorum recompenſationem, quæ occaſione guerrarum Eccleſiæ Colonienſis noſtris dignoſcimini ſuſtinuiſſe temporibus, Vobis quidquid juris de utriſque Decimis prænotatis competere Nobis poſſet, duximus abſolutè & ſimpliciter remittendum: volentes, ut ſine omni contradictione prædictas in perpetuum Decimas obtineatis pacificè & quietè.

In hujus ergo Conceſſionis noſtræ teſtimonium Litteram hanc conſcribi, & noſtro ſigillo fecimus communiri.

Datum & actum in caſtris coram Aquis &c. anno M. CC. XLVIII. 1248.

CAPUT LXX.

NICOLAUS DE FONTANIS *Cameracenſis Epiſcopus* LEGEM GODEFRIDI *patrui ac prædeceſſoris ſui de Juriſdictione in Cives Cameracenſes, confirmat anno* 1249.

NICHOLAUS Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus. Diſcretis ac dilectis in Chriſto Scabinis & Univerſitati Cameracenſi, & cuilibet de univerſitate prædicta, ſalutem in perpetuum.

Grata ſervicia Nobis, Eccleſiæ noſtræ & noſtris Prædeceſſoribus, & maximè in initio noſtri regiminis utilia, neceſſaria & honeſta, à Vobis & veſtris Anteceſſoribus piè ac providè exhibita & impenſa, & Fidelitas Nobis præſtita animo gratulanti, Nos reddunt vobis ad antidona obligatos, & favorabiliter exigunt & requirunt, ut ve-

ſtras juſtas petitiones debeamus affectu proſequente complere.

Habitâ igitur deliberatione providâ & tractatu, veſtris ſupplicationibus grato concurrentes aſſenſu, Leges Vobis & veſtris Succeſſoribus, & quicquid in eiſdem Legibus & in Litteris inde confectis plenius continetur, à felicis recordationis Godefrido Avunculo noſtro quondam Cameracenſi Epiſcopo traditas & conceſſas, ac Sigillis ejuſdem Epiſcopi Cameracenſis, Capituli & Civium Cameracenſium ſigillatas, ex certa ſcientia concedimus & confirmamus, & præſentis Scripti patrocinio communimus.

Vide ſupra pag 391.

Solemniter & irrevocabiliter ſtatuentes, & cum cauſæ cognitione Auctoritate Nobis traditâ decernentes, ne à ſubjectione & Juriſdictione Spirituali & Temporali vel earum altera, quam Nos & Prædeceſſores noſtri in Vobis & veſtris immediatè habuerunt, habuimus & habemus, poſſitis in Cauſis Civilibus vel Criminalibus quæ contra vos moventur & pro tempore movebuntur, ordinariis, & extraordinariis, utilibus & directis, nec non ſuper maleficiis, injuriis, violentiis vel rapinis quibuſcumque querelis abſque veſtra requiſitione pariter & conſenſu, per Conceſſionem aliquam, Privilegium, Donationem vel quemcumque contractum modo aliquo, quod inveniri vel excogitari valeat, in futurum in caſu aliquo vel aliquibus perpetuò ſeparari, quin Nobis & noſtris Succeſſoribus, Officiali noſtro, & etiam Præpoſito & Scabinis noſtris ſecundum Leges Civitatis Cameracenſis remaneatis in omnibus immediatè ſubjecti.

Ita quod non poſſimus in alium nec in alios contra Vos vel Succeſſores veſtros in quæſtionibus aliquibus vel querelis, quæ per officium judicis & alio quocumque modo contra Vos & Succeſſores veſtros vel veſtrûm aliquem ſeu aliquos moventur & movebuntur, Juriſdictionem ſeu cohertionem aliquam concedere, nec à Nobis nec noſtris Succeſſoribus in aliquo caſu vel aliquibus ſpecialiter vel generaliter aliquatenùs abdicare.

Statuentes, ut ſi ſecus factum fuerit præter veſtram requiſitionem, conſilium & aſſenſum expreſſum, non teneat ipſo jure: ſed ſit caſſum, irritum & inane, & nullo unquam tempore valiturum.

Volentes identitatem & ſubjectionem & Juriſdictionem omnimodam immediatam & indiviſibilem pro Nobis & noſtris Succeſſoribus in omnibus & ſingulis cauſis, controverſiis, negotiis & querelis quæ contra vos & veſtrum quemlibet movebuntur ſeu moveri poterunt in futurum occaſione quacumque, ſpiritualiter & temporaliter, in ſolidum, perpetuò & inſeparabiliter retinere.

Vobis & veſtrum ſingulis indulgentes, ac ſpeciali conceſſione pariter & mandato, ne occaſione ſeu prætextu alicujus Mandati vel Conceſſionis noſtræ, generalis vel ſpecialis, factæ vel quæ poſſet fieri in futurum coram aliquo vel aliquibus, in caſu aliquo vel aliquibus, poſſitis modo aliquo conveniri, vel in judicium trahi, præterquam coram Nobis & Succeſſoribus noſtris, Officiali, Præpoſito & Scabinis noſtris, ſecundum Legem Civitatis Cameracenſis, prout ſuperiùs eſt expreſſum.

Vobis inhibentes, ne coram alio vel aliis in aliqua Cauſa vel Judicio, ordinario vel extraordinario, prætextu vel occaſione noſtræ Authoritatis vel Mandati procedatis, vel compareatis. Hujus ſpecialis Mandati auctoritate vobis omnibus & ſingulis, & per Vos veſtris Succeſſoribus concedentes, ne aliquis vel aliqui, occaſione vel prætextu noſtræ Autoritatis vel Conceſſionis poſſit vel poſſint in Vos vel Succeſſores veſtros ſeu Civitatem Cameracenſem, vel aliquem ſeu aliquos occaſione veſtri (Nobis, Succeſſoribus & Officiali noſtris dumtaxat exceptis) excommunicationis vel interdicti ſententiam ſeu ſententias promulgare: decernentes hoc ſpeciali Decreto, ſi ſecus factum fuerit, non tenere.

In cujus rei teſtimonium & munimen, cautelam præſentium & memoriam futurorum, præſentes Litteras, Legem, Decretum pariter & Statutum Sigilli Noſtri munimine ad fidem perpetuam fecimus communiri.

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo nono, Menſe Auguſto.

CAPUT LXXI.

JOANNES *Virdunenſis Epiſcopus dotat Abbatiam* Roberti-montis, *Monialium Ciſtercienſium Leodii, anno* 1250.

JOANNES Dei gratiâ Virdunenſis Electus, omnibus præſentes Litteras inſpecturis, ſalutem in Domino.

Noverit univerſitas veſtra, quod Donationem quam Venerabilis Pater Robertus Dei gratiâ Prædeceſſor noſter fecit Conventui de Robertmont, Ciſtercienſis Ordinis, de nemore de *Nigierreu*, ratam habemus, & approbamus, ſicut in ejuſdem Litteris continetur.

Præterea conceſſimus eidem Conventui

pro remedio animæ noſtræ, & Anteceſſorum noſtrorum viginti bonarias nemoris ſitas inter locum, qui dicitur *Fovea Lupi*, & *Bochon*, *Charni*; & ſi nemus idem eſſet nimis remotum, dictus Conventus loco nemoris poteſt tantundem accipere per miniſtrales noſtros, qui de terra noſtra *Jupille* ſunt, de campis ſitis inter dictam foveam, & fontem, qui eſt in nemore, qui dicitur *Cravereaul Fontaine*.

Conceſſimus etiam dicto Conventui pondus duorum equorum, ut totius nemoris prædicti ligna poſſint ducere ubi voluerint, & ſibi viderint expedire.

Conſentimus etiam, & ratum habemus, quod dictus Conventus poſſit acquirere pratum ſitum ſubtus quercum à *Boegneis*, & quinque jugera terræ ſita deſuper eundem quercum, quę tenet à nobis in Feudum Renerus de Chaienées.

Ita tamen, quod pro quolibet bonario terræ tenetur Nobis dictus Conventus annuatim reddere, & ſolvere quatuor denarios Monetę Leodienſis, & pro dictis prato, & quinque jugeribus duos ſolidos ejuſdem Monetæ in Feſto Beati Andreæ Apoſtoli, cum Cenſu quinque ſolidorum dictæ Monetę, quem nobis debent annuatim ſolvere pro dicto nemore de *Nigierreu*, termino ſupradicto.

In cujus rei teſtimonium, Sigillum noſtrum præſentibus Litteris eſt appenſum.

Datum anno mille C. C. quinquageſimo, in craſtino Beatorum Philippi & Jacobi Apoſtolorum. 1250.

Extractum ex pag. 49 libelli qui eſt in Bibliotheca Eminentiſſ. D. Cardinalis Archiepiſcopi Mechlin. hoc titulo: *Manifeſte des Droits de la Reverende Abbeſſe de Robermont, & des PP. Chartreux.* &c. 4. Leodii typis Ouwerx 1633.

Qui plura ſcire deſiderat, legat in eodem libello *Originem Abbatiæ de Robertimonte*, deſcriptam ex vetuſto Codice membranaceo, id ornate Leodienſi, à pag. 29. uſque ad 39. Neque enim habent Moniales aliud Diploma ſuæ Originis.

CAPUT LXXII.

RADULPHUS DE KALA *Morinorum Epiſcopus anno* 1255. *condit quaſdam Ordinationes Capitulares, tam pro Canonicis Eccleſiæ Collegiatæ S. Martini* Heſdinienſis *in Artheſia (hodie Diœceſis Audomarenſis) quam pro tribus Paſtoribus ibidem. Quæ Statuta à ſe viſa teſtatur atque confirmat anno* 1401. JOANNES DE TABARY *Morinenſis item Epiſcopus.*

Communicavit MS. Rever P. Turpin, Dominic. Audom.

UNiverſis præſentes Litteras, ſeu præſens Inſtrumentum publicum inſpecturis, JOANNES miſeratione divinâ Epiſcopus Morinenſis, ſalutem in Domino ſempiternam.

Notum facimus, Nos vidiſſe tenuiſſe ac palpaſſe, ac per publicum Notarium noſtrum de verbo ad verbum legi feciſſe quaſdam patentes Litteras Sigillo bonæ memoriæ Reverendi Patris Domini Rudolphi quondam Morinenſis Epiſcopi Prædeceſſoris noſtri, ut in eiſdem continebatur, ſigillatas ſanas & integras, nec viciatas, non cancellatas nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed prorſus omni vitio & ſuſpicione carentes per diſcretos Viros Dominos Petrum de Humiers, Hugonem de Bourges & Joannem Fouquent Presbyteros, ac Joannem de Monchauz Clericum, Eccleſiæ Collegiatæ S. Martini Heſdinienſis Canonicos Præbendatos, Capitulum prędictæ Collegiatæ Eccleſiæ, ſeu majorem & ſaniorem partem ejuſdem facientes, coram nobis exhibitas.

Ac de ipſis Litteris Copiam ſeu Tranſcriptum pro quolibet Curatorum Beatæ Mariæ, beati Martini & Sti. Hilarii Heſdinienſium ibidem præſentium, dictas Copias ſeu Tranſcripta petentium & requirentium, ſub noſtro Sigillo, ſigno & ſubſcriptione præfati Notarii noſtri fieri volentes & conſentientes, quorum tenor talis eſt.

Univerſis præſentes Litteras inſpecturis RUDOLPHUS (DE KALA) miſeratione divina Eccleſiæ Morinenſis Miniſter humilis, ſalutem in Domino Jeſu Chriſto. Si ſecundum mutationem temporum, mutantur Statuta hominum, non eſt mirum, nec eſt levitatis vitium, ſed potius judicium rationis.

Id-circo Canonici Eccleſiæ beati Martini de Heſdinio, cujus Præbendarum collatio ad nos ſpectat, dum olim ipſi ab initio ſuis ejuſdem Eccleſiæ Sti. Martini, Stæ. Marię & Sti. Hilarii Officiis Heſdinii per Capellanos conductitios ac poſtmodum per Rectores ſeu Vicarios perpetuos facerent deſerviri; demum ex cauſa quæ eis videbatur competens, eoſdem Pa-

Digitized by Google

ſtores Con-canonicos fecerunt de cetero ;

Nec non bona tam Præbendarum, quam Parochiarum fore communia, ac inter ipſos, & Rectores prędictos pro æqualibus portionibus dividenda, per bonæ memoriæ PETRUM Prædeceſſorem noſtrum Epiſcopum Morinenſem, fidelitatis Canonicis à quolibet Rectore ipſorum ſub certâ formâ & ſub certis articulis præſtitum ac prę-ſtandum parabat ipſis jurantibus pejerandi periculum,& receptoribus ejuſdem juramenti materiam male judicandi, ac inter utroſque frequenter mutuam diſcordiam parabat, unde ſcandala plurima reſultabant.

Deeſt aliquid in Copia.

Nos, qui pro eorum ſtatu ſuper hoc reformando comparentes apud Heſdinium in craſtino beati Martini eſtivalis, die ſcilicet Capituli annui & generalis ipſorum, perſonaliter accedentes, de bona voluntate & expreſſo conſenſu trium Præsbiterorum & Rectorum, ipſos à Canonicorum præbendas antiquas & liberas habentium Collegio ac numero, quoad ſpiritualia & temporalia duximus ſeparandos.

Ordinantes & etiam ſtatuentes, quod ſua quæque conditio nulla deinceps Canonicalis ſed mere Parochialis exiſtet ; & quod in redditibus cujuſcumque ſint generis, granis & in firmis, in terrarum vel agrorum Decimis, ac quibuſcumque acquiſitis ſeu acquirendis ad Præbendas Heſdinienſes ſpectantibus, nihil omnino à modo percipient, vel habebunt. Sed duodecim Canonicorum Heſdinienſium, præbendas, ut dictum eſt, liberas & antiquas habentium omnia iſta erunt; illis minutis Decimis duntaxat exceptis, quæ ad firmam pro quindecim libris Pariſienſibus dari ſolent, & ad Canonicorum horreum ſeu grangiam non conſueverunt adferri, quilibet eorum præfatorum trium Rectorum illas in Parochia ſuâ recipient; adjecta ſola Decima fabarum hortorum incluſorum quæ antequam ad maturitatem vel ligamen venerint, colligentur virides & vendentur.

Habebunt etiam medietatem cereviſiæ percipiendæ in cambiis, & Canonici etiam medietatem, ſive ſint redditus ſive ſignalia vel quocumque nomine cenſeantur.

Et quoniam non ratione Eccleſiæ Collegiatæ Sti. Martini, ſed Parochiarum Sinodalicum Nobis tamquam Diœceſano debetur, & procuratio Archidiacono conſuevit perſolvi; tres præfati Parochiales Presbyteri per ſe ipſos, abſque Canonicis, Sinodalicum ſolitum Nobis ac Succeſſoribis nòſtris ſolvent. Ac ſinguli eorum quintam-decimam partem ejuſdem Procurationis quando ſola ac ſolita procuratio veniet, Archidiacono perſolvent. In aliis non contribuent, nec communes expenſas facient, Canonici cum Presbyteris, nec Presbyteri cum Canonicis, niſi velint. Quicumque autem ex ipſis Presbyteris Anniverſariorum hactenus inſtitutorum celebrationi in Eccleſia Sti. Martini interfuerit, hoc ſolum ex eis percipiet quod Cantor & præſentes Canonici voluerint erogare. Ac illa quæ fient & inſtituentur de cetero, juxta diſpenſationem Epiſcopi qui pro tempore fuerit, cujuſcumque Epiſcopi relinquentur juſto arbitrio, quid quantumve eiſdem Presbyteris reſervari pro damnis debeat vel dimitti, ſi fortè contingat eorum Parochias interdici.

Oblationum vero majoris Altaris ſancti Martini ponendarum in communi pixide ſub conclavi, medietas erit Canonicorum; & tam alia medietas quam oblationes aliorum Altarium Presbyteri Parochi exiſtent. Qui ſcilicet Presbyter, & alii duo ſanctæ Mariæ & S. Hilarii Presbyteri Eccleſiæ Sti. Martini totum ſolitum luminare conſuetis horis, terminis ac temporibus miniſtrabunt,& annuatim nihilominus cuilibet reſidenti Canonico duodecim libras ceræ reddere tenebuntur.

Cœterum quia Parochiarum ipſarum prædicti Canonici ſunt Patroni, ac eorum Præbendæ pro magna parte fundatæ de oblationibus, obventionibus mortuariis, ac legatis ac aliis proventibus earumdem : ordinamus & ſtatuimus, de communi Canonicorum & Presbiterorum conſenſu, quod Rector Parochiæ S. Martini qui pro tempore fuerit, decem libras Pariſienſes in Natali Domini, octo libras in feſto Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, duodecim libras in die Reſurrectionis Domini, & centum ſolidos in Octavis Pentecoſtes, die Sanctæ Trinitatis, Rector Parochiæ Stę. Mariæ tantumdem ejuſdem monetę eiſdem terminis ;

Rector autem Parochiæ ſancti Hilarii novem libras ſimilis monetæ in primo termino ſupradicto ; ſeptem libras in ſecundo termino, decem libras in tertio termino & quatuor in quarto & ultimo termino, prædictis Canonicis ſingulis annis reddent & cum integritate perſolvent.

Sed ne ad hæc eiſdem terminis adimplenda preciſe ſe pretextent nimium gravatos, omnibus terminis ex æquitate pro monitione addimus octo dies : quos quotieſcumque quiſquis tranſgredietur illorum ipſorum, ex nunc ſuſpendimus, ac nihilominus excommunicamus in his Scriptis, ſi ſuſpenſionem ſuſtinuerit per quindenam.

Inſuper ſimili monitione premiſſâ ſimiles ſuſpenſionis & excommunicationis Sententias Nos & Succeſſores noſtri in futuros fecimus Rectores, quoties Inſtitutionem noſtram aggravari in illos qui nunc ſunt & erunt, pro ut magis aut minus ſolutiones ſingulas different.

In manum noſtram propterea tam Canonici quam Presbyteri juraverunt, ſe quidquid in Inſtrumento ipſo continetur fideliter ac inviolabiliter obſervaturos, atque ad id Succeſſores ſuos perpetuo nobis Auctoritatem præſtantibus obligarunt, terminis ſolutio-

ſolutionum dumtaxat exceptis.

Promittentes per Juramentum fidelitatis, & perjurii pœnam, ut dictum eſt ſuſpenſionis & excommunicationis, & aggravationis incurrendam, ſi Statutis terminis ſummas non ſolverint pretaxatas.

In cujus rei teſtimonium præſentes fieri fecimus.

Præterea Cantoris Electionem, Collationem Parrochiarum, & Capellaniarum ſuarum aut aliàs, in nullo præjudicare volumus.

Hæc ad ipſorum & prædictorum Rectorum inſtantiam fecimus fieri, & ſigni noſtri munimine roborari. Datum apud Heſdinium in craſtino B. Martini æſtivalis, anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quinto, in Capitulo generali ad hoc ſpecialiter Convocato, de bona voluntate & expreſſo conſenſu Canonicorum præſentium & Rectorum.

In cujus viſionis teſtimonium præſentes noſtras Litteras ſeu preſens publicum Inſtrumentum, per dictum Notarium noſtrum infra ſcriptum fieri & publicari mandavimus, noſtrique Sigilli juſſimus appenſione muniri.

Actum & datum in Hoſpitio ad interſigne B Martini in Heſdinio, anno Domini milleſimo quadringenteſimo primo, Indictione decimâ & die ſexto menſis Martii ab electione Domini Benedicti ultimò in Papam electi anno octavo, præſentibus ad hæc diſcretis Viris Dominis Guidone Doyne Curato de Fruges & Andrea dele Planques de Heſdinio Presbyteris, Joanne Brunel Subdiacono & Petro de Capella alias Broyart, Clerico de Heſdinio, Teſtibus ad premiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

CAPUT LXXIII.

HENRICUS DE VIANDA, *Ultrajectenſis Epiſcopus, anno* 1266 *confirmat & auget Fundationem Abbatiæ Monialium Ordinis Ciſtercienſis, olim juxta muros Urbis Daventrienſis, quæ dicebatur* Vallis B. M. V. *vulgariter* Honeppe.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, amen. HENRICUS ordinatione divina Trajectenſis Epiſcopus, univerſis Chriſti fidelibus præſens Scriptum intuentibus ſalutem in Domino ſempiternam.

Officii noſtri devotio requirit & debitum, ut in quibuſcumque locis Religionem creſcere, & cultum Dei per gratiam ipſius augeri conſpexerimus, Nos ad eorum promotionem piâ in Domino ſollicitudine intendamus.

Innoteſcat igitur præſentibus ac futuris, quod cum locus Clauſtri Sanctimonialium in *Horſt* ſuper *Hunepe*, Ordinis Ciſtercienſis perſonis ad ſerviendum Deo propter varios defectus tam in aquis quam in paſcuis, agris & ſilvis, nocte ac die ibidem Deo famulantibus, minus extitiſſet habilis ad manendum, Nos earum cotidiano defectui compatientes, conſenſu Prælatorum ac univerſalis Eccleſiæ Trajectenſis accedente, bona *Sumerſvord* nuncupata, cum molendino aquis aquarumque decurſibus, cum piſcaturis pratis agris & ſilvis, & cum omnibus ad dicta bona pertinentibus, in remiſſionem omnium peccatorum noſtrorum Prædeceſſorum ac Succeſſorum noſtrorum Epiſcoporum Trajectenſium, contulimus præfatæ Eccleſiæ Sanctimonialibus, in eorumdem bonorum arca ad ſerviendum Deo in perpetuum poſſidenda.

Locus ac fluvius juxta Daventriam.

Igitur ne Eccleſia Trajectenſis ſuo jure privetur in aliqua parte, conſtituimus, ut à dictorum bonorum incolis annona, ad menſam, quando Daventriæ fuerimus habenda, ad molendinum in *Sumerſvord* de Daventria apportetur, & farina ad domum noſtram in Daventria reportetur, ipſius Eccleſiæ laboribus & expenſis. Et ſic eandem Eccleſiam ab omnibus ſervitiis Nobis & Prædeceſſoribus noſtris de bonis eiſdem hactenus impenſis, liberam eſſe in perpetuum volumus & abſolutam. Conditio apposita. 1266.

Ut autem hoc noſtræ devotionis factum à noſtris Succeſſoribus firmiter in poſterum obſervetur, præſentem Paginam diligentius exaratam, Sigillo noſtro atque Sigillis univerſalis Eccleſiæ Trajectenſis fecimus roborari.

Acta ſunt hæc, Anno ab Incarnatione Domini M. C. C. LXVI. in die Purificationis B. Mariæ, præſentibus hiis & Teſtibus,

Everhardo Daventrienſis Eccleſiæ Præpoſito.

Petro Aldenſelenſi,

Johanne Tylenſi,

Nicolao Bethlehemenſi, Præpoſitis,

Henrico Abbate S. Pauli,

Magiſtro Henrico, Decano S. Salvatoris in Trajecto,

Thoma, Decano Daventrienſis Eccleſiæ,

Corviño Canonico ibidem,

Wernero Capellano noſtro, Canonico S. Petri in Trajecto,

Wilhelmo Canonico S. Mariæ, Notario noſtro,
Giſelberto de Goye Marſchalco noſtro,
Hermanno de Voerſt,
Henrico de Almelo,
Henrico de Overberg,
Henrico de Eſſen,
Suethero Herinck,
Stephano de Wyck,
Wolthero de Amerſvord,
Giſelberto de Schalcwic,
Gerhardo de Veno, Militibus & Miniſterialibus, & aliis quam-pluribus, tam Clericis quam laïcis.

Abbatia hæc Monialium Nobilium Ciſtercienſium, dicta *S. Mariæ in Hoeneppe*, prope Daventriam, originem ſumpſit anno 1225. Fundatrice illuſtri Femina *Richarda a Naſſovia*, Gerardi Gelriæ Comitis filia, primâque Abbatiſſâ Monaſterii Ruremundenſis, ejuſdem Ordinis. Gregorius IX. Pont. eadem Fundationem anno 1228. confirmavit. Henricus Ultrajectenſis Epiſcopus dotem anno 1266. adauxit, hoc Diplomate. Anno 1578. Moniales, deſtructo vetere Cœnobio, ſeſe Daventriam receperunt. Fruuntur hodiedum fundatione hac quędam domicellæ nobiles Acatholicę, unaque ex eis titulum gerit Abbatiſſæ.

Diploma hoc primûm edidit in Hiſtoria ſua vernacula Daventrię, vir doctiſſimus *Gerardus Dumbar*, eidem Urbi ab Actis & ſecretis.

CAPUT LXXIV.

* Eugueraud de Crequy.

INGELRAMUS * *Cameracenſis Epiſcopus erigit novam Parochiam de* Pipais *in Hannonia, eamque ſeparat à Matrice ac Parochiali Eccleſia de* Luthoſa, *ſub Patronatu Capituli ibidem, anno* 1277.

UNiverſis præſentes Litteras inſpecturis, Ingeramus Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus, ſalutem in Domino ſempiternam.

Noverit univerſitas veſtra, quod Nos Eccleſiam de Puſpais à Nobis diviſam ſeu diſtinctam ab Eccleſia Parochiali de Lutoſa, mediantibus bonis & redditibus eidem Eccleſiæ de Puſpais aſſignatis competentem habemus, & pro competenti reputamus & tenemus. Ita etiam, quod Decanum & Capitulum Eccleſiæ Sti. Petri Luthoſenſis, qui Jus Patronatus in ea dicuntur habere, volumus ad aliquam augmentationem ſeu competentiam dictæ Eccleſiæ de Puſpais faciendam de cetero non teneri.

Datum anno Domini M. CC. LXXVII. Feria tertia poſt Dominicam, quâ cantatur *Cantate*.

PIPAIS, olim PUSPAIS, Parochia Diœceſis Cameracenſis, ſub Decanatu Cervienſi, juxta Luthoſam, vulgo Leuze. Eccleſia B. Mariæ, eſt de Jure Patronatûs Capituli Luthoſani.

CAPUT LXXV.

* Is erat nativitate Gandavenſis, & obiit eo ipſo anno 1282.

FF. Carmelitæ Calceati, admittuntur intra Gandavum, ſub conditionibus eis à Reverendiſſimo Domino PHILIPPO MOUSKE * *Tornacenſi Epiſcopo præſcriptis, anno* 1282, *quas & iidem acceptarunt.*

Ex Actis Litis inter Epiſcop. Gand. & Abbatem S. Petri.

PHILIPPUS Dei gratiâ Epiſcopus Tornacenſis, univerſis præſentes Litteras inſpecturis ſalutem in Domino.

Noveritis, quod Nos, dilectorum noſtrorum in Chriſto, Prioris & FF. Ordinis B. M. de Monte Carmeli Gandavi, in Perſonatu Sti. Bavonis, & Parochia Eccleſiæ S. Michaëlis Gandenſis, ſeu de Eckerghem commorantium, devotis ſupplicationibus inclinati, eis ad cultum divini nominis augmentandum, licentiam Oratorium inibi conſtruendi, & divina Officia celebrandi; unam tantùm campanam, non excedentem campanam FF. Prædicatorum vel Minorum habendi; & ſepulturam pro Fratribus ſuis tantummodo, duximus concedendam.

Sed ne de eis contingat, prout aliàs viſum eſt, quoſdam in pedis fixione manſuetos & humiles, poſtmodum pede jam fixo inſolentes fieri & rebelles: retinemus Nobis & Succeſſoribus noſtris plenam & liberam poteſtatem, interdicendi eiſdem Fratribus & eorum Succeſſoribus divinorum celebrationem, pro noſtræ voluntatis arbitrio, abſque cauſæ cognitione aliqua, quotienſcumque Nobis placuerit, nullo jure communis vel ſpecialis Privilegii eiſdem Fratribus contra hoc valituro.

Alludit ad FF. Minores eorumque rixas ſub Bonifacio VIII. Pont. de quibus vide Diploma ſuperiùs pag. 46. De iiſdem rixis vide Annales Flandriæ Meyeri ad annum 1285.

Porro officium prædicandi, & confeſſiones audiendi eiſdem Priori & Fratribus penitus interdicimus, niſi ſuper hiis à nobis licentiam obtinuerint ſpecialem.

Ne autem præmiſſa licentia in prædictorum Monaſterii & Eccleſiæ redundet injuriam; ordinamus, quod Prior & Fratres prædicti, ac Succeſſores ſui, perpetuò teneantur Abbati & Conventui dicti Monaſterii, ac Presbyteris dictæ Eccleſiæ reverentiam exhibere, & in nullo opponere ſe eiſdem.

Et quod in morte cujuſlibet ipſorum, exequias & Miſſas celebrabunt ſolempniter, tamquam pro uno Fratre Ordinis ſui defuncto, cum ad notitiam pervenerit, vel requiſiti fuerint de morte alicujus eorumdem.

Maille. Et in die Dedicationis Eccleſiæ Sti. Bavonis offerre ſeu præſentare Abbati ejuſdem Eccleſiæ aureum obolum, qui dicitur *Maille*, in recognitionem Perſonatûs inibi ad dictum Monaſterium pertinentis.

Et quod de terris dicto Monaſterio cenſualibus aut decimalibus, ſi quas nunc poſſident, cenſus & decimas eidem Monaſterio ſolvere teneantur, ſecundum quod ſuper hoc ordinatum fuerit inter eos: & quod terras aliquas dicto Monaſterio cenſuales ſeu decimales nunquam impoſterum comparabunt, nec aliquo alio modo ſibi acquirent.

Inſuper ordinamus, quod in feſtis B. Michaëlis & Dedicationis Eccleſiæ ejus prædictæ, teneantur duo de dictis Fratribus, quos Prior ſuus ad hoc elegerit, Miſſæ & Veſperis in dicta Eccleſia S. Michaëlis intereſſe, & ad explendum divinum officium ſuum miniſterium congruè exhibere.

Item quod omnes prædictis Fratribus ſervientes (dum tamen non ſint in habitu dicti Ordinis, & eidem adſtricti) ſint de Cura Rectorum Eccleſiæ S. Michaëlis prædictæ, & teneantur eis de omnibus juribus parochialibus reſpondere.

Ordinamus etiam, quod iidem Prior & Fratres, qui pro tempore fuerint, medietatem omnium oblationum ad Altaria vel manum Sacerdotis ibidem undecumque venientium, item medietatem omnium legatorum ipſis à Parochianis dictæ Eccleſiæ S. Michaëlis ſeu de Eckerghem conferendorum, Rectoribus dictæ Eccleſiæ fideliter abſque omni fraude & dolo reſtituere teneantur: exceptis dumtaxat novis Miſſis, receptionibus, profeſſionibus & exequiis Fratrum ipſorum: in quibus dicti Rectores meliore fruſtro oblationum contenti eſſe debebunt.

Nota bene De oblationibus, & legatis.

Quidquid vero de dictis oblationibus vel legatis Rectoribus prædictis reſtituendum non fuerit, ſecundum præmiſſam Ordinationem noſtram, præfatis Fratribus remanebit: ſalvo in omnibus præmiſſis, jure noſtro Epiſcopali & Eccleſiæ Tornacenſis.

Et ne hæc Ordinatio noſtra aliquatenus infringatur, volumus, quod dicti Prior & Fratres pro ſe & ſuis Succeſſoribus expreſſè renuncient omni exceptioni vel defenſioni Juris vel facti, & omni juri communis aut ſpecialis Privilegii, aut appellationis præſidio, quo ſibi ad impugnationem præmiſſorum vel alicujus ex eis poſſent in aliquo ſuffragari; & quod Ordinationem hanc à ſuis Superioribus ratificari & confirmari bonâ fide procurent.

Nos autem Prior, & Fratres prædicti prænotatam Ordinationem gratanter in omnibus & ſingulis Articulis acceptantes, ipſam interveniente authoritate Prioris noſtri Provincialis in Francia, ac Generalis Prioris totius Ordinis noſtri, & eorum aſſenſu expreſſe adhibito, ratam & gratam habemus.

Et promittimus, pro nobis & noſtris Succeſſoribus, Nos ipſam in perpetuum inviolabiliter ſervaturos. Renunciantes expreſſè omni exceptioni & defenſioni juris vel facti, cavillationi, allegationi ſeu prætentioni deceptionis, vel erroris cujuſlibet, exceptioni doli mali in favorem, beneficio appellationis vel reſtitutionis in integrum, omni Privilegio impetrato vel impetrando, & omnibus aliis Juris communis vel ſpecialis, Canonici vel Civilis, aut facti, auxiliis, præſidiis, beneficiis, vel defenſionibus, quibus vel quorum aliquorum præmiſſa vel aliqua ex eis poſſent infringi vel aliquatenus impugnari.

Et promittimus pro nobis & noſtris Succeſſoribus, ſub fide & juramento ſuper hoc corporaliter à Nobis præſtitis, quod contra præmiſſa omnia vel aliquid ex eis nullo unquam tempore apertè vel ſub quovis velamine veniemus.

Nos etiam J. . . . Dei patientiâ Abbas, & Conventus dicti Monaſterii, ac Magiſtri Johannes, Simon & Willelmus Rectores dictæ Eccleſiæ S. Michaëlis præmiſſa omnia acceptamus, & noſtrum eis pro Nobis & noſtris Succeſſoribus præbemus aſſenſum.

In quorum omnium teſtimonium & munimentum, Nos præfatus Epiſcopus Tornacenſis, Prior & Fratres Carmelitarum Gandenſium, Abbas & Conventus, ac Rectores prædicti, Sigilla noſtra, unà cum Sigillis Prioris Provincialis Ordinis, præſentibus duximus apponenda.

Datum & actum anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſecundo, menſe Octobri.

Hugo Caſtellanus Gandavenſis Domum quam Carmelitæ nunc inhabitant, conceſſit pro Refugio Abbatiæ Camberonenſi, anno 1230, quæ idem Refugium anno 1287. vendidit Fratribus Carmelitis Gandenſibus, pretio 55. librarum Pariſienſium. Vide Hiſtoriam Abbatiæ Camberonenſis, Authore Abbate Ant. le Waitte, pag. 155. & 220, item Sanderi Flandriam Tomo I.

CAPUT LXXVI.

GUILIELMUS DE HANNONIA, *Cameracenſis Epiſcopus, confirmat anno* 1286. *Fundationem Hoſpitalis* Ghelæ *in Campinia inſtituti atque dotati per* HENRICUM DE BERTHAUT *Dominum Municipii Ghelenſis; & Fratribus ac Sororibus ibidem Statuta præſcribit.*

UNiverſis Chriſti fidelibus præſentes Litteras inſpecturis, GUILIELMUS DE HANNONIA Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus, ſalutem in omnium Salvatore.

Cum non ſit victima melior quam obedientia, & Dominus benedictionem & vitam promiſerit hiis qui habitant in unum, rectè diſpoſitis diverſis ſingulorum officiis; ideoque, ut in Hoſpitali de Ghele, quod ad laudem glorioſæ Virginis Mariæ & Beatæ Dympnæ, devotione ac munificentia Nobilis Viri Domini HENRICI DE BERTHAUT Militis, Domini de Ghele, ac aliorum Chriſti fidelium dignoſcitur inſtitutum, ut Domino in ſuis pauperibus ſub unitate & obedientia regulari ſerviatur, conſultâ virorum Eccleſiaſticorum & Religionis expertorum prudentiâ ſic ordinando diſpoſuimus.

Ut Fratres & Sorores ibidem degentes in habitu & geſtu, in modeſtiâ victûs & veſtium ſe à ſœculo & ſœcularium converſatione ſequeſtrent.

Statuimus itaque, quod quicumque divinâ inſpiratione tractus, in eadem Domo ſe Deo famulaturum obtulerit, non prorſus ad obedientiam recipiatur, niſi annum tanquam Novitius inter Fratres & Sorores converſando probetur, & laborem modumque vivendi experiatur.

Tunc demum ſi Fratribus, Domûs cum Sacerdote curam Fratrum & Sororum in ſpiritualibus gerente, & tribus Sororibus ad hoc electis, ut præ cæteris conſilio Fratrum in rebus diſponendis interſint, unicorditer placuerit, ſœculo, propriis, ac propriæ voluntati renunciet, Votum continentiæ ſub ſtola in manu Sacerdotis deponat, jugum obedientiæ ſuper ſe tollat.

Veſtimento in precio, colore & forma humilitatem & Religionem præferente, coloribus ſcilicet quibus ſæculares uti non ſolent, non coloratis, Fratres & Sorores utantur.

In calcitris plumarum, niſi ægritudinis cogente neceſſitate, Fratres non dormiant. In pulvinaribus tamen caput reclinent. Lineis ſubtus ad carnem (exceptis femoralibus) niſi neceſſariâ diſpenſatione non veſtiantur.

Sorores quoque cum reliquis anni temporibus lineis utantur, cum magno ſuper caput velamine incedentes, ad diſcretionem aliarum perſonarum ſæcularium, quadrageſimâ ante Natale Domini, & quadrageſimâ ante Paſcha, & quindenâ ante Pentecoſten, die tamen Aſcenſionis exceptâ, ſubtus lanea ſibi aptent indumenta, & abſque plumis (exceptis cervicalibus capitibus ſupponendis) quieſcant.

Sorores à Fratribus, Fratres à Sororibus refectorium, dormitorium & ceteras officinas ſuis adminiſtrationibus deputatas habeant ſeparatim. Frater aliquis cum Sorore nunquam ſingularia ac ſecreta miſceat colloquia. Nunquam ſolus cum ſola ſedeat, ne capiendis malignus inſidiator viſcarium tendat.

Porro nemo quidquam eorum proprio arbitrio & voluntate faciat: ſed omnia nutu & conſilio ejus, cui diſpenſatio talis commiſſa eſt, cum obedientia & humilitate ſine murmuratione & reclamatione peragantur.

In Refectorio & Capitulo, juxta ſuæ converſationis ordinem ſedeant, & eodem ordine ſingulis hebdommadibus in coquina & refectorio miniſtraturæ duæ Sorores eligantur: quarum intererit ſagaci diſcretione providere, ſi quorum imbecillitas aliquo exigat edulio (quod in commune omnibus non eſt appoſito) refocillari.

Septa loci ſui, & terminos ambitûs Domûs vel Eccleſiæ ſuæ, niſi de officio ſibi commiſſo, vel de licentiâ rationabili nequaquam excedant. Per vicos & per plateas ſeu domos nulla Sororum abſque alterius Sororis comitatu & teſtimonio incedere vel ſpaciari præſumat.

Nullus Fratrum vel Sororum extra Domum ſuam intra Ghele, à quocumque invitatus manducet.

In Dormitorio aut Refectorio Fratres ac Sorores cum ſilentio ſedeant. Verumtamen ſi inter prandendum ſive cœnandum à quovis aliquid eorum quorum indiget uſus exigendum eſt, aut inſinuandum, quod per nutum & ſigna intelligi ab aliis non poſſet, ſurgat qui opus habuerit, & ſtando breviter quod neceſſe fuerit eloquatur.

Poſt cœnam breviſſimo habito intervallo, pulſatoque ſigno conveniant omnes bibituri,

ri, ſtatimque pulſato ad Completorium tintinnabulo omnibus ſilentium imponatur; præterquam ſi infirmorum aut hoſpitum occaſione, ſeu alià rationabili neceſſitate cogatur ab aliquo ſilentium interrumpi.

Singulis hebdommadibus unanimiter ad Capitulum compareant, ſub obedientiâ ſui Sacerdotis, vel ejus cui vices ſuas commiſerit, de communi utilitate tractaturi, & exceſſus, ſi qui forte acciderint, correcturi.

Ex Fratribus unus, & una de Sororibus eligatur, qui aliorum cuſtodiæ deputati vigilantiſſimè caveant, ne aliquorum exceſſus incorrecti prætereantur. Ad quorum utriuſque ſpectabit ſollicitudinem, utriuſque ſexus tranſgreſſiones, (quas ipſi delinquentes publicè non recognoverunt) propalare, in medium diſciplinari cenſurâ corrigendas.

Qualibet autem feriâ ſextâ in victu quadrageſimali jejunent, ab Exaltatione S. Crucis uſque ad Feſtum B. Martini. A die Dominicâ Epiphaniæ uſque ad quinquageſimam in lacticiniis jejunent: & ab hinc continuum inchoent jejunium, ab eſu carnium deinceps abſtinentes.

A Paſcha vero uſque Feſtum B. Martini, die Dominicâ & feriâ tertiâ & quintâ, ac præcipuis feſtivitatibus, carnes comedere poterunt. Jejunia Vigiliarum & quatuor Temporum juxta Inſtitutionem Eccleſiæ obſervantes, feriâ ſextâ continuum jejunium, in diebus aliis, quibus conſueverunt veſci carnibus ſæculares, condîtis ſanguine pulmentariis poterunt recreari.

A Feſto B. Martini uſque ad Adventum Domini jejunent: lacticiniis tamen utantur. In Adventu Domini jejunium obſervent quadrageſimale.

Decretum eſt præterea, quod ſi quis Fratrum aut Sororum proximo ſuo, ſeu verbis opprobrii ſeu falſum imponendo præſumpſerit injuriari, unâ die humi reſidens in pane & aquâ jejunabit.

Si quis vero alteri vel pugno vel baculo aut hujuſmodi injuriatus fuerit, quatuor dies in victu quadrageſimali, & quintam etiam pane & aquâ jejunando ſuper terram ſedens continuabit.

Si quis autem temeritate aliquâ alterum percuſſerit, diebus 40 ad terram humiliatus, cibo quo ceteri veſcuntur utens, per ſextas autem ferias pane & aquâ jejunium continuabit.

Si quis autem læſo vulnus inflixerit, pœna proportionata ſine interpellatione triplicabitur.

Si autem quiſpiam maligno inſtinctu homicidium perpetraverit, in perpetuum non recipiendus ejicietur.

Quod ſi fornicationis reus inventus fuerit, eliminatus per annum & ſex hebdommadas, omni beneficio & conſolatione Domûs privabitur. Tunc denique, ſi defleto egreſſu correctus humiliter redierit, in gratiam recipietur: ſi vero pertinax infrà hunc terminum veniam petere neglexerit, anno ſecundo & aliis ſex hebdomadibus excludetur. Similiter & tertio: ſi infrà veniam petere non requiſiverit. Quod ſi nec tertio anno contritus fuerit, ſine ſpe recuperandi proſcribetur.

Qui litteras non didicerit, pro qualibet ſeptem Horarum canonicarum (ſicut conſueverunt Converſi) Dominicam replicet Orationem.

Si quis infirmorum deprehenſus fuerit cibum vel potum ſibi inordinatè reſervare, vel alii tribuere, jejunio unius diei in pane & aquâ punietur. Quod ſi quis ſæpius deprehenſus fuerit, foras expelletur. Pro magno autem furto ſemel admiſſo expelletur, niſi in eo magna compunctio videatur.

Cavcant Fratres & Sorores, ne ſe invicem vel infirmos immerito conturbent. Quod ſi fecerint, pro arbitrio Magiſtri vel Sacerdotis puniantur.

In eodem Hoſpitali recipiantur pauperes tantùm, quorum actiones membrorum tali morbo impediuntur, ne poſſint diſcurrere per vicos, & victum oſtiatim mendicare.

Quicumque igitur infirmus Domum ingreſſus fuerit, primo die per Confeſſionem ſuam Sacerdoti, deinde proximo ſi quem læſit pro poſſe ſuo ſatisfaciet, & veniam petet: res ſuas ſub teſtimonio committat Magiſtro, eaſdem ex integro (ſi convaluerit) recepturus.

Quod ſi imminente mortis periculo omnia ſua Domui relinquere forte noluerit, deductis expenſis ſuis, de reſiduo poterit condere Teſtamentum.

Si autem inteſtatus deceſſerit, omnia ſua ad uſus pauperum ejuſdem Domûs devolventur.

Tribus diebus ægri in hebdomada reficiantur carnibus. Si quis vero fuerit inter eos, qui pro ægritudinis magnitudine groſſioribus uti non poſſit cibariis, dentur ei quęcumque deſideraverit, dummodo haberi poſſint.

Ne vero Domus impoſterum per inutilium perſonarum ſuſceptionem gravetur, ſtatuimus, ut tantum tribus Fratribus & quinque Sororibus de cetero ſit contenta. Ita tamen, ut ſi forte ipſius Domûs neceſſitas numerum requirat ampliorem, de noſtra vel Officiarii noſtri licentiâ ſpeciali, probatâ Domûs neceſſitate, Frater vel Soror poterit augeri. Numerus FF. & Sororum.

Calceis autem bovinis Fratres & Sorores (præter Sacerdotem) utantur.

Salvâ igitur in omnibus ſupradictis noſtrâ & Succeſſorum noſtrorum Authoritate (ad quos proviſio, cura & ſollicitudo in omnibus Religioſis Domibus noſtræ Diœceſis præ aliis & ſuper alios ejuſdem Diœceſis noſcitur pertinêre) indulgemus, quod cum Procurator dictæ Domûs obierit, vel alii ceſſerit, alius Procurator, de conſilio Domini

de Ghele, & Fratrum & Sororum ejuſdem Domûs, ſubſtituatur.

Cum autem Frater vel Soror deceſſerit, qui Pſalterium legere noverunt vel Vigilias mortuorum, pro modulo ſuo officium defuncto perſolvant; & præcipuè ſeptem continuis diebus poſt obitum defuncti. Reliqui vero Dominicam Orationem ſepties in die dicere tenebantur.

Moneantur pauperes decumbentes, & tunc maxime, ut ſingulis diebus mane, poſt prandium, poſt cœnam, Orationem Dominicam, vel alias quas noverunt, pro Fratribus & Sororibus & benefactoribus Domus, & fidelibus Dei, pro ſalute vivorum & mortuorum humiliter dicere non omittant.

Admittendi ad Hoſpitale.

Alii autem extranei, præterquam oriundi & manentes in Ghele, Verle, Eindove, Belle, Milleghem, Rethy, Ghierle, Thielen, Lichtaert, Noerderwyck, Morchoven, Bouwele, Oevele, Zuerle, Sti. Nicolai de puteo, Stæ. Catharinæ de Waevere, Dufflis, & Waelhem, (& niſi ægritudine detenti & valido dolore) in dicto Hoſpitali pro hoſpitibus, Fratribus vel Sororibus recipi non poterunt nec debebunt, abſque ſpeciali licentiâ & mandato Domini Henrici de Berthaut Domini de Ghele, vel ejus Succeſſorum.

In omnibus autem, quoad vigorem Religionis, aut ſeveritatem diſciplinæ ſpectantia, ordinamus, quod occaſione infirmitatis, aut corporum imbecillitatis, aut oneris laborioſi, ſeu qualibet debilitate rationabili, de conſilio Sacerdotis prout expedierit, licebit diſpenſare.

Statuimus autem, ut quoties Fratres aut Sorores fuerint recipiendi, Conſtitutionum iſtarum coram illis ſeries perlegatur; & ut plene ſingula capiantur, linguâ ſui idiomatis exponantur ad plenum: & hæc ſe (quantum in eis eſt) obſervaturos promittant. Alioqui Fraternitatem Domûs minimè poterunt adipiſci; & ſi aliter recepti fuerint, expellentur.

Temporalia quoque Domûs memoratæ, de conſilio duorum zelum Dei habentium, ad hoc electorum, qui ſacramento Domui fidelitatem exhibuerint, debent pertractari. Hii autem, prout opus fuerit, vel poſt anni circulum amoveantur, vel ſi viles fuerint inventi, ſollicitudinem eandem gerere non permittantur.

Harum autem Conſtitutionum obſervantionem in ſæpedicta Domo inviolabiliter obſervari volentes, eas Pontificali Authoritate roboramus; ſigillique noſtri appenſione præſentis Paginæ continentiam communivimus, unà cum Sigillo Domini Henrici Berthaut Militis, Domini de Ghele memorati; qui præmiſſa omnia de propriis bonis fecit, & dictum Hoſpitale, in remedium ſalutis animæ ſuæ, & ejus uxoris, & omnium ſuorum Prædeceſſorum & Succeſſorum fundavit.

Actum anno gratiæ milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſexto, menſe Auguſto.

D. Robertus de Croy, Cameracenſis Epiſcopus, ad inſtantias quondam D. Joannis Baronis de Merode, Domini temporalis de Ghele, qui plures novas fundationes huic Hoſpitali Ghelenſi per teſtamentum ſuum reliquerat, idem Hoſpitale penitùs neglectum, bonorumque ac perſonarum numero deſtitutum, denuo erexit ac reſtauravit, ad normam Hoſpitalium Mechlinienſis, Bruxellenſis ac Lovanienſis noviter reformatorum; pro ſeptem dumtaxat Sororibus, unà cum Matre ſeu Rectrice, non velatis, ſecundum Regulam S. Auguſtini viventibus.

Prima Mater conſtituta Joanna Cocx, ex Hoſpitali Mechlinienſi, è quo & duę alię Moniales evocatæ ſunt: & vagabundis aliiſque diſcolis hominibus ex eodem Hoſpitali excluſis, mandatum, ut ſoli pauperes infirmi dictæ Libertatis de Ghele impoſterum admitterentur.

Litteræ hæ datę fuerunt Bruxellis die 20 Februarii 1552.

CAPUT LXXVII.

Jacobus le Moiste, *dictus* de Bolonia, *Morinenſium Epiſcopus, fundat & erigit duas Capellanias in Eccleſiis* Bolonienſi, *ac* Teruanenſi, *annis* 1293. & 1295.

Ex Archivis Eccleſ. Cathedral. Bolon. Habetur etiam in Hiſtoria gallica B. M. Bolon. p. 276.



Niverſis præſentes Litteras inſpecturis, Jacobus Dei gratiâ Morinenſis Epiſcopus, ſalutem in Domino. Noveritis, quod Nos, ob remedium animæ noſtræ, ac parentum noſtrorum, fundavimus, inſtituimus, & conſtituimus quamdam Capellaniam ſexdecim librarum Pariſienſium annui redditus in Eccleſiâ Beatæ Mariæ Bolonienſis, deſerviendam in quâdam Capellâ quam ibi de novo conſtitui fecimus.

Aſſignavimus autem & conceſſimus in perpetuum ad opus dictæ Capellaniæ decem libras & decem ſolidos Pariſienſes annui redditus, quos habebamus in ſcotis & in locis poſterioribus, ubi conſuevit eſſe domus ſeu manerium quondam Euſtachii de Rumiliaco avunculi noſtri ſitum apud Boloniam, inter

domum ſeu manerium Joannis dicti Aigniel ex unâ parte, & menagium Thomæ de ſancto Dioniſio ex alterâ, attingentibus etiam ad magnum vicum beatæ Mariæ prædictæ à parte ante, & ad quemdam parvum vicum à parte retro.

De quibus decem libris & decem ſolidis Pariſienſibus, Capellanus dictæ Capellaniæ qui pro tempore fuerit, tenebitur reddere annuatim Eccleſiæ Beatæ Mariæ Bolonienſis prædictæ decem ſolidos Pariſienſes; accedente ad id aſſenſu expreſſo Willermi fratris & tunc hæredis noſtri, Abbatis etiam & Conventûs B. Mariæ prædictæ, à quibus dictæ ſcotæ & loca poſteriora tenentur, ad id accedente aſſenſu: Majore & Scabinis Bolonienſibus, quantum in ſe eſt, volentibus & conſentientibus, aſſenſum & conſenſum ad hoc præbentibus. Reſiduum vero redditûs tenemur emere, & dictæ Capellaniæ aſſignare, & quouſque hoc fecerimus, Capellanis prędictis tenebimur tantidem de noſtro proprio annuatim præſtare.

Dictam vero Capellaniam contulimus Domino N. de Baduic, quem ad titulum dictæ Capellaniæ promovimus in Sacerdotem, & eam conferre debemus quamdiu vitam geſſerimus in humanis. Poſt deceſſum vero noſtrum, Abbas B. Mariæ Bolonienſis prædictæ quicumque fuerit, eam conferre debebit, cum vacabit. Capellanus autem dictę Capellaniæ nobis vitam in humanis gerentibus, tenebitur ſingulis diebus Miſſam de Spiritu Sancto celebrare; poſt deceſſum vero noſtrum Miſſam pro defunctis celebrabit. Et Nos prædicta omnia Auctoritate Ordinariâ & Pontificali approbavimus & approbamus, confirmavimus & confirmamus.

In quorum omnium teſtimonium & munimen præſentibus Litteris Sigillum noſtrum unà cum Sigillis dictorum Abbatis & Conventûs duximus apponendum.

Datum anno Domini M. C. C. XCIII. die Lunæ, poſt Trinitatem.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex. Dilecto ſuo Magiſtro Girardo Porion Canonico Sueſſionenſi, & Ballivo Ambianenſi, ſalutem & dilectionem. Cum nos dilecto & fideli noſtro Jacobo Morinenſi Epiſcopo de gratiâ conceſſerimus, quod ipſe nullam præſtet financiam de decem libris, exiſtentibus ſeu aſſignatis ſuper domum quandam ſine juſtitiâ, Pariſienſibus annui redditûs, ſitam apud Boloniam ſupra mare, de quibus ipſe Capellaniam quandam fundavit, mandamus vobis quatenus nullam exinde financiam petatis aut levetis pro nobis.

Actum Pariſiis in Dominicâ poſt feſtum S. Dioniſii, anno M. C. C. XCIII.

UNiverſis præſentes Litteras inſpecturis & audituris. JACOBUS Dei gratiâ Morinenſis Epiſcopus, ſalutem in Domino. Noveritis omnes, quod coram Eduardo du Mont modo Judice noſtro ſeu noſtras vices gerente d'Alekine, & Balduino Inſulano, Wallone de Lumbres, Hugone Gohel, Petro Tabernario Keſtre, & Guillelmo de le Laſſins noſtris Hominibus liberis ſeu Francis de Alekinà, Iſabella uxor Joannis le Pie authoritate dicti Joannis viri ſui & ex aſſenſu Joannis eorum filii & hæredis, vendidit juſto pretio Decimam de *Kouſebronne*. Quam Mathilda in ſuâ perſonâ cum Roberto viro ſuo oppignaverunt Capitulo Morinenſi, nobiſcum & in nomine noſtro & dilecti ac cari fratris noſtri per gratiam Dei Præpoſiti Iprenſis, cum juſto pretio, ſcilicet pro centum & quindecim libris Pariſienſibus ex argento noſtro; ad quas ſe tenent obligatos, ut appretientur ſeu æſtimentur authoritate noſtri â ac nomine, juxta id quod juſtum judicabit dictus Præpoſitus; & ut ipſa Decima juxta ejuſdem judicium ſtabiliatur, ac de eâ ſtatuatur quod æquum ei viſum fuerit in nomine noſtro, quam retulit Iſabella autoritate dicti mariti ſui & conceſſione ſui hæredis in manus jam præfati Præpoſiti, ad id exequendum quod ſupra dictum eſt, atque judicaverunt noſtri Homines ſupradicti, ut quod Iſabella fecerat, idem autoritate jam dictâ & conceſſione hæredis ſui executa fuerat. Unde nullam amplius in eâ proprietatem prætendebat, juxta uſus & conſuetudines Patrię. Nota.

Venitque in noſtram Curiam dictus Robertus Præpoſitus Iprenſis, coram nobis, item Judex noſter ac Homines noſtri ſupradicti, & coram Philippo de Herbelle, & coram Henrico du Bucquet noſtris Hominibus liberis; atque ſtatuit in nomine noſtro ac dixit, ſe velle ut Capitulum Morinenſe ſeu Teruanenſe mediam Decimæ partem habeat in perpetuum, ac de ipſâ fiat juxta beneplacitum noſtrum. Et Dominus Anſelmus Capellanus Capellaniæ noſtræ quam in Eccleſiâ Beatæ Mariæ Bolonienſis fundavimus, aliam mediam partem in perpetuum ejuſdem Decimæ, atque ipſius in futurum ſucceſſores in eâdem Capellania poſſidebunt.

Tuncque Joannes de Eduis Canonicus Teruanenſis in nomine Capituli prædicti mediam partem recepit, & Dominus Joannes Bulanus Curatus de Mekenes aliam partem mediam ejuſdem Decimæ accepit in nomine dicti Capellani & ſucceſſorum ejus in dictâ Capellaniâ, coram Hominibus ſupradictis & pluribus aliis. Atque Nos ſicut Dominus Decimę, à quibus ipſa dependet & tenetur, omnia hæc vidimus, ac eadem conceſſimus prædictis ſingulis in perpetuum. Dictumque ac judicium tulerunt prædicti Homines cum Judice, Capitulum Teruanenſe cum Capellano & hæredibus, veros & legitimos ſic ipſius Decimæ poſſeſſores effectos eſſe.

Et Nos Jacobus, per Dei gratiam Terua-

nenſis Epiſcopus, jam dictas Conventiones prælegatas ſicut ſupremus loci Dominus, approbamus, laudamus, & confirmamus, & eaſdem amortizamus Capellano & Capellaniæ prædictæ ex aſſenſu & conſenſu Capituli noſtri Teruanenſis. In quorum teſtimonium, Homines jam dicti Sigilla ſua cum noſtro præſentibus appoſuerunt.

Datum atque perfectum anno Incarnationis Domini M. C. C. XCV. Dominicâ poſt Octavam Apoſtolorum Petri & Pauli.

UNiverſis præſentes Litteras inſpecturis vel audituris, Nos Joannes Decanus & Capitulum Teruanenſe notum facimus, quod habitâ deliberatione inter nos maturâ & Capitulum prædictum ſuper contentis in Literâ hîc affixâ, conſenſum noſtrum adjunximus, eaque omnia laudamus & approbamus quantum in nobis eſt. In cujus rei teſtimonium præſentibus Sigillum noſtrum apponi juſſimus.

Datum anno Domini M. C. C. XCVI. die Lunæ ante ſanctum Vincentium.

Jacobus de Bolonià, ex nobili proſapiâ Bolonienſi ortus, patre Roberto le Moiſte Regi S. Ludovico à Conſiliis, matre Margareta du Bucquet, conſecratur 41. (aliis 39) Epiſc. Morinenſis anno 1291 (male 1286.) Fratres habuit Robertum le Moiſte Iprenſem Præpoſitum in Eccleſiâ S. Martini, dein Abbatem S. Mariæ in Nemore, vulgo de Ruiſſeauville, defunctum die 6 Januarii 1302, & Guillelmum Civitatis Bolonię Majorem. Obiit autem Epiſcopus Jacobus Idibus Septembris 1301. Præter has Capellanias fundavit alteram in Eccleſiâ Morinenſi anno 1300. ſub titulo *B. Mariæ de Miraculis*; fundavit etiam decantationem Antiphonæ *Salve, Regina* ante Imaginem B. Virginis omni Sabbato, & quindecim Obitus pro defunctis in bello.

CAPUT LXXVIII.

Guilielmus de Hannonia *Cameracenſis Epiſcopus, Fundationem Conventûs FF. Crucigerorum,* Tornaci *in vico de Cauſſours, (inchoati ab anno* 1286 *per* Guidonem de Chaſtillon, *Comitem S. Pauli) confirmat anno* 1296.

Guilielmus Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus, Religioſis viris Fratribus & Filiis in Chriſto dilectis de Ordine S. Crucis, ſalutem in Domino ſempiternam. Ut in Parochia S. Johannis de Calidis-Furnis juxta Tornacum Cameracenſis Diœceſis, in loco qui dicitur *Montpaillart*, hactenus . . . . . proſtituto, domos ad inhabitandum & Oratorium, ſecundum gratiam & facultates Vobis à Deo conceſſas, ſuper hoc conſtruatis & ædificetis, & moram trahatis in eiſdem, ſalvis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, & juribus quorumcumque: plene noſtrum adhibemus conſenſum: id tenore præſentium permittimus, & expreſſe ſuper hoc conſentimus. In cujus rei teſtimonium præſentibus Litteris ſigillum noſtrum duximus apponendum.

Datum anno Domini M. C. C. XCVI. ſabbato poſt feſtum beati Lucæ.

CAPUT LXXIX.

Philippus de Marigny, *Cameracenſis Epiſcopus, Fratribus ac Sororibus Hoſpitalis de* * Rebecques (*hodie Diœceſis Mechlinienſis*) *Statuta quædam præſcribit anno* 1308.

* Flandriæ *Rousbecchi*, apud Halas Deip.

Philippus Miſeratione Divina Cameracenſis Epiſcopus, univerſis fidelibus præſentem Paginam inſpecturis, tam poſteris quam modernis in perpetuum.

Quoniam via vitæ eſt cuſtodientibus diſciplinam, ad laudem & honorem Dei omnipotentis, & ut viam vitæ fideles inveniant in Hoſpitali B. Mariæ, quod in *Resbecke*, Nobilis Dominæ *Mariæ* quondam Dominę de *Aingbien* munificentiâ ac devotione fundatum ſumptuoſe & liberaliter eſt dotatum, Deo famulantes, ipſum Hoſpitale, ac vitam & mores in illo Chriſto & pauperibus ſervientium, ſub diſciplina Regulari, conſultâ Virorum Eccleſiaſticorum & Religioſorum expertorum prudentiâ, ſecundum Regulam B. Auguſtini ſic ordinando diſponimus, ut Fratres & Sorores ibidem degentes in habitu & geſtu, in modeſtia victus & veſtium, ſe à ſæculo & ſæcularium converſatione ſequeſtrent.

Fundatrix.

Imprimis igitur, ne dictum Hoſpitale in poſterum

De numero personarum.

posterum per inutilium personarum receptionem gravetur, statuimus, ut tantum quatuor Fratribus, videlicet duobus Sacerdotibus & duobus Conversis & sex Sororibus sit contentum. Ita tamen ut si forte ipsius Hospitalis necessitas numerum requirat ampliorem, de nostra vel Officialis nostri licentia speciali, probatâ Domus sive Hospitalis necessitate, Frater vel Soror prædicto numero poterit adaugeri.

De divino Officio.

Ante Matutinas pulsetur paucis ictibus campana, quo signo audito surgant Fratres tam Clerici quam Laïci, nec non & Sorores. Fratres vero Clerici postquam dixerint Matutinas de B. Virgine, ingressu oratorii inclinent ante Altare, & campana iterum protractiùs pulsetur.

Post hoc signum, signum fiat à Magistro, vel à Sacerdote qui debet inchoare Matutinas, si Magister præsens non fuerit; & statim dicitur Pater noster, & Credo in Deum.

Quibus dictis, iterum facto signo, inchoent Matutinas & prosequantur cum nota diebus solemnibus: diebus vero ferialibus cum nota vel sine nota, prout Magistro videbitur expedire, non nimis festinando nec nimis protrahendo, ne nimiâ festinatione audientes infirmi, seu alii devotionem amittant, neque nimiâ protractione graventur: quod tamen magis & minus pro tempore observetur.

Idem etiam modus in aliis orationibus, Horis Canonicis observetur, nisi quod ante singulas alias Horas dicitur solummodo Pater noster & Ave Maria. Et finito Completorio, dicitur Pater noster & Credo in Deum. Totum etiam Officium tam diurnum quam nocturnum juxta consuetudinem Ordinis Præmonstratensis dicatur. Matutinæ autem ita dicantur, quod à festo B. Remigii usque ad Pascha circa auroram, à Pascha vero usque ad festum B. Remigii, circa solis ortum finiantur.

De Novitiis.

Magister de consensu Fratrum & Sororum aut partis seniorum, poterit recipere personas idoneas in Fratrem & Sororem, dum tamen non excedat numerum præfixatum. Quando autem aliquis in Fratrem recipitur, hoc ordine induendus ... &c.

Status Domûs in communi.

Computabitur autem quater in anno ad minus de omnibus receptis Domûs & expensis, coram Magistro & consilio Domus, & coram aliquibus de maturioribus Domûs. Si vero Magister receptor fuerit, computabitur coram dicto consilio & Conventu tam Fratrum quam Sororum dictæ Domus.

Magister Domus seu Procurator nihil grande agant nisi de consilio Domus. utpote hereditatem vendere, emere, seu alienare, seu quempiam in Fratrem vel Sororem recipere ... &c.

Harum igitur Constitutionum observantias in supradicto Hospitali inviolabiliter observari volentes, eas Auctoritate Pontificali roboramus & Sigilli nostri appensione præsentis Paginæ continentiam munimus.

Actum Cameraci anno Domini M. CCC. octavo, feriâ secundâ ante Festum Nativitatis Domini.

CAPUT LXXX.

ANDREAS GHINI, *de Florentia, Tornacensis Episcopus, approbat anno* 1335. *ædificationem novæ Ecclesiæ in Oppido Ostendano; eò quod prior Ecclesia Sti. Petri ibidem, dicta* Ter-Strepen, *per maris impetum inundata esset. Hodie regitur per Presbyteros Congregationis Oratorii.*

Ex Archivis Cameræ Rationum Insulis.

UNiversis præsentes Litteras inspecturis ANDREAS miseratione divina Episcopus Tornacensis, salutem in Domino sempiternam.

Cum dilectus nobis in Christo, *Jacobus de Cotheem* divino succensus amore dederit quamdam Petiam terræ ad ædificandum seu transportandum Ecclesiam de *Ostende de Strep*, & ipsius Ecclesiæ chimiterium contulit & donavit, se de ipsa totaliter devestiendo, ex eo & pro eo, quod dicta Ecclesia propter inundationes aquarum Maris subito & sepius insurgentis in loco in quo antiquitus fuerat fundata, remanere non poterat ullo modo; dictamque Petiam terræ Illustris Princeps, Dominus Comes Flandriæ in honore Dei & gloriosæ Virginis Matris ejus admortizaverit;

Nota inundationes.

Missæ pro Comitibus Flandriæ.

Hac tamen conditione adjectâ, quod Curatus dictæ Ecclesiæ & ejus Successores tenebuntur anno quolibet, quamdiu dictus Dominus Comes vixerit, unam Missam de S. Spiritu celebrare pro salute animæ ipsius & Dominæ Comitissæ Flandriæ & Ludovici filii primogeniti ipsorum, & post ipsorum seu alicujus eorum decessum, unam Missam de Requiem die secunda Dedicationis Ecclesiæ supra-dictæ, pro illo ipsorum qui diem clauserit extremum.

Et quod dictus Curatus & ejus Successo-

res teneantur de prædictis bonas & efficaces Litteras, noſtro ſigillatas Sigillo, præfato Domino Comiti tradere ac etiam liberare: prout hæc omnia & ſingula in Inqueſta de mandato noſtro facta per Decanum noſtrum Oudenburgenſem & in Litteris Admortizationis prædicti Domini Comitis vidimus continentia.

Nobis ex prece Burgi-magiſtrorum Scabinorum & totius Communitatis Villæ de *Oſtende* ſupplicatum extitit, ut ad Confirmationem omnium & ſingulorum noſtrâ Ordinariâ Auctoritate procedere dignaremur.

Nos attendentes laudabile propoſitum ipſius Domini Comitis, & devotionem ſalubrem *Jacobi* ſupradicti, & quod omnia & ſingula facta ſunt ad honorem & augmentationem cultûs divini, quem ſemper deſideramus augeri, ipſa omnia & ſingula rata & grata habentes, ea laudamus approbamus & præſentis Scripti patrocinio confirmamus, Jure noſtro & alieno quolibet in omnibus ſemper ſalvis. Onerantes ſeu obligantes dictum Curatum ipſius Eccleſiæ & ejus Succeſſores ad celebrationem Miſſarum prædictarum, & onus celebrationis hujuſmodi Miſſarum eiſdem Curatis ex certa ſcientia imponentes.

In cujus rei Teſtimonium, Sigillum noſtrum præſentibus Litteris duximus apponendum.

Datum die tertiâ menſis Octobris anno Domini M. C. C. C. XXXV.

Conſenſus Magiſtratus Oſtendani, eodem anno 1335, & in eundem finem.

A Tous ceux qui ches preſentes Lettres verront, li Burghmaiſtre & Echevin & toute la Communaulté de la Ville d'Oſtende Teſtrep ſalut & cogniſſance de verité.

Sachent tous, que comme en l'onneur de noſtre Seigneur Jeshu-Criſt, & pour la neceſſité l'inundacion & la force de louwe de la mer, pour leſqueles noſtre Egliſe Prochial appellée Egliſe St. Pierre d'Oſtende, *& li Chimiteres appartenans à icelle ne pooient plus demorer ou lieu ou elles ſont à preſent, nos tres chers & redoubtés Princes & Seigneurs, Monſigneur* Loys *Conte de Flandres de Nevers & de Retkel ait amorti de ſa grace eſpecial une piecke de Terre que* Jaquemes de Cotheem *donnaſt deſſeſſat, pardevant noſtre Loy de noſtre Ville d'Oſtende toute l'action proprieté & Saiſine que il avoit ou avoir pooit en celle pieche de Terre, contenant environ une meſure de terre, giſant en noſtre dicte Ville de Oſtende, tenant d'une part à la Terre Renier Waghenare, d'autre part à la Terre Wautier fil Henri & Henri fil Henri, item d'une part à une meſure qui eſt à Pierre Couvent & & au quart lés à la Terre de la femme dou dit Jaquemes, as habitans de noſtre Ville, pour faire benir & conſacrer al* oes *d'un Chimitere & del Egliſe de noſtre ditte Ville de Oſtende tranſporter: ſi com il appert par Lettres ſcellées de noſtre dit Seingneur, ſur ce faites.* Id eſt uſage.

Et nos dit Seingneur & Prince ſoit deſirans que en ladite Egliſe quant elle ſera dediée, ſoit en ſa Ramembrance établie une Meſſe ſolempnelle pour lui & pour tres Noble Dame Madame Margherite *fille de Roy de France, Conteſſe de Flandres, de Nevers & Rethel, ſa femme, & pour* Loys *leur fils, tant que il ou un d'eaus vivra, de Saint Eſprit, & après leur treſpas de Requiem, caſcun an perpetuellement ſous le ſecond jour après ce quelle ſera dediée.*

Et que à ce dicte Meſſe dire, ſi que deſſus dit li Curet & li Chapellain qui pour le temps à venir ſont, ſoient tenu perpetuellement, Nous pour ce que ladite pieche de Terre eſt à noſtre ſupplication pour ladite Egliſe & Chimitiere dedier, par no dit Seingneur amortie & pour les biens temporels leſquels il ha fais & fera encore à ladite Egliſe, ſi comme nous eſperons;

Obligons nous & chaſcun de nous le Corps de la Comunalté de ladite Ville & chaſcun d'icelle à faire dire ladite Meſſe ſolempnellement, ainſi comme deſſus eſt dit, ſelonc le affection de no dit Seingneur, & ſupplions humblement par ces preſentes Lettres à Reverend Pere en Dieu Monſieur le Eveſque de Tournay, ou à ſon Vicaire Eſpirituel, ainſſi que ce ſoit choſe accomplie & durable; que il comme Souverain de ſe Auctorité Ordinaire vuelle ladite Meſſe, telle comme deſſus eſt dit, en ladite Egliſe inſtituer & li Cures & Capelains qui pour le temps à venir ſont Curés & Capelain de cette Egliſe a ladite Meſſe dire & celebrer, obligier & le Kerque d'icelle a yaux impoſer, par Lettres à ces preſentes annexées.

En teſmoing de ce, avons Nous ces preſentes Lettres ſcellées dou Scel de noſtre Ville, leſquelles furent faites & données l'an de grace M.C.C.C. XXXV. en la Vigile de St. Laurent.

Eccleſia primaria Oſtendana, S. Petro ſacra, quæ de Jure Patronatûs Magiſtratûs exiſtit, anno 1653, aut circiter, regenda tradita fuit Presbyteris Congregationis Oratorii, in hanc civitatem authoritate Regiâ & Ordinariâ admiſſis.

Primus Paſtor fuit *Philippus Vernimmen*, Winocibergenſis, S. T. L. qui dum ferventi zelo ovibus peſte infectis aſſiſtit, contractâ etiam (unà cum omnibus coöperariis) hac epidemicâ, animam pro eiſdem ovibus poſuit 3. Auguſti 1666.

CAPUT LXXXI.

PETRUS DE ANDREA *Cameracenſis Epiſcopus Perſonatum Eccleſiæ de* Semps *(juxta Mechliniam) unit atque incorporat Capitulo ſuo Cathedrali, ad uſum Fabricæ, anno* 1361.

Ex Archivio Archiepiſc. Mechlinienſ.

UNiverſis præſentes Litteras inſpecturis, PETRUS, Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus, ſalutem in Domino ſempiternam.

Quamvis Nos ex injuncto officio Paſtorali ſuper omnes Eccleſias noſtræ Diœceſis vigiles eſſe meditatione ſollicitâ teneamur, ut temporalibus non deſtituantur auxiliis, & ſpiritualibus ſemper proficiant incrementis; precipue tamen Eccleſiæ noſtræ Cameracenſis indigentibus membris, cujus caput exiſtimus, & ipſius Eccleſiæ ſervitoribus Deo quotidie famulantibus in eadem, debemus noſtræ mentis oculos erigere; ne aliquibus conſternantur incommodis: ſed debitis ſuffragiis perſeverent, & tranquillâ devotione Deo, & beatæ Virgini Matri ejus ſerviant in quiete.

Deſcriptio Eccleſ. Cathedr. Camer.

Sane quemquam latêre non credimus, quantâ præfata Eccleſia ſit murorum magnitudine fabricata, columnarum & teſtudinum pulchritudine decorata & ſculpturarum ad Dei laudem, beatiſſimæque Virginis Mariæ, in cujus honore conſtructa & reverentiâ, artificioſis ſubtilitatibus adornata; quæ omnia ſuſtentationibus, refectionibus, & reparationibus indigent ſumptuoſis; ut à ruinoſis caſibus eruantur, mentis noſtræ aciem convertimus, ut ab noxiis inpulſibus, noſtris & futuris temporibus præſerventur.

Cum igitur Officii Fabricæ dictæ Eccleſiæ noſtræ Cameracenſis redditus, & proventus adeo ſint tenues, & exiles (ut ſumus ad plenum informati) quod ſumptus hujuſmodi, onera & expenſas pro refectionibus & reparationibus ipſius Eccleſiæ Cameracenſis Sponſæ noſtræ commodè nequeant ſuſtineri;

Cum etiam Nobis uniendi, & applicandi dictæ Fabricæ Officio aliqua Beneficia Patronatûs noſtri, potiſſimè facultas in hiis caſibus de Jure competere dignoſcatur;

Idcirco hiis, & aliis cauſis & rationibus, quæ ad hoc animum noſtrum movêre poterant & debebant, poſſunt, & debent, tractatu ſolemni, & informatione debitis præcedentibus, de multorum Juriſperitorum conſilio, noſtrique Capituli Cameracenſis ad hæc accedente conſenſu, Perſonatum de Zempſe, ad noſtram Collationem, proviſionem & Patronatum, libe-ramque & omnimodam diſpoſitionem in hoc caſu, & quocumque alio pleno Jure ſpectantem, ejuſque Perſonatûs redditus, fructus, emolumenta, & proventus quoſcumque & quomodocumque pertinentes, aut in quibuſcumque bonis, & rebus conſiſtant, cogente neceſſitate Eccleſiæ notoriè cauſam dante, Auctoritate Ordinariâ præfatæ Fabricæ officio unimus, & in perpetuum tenore præſentium annexamus, & applicamus.

Volentes etiam & concedentes, quod Magiſter ſeu Miniſteriales Officii Fabricæ dictæ noſtræ Cameracenſis Eccleſiæ dictos fructus, emolumenta, redditus, & proventus Perſonatûs prædicti, poſtquam primùm dictus Perſonatus, cedente, vel decedente poſſeſſore vacaverit, quovis modo, & ex nunc impoſterum imperpetuum ſibi ad opus dictæ Fabricæ poſſit & valeat vendicare, recipere, percipere, levare, ac etiam imperpetuum applicare, ad onera dictæ Fabricæ de cetero faciliùs ſupportanda; Authoritatem noſtram Ordinariaum interponentes pariter, & Decretum.

Ordinantes, quod dictus Perſonatus à Nobis, ſeu Succeſſoribus Noſtris de cetero Clericis, ſeu perſonis aliquibus conferri, aut in Beneficium aſſignari non debeat, neque poſſit.

Quin-imo ex ipſo facto vacationis ad ipſum Fabricæ Officium, ejuſque Miniſterialem pertineat pleno jure, ſibique ejus Perſonatûs fructus, redditus & proventus dictus Miniſterialis, qui pro tempore in dicta noſtra Eccleſia fuerit ordinatus, ex quo ſemel vacaverit quovis modo, & ubicumque dictus Perſonatus per mortem, ceſſum, vel deceſſum poſſeſſoris qui nunc eſt, reſignationis cauſâ, permutationis, aut aliàs quovis modo vacare contigerit, recipere, & levare, ſibique, & dicto Officio applicare imperpetuum, poſſidere, tenere valeat liberè, & habere, abſque impedimento quocumque.

Collationes Beneficiorum, proviſiones, & diſpoſitiones eorumdem, quæ ad dictum Perſonatum ſpectabant, Nobis, & Succeſſoribus noſtris ſolummodo reſervando.

Supplicantes Domino noſtro Domino Innocentio Dei providentiâ Summo Pontifici, ac Reverendo in Chriſto Patri & Domino noſtro, Domino Archiepiſcopo Remenſi, quatenus præſentem Ordinationem noſtram intuitu pietatis, & dictæ Eccleſiæ favore

Recurſus ad Metropolitanum.

dignentur Auctoritatibus ſuis confirmare.

In quorum omnium præmiſſorum teſtimonium, præſentes Litteras per Notarium, & Scribam noſtrum ſubſcriptum ſcribi, & publicari, Sigillique noſtri, unà cum ſigno & ſubſcriptione dicti Notarii & Scribæ noſtri, fecimus appenſione muniri.

Datum & actum in Caſtello noſtro Cameracenſi, anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo primo, Indictione decimâ quartâ, menſis Auguſti die XXVIII. Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Innocentii prædicti divinâ providentiâ Papæ ſexti anno nono.

Præſentibus Religioſo in Chriſto Patre Domino Abbate Monaſterii (1) Sancti Florentii Ordinis Sti. Benedicti, ac Domini Ducis Andegavenſis Cancellario, Nobilique & potenti Viro Domino (2) Walranno de Lucemburc Domino de Linii Milite, ac venerabilibus & diſcretis Viris Dominis (3) Johanne de Weſt Officiali, (4) Petro Mazoerii, Johanne Jheremia, & Jacobo Andrea, Canonicis Cameracenſibus, Teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

(1) Is erat GUILIELMUS DE CHANAC, Lemovix, Abbas S. Florentii juxta Salmurium Diœceſis Andegavenſis ab anno 1354 dein Epiſcopus Carnotenſis ac Mimatenſis, demum S. R. E. Cardinalis, obiit Avenione anno 1394.

(2) WALRAMUS DE LUXEMBOURG, Comes S. Pauli in Artheſia (ex parte matris Machtildis de Chaſtillon ejuſdem Comitatûs hæredis) fuit item Comes Ligniaci, Caſtellanus Inſulenſis, ac Magnus Comes-Stabuli in Gallia. Vir ſuo ævo celebertimus atque potentiſſimus: cujus filia unica & hæres Joanna, Antonio Brabantiæ Duci nupta fuit. Obiit Waleramus anno 1415.

(3) JOANNES DE WEST, fuit etiam Decanus Eccleſiæ Cathedralis Tornacenſis. Cumque unâ cum Comite Flandriæ Urbano VI. legitimo Pontifici adhæreret, tempore Schiſmatis, ab hoc Papâ ordinatus fuit Epiſcopus Tornacenſis, & pontificalia Gandavi, Brugis, & alibi per Flandriam exercuit. Obiit anno 1384. ſepultus in Abbatia de Waeſmunſter in Waſia.

(4) PETRUS MASOERII, fuit aliquando Pædagogus Gregorii XI. Pont. dum eſſet in minoribus conſtitutus & Archidiaconus Valencenenſis in Cameracenſi Eccleſia. Qui dein Papa Maſoërium evexit anno 1374. ad Epiſcopatum Atrebatenſem.

Idem Gregorius XI. per Bullam datam anno 1371 Perſonatum de Semps Cameracenſi Eccleſiæ ſuæ confirmavit. Vide ſupra pag. 55. hujus Tomi IV.

CAPUT LXXXII.

GERARDUS DE DAINVILLE *Cameracenſis Epiſcopus, confirmat anno* 1373 *Hoſpitali* S. Juliani, *Monialium Ordinis S. Auguſtini Cameraci, Acquiſitiones in pago de* Vielly, *& in ſilva de* Clermont.

Ex Actis litis

UNiverſis præſentes Litteras inſpecturis, GERARDUS Dei gratiâ Epiſcopus Cameracenſis, ſalutem in Domino.

Ne forte modernorum traditio temporum, labente curriculo ſubſequenti, demum valeat deperire, fructuoſum eſt & utile, modo acta Litteris ſollicitis roborare.

Cum igitur Nobilis Vir Dominus *Gerardus* Dominus *Deſclesbes* & *de Vellis*, & Domina *Katherina de Briſſeul* ejus uxor, de auctoritate dicti Domini ad hoc auctoritatem preſtantis, & in ſe ſuſcipientis, bene & legitime vendiderunt, certo pretio convento mediante, Religioſis Dominabus Hoſpitalis ſancti Juliani Cameracenſis, quadraginta & octo mencaldatas terræ, quas dicti conjuges tenebant à nobis in feodo, in territorio de Vellis ſituatas; videlicet decem & novem mencaldatas, tenentes ab uno latere terris ſancti Andreæ de Caſtello, *Vielly.* & ex alia parte itineri quod tendit de Vellis apud Briaſtre; item quatuordecim mencaldatas terræ, tenentes ex una parte terris *Jacobi le Thiebaut*, & ex alio latere terris *Huardi de Flandria*, & tenent itineri tendenti apud Inchies, quod nuncupatur Ruella de Brenodio. Item ſeptem mencaldatas terræ contiguas dicto itineri & lateri; deſuper ſex mencaldatis *Johannis Courtois* & duabus mencaldatis *Johannis le Thiebaut*. Item octo mencaldatas juxta nemus *Clarimontis*, Bois de Clermont tenentes terris *Balduini de Aveſnis* Armigeri & terræ hæredum *Colardi de le Tieſſe*, de Valenchenis: prout in Litteris, quibus noſtræ præſentes annectuntur, continetur.

Notum facimus, quod Nos, qui Eccleſias præcipue in noſtris Civitate & Diœceſi, & loca Religioſa ad honorem Dei & Sanctorum, ſacro Religionis fervore conſtructas bonorum & gratiarum augmentatione vellemus ſublevare, ad humilem dictarum Religioſarum ſupplicationem, dictas terras ſuperiùs declaratas propter Deum & in puram elemoſynam admortizavimus, & tenore præſentium imperpetuum admortizamus.

In cujus rei teſtimonium, Sigillum noſtrum præſentibus Litteris duximus apponendum.

Datum apud Cameracum, anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo tertio, die quintâ Septembris.

Hoſ-

Digitized by Google

Hoſpitale S. Juliani in Cameraco, pro Mohialibus Regulam S. Auguſtini ſectantibus fundatum exiſtit à Viro Nobili *Ellebaldo le Rouge*; qui & fundavit anno 1081. Capitulum Canonicorum S. Crucis Cameraci. Vide Tomo II. horum Diplom. Belg. pag. 950.

Hic fratrem habuit Baldericum, Tornacenſem ac Noviomenſem Epiſcopum, Authorem famoſi Chronici Cameracenſis.

Moniales iſtæ hoſpitalitatis officium exercent, tum erga pauperes Cameracenſes, tum etiam erga milites regios.

Vielly pagus & ſilva de *Clermont*, loca ſunt Cameracenſia, prope oppidum Caſtri-Cameraceſii.

CAPUT LXXXIII.

JOANNES DE BAVARIA *Leodienſis Epiſcopus erigit in Eccleſia B.* Catharinæ Eyndhoviæ, *olim Leodienſis, nunc Buſcoducenſis Diœceſis, Capitulum IX. Canonicorum cum Decano, anno* 1399. *Fundatoribus* Joanna *Ducissâ Brab. &* Guilielmo de Milenberg *ejuſdem loci Toparchâ.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, amen.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentes inſpecturis *Joannes de Bavaria* Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Electus Leodienſis, ſalutem quam Jeſus Chriſtus ex Virgine glorioſa natus, toti generi humano effudit.

Inter ſollicitudines Curæ paſtoralis nobis commiſſæ, illa præ ceteris inſidet cordi noſtro, ut ea quæ divini cultûs augmenta in populo Dei conſpiciunt, diligentiùs proſequamur, & ad effectum deducamus ſalutarem.

Eyndhoven. Sanè perſpicientes attentè, quod in Parochiali Eccleſia de *Eyndhoven* noſtræ Leodienſis Diœceſis, quæ in oppido ſatis populoſo ſituata eſt, Rector ipſius, Capellani, & alii Miniſtri, qui in ſufficienti numero ad divinum Officium populo perſolvendum conſtituti ſunt, dicto populo hactenus idem officium minus ſufficienter perſolverunt; ad honorem omnipotentis Dei, glorioſæ Virginis Mariæ Matris ejus & omnium Sanctorum, ut Eccleſiaſticæ plebis conventui illic plenè ſatisfiat,

Patronus Eccleſiæ, ac Dominus Temporalis. De conſenſu, licentiâ & authoritate Archidiaconi loci ipſius, ac Nobilis Viri *Wilhelmi de Milenberch* Domini temporalis *de Septem Fontibus & de Cranendonck* Patroni dictæ Eccleſiæ & Domini etiam temporalis ejuſdem loci, atque *Wilhelmi de Dornen* dictæ Eccleſiæ Rectoris, abſque præjudicio Juris Parochialis, memoratam Eccleſiam etiam in Collegiatam erigendam ſtatuimus.

Et ordinamus, ut in ipſa Eccleſia *novem* Canonicatus, & ſecundum modum dicendi totidem Præbendæ pro nunc conſtituantur, ſingulis Canonicis, quorum etiam erit unus Decanus, pro tempore conferendæ.

Quique Decanus & Canonici, cum aliis Capellanis & Miniſtris prædictis Miſſarum ſolemnia ceterumquè divinum diurnum pariter & nocturnum, altâ voce omni die, atque Animarum Officia ſecundum temporum congruentiam, more Conventuali, conveniente populo ſolemniter celebrent & obſervent.

Et ut eo quietiùs hujuſmodi ſervitia impendant dictæ plebi, eiſdem Decano & Canonicis tenore præſentium indulgemus, ut ipſe Decanus & dicti Canonici verum Corpus ſeu Capitulum faciant; Statuta rationabilia ad hæc opportuna, ſine noſtro & dictæ Eccleſiæ Leodienſis præjudicio condant; exceſſus Canonicorum & ceterorum ſubjiciendorum corrigant, & cetera jura Collegialia exerceant. Ipſique & ceteri Capellani & perſonæ dictæ Eccleſiæ, jure & more ceterarum Eccleſiarum dictæ Leodienſis Diœceſis, liberi ſint & exempti à noſtra & Succeſſorum noſtrorum Leodienſium Epiſcoporum, Officialium Leodienſium, dicti Archidiaconi loci, & ceterorum Ordinariorum juriſdictione, (limitatione infraſcriptâ & jure Appellationis ſeu provocationis omnique aliâ ſuperioritate Eccleſiæ Leodienſis quoquo modo competentibus ſemper ſalvis) gaviſuri, (ſalvis dicendis) omnibus libertatibus, exemptionibus & franchiſiis Eccleſiarum Collegiatarum prætactarum. Canonici liberi ſunt à juriſdictione Epiſcopi.

Onus Decani hic ſtatuitur. Et quoniam Rector Parochialis Eccleſiæ, unà cum ſuo Vicario, quem pro tempore conſuevit habere perpetuum, nedum ſecularium ipſius Eccleſiæ perſonarum, verum etiam omnium Capellanorum, Clericorum, Scholarium, etiam ceterorum Eccleſiaſticorum Miniſtrorum dictæ Eccleſiæ curam habet, licet aliqui ex iis Miniſtris modò in Canonicos aſſumantur, & ceteri ad juriſdictionem prætacti Capituli transferantur; volumus, quod omnes perſonæ ſupradictæ remaneant ſub cura animarum Rectoris & Vicarii ante-dicti.

Et præterea idem Eccleſiæ Rector, unà cum alio ſuo Vicario retineat curam animarum alterius Parochialis Eccleſiæ de *Woenſel*; quæ, & dicta Eccleſia de *Eyndhoven* Woenſel.

hactenus ab invicem canonicè dependerunt & per unum Rectorem regi consueverunt; ideinque Rector in dicta Ecclesia de Eyndhoven (cujus loci oppidum populosum & firmatum existit, alteriusque Ecclesiæ locus ruralis & habitatoribus rarus esse noscitur) personaliter perpetuò residere teneatur, omniaque jura & onera utriusque Ecclesiarum perinde sufferre habeat, prout priùs.

Decanatus annectitur Rectoratui. Decanus per Capitulum eligitur.

Et propterea eidem Rectori onus officii Decanatûs de more consuetum annectimus. Statuentes, ut dicti Collegii sit caput & Decanus, per ipsius Ecclesiæ Capitulum eligendus, & aliorum Decanorum more ad Capituli nostri presentationem confirmandus; & curam animarum dictarum Ecclesiarum & ipsius Collegii recepturus in eisdem Ecclesiis, & priùs per Nos, & dictos Successores nostros, ad eorum Præsentationem instituendus. Debetque dicto Capitulo, more Decanis in dictis Ecclesiis Collegiatis consueto, præesse & prodesse.

Præterea ob suæ prærogativam administrationis, in sancto divino Officio eidem Decano majora in populo Dei reservamus officia. Volentes, ut in Festis Ecclesiæ nunc duplicibus & majoribus, cum officio Sacerdotali, in diebus Cinerum, Palmarum, triduo ante Paschа, in Vigilia Pentecostes, Animarum, & in cæteris Dominicis præcipuis ipse, vel eo mandante, dictus Vicarius, utpote ab Adventu usque ad Epiphaniam, & à Septuagesima usque ad Octavas Sacramenti, Missam suæ plebi celebret majorem, & fontem utroque die benedicat.

In Exequiis autem personarum ipsius Collegii oblationes & unum cereum eligendum habeat; cetera vero eorum funeralia ad ornamenta & libros applicentur. Et quoties his casibus Decanus celebraverit, duo Canonici in officio Diaconatus & Subdiaconatus servire tenebuntur.

Nihilominus tamen dictus Vicarius perpetuus dictæ Ecclesiæ, Parochianis in administratione Sacramentorum & ceterorum jurium Parochialium liberè satisfaciet, prout antea consuevit; & ad executiones mandatorum Ecclesiasticorum & ad Rurale Concilium & ad Synodum, prout hactenus usitatum est, tenebitur, & occupatus circa negotia dictæ Curæ parochialis, in Ecclesia nihil amittet.

Præbendæ sunt Sacerdotales.

Canonicatus autem & Præbendæ singulæ prædictæ erunt Sacerdotales, nec eædem Præbendæ ministrari debebunt nisi in Sacerdotio constitutis: & eorum Præbendas sic disponimus recipiendas.

Rector Ecclesiæ de Tongelre.

Memoratus etiam Rector & suus Vicarius antedicti, & præterea Rector Parochialis Ecclesiæ de *Tongelre* nostræ Diœcesis, cujus locus prope dictum oppidum situatur, in dicto ordine in Canonicos surgent Præbendatos, & pro eorum Præbendis, non obstante Collegio, fructibus, redditibus, proventibus, juribus & emolumentis, quibus huc-usque nomine suarum Ecclesiarum gavisi sunt, liberè gaudeant & fruantur. Idemque Rector Ecclesiæ de Tongelre, sic existens Canonicus Præbendatus, in Ecclesiâ de Eyndhoven Collegiata residêre, & per se, seu Vicarium idoneum quem deputaverit, suæ Ecclesiæ in cura Parochiali providêre tenebitur.

Præbendarum titulus.

Rectores autem Altarium S. Catharinę in choro, B. Mariæ, S. Joannis Baptistæ, B. Barbaræ, B. Nicolai, ad Præsentationem dicti Rectoris de Eyndhoven pertinent; & Beatorum Mariæ & Servatii ad dicti Domini Temporalis Præsentationem pertinent.

Singuli postquam consenserint, in alios sex eligentur Canonicos Præbendatos; & ipsis sex, fructus & redditus suorum Altarium pro singulis portionibus Præbendalibus suis hoc modo deputamus. Videlicet ut grossum eorum Præbendæ ad duodecim modios siliginis mensuræ loci annuos sit; quoties ex his sex aliquod majoris valoris liberè vacaverit, supererescens ultra idem grossum eo casu cum Altari ex his minoris valoris taliter communicetur, ut ambo sint æqualia in valore; & sic continuè ultra fiet: donec omnes hæ Præbendæ sint æquales.

Grossi fructus.

Volumus autem, ut grossum dicti Vicarii perpetui, quod in duabus parvis decimis & septem libris consistit, propter ejus tenuitatem cum dictis sex Altaribus in augendo adjuvetur, & simili modo cum aliis crescat. Et si sic augendo crescerent singulæ ultra hujusmodi duodecim modios, tunc super-excrescens applicetur simili modo ad aliud Beneficium minoris valoris. Ea vero quæ ultra præmissa à Capitulo communiter obvenerint, pro portione æquali inter dictos *novem* Canonicos dividantur.

Sex Canonici septimanatim Deo & populo satisfaciant.

Dicti autem sex Canonici ex Altaribus assumpti septimanatim per se, alium seu alios, in residuis Missis majoribus Decano non assignatis, & Officio Sacerdotali, Deo & populo satisfacient. Quibus sic celebrantibus Capitulum quotidie de uno Diacono, & si possit de Subdiacono providebit, & sic celebrandis Missis in eorum Altaribus eâ septimanâ faciendis reputabuntur satisfeciſſe.

Et nihilominus Canonici omnes, non obstante Canonicatu, alia Missarum officia & cetera divina ad quæ priùs obligati erant observare tenebuntur.

Officium Vicarii.

Et quoties Animarum Missa fuerit celebranda, seu Officium Ecclesiæ alteram Missam exigit, illam dicto Vicario perpetuo deputamus observandam. Utræque igitur Missæ fiant secundum loci & populi oportunitatem.

Toleramus etiam, si ad initia dicti nascentis Collegii, præcipue minora Officia, ut quinque parvæ Horæ, cum Officio defunctorum privatis diebus humilius observentur.

Et ſi quis dictorum Altariſtarum dictum onus & honorem ſubire nollet, liceat in ejus locum aliud dicti loci Beneficium creatum vel creandum ſubrogare.

Canonicatus autem & Præbendas Diaconales & Subdiaconales creandas noſtris Succeſſoribus reſervamus.

Cæteri vero Capellani ſeculares infra Parochias dictarum Eccleſiarum unitarum Beneficiati, & alii impoſterum Beneficiandi, ſuberunt Juriſdictioni & protectioni ipſorum Decani & Capituli, & ipſam Eccleſiam Horaſque Canonicas cum Canonicis tenebuntur obſervare; & erunt participes præſentiarum, anniverſariorum, diſtributionum & aliorum emolumentorum dictæ Eccleſiæ, ſalvo tamen ipſi Capitulo, ſi ſine præjudicio Juris alieni poſſint, modum percipiendi in melius reformare.

Nulli autem liceat à Matutinis inchoatis uſque ad Officium ante prandium completum, & à prima Hora poſt prandium uſque ad Completorium completum, abſque religione in Eccleſia vel cimeterio morando publice comparêre.

Et cum Beneficiati, officiati & alii chorum frequentantes quicumque, in eorum ſervitiis fuerint negligentes aut aliàs exceſſerint, per Decanum & Capitulum corrigentur.

Poterit tamen idem Decanus Capellanum aut aliam Eccleſiæ perſonam, qui non ſit Canonicus, pro eorum demeritis uſque ad triduum inclauſtrare.

Et quoties idem Decanus in corrigendis Canonicorum & aliarum perſonarum Eccleſiæ exceſſibus, prout ad officium ſuum ſpectat, negligens fuerit, eâ vice correctio ad Viſitatorem, quem pro tempore Nos & dicti Succeſſores noſtræ dictæ Eccleſiæ ſpecialiter Deo dante deputabimus, devolvetur. Viſitator delegatus.

Qui inquam Viſitator eandem Eccleſiam in capite & in membris, ſub ſumptibus ſibi moderandis, quoties opus erit viſitabit, & quæ digna correctione & emendatione fuerint reperta, ſalubriter corriget, culpabiles & inobedientes per fructuum ſuſpenſionem & ſubſtractionem aliaſque Pœnas Canonicas puniendo.

Collationem quoque & Præſentationem Canonicatuum & Præbendarum prædictarum, & ceterorum Capellanorum ſeu perpetuorum Beneficiatorum nunc exiſtentium & in poſterum creandorum, ſic diſponimus obſervandam.

De jure & ordine conferendi Canonicatus.

Illuſtris Princeps, qui, vel quę Ducatum Brabantiæ pro tempore obtinuerit, primam ex dictis novem Canonicatibus & Præbendis vacaturam primo loco conferet, ſeu ad illam, propter uniones Eccleſiarum, de quibus dicetur, præſentabit.

Deinde Dominus Temporalis pro tempore dicti oppidi de Eyndhoven, ſecundo & tertio loco conferet alios duos Canonicatus: & ita conſequenter eo ordine in perpetuum.

Certò caſu jus conferendi devolvitur ad Capitulum.

Quod ſi ejuſmodi Canonicatus & Præbendas ſic aſſecuturi, infra annum ad Sacerdotium, ceſſante legitimo impedimento, ſe non fecerunt promoveri, eo ipſo Canonicatus eorum & Præbendę liberè vacabunt, & eâ vice Collatio ad Decanum & Capitulum devolvetur.

Admiſſio autem & receptio ad eoſdem Canonicatus & Præbendas ad dictum Decanum & Capitulum pertinebit, Collatio vero & Inſtitutio ceterorum Altarium & Beneficiorum, quorum Præſentatio nunc ad Rectorem ipſius Eccleſiæ pertinet, ad Decanum ejuſdemque Rectorem pertinebit.

Et ſi quæ Canonicatus & Præbendæ in dicta Eccleſia, ſeu alia Beneficia Eccleſiaſtica infra utramque Parochiam de *Woenſel* & de *Eyndhoven*, ex gratia Dei fundarentur, illorum Collatio & Inſtitutio ad dictos Decanum & Capitulum pertinebit: ſalvo in præmiſſis, quod quotiens Vicaria perpetua & Eccleſia de *Tongelre* antedictæ vacaverint, eo caſu, ad dicti Domini Temporalis, quem ordo tangit Præſentationis, Rector à loci Archidiacono primò inſtituetur, prout ante, & deinde in dicto Capitulo ad corporalem admittetur poſſeſſionem. *Woenſel.*

Singuli vero Canonici, Capellani, & recipiendi cæteri, jurabunt Juramenta rationabilia ordinanda, & de præſenti pro poſſe obſervanda.

De Diſtributionibus.

De redditibus autem & proventibus dictæ Eccleſiæ ad Anniverſaria & diſtributiones quotidianas deputatis, ſeu impoſterum deputandis, concedimus dictis Decano & Capitulo, ut ſervatâ conſtitutione Bonifacii VIII, quę incipit: *Conſuetudinem*, ordinent rationabiliter, quo modo & pro quibus Miſſæ & Horarum punctis diſtribui debeant. Ita tamen ut primò, eis videlicet qui interfuerunt Matutinis trium lectionum, unus denarius Turonenſis antiquus; & ſi Nocturnus dicatur, unus Turonenſis cum obulo, & ſi in feſtis novem lectionum duo, & duplicium tres denarii conſimiles diſtribuantur. Et in nullo caſu hîc non expreſſo, ut fraudibus obvietur, iidem denarii matitunales abſentibus dari poſſunt. Et ſic, cum facultates ſuppetent, dictis Decano & Capitulo committimus quales ulteriores diſtributiones ordinent pro Miſſa, Veſperis & parvis Horis.

Si qui vero Canonici vel Capellani abſentes fuerint, de eorum fructibus deducto ſervitio primò ſuppleantur defectus matutinalium diſtributionum, quæ incipiunt in Adventu, & reſiduum in dictas diſtributiones ſeu aliam utilitatem dictæ Eccleſiæ, ſecundum diſcretionem Decani & Capituli convertetur; niſi ipſis fiat gratia ab iiſdem.

Conſtituimus etiam, ut in dicta Eccleſia annuatim & in craſtino Nativitatis S. Joan-

Digitized by Google

nis Baptiſtæ obſervetur ipſius Eccleſiæ Capitulum generale, in quo omnes Canonici ſub pœna per Capitulum ſtatuenda, intereſſe tenebuntur, & ſtatuere atque ordinare quæ pro divini cultûs augmento & utilitate Eccleſiæ opportuna videbuntur, abſque tamen præjudicio Juris ſupradicti.

Diſtrictè vero interdicimus, ne aliqua apocrypha in dicta Eccleſia legantur vel cantentur, ſed ſecundum uſum Leodienſium antiquum, authenticis Officiis, quæ Scripturarum authoritatem habent, Deo & populo ſerviatur, & ſuperfluæ novitates omnino evitentur.

Dominicis & feſtivis diebus populo concurrente in Miſſarum ſolemniis & cæteris officiis plene ſatisfiat. Si quæ vero ex aliis locis, quæ pia, quæ recta & quæ religioſa ſint ad majorem devotionem addantur, meritoria judicamus.

Officium Cantoris.

Præterea in dicta Eccleſia erit unum perpetuum Officium ſimplex ſine cura, quod dictus Rector de *Tongelre* Canonicus gubernabit; & quoties Decanus officiaverit, chorum per ſe vel alium in cappa reget, & aliàs curam chori unà cum dicto Vicario habebit, exercebitque cætera quæ ſpectant ad Cantorem. Eo tamen circa curam Eccleſiæ ſuæ occupato, idem Vicarius ſuppleat vices ſuas, & ratione officii ſui ad Matutinas ut illis diligenter provideat, ſicuti Decanus duplices percipiat diſtributiones.

Decanus & Cantor duplices recipiant diſtribuant diſtributiones.

Regimen quoque Scholarium ad diſpoſitionem dicti Decani ejuſdemque Rectoris, prout ante pertinebit; qui annuatim providebit de idoneo Rectore, qui Scholas dicti loci cum emolumentis libere habeat & regat, prout hactenus regere conſuevit, & omnino ipſi Canonici Capitulum facientes provideant, ne aliquid pro docendi licentia recipiatur.

Scholaſticus.

Idemque Rector Scholarium omnibus diebus Dominicis & celebribus ad Miſſam & aliàs Horas Canonicas cum Scholaribus chorum frequentare tenebitur, legere, cantare & miniſtrare in choro, prout in aliis Collegiatis Eccleſiis eſt conſtitutum Et præterea, quamdiu aliter non ordinatur, eiſdem diebus, niſi Cantores ſint deputati in cappa, chorum regat & cuſtodiat, & diebus privatis trium Lectionum ad chorum mittat, ad Miſſam, ad Vigilias, & alias Horas aliquos Scholares habiles, prout & quoties Capitulum declarabit; quos duplicabit, ſi novem ſint celebres Lectiones, & tunc cum iis interſit ſaltem Matutinis.

Officium Matricularii.

Matricularius Eccleſiæ, de quo & ex dono Domini Temporalis Capitulum ſingulis annis diſponet, tempeſtive & diſtincte ad omnes Horas pulſabit, luminaria Eccleſiæ pro divino Officio oportuna ſuo tempore accendet & extinguet, & tam Capitulo ad Horas Canonicas, quam Vicariis utriuſque Parochiæ in Parochiali Jure & cæteris ad officium ſuum ſpectantibus, per ſe vel ſaltem alium idoneum miniſtrabit.

Fabrica.

De Fabrica quoque Eccleſiæ nedum in Officio Parochiali, ſed etiam ad Miſſas & Horas Canonicas, cæteraque Officia Eccleſiaſtica, in luminaribus, in libris, in cappis & ornamentis ad honorem Dei opportunis providebitur; & dictus Rector idemque Decanus, ad cujus officium Magiſtros Fabricæ hactenus ordinare pertinuit, ad illud ſœculares & Canonicos (prout ei videbitur) de cætero deputabit, iidemque Magiſtri annuatim etiam præſentibus perſonis conſuetis in Capitulo computabunt, & in exequiis defunctorum ultra ſolitum unus cereus recipiatur ad Eccleſiæ luminaria ea-propter.

Aliquo autem Canonicorum decedente, fructus ſuæ Præbendæ per Capitulum rationabiliter moderandi, pro primo anno ad opus executionis ſui Teſtamenti, & pro ſecundo dictæ Fabricæ cedere debent. Legata quoque Fabricæ eidem remanebunt, & ſimiliter Rectori legata, excluſâ fraude, ipſi cedent. Capitulo vero vel Eccleſiæ legata cedent Capitulo; & ſi quæ tam Canonicis quam Capellanis fuerint legata, eis omnibus communiter cedent: in dubiis vero Capitulum præferetur.

Ducissa Brabant. Fundatr.

Præterea quum illuſtris Domina Joanna Duciſſa Brabantiæ Parochiales Eccleſias de *Vucht* Sancti Petri prope oppidum de Buſcoducis ſituatæ, de *Tungelre* juxta oppidum de Eyndhoven, de *Aerle* juxta *Rixtel* noſtræ Diœceſis, quarum ratione ſui Ducatûs Patrona exiſtit, memorato Collegio futuro ſub certa forma donavit, univit, & quantum in eâ fuit incorporavit; ut in ſuis Litteris Patentibus vidimus contineri, memoratuſque Domicellus Guilhelmus Dominus temporalis dicti loci Eccleſiam de *Maerheſe* noſtræ Diœceſis ſimiliter donavit, Nos ipſorum Duciſſæ & Wilhelmi Donationes hujuſmodi Authoritate noſtrâ confirmantes, de fructibus & proventibus Eccleſiarum de *Vucht*, de *Aerle* & de *Maerheſe* prædictarum, ſic ſtatuimus obſervandum.

Vucht Sti. Petri. Tongelre. Aerle.

Maerheſe.

Ut quam primum aliqua earumdem Eccleſiarum liberè vacaverit, eadem Eccleſia cum omnibus & proventibus, oneribus & juribus ſuis univerſis liberè in dictum Collegium transferatur, & eidem unita & incorporata exiſtat. Ipſumque Collegium ratione ejuſmodi fructuum & proventuum ad omnia onera obligetur, prout ante Rector ad illa tenebatur; & dictâ Eccleſiâ de Maerheſe vacante, perpetuus Vicarius qui inibi modo exiſtit, ulterius per Capitulum præſentandus remaneat, prioribus ſuis fructibus & proventibus contentandus.

Aliis autem duabus vacantibus aut ita vacaturis, ſimiliter perpetuus Vicarius ad Præſentationem dictorum Decani & Capituli per Archidiaconum loci inſtituetur, & eidem de congrua portione per Nos ſeu Suc-

Succeſſores noſtros taxanda providebitur.

Medietas decimarum convertetur in Diſtributiones quotidianas.

Omnium autem & ſingulorum fructuum & proventuum, qui ex dictis tribus Eccleſiis incorporatis provenerint, medietas in diſtributiones quotidianas tam Canonicis quam Capellanis communi candas convertetur; ita quod primò dictis Matutinalibus diſtributionibus ſatisfiat, & aliam medietatem ipſe Decanus & Capitulum in augmentum ſuarum Præbendarum & Canonicarum diſtributionum & ad alias ipſius Capituli neceſſitates ſecundum eorum diſcretionem diſtribuent. Ita tamen, quod ipſe Decanus in his & in aliis communiter obventuris duplam recipiat portionem.

Si quæ vero dubia emerſerint, ſeu minus plenè ſtatuta ſint, ſuper illa ad Nos & dictos Succeſſores noſtros recurratur emendanda.

In quorum teſtimonium & munimen, præſentes Litteras Sigilli noſtri ad Cauſas appenſione fecimus roborari.

Datum & actum *Leodii* anno à Nativitate Domini M. C. C. C. XCIX. menſis Septembris die decimâ-nonâ.

Extabat ſolum hujus Diplomatis fragmentum inter Opera Miræi pag. 597. Nunc autem illud integrum emi è MSS. quondam D. de Vaddere, Canonici Anderlechtenſis. Extat etiam ibidem Codex Statutorum, per XLVII. Capita evulgatus per idem Capitulum anno 1487.

Dux Brabantiæ eaſdem Præbendas contulit per Turnum, unà cum Toparcha; ſed hic bis conſequenter, & Dux tantum ſemel.

CAPUT LXXXIV.

FREDERICUS A BLANCKENHEIM, *Ultrajectenſis Epiſcopus, concedit Canonicis Regularibus Ordinis S. Auguſtini facultatem erigendi Monaſterium ac Prioratum* Montis S. Agnetis *juxta* Swollam, *in Tranſiſalania, anno* 1398; *qui locus fuit Profeſſionis beatæ Memoriæ Viri*, THOMÆ A KEMPIS.

FREDERICUS, Dei gratiâ Epiſcopus Trajectenſis: dilectis nobis in Chriſto, Priori ſeu Rectori, & Fratribus Monaſterii noſtri in *Weſterhove*, Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini, in Parochia de *Dalueſſen*, ſalutem in Domino ſempiternam.

Licet meminerimus, Vobis olim licentiam conceſſiſſe, fundandi & erigendi novum Monaſterium in dicta Parochia, ſive etiam in *Monte S. Agnetis*, dicto vulgariter *Nemeler-bergh*, Parochiæ Zwollenſis; & licet locum Fundationis ejuſdem Monaſterii in Parochia de *Dalveſſen*, in loco dicto *Weſterhof* elegiſtis; quum tamen dictum locum, experientiâ docente, pro fundando Monaſterio experimini minus aptum, & inſtanter ſupplicatis, ipſum Monaſterium, cum Privilegiis & juribus ſuis univerſis, ad dictum *Montem Sanctæ Agnetis* Auctoritate noſtrâ Ordinariâ transferri;

Nos juſtæ pœnitudini ſeu indeliberatæ Ordinationi veſtræ paternâ pietate condolentes, & condeſcendentes, ut dictum Monaſterium, in Parochia de Dalueſſen inchoatum cum omnibus juribus & Privilegiis ſuis ad *Montem S. Agnetis*, dictum vulgariter *Nemeler-bergh*, in Parochia Zwollenſi transferre valeatis, Auctoritate noſtrâ Ordinariâ tenore præſentium indulgemus.

Volentes, dictum Monaſterium ad *Montem S. Agnetis*, tranſlatum eiſdem gaudere Privilegiis, quibus gauderet, vel quomodolibet gaudere poſſet, ſi non foret tranſlatum: ſalvo jure Matricis Eccleſiæ.

Hoc nihilominus adjecto, quod Oratorium, ſive Capella, cum ſuo cymiterio per Nos in Parochia de *Dalueſſen* fundata, & noſtrâ Ordinariâ Auctoritate divino cultui conſecrata, abſque noſtra ſpeciali licentia ad uſum alium non mutetur. In quorum Teſtimonium, Sigillum noſtrum præſentibus duximus appendendum.

Datum anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo octavo, menſis Auguſti die viceſimâ-ſextâ.

Diploma hoc è MSS. primùm evulgavit anno 1721. *Gerardus Dumbar* J. C. patriarum Antiquitatum præclarus inveſtigator, Tomo II. Analectorum pag. 327. qui & pag. 323 recenſuit Diploma prolixius ejuſdem Epiſcopi Frederici, eodem anno 1398 datum, quo ejuſdem Prioratûs Statuta, electio Prioris, aliaque decernuntur.

Fundatores autem fuere, Wolferdus Matthiæ, & Egbertus de Linghen, Presbyteri, Venerabilis Viri Gerardi Magni diſcipuli, ac potiſſimùm Egbertus Mulart, potens Armiger in Haſſelt, qui eis allodium ſuum de Weſterhof donavit. V. de etiam Lindebornii Hiſtoriam Daventrienſem cap. 7. §. 1.

Canonicale Inſtitutum hîc profeſſus eſt A. 1400 inter primos Venerabilis Thomas à Kempis; obiit autem die 25 Julii, anno 1471. ætatis ſuæ XCI. vitæ Sanctimonia clarus. De quo & Scriptis ejus verè aureis, plura lege in Bibliotheca Belgica Tomo II. pag. 1135.

CAPUT LXXXV.

JOANNES DE BAVARIA, *Leodienſis Epiſcopus, Eccleſiam parochialem B. M. V.* Tholenſem *in Zelandia, (dotante* PETRO DE SANDE *Præpoſito Condatenſi &c. :) erigit in Collegiatam, anno* 1404.

UNiverſis Chriſti fidelibus præſentes Litteras inſpecturis, JOHANNES DE BAVARIA, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Electus Leodienſis, ſalutem... Ex Paſtorali Officio Nobis commiſſo Nos attendedere oportet ea, quæ divini cultus augmentum ac populi devotionem reſpiciunt: eaque diligentius proſequimur, ut ad effectum deducantur ſalutarem; & præſertim ea quæ Illuſtris Princeps ALBERTUS Dei gratiâ Comes Palatinus Rheni, Bavariæ Dux, Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, & Dominus Friſiæ, Genitor noſter, ad honorem Dei omnipotentis, B. & glorioſæ Virginis Mariæ, ac totius Curiæ cœleſtis, & ad ſalutem animæ ſuæ, & ſuorum ſubditorum animarum recreationem, providè ordinare & proficere excogitavit.

Sane ad noſtrum auditum pervênit, quod honorabiles Viri DD. *Petrus de Zande* Præpoſitus Condatenſis & Inveſtitus Parochialis Eccleſiæ ſeu quartę Capellæ de *Tolnis*, ac *Petrus Bloc* Inveſtitus Eccleſiæ ſeu quartæ Capellæ *Scakerloo*, Capellani dicti noſtri Genitoris, piè moti, & ut piè creditur ab Altiſſimo inſpirati, omniſque populus utriuſque ſexûs Parochiarum dictarum Eccleſiarum, noſtræ Leodienſis Diœceſis, cupientes ut dicta Eccleſia ſeu quarta Capella de *Tolnis*, in honore Beatiſſimæ Virginis Mariæ conſtructa, & diuturnis temporibus onerata, in Inſula per ſe aquis marinis circum-vallatâ, infra temporale Dominium noſtri Genitoris & in fine noſtræ Leodienſis Diœceſis ſituata;

(Cujuſque Eccleſiæ de *Tolnis*, & omnium Beneficiorum in eodem fundatorum Præſentationes Jure huc-uſque Patronatûs ad dictum noſtrum Genitorem, tamquam Dominum Temporalem loci de Tolnis ſpectaverunt;) in Eccleſiam Collegiatam erigatur; . . . .

Ad noſtrum Genitorem acceſſerunt, humiliter ſupplicantes, quatenus propter Deum, in præmiſſis aſſequendis & perficiendis ſuum auxilium & conſilium, ſuumque conſenſum pariter & aſſenſum... præſtare & impartiri dignaretur... Idem Genitor noſter, de tanto bono invento & concepto congaudens, & ad perfectionem perduci deſiderans, de forma adimplendi eadem cum Juriſperitis conſilium habuit; & quantum in eo fuit, voluit & ordinavit in effectu, ſub forma quæ ſequitur.

Primò videlicet, ut dicta Eccleſia de Tolnis in Eccleſiam Collegiatam erigatur, & in eadem novem pro nunc Canonicatus inſtituantur, & novem Præbendæ ſingulis ejuſdem Eccleſiæ Canonicis conferendæ. Qui unum ex eis idoneum in Decanum eligant, Nobis & Succeſſoribus noſtris Epiſcopis Leodienſibus, & Venerabili noſtro Capitulo Leodienſi præſentandum, ac per Nos & Succeſſores noſtros Epiſcopos Leodienſes pro tempore exiſtentes confirmandum; & ulterius Decano Chriſtianitatis loci pro Cura animarum recipiendâ, ſecundum conſuetudinem antiquam præſentandum.

Sequuntur Statuta huic novo Capitulo præſcripta per XXIX. Articulos: atque imprimis Inſtitutio duarum novarum Præbendarum, per Magiſtros Petrum Stierbier & Joannem Yonis *Presbyteros. Item Confirmatio Cathedralis Capituli Leodienſis*, Ludovici de Fliſco *Archidiaconi Campiniæ in Eccleſia Leodienſi, &* Wilhelmi Back, *Decani Chriſtianitatis Concilii Bekenſis. Omnia hæc prolixiùs recenſita unà cum ſerie Decanorum, vide Tomo II. Hiſtoriæ Epiſcopatûs Middelburgenſis, per* Heuſſenium, pag. 59. *ac tandem in fine:*

In quorum omnium Teſtimonium, veritatem & munimen, Nos JOHANNES DE BAVARIA Electus Leodienſis, ALBERTUS Dei gratiâ Comes Palatinus Rheni, Bavariæ Dux, Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, & Dominus Friſiæ, Capitulum Leodienſe, Archidiaconus & Decanus ſupradicti, præſentes Litteras Sigillorum noſtrorum ad cauſas appenſione, roborari fecimus; & muniri, ſub anno Domini milleſimo, quadringenteſimo quarto, Menſis Octobris die quartâ. 1404.

CAPUT LXXXVI.

JOANNES DE GAVERA *Cameracenſis Epiſcopus, teſtatur anno* 1428. Antverpiæ *in Baſilica Mariana honorari* Præputium Chriſti *Domini Salvatoris. Unde ſupereſt hodie in eadem Cathedrali Confraternitas, dicta* Circumciſionis ; *tametſi ab anno* 1566. *ſacer iſte Theſaurus per hæreticos fuerit ſublatus.*

UNiverſis & ſingulis Chriſti fidelibus præſentes Litteras inſpecturis, Joannes Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Cameracenſis ſalutem in Domino ſempiternam.

Notum facimus, quod Nos omnes & ſingulas Indulgentias à Reverendiſſimo in Chriſto Patre & Domino D. Theobaldo eadem gratiâ Archiepiſcopo Biſontino, in Litteris ipſius Reverendiſſimi Patris inferiùs annotatis, conceſſas, Auctoritate noſtrâ ordinariâ & Pontificali ratas & gratas habentes, quantùm cum Deo & de jure poſſumus & debemus, in conceſſione hujuſmodi Indulgentiarum, noſtrum præbemus conſenſumpariter & aſſenſum.

Hic ſimiles Litteras dederat A. 1427.

Ceterum ut Capella in honore & ſub vocabulo Sacroſancti Præputii Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti ſita & fundata in Eccleſiâ Collegiata & Parochiali B. Mariæ Virginis glorioſæ, oppidi Antverpienſis noſtræ Diœceſis, de quâ in dictis Litteris infrà inſertis fit mentio, congruis frequentetur honoribus, & à Chriſti fidelibus jugiter veneretur ; & ut fideles ipſi eo libentiùs cauſâ devotionis, orationis, voti, & peregrinationis conveniant & confluant ad eandem, quò ex hoc dono cæleſtis gratiæ uberiùs reſpexerint ſe refectos ; contemplatione Confratrum Confraternitatis Sacroſancti Præputii ſuper id nobis ſupplicantium, omnibus & ſingulis verè pœnitentibus confeſſis & contritis ac in ſtatu gratiæ exiſtentibus, qui Miſſæ, quæ ſingulis diebus Sabbati ob reverentiam & honorem ipſius Sanctuarii in dictâ Capella celebratur, interfuerint, & ad hoc operam dederint ; ſeu qui ad augmentationem divini cultûs in dictâ Capellâ fiendi, ſeu ad opus retentionis & reparationis ejuſdem Capellæ manus porrexerint adjutrices ; aut qui ad Capellam ipſam in feſtivitatibus Circumciſionis, Nativitatis, Epiphaniæ, Paſchæ, & Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu-Chriſti, Pentecoſtes, Sanctiſſimæ Trinitatis, & omnium Sanctorum, nec non in quinque feſtivitatibus Beatæ Mariæ Virginis, & die Proceſſionis quâ dictum Sanctuarium in dicto oppido proceſſionaliter defertur, & per octavas earumdem feſtivitatum Octavas habentium, devotionis orationiſve aut peregrinationis cauſâ viſitaverint, à Domino veniam imploraturi delictorum ; de omnipotentis Dei miſericordiâ, & glorioſæ Virginis Mariæ Matris, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, Sanctorumque & Sanctorum omnium meritis & interceſſionibus confiſi ;

Quadraginta Indulgentiarum dies totiens, quotiens præmiſſa aut aliquod præmiſſorum Domino propitiante ſalubriter peregerint, de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxavimus, & relaxamus per præſentes, quas volumus perpetuis temporibus in ſuâ roboris firmitate perdurare.

In cujus rei teſtimonium Sigillum noſtrum his noſtris præſentibus Litteris duximus apponendum.

Datum & actum Antverpiæ dictæ noſtræ Diœceſis, anno Domini milleſimo quadringenteſimo viceſimo octavo, menſis Octobris die viceſimâ primâ.

Litteræ Capituli Antverpienſis, anno 1416 *de eodem ſacro Præputio.*

UNiverſis Chriſti fidelibus ad quos præſens noſtrum Scriptum pervenerit, Decanus & Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ Beatæ Mariæ Antverpienſis, Cameracenſis Diœceſis, in Chriſto Jeſu Domino noſtro ſalutem & piam noſcere veritatem.

Si ſacris oſſibus ceteriſque probatis Reliquiis ad recolenda nobis Sanctorum merita & imitandam vitam, veneratio debeatur & & honorificentiæ cultus ; quantò major Dominico Præputio, quod ex incontaminatâ Chriſti carne, qui Sanctus Sanctorum eſt, noſtræ reparationis arrha initiumque ſub teneræ ætatis infantiâ primævâque ſui pretioſi Sanguinis effuſione reciſum, mundoque, ut piè credimus, eſt relictum, dicente Sponſâ Chriſti Eccleſiâ : Si non ſit viro meo nomen, & reliquiæ ſuper terram. 2. Reg. 14. ℣. 7.

Sanè cum ſacroſanctum hoc Domini noſtri Jeſu Chriſti Præputium, ſaltem (ne quibuſdam locis derogare videamur) notandam

portiunculam ejus apud nos esse fuisseque à plurimis annorum centenariis, nostrorum Seniorum relatione vetustissimisque eorum relictis scripturis didicerimus; ne fortè irreverentiæ negligentiæque rei tam sacræ à Domino cum illis Cistercienſibus, quorum Cæsarius meminit, arguamur; ut quod in nobis est faceremus, id ipsum hoc Scripto nostro universitati vestræ volumus esse notum.

Cæsarius lib. 8. cap. 84. 85. & 86.

Tradiderunt quippe nobis Seniores nostri, quod olim regnante in Terrâ sanctâ felicis recordationis Illustrissimo Christianissimoque Principe fundatoreque nostro Godefrido de Bouillon Hierosolymitanorum Rege, erat cum illo generosus quidam vir, Antverpiensis oppidanus, Henricus Noese, Presbyter & ejusdem Domini Godefridi Capellanus. Qui dehinc eorumdem Hierosolymitanorum factus Episcopus *, videns succedente Balduino præfati Regis Godefridi fratre, sævitiam infidelium reinvalescere paganorum; natalis patriæ nimirum affectus amore, conquisitum antè & sufficienti Documento probatum Domini nostri Præputium, per manus cujusdam nostratis, fidi Capellani sui & nostri, Arnoldi Heerbrant, priusquam morte corporali illic præveniretur, ut rem tam sacram indignis infidelibus subtraheret, ad nostram præfatam Ecclesiam Antverpiensem memoriale sui perenne fideliter transmisit, dignè fidelibus adorandum.

* Non consentit hoc cum Historia Belli Sacri.

Ait enim Dominus per Prophetam: de Jerusalem exhibunt reliquiæ. Et alibi: Disperdam de loco hoc (scilicet Jerusalem) reliquias. Et: possidere faciam reliquias populi hujus.

At ne fortè levitate quadam à nobis res hæc susceptа nonnullis primâ facie videatur, ulla vel subsecuta in Attestationem Signaculi hujus, stupenda miracula, quę operari olim dignatus est Dominus, plurima tacentes, fideliter referemus.

Contigit equidem dudum venerabilem Patrem & Dominum nostrum Cameracensem Pastoralis sollicitudinis more Ecclesiam nostram visitare. Hic celebraturus inter Missarum suarum solemnia sacrosanctum Domini Præputium, de quo sermonem vobis facimus, præsentialiter sibi afferri, & Corporali, quo utebatur, superponi præstolabatur; ut id ipsum cum metu & reverentiâ valeret aspicere.

Cujus devotæ petitioni dum Prædecessores nostri, qui pro tempore astabant, justè annuerent; indictis tamen priùs populo per eundem orationibus communibus, dum & ipse intra Missæ suæ secreta orat, si fortè Dominus eidem signum aliquod mittere dignaretur; (mira res!) ecce ex præfato Domini Præputio in Corporale, cui impositum fuerat, tres sanguinis guttulas, quæ in hoc usque ævi apud nos notabiliter apparent & permanent; stupens conspicit resudasse, statimque totum circa rem hanc, si quod inhæserat dubietatis vulnus, d ejus pectore præputatum est. Orabat tamen pœnitentiâ ductus pius Pater Dominum, populumque pro se orare fecit, veritus si fortè in hac re Deum tendandi vitium ullatenus incurrisset.

Miraculosa trium guttularum Sanguinis dilibatio.

Sed quid dicemus de recolendę apud nos memoriæ inclytâ illa Reginâ Siciliæ, quę olim incurabili morbo laborans, nostri Antverpiensis penitùs ignara loci, dum in spiritu tantum & visione docta à Domino, sacrum hoc Domini Præputium devota vovet Ecclesiæque nostræ limina corporaliter visitare: eo ipso curata sanaque effecta est. Quæ dum facto corporaliter, suffragio mercatorum freta, quod voto promiserat, adimpleret; advenienti Reginæ ordine processionali occurrente Clero nostro, allatoque Præputio sacro; ecce dæmoniacus quidam horribili voce Canonicis improperat, pro eo quod carnem immortalis Regis mortali feminæ obviam ferunt, illicoque à dæmone liberatus est. Suntque apud Nos in hodiernum adhuc servata diem ornamenta pretiosa in signum hujus, quæ hæc devota Matrona nostræ Ecclesiæ cum gratiarum actione dereliquit.

Dæmoniacus sanatus.

Quæ itaque, quæsumus, tam saxea hominum pectora, quibus hæc testimonia non satis sint? Quem hæc ad piam fidem non moveant, ad sacratissimum quoque hoc Domini Pręputium, quod apud nos sic esse fideliter & piè credimus, si non præsentialiter corpore, mente vel nobiscum fideliter adorandum? Nisi fortè horum, contra quos tam pulchrè Aurelius ille Augustinus in libris de Civitate Dei invehitur. Quorum ut ait, proprium est, nil eorum credere de præteritis aut futuris, quæ oculis propè aut experimentaliter ipsi coram positi non vidêre.

August. de Civ. Dei l. 21. cap. 5.

Hæc igitur in hac re sunt Monimenta nostra: hæc Seniorum nostrorum fidelis relatio, quam scribimus; quæ singulis annis à tanto tempore, quod contrarii memoria non habetur, multis hominum millibus prædicantur.

In quorum Testimonium hoc præsens Scriptum nostrum, Sigilli nostri appensione, ex certâ scientiâ, duximus communiri.

Datum Antverpiæ in loco nostro Capitulari anno Domini millesimo quadringentesimo decimo sexto, mensis Junii die decimâ.

Bulla Eugenii IV. Papæ, anno 1446 de eodem Sacro Præputio.

EUgenius Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. In Apostolicæ speculâ dignitatis, supernâ dispositione, constituti, curis efficere prosequimur assiduis, ut hi, pro quibus hu-

Digitized by Google

manos Dei filius languores perpeti dignatus est, à noxis expiati suarum salutem consequantur animarum.

Cum itaque (sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Magistri Anselmi Fabri de Bredâ, Decani Ecclesiæ B. Mariæ Antverpiensis, Cameracensis Diœcesis, Notarii nostri & Litterarum Apostolicarum Correctoris petitio continebat) in Capellâ, prope cujus Altare in Ecclesiâ prædictâ Præputium Dominicum honorificè conservari dicitur, & ubi prætatus Anselmus quamdam perpetuam Capellaniam instituit atque dotavit; Christi fideles plerique singularis causâ devotionis convenire soliti sint, ad divini propagationem cultûs, Confraternitatem inibi, de quâ dictus Anselmus existit, amplectentes; Nos devotionem & cultum hujusmodi vigere necnon adaugeri summis desiderantes affectibus, & ipsius Anselmi, qui etiam Referendarius noster existit, in hac parte supplicationibus inclinati, universis & singulis Christi fidelibus infra numerum XXV de Confraternitate hujusmodi nunc & in futurum existentibus, Auctoritate Apostolicâ tenore præsentium indulgemus, ut eorum singuli Sacerdotes idoneos in suos possint eligere confessores, qui diligenter ipsorum confessionibus auditis, pro peccatis, criminibus & delictis quæ commiserint, eis in quibuslibet etiam Apostolicæ Sedi reservatis semel, & in aliis quotiens opportunum fuerit casibus, debitam absolutionem impendere ac salutarem pœnitentiam injungere, nec non ipsis in sinceritate fidei, unitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac obedientiâ & devotione nostrâ & Successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium persistentibus, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti & ore confessi fuerint, etiam semel tantum in mortis articulo plenam remissionem concedere valeant.

Sic tamen, quod ipsi Confessores, de his de quibus alteri satisfactio impendenda fuerit, eam dictis fidelibus sic confessis si supervixerint, vel per hæredes suos, si tunc fortè transierint, faciendam injungant, quam illi facere teneantur.

Et ne aliquis propterea (quod absit) proclivior reddatur ad illicita in posterum committenda, volumus, quod si ex confidentiâ remissionis hujusmodi aliqua fortè commiserint, quoad illa nullatenus eis dicta remissio suffragetur: quodque singuli fidelium præfatorum postquam ipsi concessionem eis remissionis hujusmodi proficere, vel uti illâ voluerint, ex tunc per unum annum singulis sextis feriis, impedimento cessante legitimo, jejunent. Et si dictis feriis ex præcepto Ecclesiæ regulari observantiâ, injunctâ pœnitentiâ, voto, vel aliàs jejunare teneantur, unâ aliâ die singularum septimanarum ejusdem anni, quâ ad jejunandum non sint astricti, jejunare debeant.

Si verò in anno prædicto vel aliquâ ejus parte legitimè impediti sint, anno sequenti vel aliàs quam primum poterunt, modo simili supplere jejunium hujusmodi teneantur. Porrò si forsan aliàs prælibatum jejunium in toto vel in parte quandocumque adimplere commodè nequiverint, illud eis prætati Confessores in alia pietatis opera, prout eorum animarum saluti expedire viderint, commutare valeant, quæ pari modo adimplere teneantur.

Alioquin quoad eos dumtaxat ipsis facta concessio remissionis hujusmodi nullius sit roboris vel momenti.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam nostræ Concessionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ M.C.C.C.C. XLVI. v. Kalendas Februarii, Pontificatûs nostri anno XVI.

Quinque ferme sæculis Sacro-Sanctum Christi Præputium, inter alias illustres Reliquias apud se asservatum fuisse, gloriantur Antverpienses. Quod tamen anno 1566, templis atque sacrariis immani Calvinistarum furore direptis, deperditum fuit Diplomata supra-citata inseruit P. Bollandus, S. J. Hagiographus, Tomo I. Actorum Sanctorum Mensis Januarii, pag. 6. addens Bullam Clementis VIII. Papæ datam anno 1599, quâ confirmatur Confraternitas Circumcisionis, jam olim in Urbe Antverpiensi instituta, hodieque inter viros primarios ibidem vigens

Baro Le Roy in Notitia Marchionatûs S. R. I. pag. 73. adjungit Disquisitionem eruditam, de hoc Sacro Præputio, ab Jerosolymis Antverpiam delato.

Quomodo autem Thesaurus iste per rapinam ablatus fuerit, narrat Augustin. Wichmannus in Brabantia Mariana libro II. cap. 22. hisce verbis.

Retulit mihi vir magnus, inter Ecclesiasticos primæ dignitatis, atque omni exceptione major, se à viro itidem probo & catholico (cui fides tuto adhiberi potest) audivisse, Præputium hoc Ecclesiæ Antverpiensis, à quodam Ministro hæretico in pala annuli, dudum Middelburgi Zelandiæ fuisse delatum; qui id ipsum ex Ecclesia sacrilegè abstulerat. Prætatus autem Catholicus, nomine Marcellus Everdyck, precio illud redimere destinabat; nisi impostoram timuisset, ne perfidi illi, adulterinam peiliculam vero Christi Præputio substituissent, Catholicos postea ludibrio habituri; ut sæpe alias fieri adsolet. Quo factum, ut ad incertos hæredes devolutum sit.

CAPUT LXXXVII.

In Concilio Basileensi *decernitur anno* 1433. *Oratoribus Ducis Burgundiæ competere præcedentiam ante Legatos quorumcumque Electorum S. R. J.*

Ex Collectione Diplom. Gudeni.

SAcrosancta generalis Synodus Basilienſis in Spiritu Sancto legitimè congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, venerabili Archiepiscopo Maguntino salutem & omnipotentis Dei benedictionem.

Postquam ad sacrum Concilium Oratores dilecti Ecclesiæ filii, Nobilis viri, Ducis Burgundiæ Illustris, accesserunt; orta est inter Ambasiatores tuos & tuorum Co-Electorum ex una, ac Ambasiatores præfati Ducis Burgundiæ parte ex altera, de modo sedendi Controversia; ad quam sedandam tribus fere mensibus laboravimus.

Et demum, deputatis nonnullis Commissariis ex parte sacri Concilii, ut se informarent qualiter in Concilio Constantiensi servatum fuisset, repertum fuit per Attestationem multorum Testium, quomodo Ambasiatores ipsius Ducis Burgundiæ, in Sessionibus publicis sedebant immediate post Ambasiatores Regum; prout Devotio tua videre poterit per Copiam Attestationum, quam mittimus præsentibus intercluſam.

Inter alia autem, quæ nostris commisimus Oratoribus, post proximum festum Paschæ ad opidum *Franckfordiæ* transmissis, ubi Congregatio Electorum Sacri Imperii indicta erat, hoc etiam dedimus in mandatis, ut super hujusmodi Controversia verbum cum ipsis Electoribus & Tua Devotione facerent; exhortando, ut, cum in domo propria Concilium celebratur, sicut fieri solet de hospitibus passivis, ipsum Dominum Ducem honorare vellent; cum honor iste in domo propria exhibitus, non præjudicium sed honorem afferre soleat. Tandem habitâ magnâ deliberatione, & pensatis omnibus, visum Sacro Concilio fuit, ut super hujusmodi contentione potius quædam via caritativa eligeretur, per quam nullius læderetur jus.

Considerans igitur hæc Sancta Sinodus, quod ut prædictum est, Sacrum Concilium in Alamania, & sic in domo ipsorum celebratur; & quod communiter ubique observatur, ut quilibet in propriis laribus Forenses honoret; ordinavit pro conservanda caritate, & per modum Provisionis duntaxat in hoc Concilio, ut Ambasiatores tui & tuorum Co-Electorum & ipsius Ducis Burgundiæ, mixtim deberent sedere immediate post Reges; ut unus ex Ambasiatoribus dicti Ducis primò, deinde alius ipsorum Electorum, & sic successivè alternatim. Et quod ex hoc nulli Partium præjudicetur in Possessorio vel Petitorio; prout in Copia hujusmodi Ordinationis, quam hic mittimus intercluſam, clarius Tua Devotio videre poterit. Ex hoc, si bene consideretur, in nullo jus tuum ac tuorum Co-Electorum lædi dignoscitur, quin potius conservatur, & magis elucidatur; cum propter hunc respectum tantùm, quod in Alamania Concilium celebratur, hujusmodi Ordinatio facta est.

Quapropter Devotionem tuam rogamus, ut in eo quod bono animo factum est, nec tuum, aut ipsorum Electorum præjudicium concernat, bono animo susipere velit; & suis Ambasiatoribus hic existentibus mandare, ut huic Ordinationi acquiescant.

Datum Basileæ, quarto Nonas Julii, anno Domini M.C.C.C.C.XXXIII.

Sign. B. de Batiferis.

Decreti Provisionalis tenor.

SUper Controversia, inter Venerabiles Ambasiatores Illustrium Principum &c. in ordine sedendi in Sessionibus & Congregationibus, Missis & aliis actibus publicis & privatis hujus Sacri Concilii; hæc sancta Sinodus, pro conservanda caritate inter prædictos Principes, attento etiam, quod sunt consanguinitate & affinitate conjuncti, etiam, quod hoc Sacrum Concilium celebratur infra fines Alamaniæ; & ex hoc videatur, Dominos Electores debere honorare prætatum Dominum Ducem & Ambasiatores suos, prout credendum est, quod ipse Dominus Dux, inibi & alibi, eosdem Dominos Electores suosque Ambasiatores vellet honorare; Ordinat, per modum Provisionis duntaxat, quod in hoc Concilio unus Ambasiatorum dicti Domini Ducis Burgundiæ sedeat primus post Ambasiatores Regum, & post eum sequatur unus de Ambasiatoribus Dominorum Electorum, & deinde alternentur mixtim; & hoc sine præjudicio alicujus partis in Possessorio vel Petitorio. Super quibus poterunt agere & prosequi, quando placuerit.

CAPUT LXXXVIII.

Epiſcopo Tornacenſi commendat EUGENIUS IV. *Pont. erectionem Conventûs Fratrum Minorum in oppido* Sluſano, *Diœceſis Brugenſis (nunc ſub poteſtate Acatholica) anno* 1443.

EUGENIUS Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo Tornacenſi ſalutem &c.

Retulit nobis dilectus filibus (1) *Joannes de Capiſtrano*, Frater Ordinis Minorum, ſibi in Terra (2) *Sluſarum*, tuæ Diœceſis, dudum oblatum fuiſſe locum quemdam pro conſtructione & fabrica Domûs, cum Eccleſiis & aliis ædificiis, uni Conventui Fratrum de Obſervantia aptis Ad cujus perfectionem idem Joannes laborare intendit omni ope ac diligentiâ. Verum exiſtimat ad hujus operis abſolutionem præſidia & favores tuæ Fraternitatis ſibi fore ſummè neceſſaria, & opportuna. Quare ipſam Fraternitatem tuam in Domino requirimus & hortamur, quatenus in re tam pia &c. præſtare velis prædictis Fratribus, illud proſequentibus, auxilium & favorem, coërcendo etiam ſi opus fuerit quoſcumque eiſdem impedimentum afferentes per cenſuram &c. Super quâ re damus Fraternitati tuæ plenam... facultatem.

Datum Senis, quinto Septembris, &c. anno decimo tertio.

(1) JOANNES DE CAPISTRANO, gente Gallus, profeſſione Minorita, fuit Vicarius generalis ſui Ordinis. Chriſtianos milites in Hungaria Duce Joanne Hunniade contra Turcas fortiſſimè dimicantes, zelo Apoſtolico ad conſtantiam adhortatus eſt. Obiit prope Sirmium die 23 Octobris 1456, inter Beatos Ordinis ſui receptus.

(2) SLUSA, oppidum maritimum Flandriæ Diœceſis Brugenſis, tertio ab ea urbe milliari, pridem ſub poteſtate Ordinum Fœderatorum. Extant hîc hodiedum rudera antiqui Conventus FF. Minorum. Ultimus eorum Guardianus R. P. *Franciſcus Penneman*, Gandavenſis, à Geuſiis interfectus eſt anno 1572, atque ſepultus in parochiali Eccleſia Pagi S. Laurentii, haud procul Sluſâ. Martyrium deſcribit Raiſſius in Auctario ad Natales SS. Belgii, ad diem XXIV. Junii.

CAPUT LXXXIX.

DAVID A BURGUNDIA, *Ultrajectinus Epiſcopus, confirmat anno* 1461. *Fundationem Monaſterii Monialium Ordinis Sti. Auguſtini, quod vulgo* Sarepta *dicitur; inchoatum in Municipio de Biervliet (quod unum eſt è IV. Officiis Flandriæ) ac tandem anno* 1617. *tranſlatum Brugas.*

DAVID de Burgundia Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Trajectenſis, univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, ad quos præſentes noſtræ Litteræ pervenerint ſalutem in Domino ſempiternam.

Magno devotionis affectu audivimus, quod ſtatus quarumdam perſonarum in Diœceſi noſtra Trajectenſi conſtitutarum ac immediatè nobis ſubjectarum, in ſpiritu humilitatis Deo ſervientium, non ſolum ſanctæ converſationis merito floreat, verum etiam quotidie, authore Deo, felicibus proficiat incrementis.

Sane veridicorum percipimus relatione, quod dilectæ nobis in Chriſto filiæ Magiſtra & Sorores Domûs *Sanctæ Elizabeth in Biervliet* in quatuor Officiis Flandriæ noſtræ Diœceſis, attentius conſiderantes quod licet nos eandem paterno confoventes affectu Authoritate noſtra Ordinariâ authore Deo huc uſque proteximus, illas diverſis gratiis & Privilegiis muniendo; nihilominus tamen ſolerter attendentes quod refrigeſcente charitate & ſuperabundante iniquitate, ſucceſſu temporis tantus candor puritatis & ſimplicitatis, excelſa præconia cæteraque commendabilia honeſtatis opera laxatis habenis frequenter tepeſcant, & ſtabilitate perpetua perſeverare non poſſint.

Conſiderantes igitur, quomodo in diverſis mundi partibus devotæ perſonæ utriuſque ſexûs Regulam B. Auguſtini ab Eccleſia multipliciter approbatam ſub perpetua clauſura ac humili & ſimplici habitu ſint profeſſæ, communicato etiam cum Juriſ-

Digitized by Google

peritis & aliis devotis, ac religioſarum perſonarum conſilio, debito moderamine, non coactæ nec metu timidæ, ſed ſimpliciter Deum præ oculis habentes & antiqui hoſtis inſidias ſecurius præcavere cupientes, prædictæ Magiſtra & Sorores ne ab arctioris & religioſioris vitæ forma dilaberentur, humiliter poſtularunt & ſupplicarunt, dum adhuc vita nobis comes fuerit, ad dictam Regulam B. Auguſtini Doctoris eximii Authoritate noſtra Ordinariâ ſe transferre.

Nos igitur, qui piis deſideriis Deo famulantium eo libentius annuimus, quò in ipſis gloria Dei & animarum ſalus noſcitur contineri; ſolerter penſantes, quod eçdem Magiſtra & Sorores liberum noſcuntur habere tranſitum ad quamcumque Regulam approbatam; hujuſmodi quoque puræ devotionis affectum & arctioris vitæ propoſitum plurimum in Domino commendantes,

Commiſſarii Monaſterii.

Venerabilibus ac Religioſis viris Prioribus ſive Rectoribus Conventuum & Monaſteriorum Sororum in Bethlëem in oppido Donſenſi, & in Sion juxta Aldenardam Tornacenſis Diœceſis, Ordinis Sancti Auguſtini Canonicorum Regularium, ſive alteri eorum committimus per præſentes tanquam perpetuis Commiſſariis & Viſitatoribus, ipſoſque & eorum quemlibet in viſceribus charitatis Salvatoris noſtri Domini noſtri Jeſu-Chriſti, plurimum exhortamur, quatenus præfatas Magiſtram & Sorores Domus prædictæ quæ ſe ad Regulam Beati Auguſtini transferre voluerint, habitu Regulæ decenti inveſtiant, ſive alter eorum inveſtiat, exteriori habitu ſubtili lineo & velo nigro ad inſtar Sororum dictarum de Donſa & de Sion dicti Ordinis ipſas induendo, necnon ab eiſdem Profeſſionem expreſſam ſeu ſolemnem ſecundum formam inferius adnotatam recipiendo;

Habitus Monialium.

Unum quoque Sacerdotem honeſtæ vitæ, quem major aut ſanior pars Sororum Incluſarum duxerint eligendum, ipſis in Rectorem, & Confeſſorem deputando; cui Rectrix & Sorores prædictæ tam Profeſſæ quam non profeſſæ ac familiares tenebuntur obedire.

Novitiæ autem inveſtiendæ tam præſentes quam poſteræ ante Inveſtitionem ab omnibus Votis ab eis prius emiſſis, & quæ per ingreſſum Religionis de Jure communi tolli poſſunt, ſub tali conditione videlicet ſi in eodem Ordine perſeverent & profiteantur, per Inveſtitorem pro tempore abſolvantur.

Eiſdem quoque veſtibus & obſervantiis utentur Includendæ per omne tempus ſui Novitiatûs, cum ſubtilis differentiâ, ob diſtinctionem ab habitu Profeſſarum.

Et ut quælibet perſona dictæ Religionis... primam Inveſtitionem ac Profeſſionem ac incluſionem, per dictos Rectores ſive Priores aut alterum eorum, ut præmittitur fiendas perpetuis in antea temporibus, ad manus Prioris pro tempore, vel alterius, loco per dictos Priores ſive Rectores & Succeſſores eorum eiſdem deputati, ad quam Inveſtitionem, Profeſſionis receptionem & incluſionem hujuſmodi pertinere volumus tria Vota ſubſtantialia Religionis, ut juris eſt & moris, de conſenſu majoris & ſanioris partis Domus prædictæ, emittere valeant, Authoritate noſtra Ordinaria tenore præſentium indulgemus.

Forma autem Profeſſionis faciendæ in ſcedula manu propria conſcripta, vel ſaltem ſigno ſanctæ Crucis ſubſignata, hæc eſt; Formula Profeſſionis.

Ego Soror N. promitto Deo auxiliante perpetuam continentiam, carentiam proprii & obedientiam, Tibi Matri Rectrici hujus Domûs, & tibi ſucceſſuris Canonicè inſtituendis ſecundam Regulam Beati Auguſtini, ſub perpetua clauſura ſecundnm Conſtitutiones & Ordinationes Statutorum hujus Monaſterii fundati in honorem N. in præſentia Domini N. Inſtitutoris noſtri, vice Reverendi Domini noſtri Domini Epiſcopi Trajectenſis.

De Novitiis vero ſtatuimus & ordinamus, Novitiæ. quod nulla puella recipiatur ad probationem ſive cohabitationem in clauſura, niſi duodecimum annum compleverit, nec aliquo Religionis habitu inveſtiatur, donec ad minus per dimidium anni laudabiliter inter Sorores converſata fuerit. Sed nec alicujus Novitiæ Profeſſio ſuſcipiatur ante ætatis ſuæ decimum octavum, & integri anni vel circa in habitu Novitiatus & probationis completionem. Incluſas autem Sorores de bona competentia ſuſtentationis & communibus bonis Domus manuumque laboribus, ſecundum communem eſtimationem proborum pro tempore Viſitatorum ac Rectoris earum, volumus eſſe proviſas.

Illæ vero perſonæ quibus ut præfertur de communibus bonis Domus provideri non poterit ſecundum Ordinationem Viſitatoris & Rectoris pro tempore, non incluſæ, Profeſſæ tamen, de conſenſu Conventus ſub Regulari obedientia dictæ Religionis B. Auguſtini ſine velo adinſtar Sororum non Incluſarum de Donſa & de Sion, cum caputio nigro, ob diſtinctionem ab Incluſis præfatis, more Donatarum humiliter converſentur.

Nolumus tamen eas ſine expreſſa licentia pro tempore Rectoris ſive Rectricis earumdem quomodolibet evagari.

Incluſis vero, Domum ſive Conventum incluſionis ſuæ, poſtquam incluſæ & profeſſæ fuerint, exire non licebit ſine conſenſu Viſitatoris, & ſub pœna excommunicationis etiam latæ ſententiæ, à qua abſolvi nequeant niſi per alterum Viſitatorum loco noſtri.

Volumus quoque, quod non ſit ad eas aditus perſonæ cujuſquam, niſi in caſibus

Digitized by Google

à Jure permiſſis, aut propter utilitatem, ſi Viſitatores pro tempore vel Confeſſor loco eorum conſentiret: niſi forſitan propter incendium aut aliud magnum imminens periculum moram impatiens.

Præterea dum prędictam Domum Rectrice ſive Magiſtrâ per obitum ſive reſignationem ſive deſtitutionem carere contigerit, unius diei jejunium indicetur, & altera die celebrata Miſſa de Sancto Spiritu omnibus Sororibus in unum congregatis fiat in præſentia Viſitatoris conjunctim vel diviſim, & Confeſſoris pro tempore, electio in ipſa clauſura. In qua electione Confeſſor primò dabit vocem ſuam, ſi Viſitatori viſum fuerit expedire; & conſequenter Sorores incluſæ & non plures propter partialitatem vitandam. Et quæcumque Soror concorditer vel à majori & ſaniori parte ſic in Rectricem electa fuerit confirmetur & inſtituatur per Viſitatorem & Confeſſorem pro tempore. Quo facto Rectrix noviter confirmata conſimiliter ad manus Viſitatoris in una ſcedula manu propria conſcripta ſeu ſigno Crucis ſubſignatâ, promittat obedientiam ſub tali forma.

Modus eligendi Rectricem.

Ego Soror N. Rectrix indigna licet electa pro mę & Domo noſtra promitto obedientiam Domino meo, Domino Epiſcopo Trajectenſi & ſuis Succeſſoribus canonicè intrantibus: & ex commiſſione ſua Viſitatoribus N. & N. pro nunc conjunctim vel diviſim, Confeſſiorique pro tempore N ſecundum Regulam Beati Auguſtini & Inſtitutionem Domus noſtræ.

Demum ut in dicta Eccleſia Religio manu-teneatur, virtutes floreant, & vitia ſupprimantur, tenore præſentium committimus injungimus & impartimur Authoritate noſtra Ordinaria Viſitatoribus Domus prædictæ; quos volumus Priores ſeu Rectores de Donſa & de Sion, ſeu alterum eorum ad minus eligi & aſſumi. Qui etiam hujuſmodi Viſitationes annuales cum uno honeſto Presbytero ſeu alio Religioſo, quotiens opus fuerit poſſit adimplere; plenariam poteſtatem viſitandi & corrigendi exceſſus tam in capite quam in membris, in ſpiritualibus & temporalibus reformandi, & de conſilio majoris partis Capitularium, ſcilicet Sororum incluſarum ut præfertur, tam Rectorem ſive Confeſſarium quam Rectricem deſtituendi; pœnitentiamque pro commiſſis ſalutarem injungendi;

Commiſſio Viſitatorum.

Cum omnibus etiam Statutis & Ordinationibus præhabitis & univerſis auſteritatibus & corporalibus exercitiis Religionis hujuſmodi ex cauſa legitima quotiens opportunum fuerit diſpenſandi, & cum conſilio Confeſſoris, Matris & ſanioris partis Sororum mutandi, & vices in iis de quibus videbitur Rectori ſeu Confeſſori pro tempore Domus ejuſdem committendi; necnon faciendi omnia & ſingula quæ ad officium ſpectant Viſitationis, quę tamen ultra annum protrahi non debet.

Quęcumque autem pro decore Religionis hujuſmodi & honeſtate converſationis per Viſitatores pro tempore inſtituta & ordinata, ac mutata ut præfertur, aut in tribus Viſitationibus continuis approbata fuerint, vim habeant Conſtitutionis, & ab omnibus perſonis hujuſmodi Religionis volumus obſervari. Viſitationes

Confeſſorique dictarum Sororum per eaſdem ſeu ſaniorem partem earum nominando & per Viſitatores pro tempore inſtituendo & admittendo, conjunctim vel diviſim, medio tempore, quotiens opus fuerit, exceſſus earum condigne corrigendi & reformandi, eadem noſtra Authoritate Ordinaria tenore præſentium facultatem indulgemus.

Et quoniam morum uniformitas pacem fovet & concordiam repræſentat, volumus & ordinamus ac præcipiendo mandamus, ut Sorores præfatæ præſentes & futurę in infraſcriptis Conſtitutionibus & Ordinationibus invicem ſe conforment, eaſdem diligenter obſervando.

Inprimis igitur conſtituimus & ordinamus, ut habitus earum interior ſit de lineo panno mediocriter groſſo, vel de laneo, ad diſcretionem Rectoris vel Confeſſoris pro tempore. In quo ſemper dormient in culcitris vel lectis plumeis, ſimpliciter & religioſè præparatis non tamen nudè, niſi Rector vel Rectrix Domus quam Matrem vocari volumus, ex cauſa caritudinis, propter quam merito ſuper hoc foret diſpenſandum, cum eis ad tempus diſpenſaverit. Habitus Religioſus.

De modo vero ſurgendi ſtatuimus & ordinamus, quod præcipuis dumtaxat Feſtis exceptis, hora quarta vel circiter de mane omnes Sorores ſanæ mentis & corporis cum ſilentio ſurgant, & ad ſignum campanæ ad Oratorium pergant; & præmiſſa Oratione Dominica poſt ultimum ſignum dicant ferialibus diebus Matutinas & Primas ſimul de cultu Beatæ Virginis. Quibus finitis omnes ſub ſilentio ad opus manuale ſe diſponant; cæteraſque Horas de Beata Virgine in laboratoriis ſeu oratoriis earum cum horis de ſancta Cruce perſolvant, prout Viſitatoribus videbitur convenire. De Horis Canonicis.

Vigilias quoque defunctorum, Septem Pſalmos Pœnitentiales, Horas de Sancto Spiritu, ſive ęterna Sapientia, de ordinatione Viſitatorum ſecundum quod eis videbitur expedire, legere poterunt.

Ad quas tamen Horas nolumus Sorores debiles aut infirmas obligari: ſed ad diſcretionem Confeſſoris Orationes Dominicas, ſecundum ſtatum infirmitatum earum convenientius dicant.

De ſerò finitis laboribus, poſt horam octavam vel circiter dictis ferialibus diebus ſub ſilentio ad Oratorium audito ſigno campanæ, accedant. Completorium de Beatâ Virgine cum laude ejuſdem inſimul perſolvendo. Quo finito, omnibus poſtpoſitis ad

quietem ſe religioſè & devotè componant. Diebus vero celebribus Horas Beatæ Virginis ut præfertur, cum cæteris prænotatis Horis temporibus congruis in Eccleſia earum ſeu Oratorio inſimul devotè legere ſtudeant.

Jejunia ſervanda.

De Jejuniis vero & abſtinentiis earum ordinamus & conſtituimus, quod ipſæ Sorores quas corporalis vel alia legitima cauſa non excuſat, ſeptimatim ſextis feriis aut ſabbathis, quando in craſtinum communicandum eſt, per circulum anni cum jejunio Eccleſiæ, in cibo & potu ſecundum conſuetudinem & ritum Eccleſiæ in Diœceſi noſtra Trajectenſi, jejunabunt; feriis tamen ſextis à Paſcha uſque ad Aſcenſionem Domini & à Nativitate ejuſdem Domini uſque ad octavas Epiphaniæ dumtaxat exceptis.

In Adventu Domini & feriis ſecunda & tertia poſt Dominicam in Quinquageſima, & omnibus feriis quartis per circulum anni, die Natalis ſi in ea venerit exceptâ, carnibus ſanæ corporis non veſcentur. Lacticiniis autem & ovis his temporibus licitè uti poterunt ter in hebdomada, in Adventu Domini.

Communiones.

Præterea de quindena in quindenam, aut ſaltem parumper ante vel poſt, prout teſta poſtulant, Sorores confiteantur, & de judicio Confeſſoris ad hoc diſpoſitæ venerabile Sacramentum devotè ſuſcipiant, & ipſa die Communionis omnia colloquia cum extraneis, niſi notabili utilitate ſeu neceſſitate urgente, vitare ſtudeant.

Correctiones.

Inſuper volumus & ordinamus, quod propter extirpationem vitiorum & profectum omnium virtutum, omni hebdomada ſeu ad minus de quindena in quindenam Rectrix earum, & de menſe in menſem Confeſſor earum, Capitulum culparum teneant. Injungentes pœnas condecentes ſecundum qualitatem perſonorum & quantitatem exceſſuum

Si vero quod Deus avertat, aliqua Sororum in prædicto Capitulo aut quocumque modo rebellis & inobediens deprehenſa fuerit, illico ponatur extra ſocietatem Sororum ſequeſtrata: donec per humilem recognitionem & emendationem ſe promptam exhibuerit ad obediendum, & humiliter ſuum exceſſum emendandum. Si vero in malitia perduraverit & tertiò admonita ſigna emendationis humiliter non oſtenderit, vinculis & carceribus aliiſque exercitiis corporalibus puniatur.

Eiſdem etiam pœnis ſi qua Viſitatoribus aut Confeſſori rebelliter aut pertinaciter audet reſiſtere ſubjacebit. Et quia dignum reputamus & congruum, ut eas quas timor Dei à malo non revocat, Eccleſiaſticæ ſaltem coerceat ſeveritas diſciplinæ, ad obviandum periculis quæ impoſterum in confuſionem ejuſdem Religionis poſſint evenire; decrevimus, quod ſi aliquę Sororum prędictarum Profeſſarum per cautelam, ſeu in cautum cuſtodita, dictam clauſuram ſine licentia ut præfertur exierint, & ſœcularium vel ſuſpectorum hominum conſortiis ſe immiſcuerint;

Et ſi Superiorum ſuorum ſollicitudo ad earum correctionem & detentionem & carceris mancipationem ut præmittitur non ſufficerit, ex tunc pro ex nunc, & ex nunc prout ex tunc invocato auxilio brachii ſœcularis & ſingulis Judicibus ſœcularibus & communitatibus, Officialibus & Decanis, Curatis & eorum Vicariis omnibus, & ſingulis tam ſpiritualibus quam ſœcularibus Officiariis, aliiſque perſonis noſtræ Diœceſis cujuſcumque ſtatus vel conditionis fuerint aut quocumque nomine cenſeantur, ſub pœna excommunicationis diſtrictè præcipiendo mandamus, & ad ſolum Deum & ſalutem animarum reſpicientes omni excuſatione poſtpoſitâ, quandocumque per Superiores aut Fratres & Sorores præfatæ Domus fuerint requiſiti, aut alter eorum fuerit requiſitus, toto poſſe & conamine ipſis aut alteri eorum aſſiſtant ſive aſſiſtat; ut omnia & ſingula præmiſſa firmiter adimpleantur ac debitæ executioni demandentur; utque prædictæ rebelles & inobedientes per corporum ſuorum detentionem ad Conventum & Domum ſuam prædictam & obedientiam debitam & Regularem obſervantiam redire compellantur, & ad eamdem libere reducantur

Pœnæ rigoroſæ.

In præfatis vero exceſſibus & Statutorum infractionibus, nolumus præfatas Sorores ad culpam ſed ad pœnam dumtaxat obligari.

Si vero Confeſſor earum pro tempore aut Sacerdos, Clerici ſive Laïci prædictæ Domûs ſe & ſua reſignare cupientes colligari & Regulam Sancti Auguſtini pro devotione profiteri voluerint, hoc de licentia Viſitatorum & Conventûs, ſecundum exigentiam oneris & ſervitii Sororum prout eis videbitur fieri poterit. Dictis Inveſtitoribus ſeu Commiſſariis illos ad Profeſſionem & habitum Novitiorum ejuſdem Ordinis Sti. Auguſtini recipiendi Authoritate noſtra Ordinaria concedimus facultatem.

Quodque Confeſſor dictarum Sororum, ſive alii noti Presbyteri licet alterius fuerint Diœceſis, etiam in portalibus ſi opus fuerit, in dictis earum Domibus in locis decentibus etiam tempore Interdicti à Nobis vel inferioribus noſtris generaliter aut particulariter per Diœceſim noſtram aut quatuor Officia Flandriæ poſiti; dummodo Interdictioni hujuſmodi dictæ Sorores, Confeſſor ſive Presbyteri cauſam non dederint aut id ipſis ſpecialiter interdici non contigerit, Miſſas & alia divina Officia, excluſis de Jure excludendis, ſine pulſu campanæ & ſine nota, januis clauſis celebrare aut celebrari facere poſſint & valeant.

Nos vero eidem Confeſſori vel alii Presbytero vices ejuſdem de prædictarum Sororum conſenſu gerenti, ut præfatarum Sororum

familiarium ac continuorum commenſalium confeſſiones diligenter audire, & eaſdem perſonas ab omnibus peccatis quæ ſibi confitebuntur, etiam caſibus occultis noſtræ Ordinariæ poteſtati de Jure, Statuto privilegio & conſuetudine ſpecialiter reſervatis; injunctâ pro eiſdem pro modo culpæ pœnitentiâ ſalutari, abſolvere, vota etiam minora in alia pietatis opera commutare ac Sacramentum Euchariſtiæ ac Extremæ Unctionis, quotiens devotio earum exegerit aut opportunum fuerit miniſtrari facere, Autoritate noſtra Ordinaria concedimus facultatem.

Si etiam, quod Deus avertat, præfatæ Sorores aut eiſdem ſucceſſurę propter guerras aut alia qualiacumque diſſortunia ſive neceſſitates, ad quemcumque alium locum ſeu alia loca ſe tranſtulerint infra limites noſtræ Diœceſis, ut eo minus vagari per loca publica compellantur, in earum præſentia in locis honeſtis & ornatis Miſſas & alia divina officia celebrare aut celebrari facere, omnibus gratiis & Privilegiis in earum locis in *Biervliet* prædictis conceſſis, etiam in locis refugii ut præfertur gaudere & uti.

Sororibus, Confeſſori aliiſque ſuis prænotatis perſonis, quodque ad Eccleſiam Parochialem viſitandam nullo tempore niſi voluerint teneantur, Authoritate noſtra Ordinaria tenore præſentium indulgemus.

Præterea quia præfatam Domum in Religioſam & Conventualem cum Capella & oratorio ereximus & præſentibus erigimus, ac eandem cum ſuis perſonis & attinentiis ſub noſtra tuitione immediatè ſuſcepimus, volumus eaſdem omni Eccleſiaſtica libertate & tuione gaudere omniaque & ſingula quæ Religionis ſunt & quæ ad Conventualem & Monaſticam vitam & profectum ſpiritualem conferunt & ad ſalutem ſpectant animarum, juxta dicti Ordinis exigentiam, præfatas Sorores ac earum Confeſſorem facere & exercere,

Nec non Capellam dicti ſui Monaſterii quatenus opus fuerit, in toto vel in parte evellere, eamque de novo conſtruere vel ampliare, ac Altare inibi conſtitutum integrè (ſaltem tali integritate ut ex inde reconciliatione non egeat) de loco ad locum transferre poſſe, ſi ipſis impoſterum videtur expedire, nec à Proviſore noſtro ſeu Decano quatuor Officiorum Flandriæ eorumque Commiſſariis, quomodolibet poſſe viſitari, corrigi exactionari, ſeu ex ſuis officiis quovis modo in earum ſtatu perturbari ſeu moleſtari.

Et nihilominus omnia & ſingula alia per Nos ſeu Prędeceſſores noſtros aut quaſcumque alias Eccleſiaſticas ſœculareſve perſonas, poteſtates, Collegia & communitates, dictæ Domui Conventui aut perſonis pòſt indulta & conceſſa; in quantum præſentibus non obviant (quæ hîc pro ſufficienter expreſſis haberi volumus) ex certa noſtra ſcientia ratificamus, approbamus, & in Dei nomine pro nobis & Succeſſoribus noſtris confirmamus;

Jure noſtro & Succeſſorum noſtrorum Epiſcoporum Trajectenſium, & Matrum Eccleſiarum in præmiſſis, necnon Viſitatione noſtra Ordinaria ſemper ſalvis; qualicumque revocatione generali vel ſpeciali poſtmodum fienda non obſtante, noſtrarum Teſtimonio litterarũ.

Datum ſub Sigillo noſtro ad cauſas præſentibus appenſo, anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo primo, menſis Maii die nona.

SAREPTA. Prioratus Canonicarum Regularium Ordinis S. Auguſtini, Stę. Eliſabethæ ſacer, hęc habuit primordia. In Municipio Biervlitano, inter quatuor Officia Flandrię (quod nunc ſubeſt Hollandis, & olim in ſpiritualibus ſubjiciebatur Epiſcopo Ultrajectino) fuerat jam olim Congregatio quarundam filiarum Deo devotarum, in communi viventium. Iſtæ anno 1461. obtinuerunt à *Davide à Burgundia* Epiſcopo Ultrajectino licentiam profitendi Regulam Sti. Auguſtini: qui Præſul iiſdem Monialibus clauſuram aliaque Statuta præſcripſit. Item commiſit Prioribus ſeu Rectoribus Conventuum Monialium de Bethleem in Deinza (quod eſt Oppidulum Gandam inter & Cortracum) item Monialium de Syon apud Aldenardam, ut præfatarum Monialium in Biervliet Profeſſionem exciperent, eaſque conformiter ad Deinzanas & Aldenardenſes antedictas inſtituerent. Prima Prioriſſa & aliæ quædam Moniales introducendæ, obſervantiæ cauſâ è Conventu Deinſano advenerunt Biervlietum; & novus hîc Conventus cognominatus fuit *Emmaus*. (Litteras habes ſupra.)

Poſtmodum propter continuas inundationes vicini maris, variaque inde exorta pericula, nec non propter infeſtationes glirium marinorum, Biervlietanum Cœnobium deſerere coactæ, migrarunt in locum dictum *Terſlove* ſub Parochia de Moerkercke, die 17 Novembris 1483, ac tertio poſt anno à Vicariis Epiſcopi Tornacenſis in Protectionem ſuſceptæ ſunt; fuitque deinceps Conventus earum appellatus *Sarepta*. Nomini cauſſam dedit Reverendus Pater Ægidius Barbitonſorius ex Ordine Sti. Franciſci Epiſcopus Sareptanus ac Suffraganeus Tornacenſis, ſingularis ejuſdem Monaſterii protector ac benefactor, qui obiit A. 1514.

Deinceps ibidem viguit ſumma obſervantia, erantque olim non minus quam 50 Moniales. Aſt ſuccedentibus poſtea tumultibus Belgii, anno 1578 Conventus Moerkercanus ab Iconoclaſtis fuit funditus everſus. Fuit & tantò major calamitas, quod decem antè menſibus Domum, quam Brugis pro Refugio poſſidebant, vulgo dictam *'t Fluweel-hof*, Monialibus Annunciatis vendidiſſent.

Itaque Religioſæ Sareptanæ cum Prioriſſa ſua *Sophia Pycx*, & Directore ſpirituali *D Franciſco Vander Beke*, prius in ſumma egeſtate ac rerum anguſtia delituerunt, tum Brugis, tum Dammi in Monaſterio de Nazareth. Tandem circa annum 1587 fixam Dammi manſionem fecerunt. Cum autem ad munitionem Dammenſis Oppidi earum agri præciderentur, anno 1617 perductæ ſunt Brugas ab *Antonio Trieſt*, Brugenſi Epiſcopo; ac poſt biennium pro Monaſterio emerunt palatium Comitum S. Pauli in Artheſia, pretio 950 librarum Flandricarum. *Ex Archivis Monaſterii.*

CAPUT XC.

Fundatio Monaſterii B. Mariæ Magdalenæ in Bethania *Brugis, Monialium Ordinis S. Auguſtini, confirmatur anno* 1462. *per Concordatum initum inter* Guilielmum Van Osoris *Epiſcopum Sareptanum, Suffraganeum Tornacenſem, prædictique Monaſterii Fundatorem, & Decanum ac Capitulum S. Donatiani Brugis &c.*

Ex Archivis Monaſterii.

Universis & ſingulis tam modernis quam poſteris, præſentes Litteras inſpecturis, Guilielmus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Sareptanus, de Ordine Prædicatorum, Rolandus Decanus & Capitulum Eccleſiæ S. Donatiani Brugenſis, nec non Rectores ſive Curati Parochialis Eccleſiæ S. Crucis juxta Brugas, Tornacenſis Diœceſis, ſalutem in Domino ſempiternam.

Univerſitati veſtræ notum facimus per præſentes, quod cum occaſione conſtructionis certæ Domus ſeu Monaſterii, Bethania vulgariter nuncupati, in quo certa Congregatio Sororum Religioſarum eſt inſtituta, per me Guilielmum Epiſcopum præfatum, infra limites Parochiæ S. Crucis intra muros Brugenſes, in Patronatu dictæ Eccleſiæ S. Donatiani, conſentione tamen DD. Patronorum ac Curatorum loci expreſſâ nondum ſuper inde obtentâ, quæſtionis materia inter nos ſuboriri poſſe dubitaretur;

Nos tandem Guilielmus Epiſcopus, Rolandus Decanus & Capitulum S. Donatiani, ac Rectores Parochialis Stæ. Crucis Eccleſiarum prædictarum præfati, certâ die infra-ſcriptâ in unum amicabiliter convenientes, Nos Decanus & Capitulum pro noſtro Patronatu, ac Rectores ſeu Curati ante-dicti pro noſtro Parochiali Juribus, ad ipſius Dom. Epiſcopi ſupplicem Requeſtam, ob honorem Domini noſtri Jeſu-Chriſti Sanctiſſimæque Matris ejus glorioſæ Virginis Mariæ, *B. M. Magdalenæ*, ſub cujus vocabulo ipſum Monaſterium conſtructum ac dedicatum, omniumque Sanctorum & Sanctarum Dei,

Item pro bono pacis & concordiæ, ac in favorem Religionis, & omnes evitandos litium amfractus, in hujuſmodi conſtructione & inſtructione Monaſterii antedicti (dummodo tamen Licentia Reverendiſſ. Domini noſtri Diœceſani, Ordinarii loci ad id interveneriť) noſtrum præbuimus atque præbemus conſenſum pariter & aſſenſum; ipſius Ordinarii, noſtroque Patronatûs ac Parochiali juribus antedictis in omnibus & per omnia ſemper ſalvis, ac conditionibus infraſcriptis mediantibus & obſervandis, & non aliàs, in modum, qui ſequitur.

Et primò: quod in dicta Domo, quæ conſtructa eſt & inſtituta, ad recipiendas publicas peccatrices, de cetero nulla recipietur, niſi fuerit aliquando corrupta, & quod tres partes ſint mulierum converſarum. Nota.

Item quod, quam-primum commodè fieri poterit, dicta Domus claudetur, unà cum Sororibus aut Religioſis ibidem exiſtentibus, ad-inſtar Domûs S. Claræ vel Sti. Trudonis, ſub Regula S. Auguſtini inibi viventium in communi: & quod non erit licitum dictis Sororibus, ex quo fuerint profeſſæ, diſcurrere per vicos.

Si autem contingeret eaſdem in poſterum ap. . . . omnes aut majorem partem exire, eo caſu proteſtantur dicti Curati, quod tunc repetent omnes tanquam eorum parochianas.

Et dictæ Religioſæ ſive Sorores ſic clauſæ & profeſſæ, erunt exemptæ adverſus Curatos, & ſubjicientur earum Vicario, ſecundum earumdem Regulam.

Item amodo non debent legere Horas ſuas in theutonico, ſed in latino, more Eccleſiaſtico.

Item omnes alii non profeſſi, ſive viri ſive mulieres, infra ſepta dictæ Domûs volentes impoſterum habitare ſubjicientur dictis DD. Curatis. Et habebunt ab ipſis Eccleſiaſtica Sacramenta recipere; Noviciis dumtaxat exceptis infra annum probationis, qui per annum vel circiter probatione durante gaudebunt Privilegio Profeſſarum; exceptis etiam quatuor mulieribus, quæ ſerviunt dictis Sororibus.

Et quod in dicta Domo ſive in Eccleſia non fiet ſermo publicus diebus Dominicis ante prandium, nec aliis diebus feſtivis, tempore illo quo divina in Eccleſia S. Crucis celebrabuntur: diebus B. M. Magdalenæ, S. Auguſtini, & Dedicationibus loci dumtaxat exceptis.

Item quod nulli parochiani S. Donatiani & S. Crucis ibidem in eorum Eccleſia aut in cœmiterio ejuſdem impoſterum ſepelientur; niſi de expreſſo conſenſu dictorum DD. Capituli dictæ Eccleſiæ S. Donatiani, ac Curatorum locorum eorumdem.

Item quod illâ die, & in diem primi Anniverſarii, Curati habebunt mediam partem oblatio-

oblationum obvenientium in magna Miſſa, quæ cantabitur aut dicetur pro illo qui ibi ſepelietur. Et ſi contigerit ibidem poni aliquas pelves in diebus quibus aliquæ inveſtientur aut profitebuntur, quod tunc quilibet Curatus habebit XII. groſſos Flandrenſes.

Item ſolvent dictę Sorores omni anno, in termino Nativitatis Domini, Eccleſiæ S. Donatiani prædictæ, pro Jure Patronatûs ſui 50. groſſos Flandrenſes.

Item pro omnibus aliis quæ ſpecialiter ibidem obvenient, quæ de jure communi ad ipſos DD. Curatos pertinerent, & etiam pro aliis juribus, ac ratione damni quod patientur in admortizatione dictæ Domûs, DD. Curati S. Crucis percipient omni anno v. libras Pariſ. monetæ Flandrenſis, per dictas Sorores in dicto termino Nativitatis Domini ſolvendas.

Item ultra locum jam ab ipſis Sororibus poſſeſſum, non occupabunt, ſine expreſſo conſenſu DD. Patronorum & Curatorum loci, alia loca aut domos in prejudicium eorumdem. Quod ſi fecerint, promittent dictæ Sorores ex nunc prout ex tunc, ad exiſtimationem dicti Domini Ordinarii, prefatis DD. Patronis ac etiam Curatis S. Crucis de illis ſatisfacere.

Item tenebuntur dictæ Sorores iſtam Conventionem facere corroborari quanto citius per Reverendum in Chriſto Patrem Epiſcopum Tornacenſem Ordinarium loci, & per DD. Patronos ſuper eadem quæſtione fieri facere Litteras patentes ipſarum Sororum expenſis. Quarum ipſi Curati habebunt unam penes ſe.

Hæc autem præmiſſa omnia & ſingula Nos, Anna ad præſens Mater, cæteræque Religioſæ Sorores Domûs ſeu Monaſterii de Bethania prætactæ, tam per Nos, quam pro illis quæ Nos ſuccedent in futurum in eâdem, Matre & Sororibus fideliter firmiterque ſervare & adimplere promittimus bonâ fide, & ſub pœna Juris, ac ſub dictæ Domûs noſtræ omniumque & ſingulorum bonorum noſtrorum quorumcumque, præſentium aut futurorum expreſſâ obligatione & hypothecâ, ſubque omni juris & facti renunciatione ad idem neceſſaria pariter & cautela.

In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum, & ut eadem præmiſſa in omnibus & per omnia firma perpetuò atque ſtabilia permaneant, Nos Guilielmus Epiſcopus, Decanus & Capitulum S. Donatiani, Rectoreſque ſive Curati S. Crucis, & Mater atque Sorores dictæ Domûs de Bethania præfati, Sigilla noſtra præſentibus duximus appendenda.

Datum & actum tam in Capitulo dictę Eccleſiæ S. Donatiani, quam in Domo Sororum de Bethania in Brugis ſupradictâ, anno Domini milleſimo quadringenteſimo LXII. Menſis Novembris die decimâ quartâ.

GUILIELMUS FILLATRIUS, *Tornacenſis Epiſcopus, Fundationem ſupradictam confirmat anno* 1463.

GUILIELMUS, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Tornacenſis, univerſis præſentes Litteras inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam.

Quietem & concordiam inter ſubditos noſtros paternâ affectione zelantes, Conventionem amicabilem inter Venerabiles & dilectos noſtros Rolandum Decanum & Capitulum Collegiatæ S. Donatiani Brugenſis, & Curatos Parochialis S. Crucis juxta Brugas Eccleſiarum ex una, nec non Reverendum in Chriſto P. D. Guilielmum Epiſcopum Sareptanum Suffraganeum noſtrum, ac Religioſas perſonas, Matrem & Sorores Domûs de Bethania vulgariter nuncupatæ, infra muros Villæ Brugenſis noſtræ Diœceſis noviter conſtructæ, ex alia partibus initam & Sigillis partium hinc inde munitam, tamquam rationabilem & & occaſionis litium repreſſivam, Auctoritate noſtra Ordinariâ approbamus, confirmamus & ratificamus, noſtrum conſenſum pariter & aſſenſum in hujuſmodi conſtructione Monaſterii ſive Domûs, & inde ſequentium adhibentes.

Proviſo, quod omnes & ſingulę Religioſę hujuſmodi Monaſterii, unà cum Novitiis & totâ familia Nobis & ſucceſſoribus noſtris Epiſcopis Tornacenſibus in omni juriſdictione Eccleſiaſtica, cohercitione, punitione, & aliter perpetuò ſubjiciantur, pareant & obediant cum effectu.

Nec non Confeſſorem ydoneum, qui earumdem Sororem confeſſiones audire & eis Sacramenta miniſtrare poſſit, à Nobis & noſtris Succeſſoribus prædictis ſingulis annis petant, requirant & recipiant; Noſtro Jure & cujuſlibet alterius in omnibus ſemper ſalvo.

In cujus rei teſtimonium perpetuum, has noſtras Litteras, Litteris Conventionis prætactæ transfigi fecimus, & Sigillo noſtro ſigillari.

Datum Bruxellis Cameracenſis Diœceſis, anno à Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo tertio, menſis Januarii die quartâ.

Cœnobium, titulo & exemplo B. Mariæ Magdalenæ dictum *Bethania*, item *Maegdendael*, initia ſua accepit anno 1459 ipſo die Converſionis Sti. Pauli Apoſtoli. Prima inſtitutio erat pro mulieribus ad meliorem frugem converſis: quamquam poſtea admiſſę etiam fierint Virgines aliquot, ſeu mulieres quas Recluſas vocant. Eo anno *Chriſtianus Donckerclocke*, Gandavenſis, Sacerdos ſæcularis, primam huic loco dotem attulit, omniaque ſua bona aſſignavit: in idem

etiam adductis tribus ſuis Sororibus. Fundationem anno 1463 confirmavit Guilelmus Epiſcopus Tornacenſis, uti ſupra

Pœnitentes, quæ huc ex magno animæ naufragio evaſerant, primò certam, ad cujus præſcripta viverent, Regulam non habuerunt. Poſtmodum auctæ numero, certas vivendi leges acceperunt ſecundum Inſtituta S. Auguſtini: ac tandem etiam clauſuram religioſam. Subſunt juriſdictioni Epiſcopali.

Fuit & aliud ejuſdem nominis Monaſterium Monialium olim fundatum in Biervliet, Flandriæ Municipio, verſus partes Zelandiæ: quod inde propter tumultus Belgicos tranſlatum fuit Middelburgum Zelandiæ Metropolim, atque unitum cum altero Monaſterio Betaniæ, quod jam dudum in eadem Urbe extiterat. Sed tandem divenditis bonis reſiduis in Biervliet, cum conſenſu Vicariorum generalium Gandavenſium item *Joannis à Streyen* Vicarii Generalis & Electi Epiſcopi Middelburgenſis, Moniales iſtæ Middelburgenſes cum *Joanna T'ſolle* Prioriſſa ſua Brugas ſe tranſtulerunt anno 1577, & præfato Betanienſi Cœnobio incorporari petierunt, atque à *Remigio Drutio* Brugenſi Epiſcopo id-ipſum impetrarunt.

Fuit hujus Cœnobii Benefactor munificus, Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. D. *Servatius Quinckerus*, VII. Brugenſium Epiſcopus, qui multis ibidem annis Confeſſarii munus obierat, ac tandem moriens anno 1639. voluit hic ſepeliri ante majus Altare.

Alter Benefactor, imo potius præcipuus Fundator fuit Reverendiſſimus Pater ac Dominus Guilelmus Van Oſoris Epiſcopus Sareptanus ac Suffraganeus Tornacenſis, à quo primæ Sorores Bethaniæ habitum acceperunt. Hic in Archivis hujus Monaſterii memoratur, plurimum boni eis præſtitiſſe ac plurimos ut charitativè eis ſuccurrerent, inſtigaſſe. Summum Altare erigi curavit, pro cujus conſtructione octo libras magnas impendit. Monaſterium muro cingi fecit, pro quo decem libras magnas ſolvit. Ædificavit domum, quæ XL. libris magnis conſtitit. Redditum annuum unius libræ magnæ, quem Monaſterium pendere ſolebat, redemit, &c. Denique titulus *Fundatoris* patet ex ejus Epitaphio, quod olim extabat in Choro PP. Prædicatorum Gandavi, Vide Belgium Dominicanum pag. 115.

Hæc communicata habui à Venerab. Viro, *Balduino Siboons* S. T. L. Eccleſiæ Cathedralis Brugenſis Canonico Graduato & Scholaſtico & hujus quondam Monaſterii Confeſſario dignisſimo. Obiit anno 1732.

CAPUT XCI.

ONUFRIUS A S. CRUCE, *Tricaricenſis Epiſcopus, Legatus Apoſtolicus in Belgio, concedit varia Privilegia ac beneficia Domibus Fratrum Vitæ Communis, noviter erectis* Bruxellæ, Gandavi, Silvæducis, Gerardimontibus & Amersfortii, *anno* 1469.

ONOFRIUS, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Tricaricenſis, S. D. N. Papæ Referendarius, ac ipſius dictæque Sedis Apoſtolicæ in certis Germaniæ & Galliarum partibus, & præſertim Colonienſi, Treverenſi, Leodienſi, Tornacenſi, Trajectenſi Civitatibus & Diœceſibus, cum plena poteſtate Legati de latere, Legatus, Reverendo in Chriſto Patri Domino D. Epiſcopo Dagnenſi, Bruxellæ Cameracenſis Diœceſis reſidenti, & Venerabilibus nobis in Chriſto dilectis, Abbati Monaſterii S. Pauli, Ordinis S. Benedicti, ac Præpoſito Eccleſiæ S. Petri Trajectenſis ſalutem.

Pro parte dilectorum nobis in Chriſto univerſorum Presbyterorum & Clericorum, in Domibus SS. Joannis Baptiſtæ & Euangeliſtæ in Amersfordia, Trajectenſis, Gregorii Papæ in (4) Buſco-Ducis, Leodienſis, Hyeronymi in (2) Gandavo, Tornacenſis, Annuntiationis B. Mariæ Virginis, vulgariter Nazareth in (1) Bruxella, & Gregorii, vulgariter S. Joannis in (3) Gerardimonte, Cameracenſis, Diœceſium, congregatorum, abſque ulla rerum ſeu bonorum ſuorum proprietate, ſine mendicitate, in communi & ſub obedientia Ordinariorum aliorumque ſuorum Prælatorum viventium, Nobis oblatæ petitionis ſeries continebat,

Quod ipſi à pluribus annis citrà, ex diverſis Summorum Pontificum ac Ordinariorum locorum reſpectivè cujuſlibet Domûs conceſſionibus, in Domibus præfatis & aliis in communi, ſub humili & ſæculari habitu, juxta antiquorum Patrum Decreta, Miſſas aliaque divina Officia, in portatilibus, honeſtè & decenter continuè celebrando, eorum quoque vitæ neceſſaria ex laboribus manuum ſuarum pro majori parte quærendo, permanſerint, prout etiam de præſenti permanent;

Ita quod nullus eorum, quamdiu inibi maneat, de annuis redditibus aliiſque ad eum ſpectantibus bonis teſtamentum condere vel aliquid legare ſeu donare poſſit, ſed omnia inter eos indiviſa remaneant, ac aliàs Domino concedente, variis hactenus multiplicaverint virtutum meritis.

Et ſicut eadem petitio ſubjungebat, dudum fel. recordationis Martino V. Eugenio IV. Nicolao V. Caliſto III. & Pio II. Summis Pontificibus, pro parte diverſarum Domorum, præſertim Presbyterorum & Clericorum in *Langhenborſt*, & *Fontem-Salientem* infra Parochiam B. Mariæ Virginis

Digitized by Google

trans aquas, Monaſterienſis, nec non ad latum rivum, infra Parochiam Eccleſiæ S. Mauritii, Colonienſis, Diœceſium, tunc commorantium expoſito, quod ipſi prædictas in Langhenhorſt & ad latum rivum Capellas in Collegiatas Eccleſias erigi, nec non in Weſalia, Colonienſis Diœceſis, Eccleſiam conſtrui, illamque etiam in Collegiatam erigi, & nonnulla alia pro eorumdem Presbyterorum & Clericorum directione ſalubri concedi obtinuerint, &c.

Unde pro parte prælibatorum Exponentium nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Capellas in de Amersfordia & Bruxella, ac Geraldimonte conſtructas, nec non in de Gandavo & Buſco-Ducis, Domibus, conſtruendas, in ſimiles Collegiatas Eccleſias erigi, & omnes alias Conceſſiones Apoſtolicas, per Summos Pontifices quibuſcumque aliis paribus Domibus ſive Congregationibus factas, quòad Exponentes ampliare & extendere dignaremur.

Nos igitur circumſpectioni tuæ, Auctoritate Legationis noſtræ, committimus, quatenus vos, vel unus veſtrum de præmiſſis omnibus Vos diligenter informetis. Et ſi per informationem expoſita fore vera repperetitis, eorumdem Eugenii & aliorum Pontificum Conceſſiones & gratias ad exponentes ipſos extendatis, &c.

Datum Bruxellæ, Cameracenſis Diœceſis, nobis illic cauſſa tractandæ Pacis reſidentibus, anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo nono, Indictione II. die x. Januarii, Pontificatûs S. D. N. Pauli Papæ II. anno quinto.

(1) Bruxellis, Domus Nazarethana, ſive Annunciationis B. Mariæ FF. Vitę Communis, circa annum 1460. prope templum Parochiale S. Gaugerici, ad Sennam fluvium fundata, anno 1569 converſa fuit in Scholam publicam civitatis (ut patet ex Actis publicis hîc ſubjiciendis.) Calvinianis Belgium turbantibus circa annum 1580. omnino deſiit. Itaque anno 1585. tradita eſt Clariſſis Monialibus, quas Urbaniſtas ſeu Divites vocant (olim *Canwe-Cloofter*) priùs extra portam Hallenſem commorantibus. Porro Scholas Litterarum humaniorum Bruxellis aperuerunt PP. Societatis Jeſu anno 1604. Auguſtiniani ab anno 1601.

(2) Gandavi, Domus S. Hieronymi, ad Schaldim fluvium anno 1429. conſtructa fuit in veteri arce Gerardi Villani, ex Caſtellanis Gandavenſibus oriundi. Hanc Arcem Meyerus in geſtis anni 1342. *Petram Gerardi Diaboli* nuncupat. Fratrum porro cenſus annui Seminario Epiſcopatûs Gandavenſis per Cornelium Janſenium I. Epiſcopum anno 1569 attributi fuerunt.

(3) Gerardi-Montibus, in Flandria ſub Diœceſi Mechlinienſi, Domus FF. S. Gregorii, vulgo S. Joannis, ad fluvium Teneram, annexum habuit Ludum Litterarium. Deficiente Fratrum numero, illius Domûs poſſeſſiones Seminario Epiſcopatûs Gandavenſis ceſſerunt.

(4) Silvæducis in Brabantia, Domus S. Gregorii. Ex hoc Ludo litterario *Franciſcus Sonnius* Antverpienſis, *Martinus Rithovius* Iprenſis, Epiſcopi, *Goropius Becanus*, *Vladeracctus*, *Verepæus*, aliique viri celebertimi olim emerſerunt. Bona dein ceſſerunt anno 1617 ad augmentum Prębendarum Capituli Cathedralis: Domus ad erectionem Seminarii. Vide ſupra pag. 325.

De Domo Mechlinienſi, quæ & Standonica dicebatur, anno 1596. in Seminarium Archiepiſcopale converſâ, vide Tomo III. horum Diplom. pag. 219. &c.

Litteræ Executoriales Godefridi à Greveraey, *Ordinis FF. Carmelitarum Epiſcopi Dagnenſis, Suffraganei Cameracenſis, anno* 1469.

UNiverſis & ſingulis, Godefridus, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Dagnenſis, Judex, Commiſſarius, & Executor, &c. Quia per informationem noſtram comperimus, narrata & petita, in Domini Legati Litteris contenta, veritate fulciri, ac præfatas Conceſſiones, gratias & exemptiones prælibatis Domorum in Amersfordia, Buſco Ducis, Gandavo, Bruxellâ & Geraldi-Monte Presbyteris & Clericis fore & eſſe, exigentibus eorum meritis & vitæ integritate, concedendas. Idcirco Auctoritate dicti Domini Legati nobis commiſſâ, omnes & ſingulas Conceſſiones & gratias, aliis ſimilis vitæ Presbyterorum & Clericorum Domibus per Eugenium & alios Pontifices conceſſas, extendimus ad conſtructas in de Amersfordia, Bruxellâ ac Geraldi-Monte, nec non ad conſtruendas in Collegiatas Eccleſias, cum campanis, campanilibus, clauſtris, & aliis neceſſariis officinis, ereximus &c.

Actum Bruxellæ, Cameracenſis Diœceſis, anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo nono, Indictione II. die XXII. menſis Martii, Pontificatûs S. N. D. Pauli Papæ II. anno quinto.

Proſpectus Mutationis Domûs Fratrum Vitæ Communis Bruxellis, anno 1569.

ANno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono, ſtilo ſcribendi tunc Mechlinienſi, die decimâ ſeptimâ menſis Martii.

Comparente in Domo Fratrum de Naſareth hujus Oppidi Bruxellenſis, in templo ejuſdem Domûs, Reverendo & Magnifico Domino *Maximiliano Morillonio*, Archidiacono Eccleſiæ Mechlinienſis & Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini D. *Antonii* miſeratione divinâ titulo Sanctæ Sabinæ S. R. E. Presbyteri Cardinalis Granvellani, Archiepiſcopi Mechlinienſis &c. in ſpiritualibus & temporalibus

Digitized by Google

Vicario generali, associatis sibi Venerabilibus & Eximiis Dominis & Magistris *Gisleno de Vroede*, * Presbytero, S. Theologiæ Licentiato, Curato Ecclesiæ Parochialis B. Mariæ Virginis de Capella ejusdem Oppidi, *Dionysio Sgroote* U. J. Doctore, Assessore Domini Officialis & Consiliario præfati Illustrissimi Domini Cardinalis, venerandis Dominis & Magistris *Laurentio Stercke* Cantore, D. *Henrico Blyleven* Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ divæ Gudulæ, ex parte Capituli ejusdem Ecclesiæ,

Hic fuit dein Episcopus Salubriensis Suffraganeus Cardinalis Granvell. Mechlin.

Nec non Nobilibus & providis Dominis, *Carolo van den Timpel* Equite Aurato, Domino temporali de Bogaerden, Burgimagistro, *Joanne de Dongelberghe*, *Jacobo Taye* Domino temporali de Goyck, Magistro *Guillielmo Busleyden*, Scabinis, ac Magistro *Joanne Boischot*, pridem Pensionario prædicti Oppidi Bruxellensis, nunc autem Sacræ & Catholicæ Regiæ Majestatis in Consilio Brabantiæ Consiliario & Officii Fiscalis ejusdem Regiæ Majestatis Advocato, ex parte Magistratûs respective deputatis;

Illisque ordine considentibus, celebratâ prius Missâ de Sancto Spiritu, atque habitâ de mandato præfati Domini Vicarii Generalis per dictum Dominum Gislenum Pastorem Ecclesiæ de Capella, certâ brevi demonstratione seu declaratione causarum & rationum, quæ tam Sanctitatem suam quam reliquos Patres Concilii generalis Tridentini aliàs moverunt,

Ut statuerent, quod singulæ Cathedrales, Metropolitanæ, & his minores Ecclesiæ pro modo facultatum, & Diœcesium amplitudine, certum puerorum numerum in loco convenienti ad hoc per Episcopum eligendo alere, & religiosè educare, ac Ecclesiasticis disciplinis instituere, omniaque facere & ordinare, prout in Decretis dicti Concilii clariùs dicebat contineri, tenerentur.

Ideoque præfatus Illustrissimus Dominus Cardinalis Archiepiscopus Mechlinienſis, præmissa sibi incumbere perpendens, & animadvertens alium locum quam dictorum Fratrum Domum, in medio quasi hujus Oppidi Bruxellensis & prope aquas & templum sitam, non esse hujusmodi pueris educandis commodiorem aut convenientiorem; attento præsertim, quod eadem Domus à primævâ sui Erectione & Institutione ad juventutem instruendam & docendam fuerit destinata, in eaque sit templum & ædificia satis commoda & ampla;

Tandem præfatus Reverendus Dominus Vicarius, consensu & beneplacito, tam Capituli dictæ Ecclesiæ, quam Magistratûs Oppidi Bruxellensis prædicti (qui Magistratus in quantum eum concernit, uti præfatus Dominus & Magister Johannes Boischot superiùs retulit, in præmissis expresse consensit & assentiit; ut per Actum desuper expeditum dicebat constare) omnibus melioribus &c. prætactæ Domûs Fratrum, omniumque & singulorum bonorum suorum, tam mobilium quam hereditariorum ac dependentium eorumdem, possessionem realem & actualem in usum & utilitatem Seminarii, juxta præfatum Generale Tridentinum Concilium erigendi & instituendi, auctoritate præfati Illustrissimi & Reverendissimi Domini Cardinalis, acceptandam duxit, & in Dei nomine acceptavit.

Non intendens tamen (uti subjungit) propterea iis qui nunc actu in Domo erant præjudicare; sed eorum rationem habere, & necessitatibus convenienter subvenire.

De & super quibus &c. Acta fuerunt hæc in dicta Domo Fratrum prædictorum, præsentibus D. & M. Johannes Raetshoven Presbytero Decano Christianitatis Bruxellensis, & Gerardo de Pauw, emolumentorum Curiæ Mechlinienſis Receptore.

CAPUT XCII.

FERRICUS DE CLUGNY, *Tornacensis Episcopus (dein S. R. E. Cardinalis) anno 1477. consecrat Ecclesiam & Altaria Monasterii Monialium* Colletinarum *Brugis, in præsentia Sereniss. Principum* MAXIMILIANI & MARIÆ *Ducum Burgundiæ, eorumque Matris* MARGARETÆ *Ducissæ*; LUDOVICI *Domini Gruthusæ Fundatoris, pluriumque Nobilium.*

Vide etiam Bullam Pii II. & Notas, supra pag. 73.

FERRICUS de CLUNIACO, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Tornacensis, universis Christi fidelibus præsentes Litteras inspecturis, salutem in Domino sempiternam.

Exigit nostri officii pastoralis debitum, ut ad ea libenter intendamus, per quæ Ecclesiæ, Monasteria, & alia loca pia, ad laudem & gloriam Dei omnipotentis ac B. M. V. Sanctorumque & Sanctarum omnium pro divino cultu erecta, constructa & ædificata decorentur & venerentur.

Cum itaque prænobiles & generosæ personæ, D. Ludovicus de Gruuthuuse, Princeps

ceps de Steenhuuſe, Miles, & D. Margareta ejus conthoralis, ex ſingulari devotione quamdam Eccleſiam cum quatuor Altaribus, unà cum campanili, campana, clauſtro, dormitorio, ac aliis officinis, in novo Monaſterio intitulato *Synay*, in Oppido Brugenſi juxta portam S. Katherinæ, intra methas Parochialis Eccleſiæ B. M. Brugenſis, noſtræ Diœceſis, loco quidem vulgariter dicto *'t Gruut-hof*, pro uſu & habitatione nonnullarum Sororum Ordinis S. Claræ, ſub Regula S. Franciſci ac Reformatione quondam Sanctæ ac laudabilis vitæ ipſius Ordinis (dum viveret) Sororis *Coletæ*, de novo erigi, conſtrui & ædificari fecerunt; Nobis humiliter ſupplicantes, quatinus hujuſmodi Eccleſiam, cum ejus quatuor Altaribus, benedicere, dedicare & conſecrare vellemus, atque dignaremur.

Hinc eſt, quod hujuſmodi ſupplicationi favorabiliter inclinati, dictam Eccleſiam cum quatuor præſcriptis altaribus, in Illuſtriſſimorum DD. *Maximiliani & Mariæ*, Auſtriæ, Burgundiæ, Brabantiæ &c. Ducum, ac Dominę *Margaretæ*, recolendæ memoriæ Domini *Karoli* Ducis Burgundiæ, Comitis Flandriæ &c. relictæ, ac præfati Domini de Gruuthuuſe, pluriumque Nobilium & aliarum perſonarum præſentiâ, adhibitis ſolemnitatibus & ceremoniis debitis, & in talibus fieri ſolitis, in perſona propriâ benedeximus, dedicavimus & conſecravimus. In dictis Altaribus de Reliquiis Sanctorum . . . . . recludentes & imponentes.

Sequuntur nomina SS. quorum Reliquiæ hîc poſitæ fuerunt per præfatum D. Epiſcopum, item Conceſſiones Indulgentiarum.

Datum & actum Brugis, dictæ noſtræ Diœceſis, anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, menſis Auguſti die ultimâ.

CAPUT XCIII.

Domus Stæ. Agathæ *in Ziriczea Zelandiæ Oppido, olim Bogardorum, ſeu tertii Ordinis Sti. Franciſci, Authoritate* DAVIDIS A BURGUNDIA *Ultrajectenſis Epiſcopi convertitur anno* 1483. *in Prioratum Religioſorum Ordinis Ciſtercienſis, ſub titulo* Aulæ B. M. V. ad Sanctum Bernardum.

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſulis.

DAVID DE BURGUNDIA, Dei & Apoſtolicę Sedis gratiâ Epiſcopus Trajectenſis, ad perpetuam rei memoriam. Univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus tam præſentibus quam futuris ſalutem, & ſinceram in Domino caritatem.

Ad ea, illorumque pia Chriſti fidelium noſtrorum ſubditorum deſideria libenter intendimus, noſtræque Authoritatis præſidia frequentiùs impertimur, quæ pro Eccleſiaſtici Status decore animarumque ſalute congruentiùs facere videantur.

Magno itaque devotionis affectu recepimus, quod ſtatus quarumdam perſonarum virilis ſexûs, Domus Stæ. Agathæ in Ziriczee, noſtræ Diœceſis, tertii Ordinis Sti. Franciſci, de Pœnitentia communiter nuncupati, in humilitatis Spiritu Deo famulantium, per ſanctæ converſationis merita ne-dum floreat, verum cotidie autore Domino felicibus proficiat incrementis.

Quia tamen perſonæ Domus ejuſdem, Presbyteri videlicet, Clerici, atque Laïci ſub modo & norma hujuſmodi tertii Ordinis Sti. Franciſci, aliquamdiu invicem laudabiliter converſatæ, ſolerti ſtudio perpendentes, quod refrigeſcente caritate, iniquitate ſuperhabundante, ſucceſſu temporis tantus candor puritatis & ſimplicitatis excelſa præconia cæteraque commendabilia honeſtatis opera laxatis habenis diu perſeverare non poſſunt, propterea arctioris vitæ deſiderio plurimùm æſtuantes, elegerunt Domum tertii Ordinis ſupradictam in Monaſterium Ordinis Ciſtercienſis à Sancta Matre Eccleſia plurimum approbati, ſub Superiorum ejuſdem Ordinis & aliàs debita obedientia per Nos erigi, inibique Domino Chriſto famulari. Supplicaveruntque humiliter hujuſmodi eorum piæ intentioni noſtræ Auctoritatis præſidium gratioſius impertiri.

Nos piis earumdem perſonarum deſideriis favorabiliter inclinati, tantò libentius eis favoris noſtri præſidia impertimur, quantò eas conſtat ad perfectiorem vivendi normam devotius properare.

Unde non immerito hujuſmodi piæ devotionis affectum & arctioris vitæ propoſitum plurimum in Domino commendantes, Domum ſanctæ Agathæ in Ziericzee, nunc vulgariter *ten Bogarden* nuncupatam de cætero Aulam beatæ Mariæ Virginis ad ſanctum Bernardum nuncupandam, in Monaſterium & Prioratum Ordinis Ciſtercienſis, in Dei nomine noſtrâ Auctoritate Ordinariâ erigimus & creamus, ac perſonas ejuſdem tertii Ordinis ſub Ordinis Ciſtercienſis Superiorum obedientia perpetua conſtituimus & conſtitui volumus, & mandamus per præſentes.

Quod ſi forſan aliqui Presbyteri, Clerici vel Laïci diviſim aut conjunctim in dicta

Domo tertii Ordinis S. Franciſci hactenus profeſſi, qui concorditer huic tranſlationi conſenſum dederunt, debilitatis ſeu ſegnitiæi cauſâ à ſancto propoſito (quod abſit) reſilierint, & Profeſſionem in dicto Ordine Ciſtercienſi facere trepidaverint, volumus illos nihilominus, ac præſentibus decernimus, in Domo & Conventu ante-dictis permanere, ac ſub obedientia Prioris & Rectoris ejuſdem Conventus ſecundum Regulam & Statuta tertii Ordinis ante-dicti humiliter vivere & converſari, nec ob tranſlationem ſupra dictam ſe aut ſua à dicto Conventu, niſi de licentia Prioris & Conventus ejuſdem, aut niſi ad actiorem ſe tranſtulerint, ſeu aliquis ſe tranſtulerit Ordinem, quovis modo retrahere poſſe, ſeu alienare.

Et ſi quod abſit, per quempiam ex eis contrarium contigerit attemptari, attemptantes hujuſmodi pœnis tertii Ordinis ante dicti in ſimilibus ſibi vindicantibus, ſe noverint noſtro de mandato ſubjacere. Inſuper ipſum locum, & edificia in ipſo conſtructa & i poſterum conſtruenda, nec non redditus res, bona mobilia & immobilia dicto Conventui aſſignata, & quæ & qualia ipſis Priori & Conventui futurâ largitione fidelium & quibuſcumque aliis juſtis titulis obvenerint, eiſdem Priori & Conventui prædicto ſimili Auctoritate confirmamus & perpetuò incorporamus, ac de cætero fore & cenſeri debere Eccleſiaſtica, & ſub Eccleſiaſtica libertate tuenda decernimus.

Præterea de uberiori dono gratiæ Priori & Conventui prædictis concedimus, ex tunc prout ex nunc, ſepulturam liberam pro Fratribus & Familiaribus ſuis, nec non hiis qui devotionis & Religionis cauſa ſuam ibidem elegerint ſepulturam; Jure Matricis Eccleſiæ in præmiſſis ſemper ſalvo.

Et ut deinceps divina Miſſarum & aliorum ſolempnia peragere & cantare, vitam Monaſticam ſecundum Regulam Beati Benedicti, nec non Obſervantias & Statuta Ordinis Ciſtercienſis, aliaque omnia & ſingula habere facere & exercere, prout ad Monaſteria, Superiores Fratres & Conventus Ordinis Ciſtercienſis de communi Jure Privilegio & conſuetudine pertinere conſuevit & dignoſcitur.

Salvis & retentis Nobis & Succeſſoribus noſtris Epiſcopis Trajectenſibus omnibus & ſingulis Juribus & Juriſdictionibus Ordinariis in Monaſteria competentibus de conſuetudine vel de Jure, in loco Monaſterio Priore Conventu & Fratribus & omnibus pertinentibus ad eoſdem: niſi in quantum Apoſtolico Privilegio à præmiſſis ſe probare valebunt exemptos. Inſuper ut Fratres Aulæ Beatæ Mariæ Virginis ad Sanctum Bernardum in Ziericzée hoſpitibus ſuis Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare, & ut omnibus Privilegiis & Immunitatibus Ordini prædicto à Romanis Pontificibus & quibuſcumque Principibus conceſſis & concedendis quomodolibet in futurum gaudere debeant & valeant, de gratiâ concedimus largiori, noſtrarum Teſtimonio Litterarum, Sigillo noſtro ad cauſas præſentibus appenſo munitarum.

Datum anno Domini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo tertio, die ſextâ decimâ menſis Januarii.

Litteræ vernaculæ Fundationis Prioratus Aulæ B. Mariæ Religioſorum Ciſtercienſium, olim apud Ziriczeam in Zelandia, anno 1483.

Ex Authentico.

WY Jacob Andries Colyns, en Dierick Corneliſz, ende Pieter Jan Lievenſz *Schepenen in Ziericzee, oorkonden en kennen, dat* Cornelis Jan Gelbaertsz *in wanderen gaenden ſtaenden gheſonden lyve, met goeden voorſinne wetende bedaght ende wel beraeden voor ons beliede, dat hy ter eeren Godts, Marie ſynre benedyne Moeder, der HH. Confeſſoren Benedictus ende Bernardus, ende alle lieve Heyligben Sanctten ende Sanctinnen, ter onslaſtinghe van ſyne conſcientie, ſynre ouderen, ende van* Mariken, *by wylen ſynre getrouwde huyſvrouwe, ende van allen den ghene daer hy in ghehouden ofte ghelaſt mochte ſyn, tot zaeligheyt ſynre Zielen, ende in verlateniſſe van alle ſyn ſonden, met opgeſetten wille opghedraegen ghegeven ende bewesen heeft, opdraeght gheeft ende bewyſt ſonder eenighen weder-roepen tot eeuwighen daegen, met deſen Brieve puermentelycke in geſtaedigher giften ende aelmoeſſen, om Godts wille, in gherechten eygendum, terſtont op te comen der Broederen en Convent van Sinte Beernaerts Ordene, die nu ter tyds ſyn, ende naemaels weſen ſullen binnen de Stadt van Ziriczée, dat men ter tyds heet,* onſer Liever-Vrouwe Zaele tot ſinte Beernaerts, *in Ziericzee voorz. alſulcke erve, goederen landen ende renten, als hier nae beſchreven ſtaen.*

In den eerſten gheeft, die voorz. Cornelis Jan Gelbaertsz *alſulcke erve, huyſingen, hoevingen, als hy in voorlede tyden vercreghen gemaeckt ende ghetimmert heeft op die voorz. plaetſe van den voorz. Godtshuyſe, met allen den rechten, die hy daer aen hevet oft hebben magh tot eeuwighen daeghen.*

Item noch gheeft die voorz. Cornelis *tot noot-truſte ende behoef der Broederen van den Convente voorſz., op dat ſy den dienſt Godts daer by daege ende by nachte, nae inhouden van haere Regule ende Ordene, moghen volbringhen, die helft van zeſſe-en-vyftigh gemeten lants, ligghende in* Sint Anne-lant, *voet en duyme ghemeene metten Arfgenaeme van Mariken Cornelis, Jans huysvrouwe by wylen was, comende tot ſyne deele achte en twintigh gemeeten, luttel min ofte meer, gelyckſe Cornelis voorz. bedyckt hevet, van den ſouten tot den voorſſen.*

Item noch vyf achtſten-deelen en een vieren-

twintighſte deel van dertigh ghemeten Vroone-landts ghelegen in Sint Anne-landt, *voet en duumen gemeene met Mauritius voorz. Erfgenaemen, comende tot zynen deele* 19 *gemeten, lutter min oft meer.*

Item vyf achtſtendeelen en een 24. *deel van* 15 *gemeten Vroone, liggende in Anne-Voſdyck voet en duume gemeen metten Arfgenaemen voorz. comende tot ſynen deele* 9. *gemeten, en* 100. *roeden, luttel min ofte meer.*

Item noch ſeſſe gemeten Weye, liggende in 't Sregers-Kercke *by Laureys Mulocxz Item noch vier dalve gemeten Weye, luttel min oft meer, liggende in* Poort-Ambocht, *by Aechte Clemens huys. Item drie pont grooten s'jaers Arf-renten, op die Stadt van Ziericzee.*

Item die helft van drye pont grooten 't jaers, liggende voet en duumen gemeene metten Arfgenaemen voorz. in die rogge-ſtoppellen, butter en broot, comende tot zynen deele ander-half pont groote. Item die helft van een Uutgroſſe ghebeeten, in die Rogge-ſtoppelen, butter en broot en 't lant van Welden *&c. voet en duume ghemeene met den Arfgenaeme voorz. ende vercreghen is van Meeſter Cornelis Jan Heynricxz.*

FF Minores & Beginagium Zirícz.

Item noch 30. *groote s'jaers liggende op 't* Begghyn-hof *binnen Ziericzee, vercreghen van de* Minrebroeders. *Item noch dordalve ghemet lants, ligghende in dat Zuer-Nieulant, dat Thonis Dan'cke in pachte hevet.*

Olim Prioratus Ca. Regul. in Romerſwaele.

Item vyf dalve ghemeten landts liggende in Goykins-nieulandt, *als 't van de Regulieren van Remmerſwaele vercregen is. Item dat Hille deweyken, buten der Nobel-poorte, vercregen van der Maeghden-huys op s'Her-Dierics Werf.*

Item noch twee lynen landts, ghebeeten dat Warm-Moes-Meetken, *gelegen buten die Nobel-poorte, zuydtwaers van die molen: op conditie ende voorwaerden hier onder geſproken.*

Dat die voorz. Broederen van den Convente voorz ſullen ſyn beſloten, na den gheſchriften ende forme, die daer af gemaeckt ſyn. Ende dat dit Convent ſal blyven tot eeuwighen daege onder die Viſitatie ende Paterniteyt des Prioers, die den Broederen van den voorz. Convente ſal worden ghedeputeert van dat Generael Capittel van Ciſtercien.

Ende Cornelis Janſz. voorz. ghelovet, voor hem ſelve, voor ſyn Arfgenaemen ende Naercomelinghen, deſe voorz. Giſte te houdene ende te doen houdene vaſte, ende van goeder waerden ſonder weder-ſeggen. Ende gheloovet den voorz. Clooſtere waerſchappe te doene van den voorz. goederen, vroonen, landen ende renten, op hem ſelven ende alle ſyn goeden, ſoe waer ſy gheleghen ſyn ofte bevonden moghen worden met eenighen rechte.

Ende voort ſoe is te wetene, dat hier af ſyn twee Brievene geſchreven ende beſegelt, ghelyck houdende van woorde te woorde; waer af den eenen ruſt onder den Convent voorz. ende die ander ander den Certroyſen Clooſter tot Syon buyten Ziericzee. Carthuſia Zirieczæ.

In kenniſſe der waerheyt, ſoe hebben wy Schepenen voorz. onſe Zegelen hier aen-ghehanghen ende ghedaen, in 't jaer ons Heeren duyſent vierhondert dry-en-tachentigh, op den vyftienſten dagh in Julio. 1483.

Author Hiſtoriæ Epiſcoptuum Belgii Fœderati Tomo II. ſub Epiſcopatu Middelburgenſi, agit de hoc Prioratu pag. 72. & ſub finem. Priores paſſim electi ſunt è Monaſterio S. Salvtoris (vulgo Petri Potz) Antverpiæ; ſed de Fundatione vix quidquam. *Cornelius Poldermans*, poſtremus Prior, ab hæreticis in odium Catholicæ Fidei immaniter occiſus fuit Ziriczeæ anno 1572. Martyrium deſcribit Raiſſius in Auctario ad Natales SS. Belgii, ad diem XIV. Februarii.

CAPUT XCIV.

PETRUS QUICKE, *Tornacenſis Epiſcopus, erigit & conſecrat Brugis Eccleſiam ordinatque Parochiam Stæ. Annæ anno* 1497, *ſub Patronatu Capituli S. Donatiani Brugenſis.*

PETRUS, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Tornacenſis, univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus præſentes Litteras inſpecturis, viſuris, pariter & audituris, ſalutem in Domino ſempiternam, cum incremento omnis boni.

Paſtoralis nobis commiſſa Cura regiminis Nos impellit, ut ad ea libenter intendamus, per quæ cultum augeri divinum, ſalutemque propenſius imminêre animarum perpendimus.

Exhibita ſiquidem nobis pro parte devotorum Curatorum, Magiſtrorum Fabricæ & Proviſorum, ac univerſorum Parochianorum Eccleſiæ Sanctæ Crucis propè & extra portas Oppidi Brugenſis noſtræ Diœceſis petitio continebat; quod cum ipſa Eccleſia ut præmittitur, antiquitus in ſuburbiis dicti Oppidi ſituetur, & illius Parochiani pro majori eorum quantitate, propter guerras, quæ proch dolor! in illis partibus diutius viguerunt, domorum combuſtiones, & alia incommoda veriſimiliter evitanda, intra idem oppidum cauſâ vexæ ſe tranſtulerint, reſideant, & morentur;

Sic quod ex iſtis nunc paucæ circa ipſam Ec-

Digitized by Google

cleſiam extra hujuſmodi portas exiſtentes, & multæ infrà ſepta hujuſmodi Oppidi ejuſdem Parochiæ domus, & utriuſque ſexus Parochiani habeantur, ſint, habitent, & conſtituantur.

Incommoda præcedentia.

Atque ut eadem Supplicatio ſubjungebat, nonnunquam, & præcipuè guerrarum tempore hujuſmodi Parochiani metu armigerorum, vel hieme propter loci diſtantiam, aut nocte poſtquam Oppidi portę reſeratæ exiſtunt, ut infantes baptiſentur, infirmi quoque & debiles viſitentur, Sacramenta eis miniſtrentur eccleſiaſtica, ipſam Eccleſiam Parochialem, quæ foris exiſtit, & extra omnem Oppidi defenſionem, ad divina audienda, & univerſa eccleſiaſtica Sacramenta percipienda commodè viſitare, frequentare, & accedere non valeant; unde gravia ſæpe ſcandala, pericula, & incommoda paſſim evenerunt.

Supplicantes ea propter eis locum quemdam, domum, & atrium contiguum, quas ipſi elemoſinis Chriſti fidelium intra methas ante-dictæ Parochiæ in eodem Oppido Brugenſi ſibi comparaverant, erexerant, & ædificaverant in modum Eccleſiæ, cum majori, & quatuor aliis in eadem conſtructis Altaribus, in Parochialem Eccleſiam;

Ut eam tamquam membrum ejuſdem Eccleſiæ Sanctæ Crucis dedicare, benedicere, & conſecrare, attitulare, præmiſſis periculis & incommodis obviare, & aliis ipſorum Supplicantium neceſſitatibus paterno remedio ſuccurrere, conſulere, & providere dignaremur atque vellemus.

Notum igitur facimus, quod nos Petrus Epiſcopus Tornacenſis antedictis præmiſſis attentis, & conſtito nobis de veritate ſupra enarratorum, nec non quod Venerabiles & circumſpecti Viri, Domini Decanus, & Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Donatiani ejuſdem Oppidi Brugenſis, in quorum Patronatu ipſa Eccleſia Stæ. Crucis extra portas ejuſdem Oppidi, & locus in eodem Oppido conſecrandus, conſtituuntur & conſiſtunt; & Magiſtri *Ricardus de Capella* & *Joannes Pavonis* ipſius Eccleſiæ moderni Rectores ſive Curati, tam pro ſe quam ſuis impoſterum ſucceſſoribus, nec non univerſi alii in hoc intereſſe habentes & prætendentes quomodolibet, in hoc ſuum expreſſum præbuerunt & exhibuerunt conſenſum reſpective, & conſenſerunt die hodiernâ ſubſcriptâ.

Prædictis ſupra-nominatorum ſupplicationibus favorabiliter inclinati, dictum locum in Oppido Brugenſi & Parochia ejuſdem Eccleſiæ Stæ. Crucis per eos ædificata, cum cymeterio eidem annexo & contiguo, & quinque Altaribus, in honorem laudem & decorem omnipotentis Dei ac beatiſſimæ Virginis Mariæ Matris, ac Vivificæ Crucis, & Beatæ Annæ Matris ejuſdem glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, aliorumque Sanctorum, & Sanctorum ejus, cum hymnis, Litaniis, canticis, orationibus, & debitis ſolemnitatibus dedicavimus, benediximus, & conſecravimus.

Conſecratio.

Ac eandem Eccleſiam ſub nomine ejuſdem Vivificæ Crucis, & Sanctæ Annæ Patronæ, ut & tamquam membrum ejuſdem Matricis Eccleſiæ ſanctæ Crucis quæ foris exiſtit, in Parochialem Eccleſiam ereximus, & attitulavimus.

Erectio in Parochiam.

Decernentes, ſtatuentes, & ordinantes, quod omnes & ſinguli Chriſti fideles ejuſdem Parochiæ dictum Oppidum inhabitantes de cetero hujuſmodi Eccleſiam pro Parochiali frequentare, viſitare & accedere poterunt, ad divina ibidem audienda & & ſingula Eccleſiaſtica Sacramenta percipienda.

Abſque tamen præjudicio & detrimento Juris dictæ Matricis Eccleſiæ ſanctæ Crucis foris exiſtentis, & Fundationum in eadem antehac factarum. & ſalvo in omnibus Jure noſtro, & cujuſlibet alterius.

Statuentes inſuper & ordinantes, Anniverſarium ipſius noſtræ Dedicationis diem, Dominicam ante feſtum Nativitatis glorioſiſſimæ Virginis Mariæ menſis Septembris, vel ipſâ die Nativitatis, ſi in Dominicam inciderit, cum ſolemni ac generali Proceſſione ab ipſius Eccleſiæ Rectoribus, Capellanis, Presbyteris, & Parochianis pro tempore exiſtentibus publicè, ſolemniter & devotè annis ſingulis perpetuis futuris temporibus eſſe celebrandum, ſolemniſandum & obſervandum.

Præterea ut Eccleſia ipſa per Nos denovo dedicata, erecta, & conſecrata in ſuis ſtructuris, ædificiis, luminaribus, calicibus, ornamentis & rebus aliis divino cultui ibidem neceſſariis debito modo intertineatur, reparetur, retineatur, obſervetur & conſervetur, utque Chriſti fideles ipſi eo libentiùs confluant ad eandem, atque ad reparationem, intertentionem, manutentionem & conſervationem de bonis ſuis conferant, quò ex hoc dono cœleſtis gratiæ ſe ſenſerint ibidem uberius eſſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordiâ ac glorioſiſſimæ Virginis Mariæ Matris, BB quoque Petri & Pauli Apoſtolorum ac aliorum Sanctorum & Sanctarum ejus, meritis & interceſſione confiſi, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus fidelibus confeſſis & contritis, qui Eccleſiam ipſam dicto Anniverſarii Dedicationis, ſeu proceſſionis, Exaltationis S. Crucis, S. Annæ Patronæ, Dominicâ in Ramis Palmarum, & Viſitationis glorioſiſſimæ Virginis Mariæ feſtivitatibus, ſolemnitatibus, & diebus, & per Octavas habentium Octavas à primis uſque ad ſecundas Veſperas devotè viſitaverint, de bonis ſuis contulerint, & ad premiſſa manus porrexerint adjutrices, pro quolibet actu hujuſmodi XL. dies Indulgentiæ de injunctis

tis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus ; præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

In cujus rei teſtimonium præſentes Litteras exinde fieri , ac Sigilli noſtri juſſimus & fecimus appenſione communiri.

Datum Brugis, noſtræ Diœceſis, anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo , menſis Septembris die nonâ.

Fuerunt in initio duo Curati ejuſdem Eccleſiæ Matricis Stæ. Crucis , quorum unus peragebat paſtoralia foris in Parochia Stæ. Crucis , alter in Eccleſia ſeu Appendice ad Stam. Annam intra Brugas ; iique alternis ſeptimanis ſolebant vices & locum mutare.

Verum anno 1668 per Epiſcopum *Robertum de Haynin* facta fuit omnimoda harum Eccleſiarum ſeparatio.

Vide etiam in hac Collectione Diplomat. Belgicor. Tomo III. pag. 314. Erectionem Matricis Eccleſiæ Stæ. Crucis juxta Brugas , ſimulque dotationem Altaris anno 1194. per Balduinum Flandriæ Comitem.

CAPUT XCV.

Conventus Monialium Ordinis Sti. Dominici , Houdani *apud Paulopolim in Artheſia inſtituitur anno* 1498 *à* PETRO RANCHICOURT *Atrebatenſi Epiſcopo , attributo ipſis Veteri Monialium Hoſpitalis Cœnobio.*

PETRUS DE RANCHICOURT, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Atrebatenſis, univerſis & ſingulis præſentes noſtras Litteras inſpecturis, ſalutem & ſinceram in Domino dilectionem. Gregi noſtro in ſuis potiſſimum neceſſitatibus cognoſcimus eſſe occurrendum.

Cum itaque pro parte dilectorum in Chriſto filiorum Præpoſiti Scabinorum & habitantium Villæ de Hoſdinio noſtræ Diœceſis Nobis fuerit expoſitum , quod Hoſpitale quoddam in dicta Villa ſituatum cum Capella illi contigua, pro benigniori pauperum ſuſceptione & infirmorum ipſius Villæ humaniori viſitatione, Sororibus tertii Ordinis B. Dominici contradere cupiebant , ſi ad hoc noſtra ſuperveniret Authoritas & aſſenſus ;

Hoſpitale antiquum.

Nos Petrus Epiſcopus ante dictus , de ſtatu, honeſtate & religione prædictarum Sororum plenius informati , concedimus , quod in præfato Hoſpitali ac Capella jam dictæ Sorores poſſint & valeant ſibi perpetuam eligere ac ſtabilire manſionem , divinis officiis & charitativis obſequiis... ſicut inter Scabinos confectum continetur , uſque ad numerum ſex Sororum ſub habitu & Regula tertii Ordinis prædicti.

Ita tamen , quod pro firmiori ſtabilitate & perſeverantia , quæcumque recipientur inpoſterum in Sorores dicti Hoſpitalis tria vota Religionis emittent , ſub & coram Nobis & Succeſſoribus noſtris, vel noſtris aut eorum Deputatis. De qua vero Religione profeſſa nunc & in futurum in Sorores dicti Hoſpitalis recipientur, debitam nobis tamquam Ordinario pronuntient obedientiam , ſub directione ac regimine Matris ſive Magiſtræ , ab eis eligendæ & per Nos aut noſtros Succeſſores vel Deputatos approbandæ & confirmandæ.

Volumus inſuper, quod Sacramenta Eccleſiæ & Eccleſiaſticam ſepulturam recipiant à Curato loci , aut ejus deputato : ſub his conditionibus & forma , ſuſcipiendi eas in filias ſpirituales , ſub noſtra protectione, defenſione & ſalvagardia.

Et ut eò commodius valeant charitatis operibus inſiſtere , quò ſibi fuerit in neceſſariis uberius proviſum ; concedimus, quod poſſint per Parochiam dicti loci de Hoſdinio queſtam facere , & pia fidelium ſubſidia mendicando perquirere. Et inſuper, ut eo liberius Chriſti fideles ad præmiſſa ſe exhibeant promptiores , de omnipotentis Dei miſericordia beatiſſimæque Virginis Mariæ ejus Genitricis, omnibus & ſingulis hujuſmodi Chriſti fidelibus verè pœnitentibus confeſſis & contritis, qui eiſdem Sororibus manus ſuas porrexerint adjutrices , quadraginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus.

Per hanc autem noſtram Ordinationem Authoriſationem vel Approbationem non intendimus nec volumus Juri noſtræ Parochialis Eccleſiæ, Capellano Capellanię ibi fundatæ, vel alterius cujuſpiam in aliquo derogare ſeu præjudicium afferre.

In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum , præſentibus Litteris Sigillum noſtrum magnum duximus apponendum.

Datum in Domo noſtra Epiſcopali Atrebati , anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo octavo, die decima quinta menſis Maii. 1498.

De Prioratu Houdano , Monachorum Benedictinorum , olim Abbatię S. Remigii Remis, hodie Lobbienſis, vide Tomo II. horum Diplomatum , pag. 1314.

CAPUT XCVI.

HENRICUS DE BERGIS *Cameracenſis Epiſcopus confirmat Confraternitatem inter XII. Presbyteros* Bruxellenſes, *ſub nomine duodecim Apoſtolorum inſtitutam, anno* 1501.

UNiverſis & ſingulis Chriſti fidelibus, tam præſentibus quam futuris noſtras inſpecturis, HENRICUS DE BERGIS Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Cameracenſis, ſalutem in Domino ſempiternam.

Pia & devota ſubditorum noſtrorum deſideria favoribus gratioſis proſequi affectantes, dignum exiſtimamus, ut hiis quæ tempore Prædeceſſorum noſtrorum ad laudem & honorem Dei ſuæque Genetricis glorioſæ Virginis Mariæ, ac Sanctorum & Sanctarum ejus ſalubriter inſtituta ſunt, nullius tamen Superioris Auctoritate ſtabilita, cum id à nobis petitur, Ordinariæ noſtræ Auctoritatis robur & firmitatem adjiciamus; quo ea deinceps laudabilius accuratiuſque obſervari valeant.

Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum nobis in Chriſto, Dominorum Andreæ van Wyenhoven, Perſonæ Perſonatûs de Crayenem Capellani Sanctæ Gudulæ, Joannis van de Winckele aliàs Mouwe Capellani de Capella, Joannis de Atrio Canonici minoris Præbendæ Sanctæ Gudulę, Egidii de Vrieſe Capellani de Capella, Henrici Swaenaert Canonici minoris Præbendæ Sanctæ Gudulæ, Petri Jordaens Portionarii Sancti Nicolai Bruxellenſis Capellani de Capella, Pauli Balduini Vice-Curati & Mercenarii de Capella, Zachæi de Beka Capellani Sanctæ Gudulæ, Danielis Scockaert Sigilliferi Cameracenſis in Bruxella, Canonici & Cantoris ſancti Petri Anderlechtenſis & Capellani de Capella, Danielis de Pomerio Capellani Sanctæ Gudulæ, Guillielmi Maerſcalc Curati de Capella; & Nicolai Boelaert Curati de Steenockerzeele & Capellani Sanctæ Gudulæ, Sacerdotum Confratrum cujuſdam Fraternitatis, pridem *, & ad honorem & laudem Dei ac duodecim Apoſtolorum ejus, in Capella Domûs Dei ſeu pauperum Præbendatorum, ad Apoſtolos nuncupatæ, ſitæ in Oppido Bruxellenſi erectæ & inſtitutæ, petitio continebat:

Anno 1486 per Innocentium VIII. Papam.

Quod jam dicta Fraternitas ſuperioribus annis per nonnullos devotos Sacerdotes duodecim numero, in honorem & laudem Dei & XII. Apoſtolorum ejus, ut præfertur, erecta & inſtituta fuit, & à tempore Inſtitutionis hujuſmodi citra uſque in hunc diem, ſub certis modis & formis ac Statutis tunc in ſcriptis redactis, dignè, honorificè & laudabiliter intertenta & obſervata, abſque tamen eo, quod illa alicujus Auctoritate roborata ſeu approbata reperiatur.

Quapropter dicti Confratres pro amplianda eorum devotione, & ipſius Fraternitatis perpetua ſubſiſtentiâ, Nobis humiliter ſupplicari curarunt, ut ipſam Fraternitatem noſtrâ Ordinaria Auctoritate gratificare, roborare & confirmare vellemus & dignaremur.

Nos itaque Supplicationi hujuſmodi tamquam rationi conſonæ, & ex devotionis zelo procedenti favorabiliter inclinati, Fraternitatem præfatam, ſicut præmittitur, inſtitutam, in & ad quam prætati Confratres Nos ad noſtram Requeſtam hilariter aſſumpſerunt, cum ſingulis Statutis circa illam & pro ejuſdem firmiori obſervatione perpetuaque ſtabilitione per ipſos Confratres pridem editis, ac aliis forſan impoſterum edendis, & ſeu in meliùs reformandis (ad quod eiſdem licentiam & facultatem concedimus, dummodo tamen aliàs licita fuerint & honeſta) hiis Scriptis gratificantes, atque Ordinariâ noſtra Auctoritate roborantes & confirmantes, eandem Confraternitatem per prælibatos duodecim Sacerdotes illius modernos Confratres, ſuos ſucceſſores in & ad illam aſſumendos, deinceps im-perpetuum licitè & liberè, ſub modis formis & Statutis ſupradictis obſervari, & intertineri poſſe & debere, eâdem Auctoritate decernimus & declaramus, ac illam quatenus opus ſit, de novo erigimus & inſtituimus. Nota.

Cupientes inſuper, ut Altare in dicta Capella erectum & fundatum, noviterque conſecratum congruis frequentetur honoribus, & à Chriſti fidelibus jugiter veneretur, ac in luminaribus, ornamentis, libris ac aliis cultui divino neceſſariis laudabiliter manuteneatur. Utque Chriſti fideles ipſi eo libentius devotionis cauſâ confluant ad illud, & ad præmiſſa manus porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cœleſtis gratiæ noverint uberius ſe refectos; de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli, omniumque Apoſtolorum ac Sanctorum & Sanctarum ejus meritis & interceſſione confiſi, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui dictum Altare in ſingulis Sanctorum Apoſtolorum & cujuſlibet ip-

Digitized by Google

ſorum, etiam Diviſionis eorundem, feſtivitatibus, diebus Jovis & Paraſcheves ſancti, pro-feſto & feſto Reſurrectionis Domini, nec non diebus Lunæ poſt Dominicam Quaſimodo, Lunæ poſt feſtum Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis, & Lunæ poſt feſtum Epiphaniæ Domini, (quibus tribus Lunæ, nec non in dicta feſtivitate Diviſionis Apoſtolorum ſingulis annis in ipſa Capella per præfatos Confratres Miſſa decantatur ſolemnis,) devotè viſitaverint, & tam ipſi Confratres, quam etiam alii Chriſti fideles qui prætactis quatuor Miſſis dictis quatuor diebus in prælibata Capella, vel alibi *, ſi hoc forſan impoſterum fieri contingat, celebrandis, ac etiam aliis Miſſis quas ſæpe dicti Confratres poſt deceſſum cujuſlibet ſuorum Confratrum celebrare conſueverunt, interfuerint, nec non ad luminaria, ornamenta, libros, & alia divino cultui neceſſaria manus, ut prætertur, porrexerint adjutrices, quadraginta Indulgentiarum dies de injunctis eis pœnitentiis in Domino miſericorditer relaxamus; præſentibus perpetuis temporibus duraturis.

In omnium præmiſſorum fidem & Teſtimonium, præſentibus Litteris Sigillum noſtrum proprium duximus appendendum.

Datum & actum Bruxellæ, noſtræ Diœceſis ante-dictæ, anno Domini milleſimo quingenteſimo primo, menſis Octobris die duodecimâ.

* Hodie in Monaſterio Rubeæ Vallis.

CAPUT XCVII.

JOANNES DE HOORNE, *Leodienſis Epiſcopus confirmat anno* 1501. *inſignem Fundationem* Sylvæducis, *relictam FF. Domûs S. Gregorii (ſeu in communi viventibus,) à Gerardo de Heer, Oppidano, ad inſtituendos pauperes in ſtudio Litterarum.*

JOHANNES DE HORNE Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Leodienſis, univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus præſentes Litteras viſuris ac inſpecturis ſalutem in Domino ſinceram. Urget Nos ſuſcepti cura regiminis, & officium Paſtorale inducit, ut pro fidelium & præſertim Religioſorum ac pauperum noſtræ Diœceſis ſtatu ſalubriter dirigendo, paternæ conſiderationis acie ſollicitè meditantes, eorum occurramus diſpendiis, ac indempnitatibus conſulamus: ut noſtræ proviſionis adjutorio ſalubribus in Domino proficiant incrementis.

Sane pro parte Rectoris & Conventus Domus Fratrum Sancti Gregorii Oppidi Buſcoducenſis, noſtræ Leodienſis Diœceſis, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim quidam Gerardus Heer oppidanus ejuſdem Oppidi pie & provide conſiderans, quod per Litterarum ſtudia viri efficiuntur litterati & ſcientiis eruditi, æquum ab iniquo diſcernitur, pauperes ad altiora conſcendunt, Religio propagatur, & fides Catholica ſtabilitur; cupienſque in ſuæ ac ſuorum progenitorum animarum remedium terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare,

Ad Religionis augmentum & profectum pauperum, de bonis ac rebus ſibi à Deo collatis erigi & fundari voluit quandam Domum pro uſu & neceſſitatibus perpetuis nonnullorum pauperum Scholarium, Scholas frequentantium in competenti numero ibidem recipiendorum; relinquendo ad hoc unum campum fœniferum circiter duo jugera in menſura continentem, cum ceteris aliis minutis bonis mobilibus tunc expreſſis.

Voluit quoque & mandavit, quod dicta Domus erigenda dependeret tanquam membrum à Domo Conventus Fratrum ſancti Gregorii ſupradicta, & quod pauperes Scholares ſucceſſu temporis illic recipiendi, ſub directione & ſollicitudine, gubernatione & obedientia diſciplinali Rectoris ac Fratrum Domus prætactæ pro tempore perpetuis futuris temporibus remaneret.

Et deinde Rector cum Conventu Fratrum prædictorum, pium prędicti Gerardi propoſitum in effectum volentes deducere, Domum prædictam cum ortis & ortaliciis ac aliis neceſſariis officinis pro ſuſtentatione pauperum Scholarium acquiſierunt, fundarunt & erexerunt, ibique quinquaginta annis & ultra laudabiliter præfuerunt: ſic quod per laudabile regimen & circumſpectionis induſtriam felicia ſuſcepit incrementa.

Et ſicuti eadem petitio continebat, ſi per ſiniſtras ſuggeſtiones & iniquas informationes aut alias fortaſſis contingeret in poſterum dictam Domum pauperum Scholarium inibi degentium & adminiſtrationem bonorum illius aliquibus aliis & præſertim laïcis perſonis committi, dubitandum foret, quod illud modicum pro Fundatione illius prætactæ Domus à principio aſſignatum &

Digitized by Google

poſtmodum donatione Chriſti fidelium ſeu aliis juſtis modis Rector & Fratres antedicti per labores & miniſterium acquiſierunt, de facili ad alienos uſus converteretur, in dictæ Domûs pauperum & Scholarium inibi pro tempore degentium diſperſionem, ſcandalum & ruinam.

Quare pro parte Rectoris & Fratrum Conventus prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis & dictæ Domui ac illis pauperibus Scholaribus præſentibus & futuris ſuper his opportunè providere de benignitate Ordinariâ dignaremur. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fundationem dictæ Domus pauperum Scholarium ac illius ſubjectionem & dependentiam ratas & gratas habentes, ipſas Auctoritate Ordinaria confirmamus & approbamus, ac etiam innovamus & præſentis Scripti Patrocinio communimus.

Statuentes & ordinantes, quod Rector Conventûs Fratrum prædictorum pro tempore poſſit & debeat ſicuti ab antiquo conſuevit, ex nunc in antea per ſe & alium ſeu alios idoneos perpetuis temporibus Curam & Adminiſtrationem dictæ Domus pauperum Scholarium, ac omnium ac ſingulorum jurium & pertinentium ejuſdem gerere & exercere; fructus quoque & redditus & proventus quoſcumque præſentes & futuros ad uſum & ſuſtentationem pauperum Scholarium prædictorum pertinentes levare & exigere, ac de levátis ac receptis quitanciam dare & abſolvere; alia quoque ad hujuſmodi Adminiſtrationis officium de jure ſeu conſuetudine pertinentia libere exercere, contradictione cujuſcumque non obſtante.

Datum ſub teſtimonio noſtrarum Litterarum anno ab Incarnatione Domini milleſimo quingenteſimo primo, menſis Junii die viceſima octava.

Poſtmodum fuit hæc Domus incorporata Seminario Epiſcopali Buſcoducenſi per Epiſcopum Zoeſium A. 1617. ut ſupra dictum pag. 317.

De eâdem Domo FF. Vitæ communis vide Hiſtoriam Epiſcopatûs Sylvæduc. pag. 306.

CAPUT XCVIII.

Vicarius Generalis LUDOVICI GUILLARD *Tornacenſis Epiſcopi recenſet Originem Monaſterii Monialium* Tamiſienſium, *Ordinis S. Dominici, in Waſia, eaſque ſubmittit Juriſdictioni Epiſcopali anno* 1519.

Communicavit Illuſtriſſ. D. de Smet. Epiſc. Gandav.

UNiverſis & ſingulis præſentes Litteras inſpecturis, PETRUS COTREL, Presbyter, in Legibus Licentiatus, Canonicus & Archidiaconus Brugenſis in Eccleſia Tornacenſi, Vicarius generalis in ſpiritualibus & temporalibus Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini D. *Ludovici* Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopi Tornacenſis, à ſuis Civitate & Diœceſi abſentis, ſalutem in Domino ſempiternam.

Etſi ex commiſſâ nobis curâ regiminis, piis hujus Diœceſis ſupplicantium votis gratioſè annuere, eaque favoribus teneamur proſequi oportunis; illis tamen maximè annuendum nobis viſum eſt, quæ ex fervore & zelo devotionis procedunt, ceduntque ad Religionis augmentum, felicem quoque, proſperum ac tranquillum ſtatum & conſervationem perſonarum, quæ ſub Religionis jugo Altiſſimo famulari peroptant.

Sane exhibita nobis pro parte devotarum noſtrarum Prioriſſæ & Conventûs Domûs Sororum tertii Ordinis ſancti Dominici, de Pœnitentia vulgo nominatæ, loci de *Thamiſia*, Diœceſis antedictæ, petitio continebat;

Quod ipſis cum eorum Patre Magiſtro atque Directore, nomine Fratre *Hermanno Rodulphi*, de Aemſteldamme, Presbytero Religioſo prædicti Ordinis Sancti Dominici, dudum, de anno ſcilicet Domini 1507, à Conventu de *Worchem* * partium Hollandiæ, Diœceſis Trajectenſis, Auctoritate & licentiâ Commiſſariorum Magiſtri & Capituli generalium Ordinis illius dimembratis, inſtante quondam Domino *Rolando le Febure* Milite, dum viveret temporali Domino loci ante-dicti de Tamiſia, locum eundem tunc acceſſerunt, ut ibidem de quodam Hoſpitali, ubi pauperes peregrini recipi ſolebant, quod tunc penè deſolatum & inhabitatum aſſerebatur, Monaſterium Monialium prædicti Ordinis inſtituerent & erigerent; eidem inchoando Monaſterio, unà cum ſuo Magiſtro & Directore, Fratre ſcilicet Hermanno antedicto, per dictos Commiſſarios Magiſtrum & Capitulum generale incorporatæ.

* Worcum, ad Wahalim fl. prope Gorcomium.

Pro quo novello Monaſterio inchoando, primâ fronte Reverendum in Chriſto Patrem & Dominum quondam, Dominum *Karolum*, tunc Tornacenſem Epiſcopum, prædicti Reverendi in Chriſto Patris Domini *Ludovici* immediatum Prædeceſſorem, ut

Vide T. III. horum Diplom. p. 719.

Nota. Epiſc. Petrus Quicke hic non agnoſcitur.

ut petitionibus ſuis annueret, acceſſerunt; qui eis gratioſè receptis, ſuæ Commiſſionis Litteras, ad Reverendum Dominum * *Balduinum* Epiſcopum Sareptanum, & Magiſtrum *Nicolaum Breydel*, tunc Officialem Tornacenſem Brugis reſidentem, qui de veritate petitorum ſe informarent referrentque, decrevit & conceſſit.

* Balduinus de Villain, Ord. Carmelit. Epiſc. Sarept. Suffragan. Tornac.

Factâ autem deinde informatione hujuſmodi, per Dominos Commiſſarios antedictos, cum Exponentes prædictæ non poſſent tunc aut ſcirent (ſicut eadem Supplicatio innuebat) gratioſè convenire cum Reverendo Patre Domino Abbate Monaſterii ſancti Petri juxta Gandavum Ordinis ſancti Benedicti Diœceſis Tornacenſis antedictæ, Patrono, ac Curatis præfati loci de Thamiſia, ſuper Jure Patronatûs & Parochialibus loci memorati, quorum plurimum intererat, pro conſervandis Juribus antedictis conſentire in Erectione antedictâ;

Prædictus quondam Dominus *Rolandus*, loci illius temporalis Dominus, ut præmittitur, qui multum anhelabat prædictum Monaſterium fundari, erigi atque dotari, ſic effecit importunis precibus & favoribus Magnatum, quod prædictæ Exponentes cum eorum Patre, ſub certis modis, formis, conditionibus, atque dotationibus ſecum & cum ſua uxore initis habitis & pactis, ibidem de facto introductæ fuerunt; & locus cum Eccleſia in formam Monaſterii erectus, benedictus & conſecratus (clam tamen atque ſecretè, inſciis & non conſentientibus loci Diœceſano, Patrono, & Curatis memoratis.)

Vixeruntque eædem Supplicantes eo in loco, ſub habitu & Regula antedictis, Directore ſeu Patre & Confeſſore memorato, à prædicto anno M. D. VII. uſque ad menſem Novembris anni M. D. XVIII. noviſſime effluxi, pacificè, religioſè, & ſine aliquorum moleſtia; donec circiter idem tempus ipſi Domini Rolandus & ſua uxor, ſicut Altiſſimo placuit, mortem obiiſſent.

Oppoſitio FF. Prædic. Antverp.

Illis itaque vitâ functis, ratione Superioritatis in eadem Domo per Fratres Prędicatores Oppidi Antverpienſis Cameracenſis Diœceſis, prætenſæ, renitentibus & contradicentibus eidem prætenſę Superioritati Supplicantibus & earum Confeſſore antedictis; ortum eſt diſſidium inter Supplicantes & ipſos Fratres Prędicatores Antverpienſes, quo (cauſantibus & ſuggerentibus Fratribus antedictis) effectum eſt, quod Pater Provincialis prædictorum Prędicatorum Inferioris Provinciæ Germaniæ, quodam die, circa menſem memoratum, in Capitulo prædictarum Supplicantium perſonaliter comparens, eas, ac totum Conventum cum illius perſonis à ſua obedientia & cura totaliter & omnino abſcidit, eas deſolatas, & omni ſolamine, tam ſpiritualium quam temporalium deſtitutas, relinquens.

Unde prędictæ Exponentes (ſicuti eadem Supplicatio ſubjungebat) plurimùm confectæ mœrore atque triſtitiâ, præſertim quia non haberent qui eis ſpiritualia Sacramenta, videlicet Eccleſiæ neceſſaria, adminiſtraret,

Ad ſinum prædicti Reverendiſſ. in Chriſto Patris recurrerunt; petentes atque humiliter ſupplicantes, (viſo quod ſub perpetua ejus obedientia & ſubjectione omnimoda in eodem Monaſterio Altiſſimo famulari deſiderabant & ſe devovebant) dignaretur eas ſub ſua Juriſdictione & obedientia ſuſcipere, atque in Domo eadem cum ſuo Patre Confeſſore permanere, per ipſum quoque Reverendiſſ. in Chriſto Patrem & Succeſſores vel Deputandos ab eis, viſitari, corrigi; & ut (ſi opus eſſet) reformari poſſent, conſentire & annuere.

Super quo placuit eidem Reverendiſſ. in Chriſto Patri, per modum proviſionis eis ordinare Patrem & Viſitatorem Decanum Chriſtianitatis Waſię; qui de eis curam gereret, aut per alium ab eo ſubſtituendum geri faceret, ſicut hactenus laudabiliter fecit; donec conſenſum & pactum cum præfatis Dominis Patrono & Curatis, ſuper ſuis Jure Patronatûs & parochialibus, obtinuiſſent.

Cum autem (ſicut in eadem Supplica cavetur) prædictæ Supplicantes ejuſmodi conſenſum & pactum jam obtinuerunt, prout per tenorem Litterarum ſuper hoc confectarum, hîc inferius inſertarum, latiùs poteſt apparêre; nec in præſenti negotio de alterius jure, niſi ſolius Diœceſani, ad quem ſpectat principaliter conſentire Erectioni Monaſteriorum in ſua Diœceſi, quæ aliàs fieri non poſſent, & ubi erecta eſſent in ſua Diœceſi, etiam exempta, maximè poſt abſciſſionem Patrum Provincialium, in ſuam Juriſdictionem & protectionem recipere & reaſſumere;

Supplicant humiliter prædictæ Exponentes, quatenus Erectionem prædicti Monaſterii, ex conſenſu & pactionibus prædictis habitis cum Dominis Patrono, Curatis, quondam Domino Rolando & ejus uxore, (prout in inde confectis Litteris continetur) affirmare & approbare, & eis de novo noſtrum conſenſum & Auctoritatem interponere; dictum Monaſterium Supplicantium, & earum Patrem Confeſſorem Magiſtrum & Directorem, in prędicti Reverendi in Chriſto Patris & Succeſſorum ſuorum Tornacenſium Epiſcoporum protectionem, obedientiam & omnimodam juriſdictionem ſuſcipere; eiſque permittere quod ſub habitu & Regula Tertii Ordinis ſancti Dominici, & *de Pœnitentia* nuncupati; ac Privilegiis Ordinis, præmiſſis non derogantibus, illic vitam gerant generalem, ſub cura dicti Patris, & poſt eum, ac quoties opus fuerit, novum eligere de Ordine

CAPUT XCIX.

Acta in primâ Reformatione (1) *anno* 1520 *per* GUILIELMUM DE CROY, *S. R. E. Cardinalem, Administratorem Abbatiæ Affligemiensis, in idem Monasterium introductæ, assumptis ad hoc Religiosis Abbatiæ Egmondensis, ejusdem Ordinis S. Benedicti in Hollandia.*

Ex Chron. MSS. Affligem. per Odonem Cambier.

IN nomine Domini amen. Per hoc præsens publicum Instrumentum cunctis evidenter constet & sit notum; Quod anno à Nativitate ejusdem Domini millesimo quingentesimo vicesimo, Indictione octavâ, mensis Septembris die vigesimâ, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri D. Leonis Divinâ providentia Papæ Decimi anno octavo, constitutus Reverendissimus in Christo Pater & Dominus, GUILLELMUS DE CROY Miseratione divinâ tunc Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis tit. S. Mariæ in Aquiro, Archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum Primas, Regnorum Castellæ major Cancellarius, Monasterii Affligemensis Administrator perpetuus;

Considerans animoque revolvens pro stabilitate Reformationis introductæ in suo Monasterio Affligemensi fore perutile, si introducti alioquin Religiosi de Monasterio Egmondensi, qui cæteris ibidem existentibus Religiosis normam & Regulam in Religione observandam præbuerunt, incorporarentur; idque exequi desiderans, in mei Notarii publici testiumque infra-scriptorum ad hoc vocatorum & rogatorum præsentia, omnibus infrascriptis Religiosis in loco Capitulari congregatis & convocatis; videlicet

Nomina Religiosorum, tam Affligem. quam Egmondensium.

Dominis Willelmo de Ghoer ejusdem Monasterii Præposito; Fratre Ottone, Willelmo de Wavria, Gerardo de Amersfordia, Ottone Haesten, Theoderico à Trajecto, Arnoldo Montano, Mathia de Busto, Alberto à Nardis, Willelmo Hoesden, Wilhelmo de Aldenardis, Hugone Matthei, Henrico Volxem, Bernardino de Delfft & Godefrido de Busto, Conventum ipsum repræsentantibus, recepto primitus à præfato Domino Willelmo de Ghoer, quem in dicti Monasterii Præpositum præfecerat, obedientiæ voto, eidem suas vices in spiritualibus & temporalibus, juxtam Cartam desuper confectam & coram omnibus ibidem astantibus ex tunc publicatam, committendas duxit & commisit.

Deinde omnes & singuli supra nominati Religiosi in eodem loco Capitulari antedicto Domino Guillelmo Præposito, Domini Reverendissimi personam repræsentanti obedientiam fecerunt & exhibuerunt.

Quâ sic exhibitâ, omnes & singulos memoratus Dominus Reverendissimus omnibus & melioribus, modo, via, jure, causa & forma, quibus potuit & debuit, in suos Religiosos & Confratres humaniter recepit & assumpsit, & suo Monasterio Affligemensi antedicto incorporavit.

De qua quidem Incorporatione cæterisque præmissis antedicti Domini Reverendissimus & Præpositus à me Notario publico infrascripto sibi fieri, atque tradi unum vel plura, publicum seu publica petierunt Instrumentum & Instrumenta.

Acta fuerunt hæc in loco Capitulari ejusdem Monasterii, sub anno, indictione, mense, die & Pontificatu, quibus supra.

Testibus ibidem, Reverendis in Christo Patribus Dominis, Meynardo Man Egmondensis, & Joanne de Maricolis Abbatibus, Testibus ad præmissa vocatis specialiter atque rogatis.

Subscriptum erat. Et ego Melchior le Lorimier Presbyter Atrebatensis Diœcesis, publicus ut supra, sacra Authoritate Apostolica Notarius, omnia in præmissis omnibus & singulis, dum sicuti supra scribuntur, agerentur, dicerentur, & fierent, unà cum Reverendiss. Patribus Testibus antedictis præsens interfui, eaque sic fieri vidi, scivi, & audivi. Idcirco hoc præsens publicum Instrumentum manu alterius fideliter scriptum, me aliis occupato negotiis, exinde confeci, subscripsi, & in hanc publicam formam redegi, in fidem & Testimonium eorundem rogatus & requisitus.

(1) Secunda eaque longè celebrior Reformatio Monasterii Affligemiensis, facta est anno 1617. cum introducta fuit strictior seu primæva Benedictinæ Regulæ observantia, per Archiepiscopum Mechlin. *Jacobum Boonen*, Præpositumque ejusdem Monasterii *Benedictum Haestenum*, Ultraject. pietate non minus quam scriptis & eruditione clarissimum. Vide Bibliothecam Belgic. Tom. I. pag. 133.

Digitized by Google

CAPUT C.

Erectio Eccleſiæ Parochialis S. Joannis Baptiſtæ, in loco vulgo 't Sant daer buyten, *Diœceſis olim Leodienſis, dein vero Antverpienſis, ſub Marchionatu Bergizomenſi, anno* 1526 *per Reverendiſſ. D.* Erardum a Marca, *S. R. E. Cardinalem, Epiſcopum Leodienſem; ad inſtantiam D.* Joannis de Bergis, *Domini Bergizomenſis, qui locum ſupra dictum ab inundatione maris vindicaverat, ipſamque Eccleſiam conſtruxit, dotavitque; reſervato ſibi Jure Patronatûs.*

Extractum ex Archivis Caſtri Bergizomenſis.

Erardus de Marcka, Sacro-Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, Archiepiſcopus Valenciæ, Epiſcopus Leodienſis, Dux Bullonienſis, Comes Loſſenſis, univerſis & ſingulis præſentes noſtras Litteras viſuris, lecturis & audituris, ſalutem, quam Jheſus de Virgine natus generi profudit humano.

Juſta ſupplicium vota, quę à rationis tramite non diſcrepant, ſed per quæ potius laus & honor Dei, & divinus cultus augmentantur, facile exaudire, & illis benignum præbere aſſenſum, æquum & rationabile, ac Deo Altiſſimo gratum & acceptum eſſe arbitramur.

Sane igitur pro parte generoſi Viri Nobis ſincerè dilecti, Joannis de Bergis Domini temporalis Oppidi ſeu loci de Bergis ſupra Zomam, noſtræ Leodienſis Dyoceſis, Nobis exhibita petitio inter alia continebat, qualiter, cum in eodem ſuo Dominio de Bergis ſupra Zomam ſint plura & diverſa loca lutoſa, ac terræ, mari ac inundationi fluminibuſque aquarum ſubjacentia, atque inculta pariter & inhabitabilia, ad ipſum Significantem & ſuos Succeſſores pleno jure ſpectantia & pertinentia,

Et præcipue inter hujuſmodi loca, quoddam alluvium, illic per alluvionem maris ſibi ſucceſſivè accretum, vulgariter *Gorſſinghe*, nuncupatum *'t Sandt daer buyten*; idem Significans dictum alluvium non ſine magno ære gravibuſque ſuis impenſis, aggeribus & vallis decentibus de prope circumdedit, & è mari illiuſque impetuoſis fluctibus eripuit & redemit, atque ferme ad culturam & ad inhabitandum & fructificandum pro uſu humano ſatis decenter aptavit, & aptari procuravit.

Et capropter idem, ſpe retributionis æternę, ac zelo devotionis, & divini cultûs ardore accenſus, Eccleſiam unam Parochialem, cum cimiterio, & aliis ad Eccleſiam & Parochiam neceſſariis, pro congregatione populi illic confluentis, fundare, conſtruere & ædificare propoſuit, & ſummopere affectat, & deſiderat: ſi in hiis & circa & ea ſibi morem gerentia noſtram Ordinariam adjungere vellemus Authoritatem.

Fuit Nobis ob hoc humiliter pro parte ejuſdem Domini Johannis de Bergis ſignificantis, ſupplicatum, quatenus pro ſui ſalubris voti complemento, ſibi licentiam & facultatem concedere vellemus, ut cùm primum dictum Alluvium, nuncupatum *'t Sandt daer buyten*, ſecurè & pertinenter aggeribus circumductum, & à mari proclufum fuerit, ita quod habitabile ſit redditum, in eo, aut aliquo loco convenienti ſeu opportuno ſibi placente, Eccleſiam unam Parochialem, cum cimiterio, fonte baptiſmali, in longitudine, latitudine, altitudine, & profunditate decenti, aliiſque inſigniis Eccleſiæ Parochiali incumbentibus, prout expediens videbitur, conſtruere, ædificare & formare, ſeu conſtrui ædificari & formari facere poſſet;

Quodque Nos, ex Authoritate & Superioritate noſtris, eandem Eccleſiam, dum ſic conſtructa, ædificata & formata erit, *in quartam Capellam*, ad inſtar aliarum quartarum Capellarum Eccleſiarum Parochialium Decanatûs Chriſtianitatis *Concilii Beteckenſis* noſtræ Leodienſis Dyoceſis præſcriptæ, ad laudem & honorem ac ſub vocabulo & titulo Omnipotentis Dei, ac gloriosiſſimæ ejus Genitricis Virginis Mariæ, omniumque ſimul Sanctorum ac ſignanter S. Johannis Baptiſtæ, cum ſingulis juribus & inſigniis, Parochialem Eccleſiam, & ſeu quartam Capellam demonſtrantibus;

Mediante tertiâ parte, ex tribus partibus Decimarum, in dicto alluvio excreſcendarum, pro illius dote Eccleſiaſtica; (reliquis duabus earumdem Decimarum tertiis partibus dicto Significanti, pro ſuis expenſis, ſumptibus ac incommodis reſervatis)

Juxta formam & tenorem Litterarum Apoſtolicarum SS. quondam D. Julii, felicis recordationis Papæ II. de data anni Incarnationis Dominicæ mille-quingenteſimi undecimi, IV Kal. Martii, Pontificatûs ſui anno nono, ac Proceſſuum Apoſtolicorum, illorum prætextu conceſſorum & fulminatorum;

Nec

Nec non omnibus & ſingulis accidentalibus oblationibus, Anniverſariis, & aliis Juribus Parochialibus cum tempore obventuris, alicui Presbytero ſœculari ad hoc idoneo conferendum, ſub onere Miſſarum in quartis Capellis celebrari debitarum & conſuetarum, erigere, fundare & inſtituere, atque tertiam partem earumdem Decimarum, cum hujuſmodi accidentalibus oblationibus & aliis Juribus obventuris, dictæ Eccleſiç, & illius pro tempore Rectori pro eo & ejus ſervitore, pro dote Eccleſiaſtica appropriare, incorporare & amortizare, ac Eccleſiaſticæ libertati ad ſcribere.

Ipſamque Eccleſiam ſic conſtructam erectam & fundatam, pro hac primâ vice Domino *Cornelio Matthiæ Colen* Presbytero dictæ noſtræ Leodienſis Dyoceſis, tamquam habili & ydoneo ad illam obtinendum, pleno jure conferre; nec non Jus Patronatûs ſeu præſentandi Domino Decano Chriſtianitatis dicti Concilii Beeckenſis perſonam ydoneam ad ipſam Eccleſiam, dummodo eam vacare contigerit, dicto Significanti ſuiſque Heredibus & Succeſſoribus pro tempore exiſtentibus perpetuò reſervare;

Atque licentiam hujuſmodi Eccleſiam, illiuſque cimiterium cum forte & altaribus in ea conſtruendis, per noſtrum in Pontificalibus Vicarium conſecrari faciendi, & in eadem, ante illius & altarium in ea conſtruendorum conſecrationem, divina Miſſarum ſolemnia in lapide portatili, ſeu lapidibus portatilibus conſecratis, donec ipſa Eccleſia & Altaria commodè conſecrari poterunt, celebrandi & celebrari faciendi, reſpectivè concedere & impertiri, aliaſque & alia in præmiſſis & circa ea, quomodolibet neceſſaria, facere vellemus & dignaremur, noſtram Ordinariam Authoritatem noſtrumque Officium in ea parte ſincerè implorantes.

Nos igitur *Erardus*, Cardinalis, Epiſcopus Leodienſis prælibatus, qui noſtris in temporibus ex internis viſceribus augmentum divini cultûs locorumque ſacrorum plantationem, ac animarum ſubditorum noſtrorum ſalutem, ſummo deſiderio affectamus & aſpiramus, memorati Domini *Johannis* Significantis laudabile in hac parte propoſitum, plurimum in Domino commendantes, Supplicationique ſuæ tam juſtæ Deificæ, atque omnino rationi conſonæ & conformi, favorabiliter annuentes, eidem quatenus, ſi, ac dum dictum alluvium, nominatum ut prefertur *'t Sandt daer buyten* turè ac ſecurè aggeribus ac vallis circumdatum erit, adeo quod habitabile, ceſſante periculo ſit redditum, in eo, in aliquo loco convenienti & opportuno ſibi placente, Eccleſiam Parochialem, cum cimiterio pro ſepultura morientium, fonte Baptiſmali, choro, altaribus, turri, campanis, campanili, in longitudine, latitudine & profunditate decenti, etiam cum choris collateralibus, prout expediens videbitur, conſtruere & ædificare, ſeu conſtrui & ædificari facere, licitè poſſit & valeat, Authoritatem concedimus & facultatem.

Et inſuper eandem Eccleſiam, dum ſic conſtructa, ædificata & formata fuerit, ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, in Quartam Capellam, ad inſtar aliarum Quartarum Capellarum Eccleſiarum Parochialium Decanatûs Chriſtianitatis Concilii Beeckenſis, ad laudem & honorem, ac ſub vocabulo & titulo Omnipotentis Dei, ac glorioſiſſimæ ejus Genitricis Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum & Sanctarum & ſignanter S. Johannis Baptiſtæ, mediante tertiâ parte ex tribus partibus decimarum in dicto alluvio excreſcendarum, pro illius dote;

Reliquis duabus earumdem Decimarum tertiis partibus dicto Significanti pro ſuis expenſis, ſumptibus & incommodis, reſervatis: juxta & ſecundum formam & tenorem Litterarum Apoſtolicarum Sanctiſſimi quondam Domini Julii, felicis recordationis Papæ II. præſcripti, deſuper conceſſarum, & etiam nobis exhibitarum.

Quas etiam duas Decimarum partes ſibi Significanti ſuiſque hæredibus & Succeſſoribus, quantum poſſumus & ad Nos ſpectat, præmiſſis impenſis attentis, harum ſerie reſervamus.

Nec non mediantibus omnibus & ſingulis accidentatibus oblationibus, anniverſariis, & aliis Juribus Parochialibus cum tempore obventuris, ſub onere Miſſarum in Quartis Capellis celebrari debitarum & conſuetarum, Authoritate noſtrâ Ordinariâ prætactâ erigimus, fundamus, & perpetuò inſtituimus; ſingula jura & inſignia, Parochialem Eccleſiam & ſeu Quartam Capellam demonſtrare valentia, illi attribuentes & appropriantes.

Atque ſupra-tactam tertiam partem earumdem Decimarum, cum hujuſmodi accidentalibus, oblationibus, & aliis Juribus parochialibus obventuris, dictæ Eccleſiæ & illius pro tempore Rectori, pro eo, & ejus ſervitore, pro dote Eccleſiaſtica (illam Authoritate noſtrâ præſcriptâ admortizantes) appropriamus, incorporamus & aſſignamus, ac Eccleſiaſticæ libertati adſcribimus.

Ipſamque Eccleſiam ſic conſtructam, erectam, & fundatam, cum ſingulis ſuis Juribus & obventionibus præmiſſis, & ſub onere prætacto, Domino *Cornelio Matthiæ Colen* Presbytero præſcripto, qui populo & Eccleſiæ prædictis in divinis, & animarum curâ regendâ præeſſe debebit, tamquam habili & ydoneo ad illam obtinendum pro hac primâ vice pleno jure conferimus.

Illique curam, regimen & administrationem Ecclesiasticorum Sacramentorum ibidem committimus; eique de ipsa sic per Nos noviter erecta Ecclesia, in Dei nomine per præsentes providemus.

Jus Patronatûs. Nec non Jus Patronatûs, seu præsentandi dicto Decano Christianitatis dicti Concilii Broeckensis, personam ydoneam ad sæpe-fatam Curam, quotiens deinceps illam vacare contigerit, dicto Significanti & suis heredibus aut successoribus pro tempore existentibus perpetuò reservamus.

Qui quidem Dominus *Cornelius*, jam per dictam Ecclesiam provisus, atque singuli ad illam postea præsentandi & instituendi, Papalia, Episcopalia, & alia jura & onera incumbentia supportare, sustinere & subire debebit, & debebunt.

Licentia Consecrationis. Consentientes præterea per præsentes quod noster in Pontificalibus Vicarius pro tempore existens, præfatam Ecclesiam illiusque cimiterium, cum clausum erit, & fontem Baptismalem, ac altaria omnia in eadem construenda, dum sic respectivè constructa erunt, adhibitis solemnitatibus in ea parte adhiberi solitis & consuetis, consecrare & benedicere possit & valeat, ac consecret & benedicat: dum desuper per prælibatum Significantem seu ejus nomine requisitus erit.

Quodque insuper in eadem Ecclesia, ante illius, & Altarium in eadem construendorum consecrationem, divina Missarum solempnia in lapide consecrato portatili, seu lapidibus portatilibus consecratis, per quemcumque Presbyterum sœcularem ydoneum, submissâ & sonorâ vocibus, donec ipsa Ecclesia & Altaria consecrata erunt, licitè, & impunè, celebrari & decantari possint & valeant; ulteriori licentiâ super præmissis omnibus à Nobis minimè postea requisitâ. Suspensis tamen à divinis Officiis, excommunicatis & interdictis, ac hiis qui causam alicujus Interdicti dederint, exclusis.

Quæ omnia & singula præmissa, Nos Erardus Cardinalis & Episcopus præscriptus, ex certa nostra scientia, Authoritate nostrâ Ordinariâ prælibatâ, dicto Significanti clementer annuimus, ac ab omnibus quorum interest vel intererit, quosque præsens tanget negotium seu tangere poterit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari volumus; & sic ut præmittitur facimus & fieri præcipimus.

Indulgentiarum Concessio. Et nihilominus, ut tam sanctum & laudabile propositum dicti Significantis, & opus pium prætactum uberiorem in Domino consequatur effectum, omnibus & singulis utriusque sexûs Christi fidelibus Nobis subditis, pœnitentibus contritis & confessis, qui circa reparationem & constructionem dictæ Ecclesiæ, ac Fabricæ & luminarium illius & altarium, & ornamentorum intertentionem, manus porrecturi erunt adjutrices, suas eleëmosynas ac caritativa subsidia erogaturi;

Quique ipsam Ecclesiam, dum consecrata fuerit, in festivitatibus Nativitatis, Resurrectionis & Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, Pentecostes, SS. Sacramenti, Assumptionis, & aliis festivitatibus gloriolæ Virginis Mariæ, Nativitatis S. Johannis Baptistæ, & omnium Sanctorum, quolibet ipsorum Festorum, nec non & Dedicationes dictæ Ecclesiæ, &, seu processiones statuendæ & ordinandæ, devotè visitaverint, ac pro bono & felici statu S. R. E. nostroque & ipsius Significantis Altissimum exoraverint, de ipsius Salvatoris clementia, ac B. M. V. ejus Genitricis, BB. Petri & Pauli Apostolorum, ac S. Lamberti Præsulis Patroni nostri inclyti, ac omnium simul Sanctorum meritis & intercessione confisi, centum dies Indulgentiarum, singulis dictorum Festorum festivitatibus, de injunctis ipsis pœnitentiis, Authoritate nostrâ præscriptâ, misericorditer in Domino relaxamus.

Mandantes postremò, prælibatum Dominum Cornelium, seu ejus Procuratorem legitimum pro eo, & ejus nomine, in corporalem, realem & actualem possessionem poni admitti & induci, sibique vel procuratori suo legitimè deputato, & nemini alteri, de hujusmodi Ecclesiæ fructibus, redditibus proventibus & emolumentis universis responderi, temporibus & locis ad hoc aptis.

In quorum præmissorum fidem, & veritatis Testimonium, Sigillum nostrum ad causas præsentibus duximus appendendum.

Datum anno à Nativitate Domini millesimo quingentesimo vicesimo sexto, mensis Junii die decimâ octavâ.

De vico *'t Sant dael buyten*, modicum vide apud le Roy in Notitiâ Marchionatûs pag. . . . Hodie subest Hollandis: sed plerique restant ibidem Catholici.

Digitized by Google

CAPUT CI.

Fundatio Canonicatuum & Præbendarum in Eccleſia Collegiata Stæ. Dymphnæ Gelenſis in Campinia, anno 1562.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs Sancti, amen. MAXIMILIANUS A BERGIS, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus & Dux Cameracenſis, Sacri Imperii Princeps &c.

Sequitur hîc Fundatio Præbendarum Capituli S. Dymphnæ Ghelenſis, exhibita à Miræo Tomo I. Diplom. Belgic. pag. 327. Sed quia ibi non habetur integra, quod deerat hîc ſupplemus ex Authographo, poſt verba: Eccleſiaſtica miniſtrare Sacramenta. . . . .

Juſtaque impendet funerum ſeu exequiarum, ac oblationes, juraque recipiet & habebit ſolita ac conſueta. Aliaſque & alia faciet & facere poterit tam ipſe Decanus quam Canonici pro tempore exiſtentes & futuri, prout aliàs per & inter Rectorem Eccleſiæ Parochialis divorum Amandi & Dympnæ ejuſdem Libertatis Gelenſis ex una, & ante-dictos tunc Directorem & Vicarios ex altera partibus, tractatum & concordatum exiſtit.

Authoritas Decani. Item quod præfatus Decanus unà cum Capitulo dictæ Eccleſiæ Collegiatæ B. Dympnæ habebit juriſdictionem & correctionem in ſingulos Canonicos, Presbyteros, Clericos & miniſtros dictæ Eccleſiæ de minoribus exceſſibus & iis quæ ad chorum & morum correctionem ſpectant; prout & quemadmodum olim Director per Litteras antedictæ primæ Fundationis, Inſtitutionis & Confirmationis Apoſtolicæ conceſſum, & deinde quoque per præfatum quondam bonæ memoriæ Dominum ROBERTUM Prædeceſſorem noſtrum anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo die XXII. menſis Aprilis ſtatutum & ordinatum fuit. Quorum omnium & ſingulorum tenores & formas hic pro repetitis, ac pro de verbo ad verbum inſertis habemus.

Dictaſque Litteras & in iis contenta omnia & ſingula præfatis Decano & Canonicis loco Directoris & Vicariorum, quorum denominationem & nuncupationem poſthac ſupprimimus, eadem Authoritate noſtrâ Ordinariâ applicamus, appropriamus, ac per eoſdem Decanum & Canonicos alioſque, prout ipſos & eorum quemlibet reſpectivè concernunt ſeu concernere poterunt, inviolabiliter obſervari debere decernimus & declaramus.

Item ſtatuimus & ordinamus, quod quilibet Canonicus adeptus poſſeſſionem Præbendæ, ſeſe offerat & preſentet ad reſidentiam perſonalem, quolibet anno in Vigilia Nativitatis Sti. Joannis Baptiſtæ, atque deinde reſidentiam ſuam continuet, prout habent Litteræ Erectionis Statutaque dicti Prædeceſſoris noſtri; alioquin pœnis inibi contentis ſubjaceat. De reſidentia Canonicorum.

Item quod quilibet Canonicus noviter recipiendus in dicta Eccleſiâ, ultra jura Eccleſiæ ſeu Fabricæ, in prima receptione juxta ejuſdem Prædeceſſoris noſtri Ordinationem, ſolvi ſolita, perſolvet ſex florenos communes ſemel, ad opus unius cappæ ſericæ pro divini cultus decoratione conficiendæ.

Item quod nullus Canonicorum vel Sacerdotum dictæ Eccleſiæ vel Libertatis Gelenſis eandem Eccleſiam vel chorum (dum inibi divina celebrantur Officia) intrare præſumat, niſi in habitu, tonſura & ſuperpelliceo competentibus, ſub pœna trium ſolidorum Turonenſium veterum, ad opus choralium ejuſdem Eccleſiæ, quoties cumque omiſſa fuerit, applicanda.

Item ſimiliter ſtatuimus & ordinamus, quod præfati Decanus & Canonici juxta piam præfati Domini HENRICI voluntatem, perpetuis futuris temporibus, ultra alia divina obſequia ipſis juxta primœvam dictarum ſeptem Horarum Canonicarum inſtitutionem incumbentia, ſingulis annis tenebuntur tractim & devotè celebrare duo ſolemnia anniverſaria in dicta Eccleſia B. Dympnæ, cum Diacono & Subdiacono in Miſſa, una cum Sequentiâ pro defunctis: atque die precedenti Vigilias cum novem lectionibus & commendationibus. Quorum quidem Anniverſariorum alterum, ſingulis annis eo die quo ipſum Dominum HENRICUM ab hoc ſeculo migrare contingeт, & alterum in die obitus quondam Dominæ FRANCISCÆ DE BREDERODE ſuæ Conthoralis die 7 menſis Martii, videlicet pro animabus ipſorum, devotis precibus oraturi celebrabunt.

Item quod etiam omnes & ſinguli tam Decanus quam Canonici dictæ Eccleſiæ Collegiatæ pro tempore præſentes & futuri jurabunt ſolemniter, quod Erectionem & Inſtitutionem iſtius novi Collegii ſeu Eccleſiæ Collegiatæ perpetuò firmiter obſervabunt & intertinebunt, & quantum in eis fuerit obſervare & intertinere facient, neque quidquam facient, aut fieri procurabunt, quod ſit aut eſſe poſſet in ejus deſtructionem, præjudicium, aut diminutio-

Digitized by Google

nem ſeu gravamen ; Jure tamen noſtro & alterius cujuſlibet ſemper ſalvo.

In quorum omnium fidem & Teſtimonium, præſentes Litteras manu noſtra ſignatas, conſcribi, ac per fidelem nobis dilectum Conſiliarium & Secretarium noſtrum ſubſcribi, noſtrique Sigilli munimine juſſimus roborari.

Datum & actum Bruxellæ dictæ noſtræ Diœceſis, anno à Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, Indictione quintâ, die undecima menſis Auguſti, Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Pii divina providentia Papæ IV. anno tertio.

Subſignatum MAXIMIL. à BERGIS. Et inferius ſub plicâ ; ad petitionem R. & Ill. Domini Epiſcopi & Ducis &c. Domini mei gratioſiſſimi mandatum proprium: H. DE CLUSIS.

CAPUT CII.

MARTINUS RITHOVIUS I. *Iprenſium Epiſcopus, erigit in Eccleſia Collegiata B. Mariæ Caſleti dignitatem Decanalem, anno 1566.*

Ex Archivis Archiepiſc. Mechlin.

MARTINUS Dei gratiâ Epiſcopus Iprenſis, univerſis & ſingulis præſentes Litteras noſtras, ſive Ordinationem & Decretum definitivum viſuris, lecturis, pariter & audituris, ſalutem in Domino.

Cum in Cauſa Erectionis & Inſtitutionis Decanalis Dignitatis in Collegiata ac Parochiali Eccleſia B. Mariæ Oppidi Caſletenſis, cum Dotatione ejuſdem, inſtante Promotore noſtri Officii, pro tribunali & ad Jura reddenda ſedentes . . . . . in pleno Conſiſtorio die hodierna ſubſcripta, noſtram Sententiam & Decretum deſuper protulerimus in hanc formam :

In nomine Domini Amen. In Cauſa Erectionis & Inſtitutionis Decanalis dignitatis cum Dotatione ejuſdem in Collegiata ac parochiali Eccleſia Stæ. Mariæ Oppidi Caſletenſis, coram nobis pendente indeciſa, viſis & attentis quæ Nobis ad dominici gregis in Collegiata Eccleſia & Parochia B. Mariæ in Caſleto, cuſtodiam & curam tanquam utilia & neceſſaria expoſita fuerunt, ac iiſdem diligenter per Nos examinatis & diſcuſſis, ipſiſque quorum maximè intereſſe videbatur perſonaliter, aliis autem omnibus quorum aliquo modo intereſſe poterat in futurum, per Edictum ad Eccleſiæ valvas legitimè evocatis, ac coram Nobis citatis Eximiis ac Venerabilibus Viris Dominis Cantore, Canonicis & Capitulo dictæ Eccleſiæ B. Mariæ, in infra-ſcripta noſtra Ordinatione expreſſè & ſpecificè conſentientibus, nemineque qui ſe opponere vellet, die ad infraſcripta deſignato comparente,

Nos, pro tribunali ad jura reddenda ſedentes, ac animarum prædictæ Eccleſiæ ſaluti conſulere volentes, inſtante Promotore Officii, maturâ deliberatione & conſilio prehabitis, Concilii Tridentini & & Ordinaria noſtra Authoritatibus, in eadem Eccleſia B. Mariæ ad honorem omnipotentis Dei & divini cultûs augmentum, ſub ſolemnitatibus debitis & requiſitis Decanatum, Dignitatem inibi primam, cui Cura animarum annexa ſit, inſtituimus & erigimus,

Ordinantes, ut in eadem Eccleſia ſit & perpetuo maneat Decanus & Canonicus in dignitate primus, totius Cleri & populi Paſtor & Rector, Caput Capituli & Præſidens tam ibidem quam in Eccleſia & choro, prout in aliis Eccleſiis Collegiatis noſtræ Diœceſis de Jure & conſuetudine ſolet & obſervatur.

Deinde pro hujuſmodi Dignitatis Decanalis dote, Canonicatum & Præbendam, quibus pro altera portione cura animarum ejuſdem Eccleſiæ annexa eſt, nunc per mortem Domini Mauritii Scholonie ultimi illorum dum vixit poſſeſſoris pacifici, in eadem Eccleſia vacantes, cum Canonicatu & Præbenda quos ibidem obtinuit Venerabilis Vir ac Dominus Mr. Joannes Gerardi, Auctoritatibus quibus ſupra, cum omnibus ſuis juribus, emolumentis, præeminentiis ac oneribus univerſis, univimus, annexuimus, unitoſque & annexos, & dictæ dignitati Decanali, cum onere Curæ annexo, perpetuis & futuris temporibus nomine Dotis incorporatos haberi ſemper volumus & mandamus & deſignatos pronunciamus, ordinamus, & declaramus, ac pro legitimè unitis & incorporatis haberi ſemper volumus & mandamus.

Afficientes nihilominus prædictos Decanatum, Canonicatum & Præbendam, & illos in perpetuum affectos eſſe declarantes perſonis Graduatis ad minus in Theologia Baccalaureatûs, aut Jure Canonico Licentiæ gradu in publico & approbato Gymnaſio inſignitis, noſtris quoque ſuperioritate, obedientia, proviſione, collatione & omni alia diſpoſitione nec non viſitatione & correctione, ab antiquo nobis competentibus, retentis hîc & ubique ſalvis.

Hinc Presbyteris omnibus & Notariis nobis ſubditis præcipimus & mandamus, non ſubditos rogamus, quatenus præmiſſis noſtris Erectioni, Dotationi, Aſſignationi

tioni, ordinationi & declarationi, Venerabilibus Dominis Cantori & Capitulo dictæ Eccleſiæ D. Virginis Caſletenſis inſinuent, inthiment & manifeſtent, omnibuſque aliis quibus opus erit, & requiſiti fuerint, ſeu eorum unus inthimet, inſinuet & manifeſtet, ubi & quando neceſſum erit, ne ignorantiam prætendere valeant de eiſdem quoquo modo.

Datum & actum Ipris anno Domini M. D. LXVI. feria ſexta, poſtridie divi Petri ad vincula, Auguſti ſecundâ.

In quorum fidem, robur & teſtimonium, preſentes per Secretarium noſtrum expediri, eatque Sigillo noſtro muniri fecimus & juſſimus, anno & die prædictis.

Capitulum hoc duos agnoſcit Fundatores: Robertum Caſletanum filium Roberti de Bethunia, Flandriæ Comitis, & Petrum d'Orgemont Teroanenſem Epigcopum anno 1577; quorum primus ſex, alter quinque fundavit ac dotavit Præbendas.

Ex his una unita eſt Cantoratui, quæ olim fuit prima Dignitas, & ad Collationem Regis. Succeſſu temporis acceſſerunt duo Curati: ſed anno 1566. Mart. Kithovius I. Iprenſium Epiſcopus convenientius fore judicavit, ſi è duabus portionibus Paſtoralibus una fieret, & unus Paſtor, qui ſimul eſſet Decanus hujus Eccleſiæ, & annexum haberet Canonicatum.

Primus Decanus fuit *Henricus Hombraecken*, S. T. L. qui dignitatem dimiſit anno 1580.

Joannes Hoofchap, Presbyter Diœceſis Mechlinienſis J. Can. Licent. obiit anno 1614.

Balduinus Gooſſens, Kithovius, S. T. B. F. Paſtor in Peene, & Decanus Chriſtianitatis in Diſtrictu Caſletenſi obtinuit hunc Decanatum anno 1614. à Rege, & curam animarum ab Epiſcopo de Hennin. Sed fuit in lite contra Cantorem & Canonicos B. M. qui prætenderunt Decanatum hunc eſſe extinguendum: & recurrens ad Archiepiſcopum Mechlinienſem, petiit Decanatum ſibi jure devoluto conferri.

Subſiſtit hodieque hæc Dignitas Decanalis, cujus poſſeſſor ſimul eſt primus Parochus, ad nominationem Principis.

CAPUT CIII.

CORNELIUS JANSENIUS, *primus Gandavenſium Epiſcopus, Domum Fratrum S. Hieronymi, ſeu Vitæ communis, convertit in Seminarium Epiſcopale, anno 1569. Quod ipſum ſequente anno confirmat* ANTONIUS PERRENOT, *S. R. E. Cardinalis, Archiepiſcopus Mechlinienſis.*

Ex Archivis Archiepiſc. Mechlin.

ANTONIUS miſeratione divinâ Tit. S. Petri ad vincula, S. R. E. Presbyter Cardinalis Granvellanus, Archiepiſcopus Mechlinienſis & S. Sedis Apoſtolicæ per ſacrum generale Concilium Tridentinum ad infraſcripta faciendum Delegatus, univerſis & ſingulis præſentes Litteras viſuris, lecturis pariter & audituris, ſalutem in Domino ſempiternam.

Regimini Eccleſiæ Mechlinienſis ex divina diſpoſitione, licet immeriti præſidentes, ad ea ex Paſtoralis officii noſtri debito noſtros ſtudioſius dirigimus affectus, quæ pro ejuſdem generalis Concilii executione per dilectiſſimos Fratres noſtros Suffraganeos Comprovinciales Epiſcopos ad rei Chriſtianæ utilitatem & diſciplinæ SS. Scripturarum augmentum ritè geſta & acta comperiuntur: eiſque ut firma perpetuò & illibata perſiſtant, noſtræ Authoritatis robur & munimen pro majori eorum ſubſiſtentia, dum à nobis petitur, libenter adjicimus.

Sane expoſito nobis pro parte Reverendiſſ. in Chriſto Patris & Domini D. Cornelii Janſenii Epiſcopi Gandavenſis Suffraganei & Fratris noſtri dilectiſſ. Qualiter ipſe nuper juxta jam-dicti Generalis Concilii Tridentini Canones & Decreta Collegium Juventutis piè inſtituendæ, quod perpetuum eſſe poſſit Miniſtrorum Dei Seminarium erigere intendens; Domum, Scholam, templum, bona redditus proventus & emolumenta Collegii Fratrum S. Hieronymi, Civitatis Gandavenſis, ubi juventus hactenus inſtituta fuit, ad ejuſdem Seminarii profectum uſum & utilitatem perpetuò perventura, prævиis tamen Sereniſſ. & Catholicæ Regiæ Majeſtatis, ſeu Illuſtriſſimi D. Ducis Alve, pro eadem S. M. in hiſce Inferioris Germaniæ Ditionibus Gubernatoris & Capitanei generalis beneplacito, ac Patris & Fratrum dicti Collegii conſenſu & aſſenſu, ac ſub certis conditionibus, & ob cauſſas in ſubinſertis Litteris contentas;

Cum conſilio Venerandorum ac Venerabilium DD. Clementis Crabeels, Archidiaconi, Anthonii Van den Eetvelde, Canonicorum Eccleſiæ ſuæ Gandenſis, Ludovici Huyghè Curati ejuſdem Eccleſiæ, & Johannis de Bane Decani Chriſtianitatis Diſtrictûs Gandenſis, Presbyterorum, tamquam Capituli præfati, & Cleri Civitatis Gandavenſis ad hoc reſpectivè Deputatorum, omnibus melioribus modo & formâ, quibus juxta Diſpoſitionem præfati Generalis Concilii potuit & debuit, applicuit

& incorporavit, aliàsque fecit, prout in Litteris, quarum tenor de verbo ad verbum ſequitur, continetur.

UNiverſis & ſingulis præſentes Litteras inſpecturis, Cornelius Janſenius, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Gandavenſis, ſalutem in Domino.

Ex debito Paſtoralis Officii nobis commiſſi, tota noſtræ ſollicitudinis cura ad ea libenter intendit, per quæ piorum locorum indempnitati & conſervationi conſultum, ac Fundatorum eorumdem locorum intentioni poſſit eſſe ſatisfactum.

Sane, cum factâ diligenti viſitatione Collegii Fratrum S. Hieronymi Civitatis Gandavenſis, noſtræ Juriſdictioni & correctioni ſubjectorum, ac diligenter perluſtratis computis & rationibus ejuſdem Domûs, nec non habitis & viſis omnium & ſingulorum dicti Collegii Fratrum atteſtationibus & depoſitionibus, Nobis legitimè & ſufficienter conſtitiſſet, terras & bona ejuſdem Collegii ſeu Domûs, partim per alienationem, partim per venditionem & hypothecationem reddituum ſuper eiſdem ultra mille octingentas & nonaginta libras groſſorum Monetæ Flandriæ à XXX annis vel XL. aut circiter fuiſſe & eſſe diminuta; atque ordinaria onera Domûs communibus annis longè excedere annuos dictæ Domûs proventus & bona reſtantia, etiam ultra XL. libras groſſorum.

Status Domûs.

Et propterea dictos Fratres bonis dictæ Domûs diutiùs ali & intertineri, ipſoſque intentioni Fundatorum dictæ Domûs quoad juventutis inſtitutionem ſatisfacere non poſſe, niſi per damnoſam venditionem bonorum reſtantium dictæ Domûs: idque pro aliquot dumtaxat annis ex intrinſeco eorumdem bonorum valore ſeu precio, & non ex annuo proventu.

Erectio Seminarii.

Cumque expenderemus, per ſacri Generalis Concilii Tridentini Decreta Nobis incumbere, Collegii, quod Seminarium vocant, Erectionem & Inſtitutionem, & animadverteremus alium locum, quam dictorum Fratrum Domum, utpote Eccleſiæ Cathedrali continguam, & ad Schaldam flumen extructam, non eſſe hujuſmodi Seminario commodiorem aut convenientiorem: attento præſertim, quod (ſicut accepimus) eadem Domus à primæva ſui Erectione ad juventutem inſtituendam fuerit deſtinata;

Hinc eſt, quod Nos, præmiſſis attentis, de conſilio & aſſenſu Venerabilium Virorum & DD. Clementis Crabeels * Archidiaconi, Antonii Van Eetvelde, Canonicorum, Confratrum noſtrorum, Ludovici Huyghe Curati Eccleſiæ Gandenſis, & Johannis de Bane Decani Chriſtianitatis Diſtrictûs Gandavenſis, Presbyterorum, tamquam Capituli noſtri, & Cleri Civitatis Gandenſis, ad dicti Seminarii conſtitutionem reſpectivè Deputatorum, certum Contractum (ſalvo ſemper S. Sedis Apoſtolicæ, ac Regiæ Majeſtatis Catholicæ beneplacito) cum Fratribus dictæ Domûs ſeu Collegii (videlicet FF. Livino Van der Schueren, Patre, Marco Libaert, Seniore, Joanne Alaert, Procuratore, Adriano Stueperaert Gubernatore Scholæ, Joanne Jacobs, Sacerdotibus; ac Georgio Zoetincx, & Ægidio de Coe, Laïcis, prætactum Collegium inter ſe conſtituentibus) de, & ſuper eorumdem Domo in prædicti Seminarii Erectionem convertendâ & incorporanda, concepimus; ſub Conditionibus & Pactis ſubſequentibus.

* Hic fuit dein Buſcoducenſis Epiſcopus.

Primò. Quod Pater & Fratres præſcripti, tam conjunctim quam diviſim, omnibus melioribus modo, jure, cauſâ & formâ, quibus poſſunt & debent, & quantum in eis eſt, ex nunc renunciant, cedunt, reſignant & dimittunt in manibus Reverendiſſimi Epiſcopi Gandavenſis & dictorum Deputatorum, ad utilitatem Seminarii, in Civitate Gandavenſi erigendi & inſtituendi, Domum, Eccleſiam, Scholam, hortum, mobilia & ſupellectilia omnia, cum omnibus & ſingulis annexis, connexis & dependentibus, nullis exceptis; prout & quemadmodum iidem Fratres ea nunc poſſident & inhabitant. Conditiones ceſſionis.

Secundò. Renunciant, cedunt & reſignant in manibus & ad utilitatem prædictam, omnia bona, tam mobilia, quam immobilia, redditus, proventus, jura, emolumenta, actiones & commoda, ubivis locorum ſita & exiſtentia, ac præſcriptæ eorum Domui quomodolibet competentia; permittentes omnium & ſingulorum bonorum & jurium prædictorum dicto Reverendiſſimo Domino & Deputatis liberam adminiſtrationem & regimen.

Tertiò. Dicti Pater & Fratres, tam pro ſe quam eorum Succeſſoribus, abdicant à ſe omnem facultatem & poteſtatem, aliquem Fratrem ad habitum Domûs impoſterum recipiendi; conſentientes eandem poteſtatem apud prædictos Reverendiſſimum Dominum & Deputatos remanere; ipſumque Reverendiſſ. talium recipiendorum ad habitum, profeſſionem vel votum, ſolum recipere vel ſtipulari.

Item ex adverſo, Reverendiſſimus & Deputati intuitu prædictarum renunciationis, ceſſionis & reſignationis per dictos Fratres factarum, quas ad utilitatem dicti Seminarii acceptant, promittunt ſub obligatione bonorum tam præſentium quam futurorum dicti Seminarii, præſcriptos Fratres à debitis & oneribus ritè, legitimè atque ſecundum Canones conſtitutis, impoſitis & contractis, & non aliter, liberare.

Nec non eoſdem Patrem & Fratres, ac eorum ſingulos expenſis dicti Seminarii honeſtè juxta ſtatum & Statuta dicti Collegii

Digitized by Google

alere & intertinere, donec & quouſque præfatus Dominus Reverendiſſimus vel ejus Succeſſores eis providerint de competenti ac ſufficienti Beneficio ſimplici vel curato.

Præterea dicti Reverendiſſimus Epiſcopus & Deputati tenebuntur curare, ut hujus Contractûs (ut prædictum eſt) concepti Confirmationem, ac deſuper tam Sedis Apoſtolicæ, quatenus opus erit, quam Regiæ Majeſtatis beneplacitum impetrent & obtineant.

In quorum omnium & ſingulorum fidem ac robur præmiſſorum, Nos Cornelius Epiſcopus antedictus præſentes Litteras exinde fieri & Sigilli noſtri majoris, nec non quo dicti Fratres nomine Collegii ſui uti conſueverunt, fecimus & juſſimus appenſione communiri.

Datum & actum Gandavi anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono, menſis Auguſti die vigeſimâ ſextâ.

ET licet (prout ulterius ſubjungebatur) ex hoc quod dictum Generale Concilium Tridentinum expreſſè decreverit, bona antiquitus ad alendos vel inſtituendos pueros in aliquibus Eccleſiis vel locis deſtinata, eo ipſo hujuſmodi Seminariis applicata cenſeri debere, & ita Incorporatio ſeu applicatio per præfatum Reverendiſſimum Dominum Gandavenſem cum ſuis ad hoc adjunctis Deputatis facta, ulteriore aliquâ Confirmatione egere non videatur;

Attamen præfatus Reverendiſſimus Dominus Gandavenſis, ad majorem omnium & ſingulorum actorum ſecuritatem & cautelam Nos accedere conſultum judicavit, cum ea humili requiſitione, ut omnia & ſingula in præ-inſertis Litteris contenta & inde ſecuta, pro eorum ſubſiſtentia firmiori ratificare confirmare & approbare, illiſque perpetuæ firmitatis robur adjicere, atque Decretum noſtrum ac Authoritatem interponere vellemus & dignaremur.

Nos itaque hujuſmodi requiſitioni tanquam juſtæ & rationi conſonæ favorabiliter inclinati: præfatum Reverendiſſimum Dominum Epiſcopum Gandavenſem in ſuo tam ſancto pio & laudabili, ac Reipublicæ Chriſtianæ utili propoſito conſovere, eique quantum poſſumus in præmiſſis favores noſtros impartiri ſummopere deſiderantes, conſilio & deliberatione deſuper cum dilectiſſimo ac fideli noſtro Vicario in ſpiritualibus & temporalibus generali Magiſtro Maximiliano Morillonio Presbytero, J. U. Licentiato, Archidiacono Eccleſiæ noſtræ Mechlinienſis, prælabitis, præ-inſertas Litteras, omniaque & ſingula in eis contenta rata & grata habentes, eadem & inde ſequuta, & quæ forſan adhuc ad felicem dicti Seminarii perfectionem neceſſaria fuerint, ſeu aliàs quomodolibet opportuna (quantum in Nobis eſt) noſtrâ Authoritate laudamus, confirmamus & approbamus, ac perpetuæ firmitatis robur adjicimus, per præſentes.

In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum, eaſdem præſentes exinde fieri, & per Secretarium noſtrum infraſcriptum ſubſignari, ſigillique noſtri juſſimus & fecimus appenſione communiri.

Datum & actum Bruxellæ dictæ noſtræ Diœceſis, anno M. D. LXX. Menſis Junii die XXVI.

De Erectione hujus Domûs S. Hieronymi, ſeu Fratrum Vitæ Communis, vide Sanderi Flandriam Illuſtratam.

Eugenius IV. Pont. eandem recens erectam, ſuſcepit anno 1444. in protectionem. Pius II. Privilegia à Prædeceſſore eidem Domui conceſſa, anno 1462. extendit. Onufrius de Sancta-Cruce, Tricaricenſis Epiſcopus, Legatus Apoſtolicus in Belgio, nova Privilegia anno 1469. elargitus eſt. De hiſce omnibus vide ſupra pag. 68. & 442. hujus Tomi IV.

CAPUT CIV.

Erectio Parochialis Eccleſiæ S. Nicolai Bruxellis, per Cardinalem ANTONIUM GRANVELLANUM *primum Archiepiſcopum Mechlinienſem, anno* 1580.

Ex Archivis Archiepiſc. Mechlin.

ANTONIUS, Miſeratione divinâ Tit. S. Mariæ trans Tyberim S. R. E. Presbyter Cardinalis Granvellanus, Archiepiſcopus Mechlinienſis, & S. Sedis Apoſtolicæ per Generale Concilium Tridentinum ad infraſcripta faciendum Delegatus. Univerſis & ſingulis præſentes Litteras viſuris pariter & audituris, ſalutem in Domino ſempiternam.

Exigit Officii noſtri debitum, ut illis ſubditorum noſtrorum votis & petitionibus libenter condeſcendamus, per quæ Beneficiis Paſtorum minus competenter dotatis, & eorum Succeſſoribus, ut ſe decentiùs ſuſtentare, & officiis ſuis commodiùs vacare, ac onera illis incumbentia facilius perferre valeant, juxta præfati Generalis & Provincialis noſtri Mechlinienſis Conciliorum Decreta, de congruę portionis aſſignatione, ſeu vivendi competentiâ providere cognoſcimus.

Digitized by Google

Status antiquus Parochiæ Sti. Nicolai Bruxellis.

Exponi siquidem Nobis nuper curarunt dilecti nobis in Christo *Joannes van Blitterswyck* & *Ægidius Brulloit* Rectores Fabricæ Ecclesiæ Divi Nicolai hujus Oppidi Bruxellensis nostræ Diœcesis, qualiter in eadem Ecclesia (quæ Collegiatæ Ecclesiæ D. Gudulæ ejusdem Oppidi subalterna existit) ab antiquo tempore fuerint & sint fundata duo Beneficia, *Portiones* vocatæ, quorum Possessores hactenus *Portionarii* vocati sunt; habentes onus vicissim prædicandi inibi diebus Dominicis Verbum Dei, atque Christi fidelium intra illius limites commorantium Confessiones audiendi, ac Venerabile Sacramentum Eucharistiæ administrandi.

Hic S. T. L. ac primus Pastor in D. Nicolai, dein fuit Canonicus D. Guduiæ.

Quarum Portionum uni dilectus Nobis in Christo *Joannes de Brauwere* * Presbyter, à tempore recessûs quondam Domini *Joannis Van der Linden*, Presb. ejusdem Portionis tunc possessoris, & nunc defuncti, ad votum subditorum ita laudabiliter inservivit, ut tandem defuncto Magistro *Judoco de Schellinck* Presbytero, altero dictarum Portionum nunc quoque Possessore, eandem Portionem sic vacantem à Venerabilibus DD. Decano & Capitulo dictæ Ecclesiæ D. Gudulç, earumdem Portionum sive Beneficiorum ordinariis Collatoribus obtinuerit, & de ea sibi legitimè provisum fuerit.

Verum quia (ut subjungebatur) certi fructus & emolumenta hujusmodi Portionum sive Beneficiorum adeo exigua reperiuntur, utpote quæ in pecunia non excedant summam quadraginta septem florenorum & XVII. cum dimidio stuferorum, & in granis quantitatem trium modiorum & quatuor cum dimidio sextariorum siliginis; ut nullo modo honestæ sustentationi duorum Sacerdotum tale onus habentium, hoc præsertim funestissimo & deplorando sæculo sufficiant.

Tenuitas competentiæ.

Nobis propterea humillimè supplicarunt, quatenus eorum Pastor sive Curatus absque onere & gravamine subditorum suorum se decenter & honestè sustentare queat, ut alteram Portionem adhuc per mortem dicti quondam *Joannis Van der Linden* vacantem, Portioni collatæ Magistro *Joanni de Brauwere* in perpetuum adjungere & annectere;

Ita ut pro hujusmodi duabus Portionibus, tam sobrè & tenuiter dotatis, unicum Beneficium sub dicto onere de cetero in dicta Ecclesia habeatur; illiusque Rector *Pastor* vocetur.

Atque ulteriùs Capellaniam perpetuam D. Catharinæ, fundatam in eadem Ecclesia, ad præsens vacantem per obitum quondam Domini Joannis Tambuyser Presbyteri, illius dum viveret novissimi possessoris (cujus etiam dicti Decanus & Capitulum dictæ Ecclesiæ ordinarii Collatores existunt) eidem Beneficio Curato sive Pastoratui, ad opus Vicarii sive Vice-Pastoris, per eundem Pastorem pro tempore dictæ Ecclesiæ deputandum, & de ipsis Capituli consilio (causantibus tamen suis demeritis) amovendum & destituendum;

Unio Capellaniæ S. Catharinæ

Qui ratione hujusmodi Capellaniæ unitę & annexæ dicto Pastoratui, omnes illius fructus & redditus & proventus suscipiat, & oneribus eidem incumbentibus satisfaciat, & duplicibus distributionibus Chori, tam in Anniversariis, quam in aliis emolumentis Capellaniæ, prout Portionarii gaudere consueverunt, aut aliàs juxta Ordinationem & moderationem nostram, fruatur & gaudeat; Authoritate dicti Generalis Concilii Tridentini perpetuò unire & incorporare vellemus & dignaremur.

Nos itaque, attendentes petitionem hujusmodi (præmissis veris existentibus) fore justam & rationi consonam, super iisdem præmissis omnibus & singulis diligentem nostro nomine, per Secretarium nostrum infrascriptum fieri fecimus inquisitionem. Per quam comperimus, omnia & singula prænarrata veritate fulciri; atque districtum D. Nicolai ex Parochia D. Gudulæ antiquitus desumptum, non ita amplum aut populosum, quin per unicum Pastorem (adjuvante ad hoc suo Vice-Pastore seu Vicario) facilè visitari, regi & gubernari posset.

Quapropter vocatis atque citatis prius coram Nobis, seu Vicariatu nostro Bruxellæ ordinato ad certum & præfixum diem in specie, dictis VV. DD. Decano & Capitulo Ecclesiæ D. Gudulæ, tamquam eorumdem Beneficiorum uniendorum Ordinariis Collatoribus, ac omnibus aliis & singulis suâ communiter vel divisim interesse prætendentibus, per affixionem Copiæ authenticæ Citationis ad hoc sub nomine & contra-Sigillo nostris decretæ & expeditæ, valvis tam Ecclesiarum D. Gudulæ quam S. Nicolai præfatarum, ad videndum & audiendum; ex causis & rationibus supra allegatis prædictas duas Portiones modo præmisso simul conjungi, & de duobus Beneficiis Curatis insufficienter dotatis unum fieri; nec non Capellaniam D. Catharinæ præfatam eidem Beneficio ad opus prædictum uniri, annecti & incorporari; vel dicendum & allegandum causas & rationes quare præmissa fieri non debeant.

Dictisque DD. Decano & Capitulo per suos ad hoc Deputatos, utpote VV. DD. Joannem Muyswinckele & Guilielmum Fierens Presbyteros & Canonicos ejusdem Ecclesiæ, die citationis serviente comparentibus, & in hujusmodi Portionum conjunctionem, unionem, annexionem, & incorporationem dictæ Capellaniæ, sub modo & conditione supra & infra-scriptis consentientibus, in contumaciam omnium aliorum in genere citatorum, non comparentium ad conjunctionem dictarum duarum Portionum: nec non unionem, annexionem

nem & incorporationem dictæ Capellaniæ ad opus prædictum, per Vicariatum noſtrum (cui ad hoc vices noſtras commiſimus, illumque ſubdelegavimus) procedi curavimus.

Prout & nos quoque in vim ante-dicti generalis Concilii Tridentini dictas duas Portiones ex cauſſis præmiſſis ſimul conjungimus, & ad unum Beneficium Curatum reducimus. Nec non præfatam Capellaniam D. Catharinæ eidem Beneficio Curato ſive Paſtoratui ad opus prædictum unimus, annectimus & incorporamus per præſentes.

Ita quod liceat præfato Magiſtro Joanni de Brouwere moderno dictæ Eccleſiæ Paſtori, tam pro ſe, quam pro ſuis in eadem Eccleſia Succeſſoribus, dictæ Portionis adhuc vacantis, & nunc (ut præſcribitur) ſuæ Portioni, quam obtinet, conjunctæ, nec non præfatæ Capellaniæ divæ Cathariniæ, ad opus ſui Vicarii ſeu Vice-paſtoris, quoque præfato Paſtoratui unitæ, ubi poſtquam virum aliquem honeſtum, idoneum & qualificatum ad dictum Paſtoratum exercendum, præfato Capitulo præſentaverit, & Præſentatus Admiſſionem mediante juramento obedientiæ ſolito obtinuerit, corporalem, realem & actualem utriuſque Beneficii juriumque pertinentium eorumdem poſſeſſionem apprehendere & perpetuo retinêre;

Dictæque Portionis fructus, redditus & proventus in ſuum & prædictæ Capellaniæ ſui Vice-Paſtoris ſeu Vicarii uſum & utilitatem reſpectivè recipere, convertere & & applicare poſſit & valeat; ſub & mediantibus tamen conditionibus ex parte dicti Capituli propoſitis, petitis & conceſſis.

Conditiones admiſſi Paſtoratûs.

Quod videlicet Paſtor pro tempore dictæ Eccleſiæ exiſtens, eidem Capitulo, ſeu illius Menſæ Capitulari quotannis ſolitam recognitionem ſeu Canonem annuum nonaginta ſolidorum novorum perſolvi ſolitum, & pro eo X. florenos Rhenenſes & XIII. cum dimidio ſtuferos cum VIII. denariis;

Nec non Vice-Paſtor præſentatus & admiſſus quâlibet vice quâ per Paſtorem pro ſua admiſſione dicto Capitulo præſentabitur, ratione dictæ Unionis, & in illius recognitionem duos florenos Rhenenſes realiter & cum effectu reſpectivè perſolvere tenebuntur & erunt adſtricti.

Volumus tamen & mandamus Paſtori & Vice-Paſtori pro tempore dictæ Eccleſiæ, ne deinceps juxta tenorem Statutorum noſtrorum Synodalium ratione adminiſtrationis Sacramentorum quidquam à ſuis ſubditis exigere præſumant, ſeu alter eorum præſumat; oblatum tamen ex laudabili conſuetudine benignè recipiant.

Quodque per conjunctionem, annexionem, & incorporationem prædictas, Cura & Capellania præfatæ debitis non fraudentur obſequiis: ſed animarum & eorumdem onera conſueta, ac fundationes debitæ perſolvantur & ſupportentur.

Mandantes propterea Authoritate dicti Generalis Concilii, in virtute ſanctę obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, omnibus & ſingulis, quos præſens negotium tanget aut tangere poterit quomodolibet in futurum, & eorum cuilibet, quatenus præfatum Paſtorem & ejus Vicarium ſeu Vicepaſtorem, dictæ alterius Portionis, nec non Capellanię D. Catharinæ fructus, redditus, proventus & emolumenta ipſius, nec non utrumque eorum duplices diſtributiones Chori, tam in Anniverſariis, quam aliis emolumentis Eccleſiæ quietè percipere & levare ſinant & permittant, nullum eis, ſeu eorum alteri in præmiſſis, per ſe, vel alium ſeu alios, publicè vel occultè, directè vel indirectè, quovis quæſito colore, ingenio, auxilio vel favore, impedimentum præſtando, quo minus omnia & ſingula præmiſſa ſuum debitum ſortiri valeant effectum.

In quorum omnium & ſingulorum præmiſſorum fidem & teſtimonium, præſentes Litteras exinde fieri, & per Secretarium noſtrum ſubſignari, ſigillique noſtri juſſimus & fecimus appenſione communiri.

Datum & actum Bruxellæ in Vicariatu noſtro, anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo, Menſis Martii die decimâ-quartâ.

In Collectione Diplomat. Belgic. Tomo III. pag. 267 extat etiam Concordatum initum anno 1622. cum Capitulo Ste. Gudulæ ratione functionum Paſtoralium in Eccleſia D. Nicolai.

Digitized by Google

CAPUT CV.

Teſtamentum Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Domini D. ANTONII PERRENOT, *S. R. E. Cardinalis, Epiſcopi Sabinenſis,* DE GRANVELLA *nuncupati, quondam primi Archiepiſcopi Mechlinienſis, qui obiit Mantuæ Carpetanorum die 21. Septembris 1586. ætatis 72. annorum.*

Et Archivis Archiepiſc. Mechlin.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Amen. Ego ANTONIUS PERRENOTUS, miſeratione divinâ Epiſcopus Sabinenſis, S. R. E. Cardinalis GRANVELLANUS nuncupatus, ſanus (gratiâ ſuperis) mente, corpore tamen infirmus, cupiens privilegiis & facultatibus à Superioribus mihi conceſſis uti, & non decedere inteſtatus, condo hoc meum Teſtamentum, manu alienâ ſcriptum, Teſtem ultimæ meæ voluntatis.

Primùm omnium animam meam commendo Sanctiſſimæ Trinitati, unico ſoli meo Deo Creatori & Redemptori Jeſu Chriſto, implorans ſuam clementiam & infinitam miſericordiam, ut elutis meorum peccatorum ſordibus, hanc recipere, & cum Beatis pro ſua bonitate & clementia immenſâ velit collocare, per meritum amaræ Paſſionis ſuæ.

Et cum agnoſcam me viliſſimum peccatorem, invoco ac interceſſionem imploro Beatiſſimæ & Intemeratæ ſemper Virginis Mariæ Matris Dei, Archangelorum, Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Sancti Antonii, & omnium Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, ſacrarum Virginum, & omnium Sanctorum & Sanctarum totius curiæ cæleſtis auxilium, quò me ſuis ad Deum precibus juvare dignentur.

Eligo ſepulturam meam, ut faciant poſitionem corporis mei in Eccleſia magis convenienti, mei Teſtamentarii & quilibet eorum.

Sed mando hæredi meo, ut poſtea tempore opportuno, oſſa mea faciat transferri ſine pompa & cum minimo ſumptu, ad ſepulchrum patris mei in Civitate Biſuntina.

Volo ſtatim cum me decedere contigerit, mille Miſſas celebrari pro defunctis, & centum Romæ in Altari Privilegiato Sancti Gregorii, & totidem in Capella noſtra *Orbantii*, in qua Avi mei ſepulti ſunt, in Altari ejuſdem Capellæ Privilegiato. *Orbans.*

Et hæc omnia meo ſumptu, ad animæ meæ & meorum ante defunctorum ſalutem. Mandans quantum in hac re impendetur, tantundem in pias eleëmoſinas inter pauperes mox diſtribui.

Mando tres Capellas, quas in oppido de *Ornayo* ædificavi, mox per heredem meum fundari. Volo etiam per heredem meum univerſalem, Miſſam fundari pro defunctis, quæ ſubmiſſâ voce legatur diebus ſingulis in perpetuum. *Ornay.*

Præterea in Eccleſia ſancti Laurentii dicti Oppidi de Orbanco Comitatûs Burgundiæ, in Familiæ noſtræ prædicta Capella fundari tres Miſſas, ſingulis hebdomadibus perpetuo dicendas:

Unam die Dominicâ de Sanctiſſima Trinitate, aliam die lunæ pro defunctis, & alteram die Sabbati de beata Maria ſemper Virgine, Dei ac Domini noſtri Jeſu Chriſti Matre; ita tamen, ut hæres meus teneatur prædictas tres Capellas fundare, eo modo prout ſupra.

Eccleſiæ Atrebatenſi, cui præfui aliquot annis, & cui quæ potui præſtiti officia, lego aureos coronatos centum, pro cappa chori, vel pluviali. *Eccleſia Atrebat.*

Archiepiſcopatui Mechlinienſi, cui præfui, quia nova Eccleſia erat in Metropolitanam erigenda, multa millia ducatorum de meo in eam impendi. Propterea rogo, ut contenta ſit mille coronatis aureis, quos illi lego. *Archiepiſcopatus Mechlin.* Nota.

Religioſis Monaſteriorum Sancti Petri Luxovienſis, ſancti Vincentii Biſuntinenſis, & Montis Benedicti in Comitatu Burgundiæ, quæ Abbatiæ mihi Commendatæ fuerunt, lego pro ſingulis Monaſteriis francos Burgundiæ centum, ut pro anima mea & meorum orent. *Abbatiis Burgundiæ.*

Monachis Monaſterii Sancti Amandi in Pabulâ, lego florenos carolinos ducentos, ut ipſi pro me orent. *Abbatia S. Amandi in Belgio.*

Religioſis Monaſterii Altæ-Petræ, quod mihi à multis annis commendatum eſt, & in cujus ædificiis multum impendi, lego francos Burgundicos ducentos, ut & ipſi pro me orent.

Carmelitis Biſuntinenſibus, in quorum Eccleſia requieſcunt corpora Patris mei & Matris meæ, & aliquot Fratrum & Sororum, lego francos Burgundicos ducentos, convertendos in uſum magis neceſſarium Monaſterii, arbitrio hæredis mei univerſalis; ut ipſi quoque pro me orent. *Carmelitæ Bizuntini.* Vide Veſuntionem Chifflerii pag. 321.

Mando præterea univerſali heredi meo nominando, ut quæ conſtiterint à me debita, omnino perſolvat omnia, & animam meam ab omni hujuſmodi onere liberet,

Digitized by Google

Domeſticis ſervitoribus meis, qui actu cum decedam mihi deſervient, volo ſtatim, cum migravero, eis ſolvi quidquid de eorum menſtruis ſalariis eis debebitur. Et præterea ſingulis tantùm numerari, quantùm in annos ſingulos pro præfato ſalario accipiunt, ac pullatis veſtibus pro eorum qualitate eos veſtiri. Illoſque pro modo ſervitii mihi præſtiti commendo duobus nepotibus meis *Don Franciſco*, *& Don Joanni Thomæ Perrenotis* & omnibus qui mihi bene volunt.

Abbati Joanno Sagantæ, amico chariſſimo, ſi mihi ſupervixerit, lego aureos coronatos quadringentos.

Nic. Sefſtich Secretarius Cardinalis Granvellani.

Nicolao Sexagio, qui mihi pro Secretario ſervivit, præter ſolutionem ſalarii, quod illi ſicut aliis ſolvetur amplius anni unius, quemadmodum pro meis ſervitoribus Domeſticis ante diſpoſui, præter ea quæ ad ejus commodum procuravi, & procuraturum me ſpero, aureos coronatos quingentos ſolvi volo, ſi mihi ſupervixerit, & tempore obitûs mei in ſervitio familiari meo domeſtico adſtiterit.

Item lego duabus Margaretis Annæ & Laurentiæ Sororibus meis & earum ſingulis, ducentos ducatos coronatos, & meæ Nepti filiç *Domini de Chantoney*, uxori Domini *de la Villanova* ſcutos ducentos & quinquaginta.

Et Don *Franciſco Perrenotto* meo Nepoti alios ducentos ſcutos, illoſque rogo, ut pro me ad Deum preces effundant.

PP. *Jeſuitæ Madriti.* Item lego Societati Jeſu hujus Oppidi Madriti ſcutos centum, ut pro me ad Deum orent.

D. Peronæ Perrenot Nepti meæ chariſſimæ, ſi mihi, quod ſpero, ſuperſtes fuerit, lego alios aureos coronatos quingentos, petens, mei ſit memor & pro me oret.

In omnibus autem aliis meis bonis, eccleſiaſticis & ſecularibus, mobilibus & immobilibus, juribus, actionibus, ſe moventibus, præſentibus & futuris, annuis penſionibus, decurſis & maturatis, quibuſcunque & quomodocunque debitis, ubicunque ſint vel fuerint, ſeu reperiri poterunt, tam in Provinciis Burgundiæ, Flandriæ, Italiæ & Hiſpaniæ & aliis quibuſcumque mundi partibus & locis; meum univerſalem hæredem inſtituo facio & nomino Don *Joannem Thomam Perrenotum*, filium quondam amantiſſimi fratris mei *Thomæ Perrenoti* Comitis de Cantecroy *, Nepotem meum chariſſimum; cui jubeo ſolvere omnia legata in hoc meo Teſtamento contenta ad pias cauſas & eleemoſinas; & fundationes adimpleat;

Stemma Familiæ vide in Le Roi Noſtitiâ Marchionatûs S. R. I. pag. 119.

Miſſaſque celebrari curet, ſumptus mei funeris ſuſtineat & ferat, & ſervitoribus meis domeſticis ſatisfaciat, de his omnibus quæ in meo Teſtamento mando, de eo quod de ſalariis pro præſtitis ſervitiis debebitur; & deſuper addens ſalarium unius anni. Et ſi quid poſtea vel per Codicillum per Codicillos, vel quovis modo alio illi impoſuero vel mandavero, pro me ſolvendum vel faciendum; quod libenter eum facturum de ejus probitate & ſuo erga me affectu confido; peto etiam ut pro me oret orandumque curet.

Et ſi prædictus *Don Joannes Thomas Perrenotus* ab hac vita deceſſerit (quod Deus avertat) ſine filiis & deſcendentibus, ejus loco ſubſtituo & nomino *Dominam de Torreſe* Sororem meam; & poſt vitam, prædictæ meæ Sororis filium, vel deſcendentem ipſius ab ipſa nominandum. Quod intelligatur de bonis, quæ remanſerint tempore obitûs prædicti Don Joannis Thomæ; & in meis prædictis bonis locum habeat hujuſmodi Subſtitutio.

Executor primus, Illuſtriſſ. Joannes Hauchinus Granvellani Succeſſor in Archiepiſc.

Executores hujus mei Teſtamenti conſtituo Reverendiſſimum Dominum Archiepiſcopum Mechlinienſem, & Dominum de Broiſſia, & Epiſcopum Alexandriæ de la Paglia, & Dominum Jacobum Sancti Mauritii Dominum de Bella-Fontaigne, cognatum meum;

Nicol. Seſtigh, Secretarius Cardinalis Granvellæ.

Et *Nicolaum Sexagium* Secretarium, quos ex his mihi ſupervivere contigerit, vel quemlibet eorum in ſolidum; cum poteſtate ſubſtituendi eos quos idoneos judicaverint, pro ratione negotiorum.

Et iſtis mei Teſtamenti Executoribus lego ſingulis hoc nomine Vas unum argenteum valoris centum aureorum coronatorum, petens obnixè, ut hoc onus pro me libenter ſuſcipiant.

Volo autem hoc meum Teſtamentum effectum ſortiri & validum eſſe omnibus melioribus modo, viâ & formâ, quibus melius poterit ſuſtineri, benignitatem Sacrorum Canonum Legum & Privilegiorum implorando; cupiens ſuppleri omnes & ſingulos defectus, quo ſuum ſortiatur effectum, quavis viâ, per quam poterit favorabilius ſuſtineri hæc meæ ultimæ voluntatis declaratio & diſpoſitio.

Caſſans & irritans quæcunque Teſtamenta & ultimæ meæ voluntatis diſpoſitiones, quas ante hunc diem feci: quia huic adhæreo. Et ita Teſtor, lego, diſpono, revoco, inſtituo reſpectivè, prout in hac Scriptura manu alienâ fideliter ſcripta continetur.

Scriptum & actum Madriti, Toletanæ Diœceſis, die decimâ quintâ menſis Septembris, anno à Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto, Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N. D. Sixti, divinâ Providentiâ Papæ quinti, anno ejus ſecundo.

Item ultra prædictos Executores hujus mei Teſtamenti nomino perilluſtrem Dominum Licentiatum, Don Didacum de Ayala ſuæ Majeſtatis Conſiliarium, & Ab-

Digitized by Google

batem Sagantam, & Bartholomeum Manſinum, & quemlibet eorum.

Datum, ut ſupra, ANTONIUS CARDINALIS GRANVELLANUS.

Conceſſio Codicillorum.

IN Oppido admodum nobili Madrito, decimâ nonâ die Menſis Septembris, anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto,

In mei Scribæ publici Teſtiumque infraſcriptorum præſentiâ, Illuſtriſſimus Cardinalis Antonius Perrenotus de Granvellâ, infirmus corpore, in lecto jacens, & in ſuo recto judicio intellectu & mente exiſtens, tradidit mihi præſenti Scribæ hanc Scripturam clauſam & ſigillatam, quos ſuos Codicillos eſſe aſſeruit, ſcriptos in uno papyri folio in-circa; & vult in eis contenta ſervari & adimpleri, ut in Teſtamento conceſſo idiomate latino, coram Thoma Gratiano Notario & Scriba;

Prohibens non aperiri, legi nec publicari, donec naturæ concedat; & poſt mortem ejus aperiri voluit cum ſolemnitate Juris neceſſaria, ſicque conceſſit & ſtipulavit.

Et quia infirmitate gravatus ſubſcribere ſeu firmare nequivit, rogavit *Nicolao Seſtich* ejus Secretario, quatenus ſuo nomine ſubſcribat.

Et ego præſens Scriba fidem facio, cognoſcere præfatum Illuſtriſſimum Cardinalem concedentem.

Præſentibus ibidem pro Teſtibus, præfato Secretario Nicolao Seſtich, Joanne Baptiſtâ Felci, Salvatore de Apucio, Pompeo del Pero, Nicolao Florentio, Auguſtino de Villanova, & Petro de Vargas-Salaſar, in dicta Curia reſidentibus; qui omnes Teſtes ſuis ſe ſubſcripſerunt nominibus.

Pro Illuſtriſſimo Cardinale Granvellano Domino meo, Nicolaus Seſtich.

Pro Teſte, Nicolaus Seſtich,
Pro Teſte, Joannes Baptiſta Felci,
Pro Teſte, Auguſtinus de Villanova,
Pro Teſte, Pompeius Del Pero,
Pro Teſte, Nicolaus Florentius,
Pro Teſte, Salvator de Apucio,
Pro Teſte, Petrus Vargas-Salaſar.

Et ego Joannes del Campillo Scriba ſuæ Majeſtatis publicus, & unus ex numero Oppidi Madriti & ejus Territorii, premiſſis unà cum dicto concedente & Teſtibus præſens interfui, ſcribique feci, & ſignavi in teſtimonium veritatis; *Joannes del Campillo.*

Declaratio per Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Don Antonium Perrenotum Cardinalem Granvellanum facta, munerum ſeu beneficiorum, quæ ad præſens facit infraſcriptis famulis illi inſervientibus, juxta ipſius poſſibilitatem, in termino quoad præſens reperitur & exiſtit, circa ea quæ continentur in ſuo Teſtamento: quia hæc vult loco Codicillorum remanere, etiam in ſuo robore prædicto Teſtamento remanente.

Bartholomeo Mancino meo OEconomo, ſcutos ſeptingentos auri, pro unâ vice tantum.

Nicolao Seſtich, meo Secretario, perſolvantur ſcuti quingenti auri ſemel.

Auguſtino de Villanova meo Secretario, ſcutos trecentos auri ſemel tantum.

Nicolao Florentio continuo meæ Domûs gentilhombre vulgariter, ſcutos ducentos auri ſemel tantum.

Franciſco Panteré mei ſtabuli miniſtro, vulgo Cavallerizo, ſcutos trecentos pro una vice dumtaxat.

Don Joanni Baptiſtæ Felci, meo cubiculario, ſcutos trecentos auri unâ vice dumtaxat.

Gualtero de Cordes meo Secretario gallico, trecentos ſcutos auri pro una vice dumtaxat.

Don Salvatori del Poſo, Don *Theodoro Binans*, *Antonio de Roſas* meis Capellanis, unicuique ſcutos triginta auri ſemel tantum.

Pompeio del Pero, ſcutos quinquaginta auri ſemel tantum.

Joanni Sander & *Joanni Tache*, mei cubiculi miniſtris & coadjutoribus, aut Ayudas de Camera, vulgariter, ſcutos centum in quolibet anno ejus, vita durante.

& *Marco Enano*, ſcutos centum auri, pro unâ vice tantum,

Joanni Baptiſtæ Sacco *, ſcutos ducentos ſemel tamtum.

Georgio Fonteſrida, ſcutos quinquaginta ſemel.

Gaſpari Brets, ſcutos triginta pro unâ vice tantum.

Nicolao Coquo, & unicuique aliorum ſuæ domûs officialium, & vulgariter nuncupatis, Bottillero, Crodenacro, Cantinero, Beedor, & aliis unicuique.

Franciſco coadjutori Secretarii gallici; vadat cum aliis officialibus.

Antonio Buſad locum-tenenti ſtabularii, aut del Cavallerizo vulgariter.

& *Joanni Hardy* cuſtodi veſtimentorum, *Briano* meo Confeſſori ſcutos annuos centum, ſuâ vitâ durante.

Declarans, quod circa repartitionem poſtea faciendam, manu *Bartholomei Mancini* mei OEconomi ad omnia ſtetur, ſine replicatione.

Et hoc valeat vice Codicillorum, declarans quod omnibus meis famulis detur.

Et quod *Joanni Hardy* cuſtodi veſtimentorum dentur ſuâ vitâ durante ſcuti centum in quolibet anno.

Et *Veſpaſiano de Boys* meo obſonatori ſcutos quinquaginta, ſua vita durante,

Et quod Doctori *Arenas* dentur ſua vitâ durante ſcuti centum.

Declarans ſic eſſe meam voluntatem; & volo ſic adimpleri; obligans ad id meos heredes nominatos in prædicto meo Teſtamento; & de his rebus volo Notarium rogari.

Actum in Oppido Madriti decimâ nonâ die menſis Septembris, anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto. 1586.

* Hic fecit Madriti Orationem funebrem Cardinalis, quæ extat etiam typis edita.

CA-

Digitized by Google

CAPUT CVI.

JOANNES VENDEVILLIUS *Epiſcopatum ſuum Tornacenſem diſtribuit in XII. Diſtrictus, ſive Decanatus, anno* 1588.

JOANNES VENDUILLIUS Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Tornacenſis, univerſis & ſingulis præſentes Litteras inſpecturis, ſalutem in Domino.

Cum latiùs paterent Decanatus noſtræ Diœceſis, quam ut unus Decanus poſſit commodè & ut oportet ſuperintendere Parochiis ſibi commiſſis: præſertim cum Decani ſoleant eſſe Paſtores & quidem magnarum Parochiarum: paulò poſt noſtram Conſecrationem, ſingulis Decanis adjunximus duos Vicarios ſeu Adjutores. Qua ex re Dei beneficio provenit fructus non contemnendus: non tantus tamen, quantum optabamus & ſperabamus; idque ea potiſſimum de cauſa, quod illi Decani deſtituerentur auctoritate neceſſariâ ad magnum fructum faciendum.

Quamobrem ſuperioribus ſeptimanis re diligenter expenſa & cum noſtro Vicariatu communicata, de ejuſdem conſilio reſolvimus ſingulos Decanatus dividere & Diœceſim in duodecim Decanatus diſtribuere, tot ſcilicet quot ſunt in Diœceſi Atrebatenſi; quæ etſi paulo plures Parochias quam hæc, non tamen plures habet animas, quarum cura habenda eſt. Quam reſolutionem noſtram ad effectum perducentes, in duodecim Decanatus Diœceſim diviſimus, aſſignatis cuique Decanatui ſuis Parochiis, in eum qui ſequitur modum.

Decanatus Tornaceſii habebit unam & triginta Parochias, Auchy, Blandin, Bruelle, Barſieu, Bachy, Bovines, Bourgielle, Cobrieu, Ciſoing, Chereus, Capelle, Camphain, Ere, Eſplechin, Fromont, Gences, Gruyſon, Herſain, Hollain, Jollain, Lainain, Louvy, Nomain, Orchies, Rumines, Teintignies, Templeuve in Pabula, Wez, Welvain, Wanenhain & Willemeau.

Decanatus S. Amandi, ſeptemdecim, S. Amandus, Aix, Beuvirq, Brillon, Celle, Dons *al.* Maude, Heſpaing, Houardrie, Landas, Leſdain, Mouchin, Nivelle, Roſuth, Rongy, Rumigies, Samion, Thus.

Decanatus Helchinienſis viginti, Helchin, Dottignies, Anſelghem, Avelghem, Hauterive, Belleghem, Boſſu, Caſtre, Eſpiere, Coyeghem, Heſtrudt, Ingoighem, Kerckoven, Moen, Otteghem, Rolleghem, S. Genois, Thieghem, Wichle, Warmaëde.

Decanatus Tourgoinienſis, decem, Tourgoing, Eureynies, Herſeau, Linſelle, Linque, Mouſcron, Neufville, Ronch, Mauvaux, S. Leger.

Decanatus Robeaſenſis, ſeptemdecim, Roubaix, Bailleuil, Oſtembourg, Heſtempuis, Hem, Lyſet, Lannay, Leis, Nechin, Pecq, Ramegnies, Sailly, Templeuve, Touffliens, Warcoing, Watreloo, Willem.

Decanatus Inſulenſis, undecim, S. Mauricius, S. Stephanus, S. Salvator, S. Petrus, S. Catharina, Eſquermes, Wazennes, Mariæ Magdalenæ, S. Andreas, Saches, & Fives.

Decanatus de Quenoy, viginti, Queſnoy, Acq, Ameuin, Anappe, Auſtain, Bondues, Croy, Deulemont, Flers, Frelinghien, Hellemine, Lecquin, Lezennes, Loo, Marcq, Marquete, Ronchin, Treſſin, Wambrechies, Waſqual.

Decanatus Wavrinienſis viginti-duo, Anetiers, Beaucamp, Campengleyhen, Englos, Enguenghem, le Secq, Heſcambeq, Haubourdin, Halemine, Houpline, Lambeſart, Ligny, Lomme, Lomprez, Meſnil, Pevency, Primeſques, Randighem, Santes, Sequedin, Wavrin, Vrelenghiem.

Decanatus Cortracenſis, unde-viginti, Courtray, Bavechons, Bevere, Biſſeghem, Guines, Deerlik, Deſſelghem, Geuleghem, Harlebeke, Heulle, Hulſt, Ingelmunſter, Iſeghem, Lendelle, Maers, Morſelle, Wevelghem, Zweveghem, Oyeghem.

Decanatus Menenienſis, undecim, Menin, Aelbeke, Bouſebeke, Cominium, Holbeek, Helevelt, Hallewin, Hautem, Lauwerechem, Wervich.

Decanatus Seclinienſis ſexdecim, Seclin, Anneuelin, Avelin, Antroelle, Fretin, Houpline, Marcque, Noyelle, Peronne, Sanghien, Templemars, Wattignies, Tourmignies, Merignies, Berſee, Mons en Pevelle.

Decanatus Carninienſis quindecim, Carnin, Camphin, Bonin, Prouvin, Atiche, Anneulin, Meurchin, Phalempin, Tumeries, Wahagnies, Goudencourt, Alenne, Hevin, Chemis, Pont-avendin.

In cujus rei Teſtimonium has præſentes noſtras Litteras Sigillo noſtro majori communiri, ac per Secretarium noſtrum ſubſcribi fecimus.

Actum Tornaci die vigeſimo ſecundo Junii, anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo octavo.

Erat olim ante erectos Gandavenſem atque Brugenſem Epiſcopatus, Diœceſis Tornacenſis adeo extenſa, ut in XII. Decanatus diſtribueretur: quorum hæc nomina. Tornacenſis. Inſulenſis. Seclinienſis. Gandenſis. Cortracenſis. Aldenardenſis. Gandenſis. Waſiæ. Brugenſis. Ardenburgenſis. Roularienſis: & Oudenburgenſis. Poſtmodum habita eadem diviſionis ratio.

Hodie hęc eſt partitio: Decanatus Tornacenſis, Curar. 44. Inſulenſis 52. Helchinienſis Gallorum, ſive Turcondienſis 28. Helchinienſis Flandrorum 18. Seclinienſis 32. S. Amandi 17. Cortracenſis 20. Viroviacenſis 12.

CAPUT CVII.

Erectio Præbendæ Theologalis in Eccleſia Cathedrali Iprenſi, per PETRUM SIMONIS, II. *Epiſcopum, anno* 1589.

Ex Archivis Iprenſibus.

PETRUS Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Iprenſis, dilecto nobis in Chriſto, Joanni Cornelii Harlemenſi, Presbytero, Artium Magiſtro, & in S. Theologia Licentiato, ſalutem in Domino.

Cum hactenus in noſtra Cathedrali non potuerit oneri ſacram Scripturam exponendi & interpretandi conveniens Præbenda juxta Concilium Tridentinum deputari; & ea propter Nos, ejuſdem Concilii Authoritate hujuſmodi oneri deputaverimus, ſicut per præſentes deputatos declaramus, Canonicatum & Præbendam, quorum Erectio ex bonis ſuppreſſi quondam Monaſterii Sti. Martini, nunc primum per obitum colendæ memoriæ Domini Joannis Snick dicti Monaſterii quondam Religioſi & Præpoſiti ſuum ſortita eſt effectum;

Ad noſtram omnimodam diſpoſitionem à prima Erectione Sedis noſtræ ſpectantes & pertinentes, & per Te virtute Nominationis de tua perſona factæ per Magnificum Virum ac Dominum Almæ Univerſitatis Studii generalis Oppidi Lovanienſis Mechlinienſis Diœceſis Rectorem, vigore Privilegiorum à Sancta Sede eidem Univerſitati conceſſorum ad noſtram Collationem & qualemcumque Beneficiorum diſpoſitionem hujuſmodi, coram Notario publico & teſtibus acceptatos; Nota.

Nos cupientes erga dictam Univerſitatem & illius Privilegia nos exhibere benignos, de tuis ſcientiâ, morum probitate aliiſque virtutum meritis plenè in Domino confiſi, præfatos Canonicatum & Præbendam, nunc noviter cum effectu ex bonis ſuppreſſi Monaſterii Sti. Martini erectos, cum præfato onere ſacram Scripturam interpretandi;

Inſequendo acceptationem per Te factam, tibi præſenti & acceptanti, habili, & ad hoc onus interpretandi Sacram Scripturam reperto idoneo, tam virtute ante-dictorum Privilegiorum & Nominationis, quam noſtrâ Authoritate Ordinariâ conferenda duximus, & in Dei nomine conferimus per præſentes, Te in iiſdem, per harum noſtrarum Litterarum traditionem, præſtitis priùs per Te, & per Nos receptis de ante-dicto onere legendi Sacram Scripturam fideliter adimplendo, & aliis Juramentis ſolitis & conſuetis, mediante etiam Profeſſione Fidei.

Quo circa Venerabilibus Dominis Decano, Capitulo atque Canonicis præfatę noſtræ Cathedralis Eccleſiæ dilectis noſtris Confratribus requirendo mandamus, quatenus Te vel tuum legitimum Procuratorem pro te, in veram, realem, corporalem & actualem dictorum Canonicatûs & Præbendæ juriumque & emolumentorum eorumdem univerſorum ponant & inducant, inductumque & poſitum defendant, & de fructibus quantum in ſe eſt reſpondeant, ſeu reſponderi mandent ac procurent; ſtallum in choro & locum in Capitulo tibi aſſignantes; juramentis tamen ſolitis, cæteriſque ſolemnitatibus ac ceremoniis in hujuſmodi adhiberi conſuetis, per te præſtandis & obſervandis; Jure denique noſtro & alterius cujuſvis hîc & in omnibus ſemper ſalvis.

Datum Ipris, ſub Sigillo noſtro, die XX. Junii, anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo nono.

Non obſtantibus Litteris præfatis, quæ admodum favere videntur Privilegio Nominationum, præſertim Facultatis Artium Academiæ Lovanienſis, nulli tamen gaudere potuerunt effectu ſuo quoad Præbendas Membri Sti. Martini; ſed tantùm quoad Furnenſes Ipris.

Fuit item Canonicus Theologalis Iprenſis (ſed ab Epiſcopo Guilielmo Herinx nominatus) Vir verè Eximius Martinus Steyaertius, S. Theologiæ Doctor Lovanienſis, qui & reſedit circa annum 1676. Inde Lovanium revocatus, Decanatu S. Petri ac munere Vicarii Apoſtolici Diœceſis Silvæducenſis inſignitus, obiit anno 1701, hujus Academiæ ornamentum.

CAPUT CVIII.

Epiſtola lamentabilis ARNOLDI NYLEN, *deſignati Groningenſium Epiſcopi, data anno* 1590 *ad* GUILIELMUM PAMELIUM *ſanctioris Conſilii Præſidem; agens I. de Fundatione Collegii PP. Societatis Jeſu Groningæ. II. de ſuis in ingreſſu ad Epiſcopatum moleſtiis, III. de moribus diſſolutis.*

Ex Archivis ejuſdem Epiſcopatus: hactenus inedita.

MAgnifice ac Ampliſſime Domine. Frequens mihi votum fuit Gruningenſis Eccleſiæ, ſupra modum (pro dolor!) deſolatæ, ſtatum & conditionem Ampliſſimo conſultiſſimoque Regio Concilio, pro mei officii ratione paucis hac optimâ ſubitâ occaſione demonſtrare. Verum quia non me clam eſt, quantis ultro citroque in præſentiarum defatigentur curis, qui Belgiam hanc (belluam fere dixerim) moderantur & regunt, nolui multis agere, niſi quod præcipuum eſt, & dictu omnino neceſſarium.

Sicuti illud eſt, quod cum admodum Reverendus Pater Henricus Samerius Societatis Jeſu Theologus jam apud nos integro in erigendo ejuſdem S. Societatis Seminario anno plus minus, ad noſtram aliorumque bonorum virorum inſtantiam multum laboraverit; tandem cum ante feſtum Paſchatis Senatus noſter (alioqui ſatis in Patres Societatis propenſus) circumſpectè in hac omnium rerum difficultate, depaſtis agris, ac ærario exhauſto negotium adeo ſumptuoſum in aliud convenientius tempus differre voluit: durum quippe piis reſtaurationi Eccleſiæ Dei intendentibus reſponſum; qui re ipſa experiuntur & quaſi prævident, hoc ſolo medio perditam noſtram Rempublicam poſſe & non alio juvari, & in juventute reſtaurandum, quod omnino in ſenibus deſperatur. Nota.

Verum quia in negotio tam ſalutari ſola temporalia, non voluntas deprehenduntur deeſſe, & Regem noſtrum Catholicum ac clementiſſimum non parcere theſauris & gazis ſuis Regiis, ut inimicos Catholicæ ac Regiæ ſuę Majeſtatis, imo Dei & Eccleſiæ, contundat & propulſet; validius nobis revera argumentum, ut ſimiliter ad Dei gloriam, & animarum ingens lucrum noſtrę fideliſſimæ & Religioni devotæ Civitati in ſupplementum, quod huic ſolummodo deeſt negocio, largiretur. Si ex Regiis gazis tantillum pecuniarum omnino haberi non poteſt, mittantur quæſo ob Dei honorem à S. Sede Apoſtolica huic ſancto negocio deſtinata (ut fertur) & expedita Diplomata; ut hac ſaltem viâ paulatim convaſentur & congregentur, quæ in uſum Patrum poſtmodum erunt neceſſaria.

In quo etiam negocio, ut fidelis aliquis deſignetur OEconomus, & à Concilio Regio demonſtretur coöperator, qui aſſignata colligat, ſummopere videtur neceſſarium.

Quantum ad meipſum & Vicariatus officium attinet, non poſſum celare, quanta cum difficultate ad Eccleſiæ adminiſtrationem ſim admiſſus, & quaſi extrema obedientia (ſub magnæ ipſius Dei & Superiorum meorum offenſionis pœna) compulſus.

Ubi enim Pontificium Diploma, cum Regio Placeto, Litteras quoque Illuſt. D. Gubernatoris compulſorias, validis & nobilibus Dominis Locum-tenenti & Cameræ Regiæ Capitaneis Aſſeſſoribus exhibuiſſem; manuque tenentiam brachii ſecularis in quantum noſtræ Juriſdictioni non obtemperaretur quæſiviſſem, ad unum gratulabundi omnes ſine omni difficultate quidem conſenſerunt.

Eundem etiam apud ampliſſimum noſtræ Civitatis Senatum in ejuſdem Commiſſionis remonſtratione expertus ſum favorem, & benevolentiam; niſi quod Litterarum publicarum tenor qui latinus erat, in vernaculum erat transferendus, quo civibus, (quibus jam in armis exiſtentibus aliquid tribuendum) ſatisfieret.

Verum inſtabile vulgus, audiens nomen forte venturi Epiſcopi, cepit tanta timere, & Clerus diſcolus malâ conſcientiâ, malis ſuis moribus reformandis valde timens, occulté multis perſuaſit, ut me in Officialem, ſicuti hoc ante novorum Epiſcopatuum Erectionem fieri conſuevit admitterent, Epiſcopique nomen, utpote antiquis ſuis Privilegiis contrarium, penitus exploderent & ſopirent.

Conſtitutus fuit dies, in quo Agri noſtri proceres conſulturi convenirent. Cum interim ſcabioſi Clerici inſignia quędam mendacia in vulgus diſperſerunt, de Hiſpanica timenda Inquiſitione (ut iſti vocant) & cives jam in propriis oſtiis ſuſpendendos.

Convenerunt itaque ſummâ alacritate, male nimirum ſibi conſcii, ut meam Authoritatem honeſtè exploderent. Verum prudentiſſimus noſter Senatus, ut conſilium Achitopel diſparêret, conſenſu Illuſtriſſimi Nuncii Apoſtolici, intercedente authoritate & diſpenſatione, me indignum in primarium hujus civitatis elegit Paſtorem. Cives anguem in herba latentem ignorantes applauſerunt; cum Clerus, & territorii Proceres

Digitized by Google

rem penitus introſpicientes, contra ſolemniter proteſtarentur interea, ſi quæ contra eorum privilegia attentarem, de eorundem expreſſa nullitate.

Reſpondi ingenuè, habere me Superiorem, qui de attentatis meis disjudicaret, ſicque in realem & actualem utriuſque dignitatis poſſeſſionem, licet Ordinis Sti. Dominici, quod à ſeculo non eſt auditum, ſolemniter admiſſus ſum, introductus, & non aliter revera ad Eccleſiæ clavum collocatus, quam Sponſi præcurſor prodromus & amicus, donec ille, cui mei labores quandoque ſunt futuri utiles, præſens acceſſerit.

Ut autem paulatim, quod malevoli de Officiali ſomniant, queam abolere, & ut formam negotio noſtro inſtituendo introducam meliorem; ipſius mihi Officialem ſubſtitui, Conſiſtorium ex viris probis erexi, licet non habeam unde iis ſua ſalaria poſſim perſolvere, volens hoc pacto irrepere & non irrumpere. Imo quoſdam facinoroſos Sacerdotes in jus vocari feci; eòque rem, adjuvante ad hoc nobili ac ſtrenuo Domino noſtro Locum-tenente, deduxi, quod peſſimi quique ganniones & inceſtuoſi ſacrilegi ſeſe noſtro Judicio ſubmittere coguntur; qui alioqui ad inordinata ſuum capiebant refugium, jam in publico Regiæ Cameræ conſeſſu veniam ſuis delictis deprecati ſunt. Conſului hac de re Illuſtriſſimum D. Nuncium Apoſtolicum, an proſtratis de cætero debeam parcere, an vero ſecundum Canonum rigorem punire?

Ni fallor, Magnifice Domine, ſi indiſcreto zelo Reformationis telam fuiſſem aggreſſus, timenda fuiſſet magna metamorphoſis huic Patriæ, de præſenti valde periculoſa. Quam enim ſolet eſſe acerbum belluam iſtam multorum capitum irritare jam armatam, non eſt quod multis argumentis de præſenti demonſtremus.

Quæſo autem ut ſubita oportunitate Magnificentia veſtra, quid eidem in noſtro hoc inſtituto videatur, ſua Auctoritate & cenſura non dedignetur aperire. Vale.

Datum Gruningæ anno à nato Chriſto M. D. XC. die vero hujus menſis Aprilis XVI.

Infra ſcriptum. Magnificæ veſtræ Amplitudini addictiſſimus, Frater ARNOLDUS NYLEN.

Et erat ſuperſcriptio: *Magnifico atque Ampliſſimo Viro ac Domino D. Guilhelmo de Pamele, D. de Gotthem, Catholicæ Regiæ Majeſtatis in ejuſdem Concilio Statuum & Secreto Præſidi meritiſſimo, Domino ſuo obſervando. &c.*

CAPUT CIX.

REMIGIUS DRIUTIUS, *II. Brugenſium Epiſcopus, ob ſummas Eccleſiæ ſuæ neceſſitates, anno 1590, unà cum Capitulo ſuo Cathedrali, vendit* D. FERDINANDO DE SALINAS, *Regiæ Majeſtatis in ſanctiore Senatu Conſiliario, notabiles Decimas, ad idem Capitulum ſpectantes.*

REMIGIUS DRIUTIUS, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Brugenſis, ac Decanus & Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Sti. Donatiani Brugenſis, univerſis & ſingulis præſentes Litteras inſpecturis pariter & audituris, ſalutem in Domino.

Obſidio Oſtendana. Notum facimus, quod ob temporis admodum calamitoſi malitiam, ac diuturnam & præſentem Oppidi Oſtendani rebellionem, parum (à Civitatis Brugenſis reductione) recepimus ex bonis & terris ſive feudis ad Officium Obedientiæ ſeu Communitatis noſtræ Eccleſiæ ſpectantibus, quæ (ob dictam rebellionem & hoſtium ex Hollandia & Zelandia per Flandriam excurſiones mariſque in pleriſque locis inundationem) inculta manent.

Ideoque dictum Obedientiæ Officium notoriè ita ſit extenuatum & exhauſtum, ut dictæ Eccleſiæ Habituatis, numero quadraginta & ampliùs reſidentibus & pro magna parte ex bonis ejuſdem Officii ſuſtentari ſolitis (quibus triginta octo menſium Diſtributiones quotidianæ debentur) ſatisfacere, aliaque diverſa onera ſupportare & ſuppeditare non poſſit. Nous

Habitis itaque inter nos pluries Capitulariter congregatos variis communicationibus & deliberationibus, qua ratione eidem Officio Obedientiæ ſuccurri poſſet, quo divinum in Eccleſiâ noſtrâ officium queat continuari, dictiſque Habituatis Eccleſiæ & Altari ſervientibus aliqualiter ſubveniri, non invenimus aliud magis aptum minuſque Eccleſiæ prejudiciabile ſeu damnoſum medium, quam per alienationem & venditionem particularium ejuſdem Officii Obedientiæ bonorum.

Decimæ venditæ. Nempe quarundam partium Decimarum in Ooſtkerck-Ambocht, in Parochiis de Ooſtkercke, Houcke, Munekereede, Sanctæ Annæ ter Mude, Lapſcheure, Moerkercke & Sanctæ Catherinæ extra Dammas ſeſe extendentium, olim per Prædeceſſores

Digitized by Google

ceſſores noſtros à Laïcis emptarum, nulli Fundationi affectarum vel aſtrictarum, quæ per inundationem diverſarum terrarum ſub prædicto diſtrictu (ob ruptos malitiâ Geuſiorum aggeres) magna ex parte marinis fluctibus ſubmerſæ hoc ſtatu rerum exiguo pretio elocari poſſunt, ſuntque quadraginta Feuda à Curia Feudali Abbatis & Monaſterii Sancti Quintini in Inſula Viromandiæ in Territorio Franconatuum tenentia & moventia.

Feuda Abbatis S. Quintini in Veromanduis.

Hinc eſt, quod die quintâ hujus menſis, præhabitâ maturâ omnium & ſingulorum totius Capituli noſtri prædicti deliberatione & tractatione, nec non diligenti inquiſitione inveſtigatione & examine cum perſonis fide-dignis, & dictorum Feudorum ſeu Decimarum ſitum & qualitatem cognoſcentibus, & in ſimilibus expertis, ſuper valore eorumdem;

Conſiderantes nulla alia extare bona quæ cum majore utilitate & commodo dicti Officii in præſens diſtrahi poſſint, prædictas omnes Decimas ſeu Feuda Domino Doctori Ferdinando de Salinas Equiti ac Concilii Privati Regiæ Majeſtatis Conſiliario, earumdem ante hac Cenſitori, alias etiam ſimiles Decimas feudales inter has jacentes & conjunctas in dictis Parochiis ſive diſtrictibus habenti ac poſſidenti, vendendas capitulariter concluſimus.

D. de Salinas Conſiliarius Regius, Emptor.

Et ad eundem effectum deputavimus Reverendos ac Venerabiles Dominos Confratres noſtros Dominos & Magiſtros Nicolaum de Heere Decanum, Laurentium de Molendino Cantorem Obedientiarium, Alexandrum Barradot, Michaëlem Ingelmont Receptorem Obedientiæ, Andream Bottyn, Antonium Regis Scholaſticum, Canonicos, & Martinum Jacobs Capellanum Obedientiarium; qui cum dicto Domino de Salinas ob publica negotia in Civitate Brugenſi exiſtente, deſuper tractarent, communicarent, ac ſub beneplacito noſtro convenirent, prout deinceps diverſis vicibus tam in Capitulo quam extra tractatum & communicatum.

Ac tandem pro evidentiore dicti Officii utilitate finaliter de communi totius antedicti Capituli conſenſu conventum extitit, pro ſumma ac ſub conditionibus expreſſis in certo Contractu in ſcriptis ſub die decima quinta Menſis redacto, ac per ipſum Dominum Salinas & Andream Bottyn Secretarium Capituli ſignato: cujus tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis.

Tenor Contractus.

Op heden vichthienſten van der maendt van Septembre XVc. tueghentich. Alſoo onderlynghe in communicatie commen waeren myn Eerweerde Heere ende Vader in Gode den Biſſchop, ende myn Heeren Deken ende Ghedeputeerde van den Capitle, mitſgaders de Obedientiariſſen vander Obedientie vander Cathedrale Kercke van Brugghe, ter eender ſyde, ende Mher Ferdinande de Salinas Raedt s'Coninx in ſynen Priveen Raedt ter andere, naer diverſche voorgaende communicatien ghehouden, ſoo in't volle Capitle Collegialiter vergadert, als ten huyſe van ſyne Eerweerdigheyt,

Op den coop van alle ſulcke Leenen ende Thienden ghehouden van den Hove van myn Heere den Prelaet van Ste. Quinten in Vermandois, binnen den Ambochte van Ooſtkercke, toebehoorende de voornoemde Obedientie, voormaels by de Voorſaeten van myne voornoemde Heeren vander Obedientie *ghecocht ieghens Jan Spierynck ende andere weerlicke perſoonen, die de voornoemde Salinas ende voor hem Franchois van Jabbeke by pachte ghebruyckt hebben.*

Soo ſyn eyndelinghe ce voornoemde Partyen *reſpectivelyck dien aengaende gheaccordeert op de naervolgende conditien.*

Te wetene dat de voornoemde de Salinas myne voornoemde Heeren vander Obedientie voor den prys vande ſelve Thienden ende Leenen ſal betaelen de ſomme van neghen hondert ponden vlaemſche munte, in de naervolgende payementen. Pretium emptionis.

Te wetene de ſomme van vierhondert ponden grooten ghereedt, ter date vander erfueniſſe, ende de reſterende vyf hondert ponden grooten, telcken halven jaere daer naer twee hondert vichtich ponden grooten ſuyver ghelts, boven alle laſten van thiende Pennynck, dienſten ende andere Renten daer uytte gaende; mitgaeders oock van de coſten van de onterfueneſſe ende andere hoorlicke devoiren.

Dies ſyn de voornoemde Heeren van den Capitle ende Obedientie ghehouden ten daghe van de erfueneſſe in handen van den Coopere ofte ſyns Commis te leveren alle de bewyſen lettragien ende munimenten die ſy de ſelve Leenen anegaende jegenwoordelick onder hemlieden hebben, ende naermaels ſouden moghen becommen, ende den ſelven de Salinas van de ſelve Leenen & Thienden behoorlick erfueneſſe te doene.

Boven dien, hebben myne voornoemde Heeren van de Capitle ghewilligblicken ghepreſenteert ende toeghe'yt uyt goeder jonſte ende affectie te laeten kieſen by myn voornoemde Heere de Salinas *alſulcke eerlicke plaetſe van Sepulture binnen der voorſeyde Kercke voor hem ende ſyne Huyſvrauwe, beurlieder Hoirs ende Naercommers, als hem goet ende ghevoughelyck duncken ſal, by advyſe van myn Heeren van de Fabryque van de voorſz. Kercke van St. Donaes.* Electio Sepulturæ.

Ende Jaerelicx te doene t'elcken XV. daeghe van Septembre een ſolemnele Meſſe van den Heyligben Gheeſt gheſonghen in den Choor ſyn leven lanck ghedeurende. Ende naer ſyn overlyden een groot Obyt ſoo over ſyn ſiele als over de ſiele van ſyn huyſvrauwe.

Nemaer in dien geen van hem lieden beeden in de voorſz. Kercke begraven en wierde, ſal naer henlieden beeden overleyden ſmelten den voorſz. dienſt.

Belovende de voornoemde Partyen reſpectivelick 't voorſchreven Accords ende Contract behoorlick en reſpectivelyck te volcommen, alter goeder trauwe.

In teeckene ende corroboratie van welcken Accorde heeft den voornoemden Heere de Salinas *aen myn voornoemde Heeren van den Capitle ghegeven tot behoeve van der Fabrycke van der voorſeyde Kercke voor eenen Godts-pennynghe eenen grooten Cruuſaet van Portugal iegenwoordigh ghepermitteert tot vyfuendertich guldenen.*

Ende ſal van heurlieder weghe oock gheexpedieert worden een behoorlicke Acte van deſen tegenwoordighen Contracte gheextendeert in forma.

In teeckene der waerheyt hebbende voornoemde Partyen reſpectivelyck deſe minute onderteeckent, elck met heurlieder ghewoonelick hant-teecken, te wetene Heer Andries Bottyn Canenick ende Secretaris van den voornoemden Capitle, ende den voornoemden Heer Salinas *voor hem ſelven, ten daeghe ende jaere als boven.*

Aldus onderſchreven by laſte van myn voornoemde Heeren van den Capitle, ende geteeckent: Andries Bottyn Notaris ende Secretaris, ende daer neffens oock gheteeckent: F. de Salinas.

Quem præſcriptum conventionis & venditionis Contractum, Nos Remigius Epiſcopus, ac Decanus & Capitulum ſupradicti, præhabita matura ac ter quaterve repetita deliberatione, rite & Capitulariter pro more conſueto vocatis ac præſentibus omnibus quorum intereſt & alias vocari ſolitis, adhibitis etiam omnibus ſolemnitatibus de Jure & conſuetudine in ſimilibus requiſitis, de communi & concordi omnium conſenſu, nemineque contradicente, ob præſcriptas cauſas cum evidentiore ac majore dicti Officii utilitate ac commodo conjunctas,

Et pro recto & comperto habentes, quod hiſce temporibus nullus emptor reperiri poſſet, qui tantum ac tam juſtum pretium pro dictis Decimis idoneè perſolvere poſſet aut vellet, aliaſque *dignas cauſas animos noſtros moventes*, duximus approbandum & ratificandum, approbamuſque & ratificamus per præſentes. Nota.

Auctorizantes præfatos Dominos Laurentium de Molendino Cantorem Obedientiarium, Michaëlem Ingelmont Officii Obedientiæ Receptorem, & Martinum Jacobs Capellanum Obedientiarium, & eorum quemlibet, dantes eiſdem & cuilibet ipſorum in ſolidum noſtram omnimodam abſolutam & irrevocabilem poteſtatem, plenum liberum & abſolutum mandatum ad pro nobis & dicti Capituli nomine ubicumque opus fuerit comparendum coram Paribus dictæ Curiæ & ubicumque ubi opus fuerit.

Ac omne Jus in dictis Decimis, nobis ſeu Officio Obedientiæ & Communitati noſtræ Eccleſiæ quomodolibet competens, Juridicè pro complemento dictæ venditionis cedendum & tranſportandum.

Noſque ac prædictum Obedientiç Officium iiſdem omnibus Decimis & Feudis ac ſingulis eorum exuendum, ac deveſtiendum, dictumque D. Emptorem ſeu illius rerum geſtorem cum omnibus Juris ſolemnitatibus ad hoc requiſitis inveſtiendum inheredandum & infeudandum.

Atque ibidem, ſi opus ſit, ſpecificandum limites & terminos prædictarum Decimarum, nec non jurium eorumdem cum omnibus acceſſionibus & dependentiis; prout in Litteris & munimentis ac titulis noſtræ Acquiſitionis ipſi Domino Emptori exhibendis & tradendis continetur.

Et generaliter ad omnia alia & ſingula faciendum gerendum & promittendum, quæ in præmiſſis & circa ea neceſſaria fuerint ſeu quomodolibet oportuna, etiamſi talia forent, quæ Mandatum exigerent magis ſpeciale, quam præſentibus eſt expreſſum.

Ratum itidem & gratum perpetuo habituri, quicquid deſuper per dictos Noſtros Procuratores ſeu quemlibet eorum ut ſupra, & prout ſupra agetur, geretur, ac promittetur.

In quorum omnium & ſingulorum fidem ac teſtimonium præmiſſorum, præſentes Litteras fieri, ſigillorumque noſtrorum appenſione fecimus & juſſimus communiri.

Datum & actum Brugis in Capitulo noſtro ordinario, congregato anno Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo, menſis Septembris die decima ſeptima.

Non obſtante ſolemnitate hujus Venditionis, Capitulum Cathedrale Brugenſe reſciſſionem Contractûs poſt diuturnam litem impetravit, imprimis per Sententiam latam in Concilio Flandriæ anno 1654. cujus hic tenor.

Gheſien 't Proces hangende hier in 't Hof, in Rechte tuſſchen d'Eerweerdighe Heeren Deken ende Capittel van de Cathedraele Kercke van St. Donaes tot Brugghe Heeſſchers in Materie van bevelen ende affſtandt ter eender zaydo, ende Vrouwe Elvira de Valencia Douariere van Don Francisco d'Aguillar tot Bruſſel, Vrouwe Jacqueline Van Hecke Douariere van M'Heer Godefroy Gillekens tot Ruremonde, Don . . . . . Quintadvenas, Vrouwe Eleonore Bernard Douariere van M'Heer Jan Wouters in ſyn leven Ridder Heere van Vinderhoute, M'Heer Jan Baert Ridder eerſten Penſionaris der Stede van Ghent in huwelick hebbende Vrouwe Eleonore de la Coſte, Jonckheer Peeter Van Hecke, Heere Van Apolleu, met Conſorten, alle gemeene Hoirs ende Erfgenaemen van wylent M'heer Ferdinande de Salinas, ende van Vrouwe Livine van Steelandt ſyne Huyſvrouwe, Verweirders ende Impetranten van Requeſte Civile by d'Heeſſchers conſente geinterineert, ter andere.

'T Hoff' recht doende, verclaert de vercoopinghe van de veertigh Leen-thienden die queſtie is, nul ende van onweirden, ordonneerende dien volgende de Verweirders de ſelve te laeten vaeren, ende tot s'Heeſchers profyte dan of affſtant te doene, met Rekeninghe, bewys ende reliqua van den baeten ende profytte by hen-liden ghetrocken ende geprofyteert, 't ſedert den inſtel van de ſaecke, mits by de Heeſſchers aen de ſelve Verweirders op-leggende ende reſtituerende de ſomme van negen hondert ponden grooten, miſgaeders vyf ponden ſes ſchellinghen acht grooten over de weirde van eenen dobbelen Cruyſſaert prys van de voerſchreven vercoopynghen, met den intereſt van dien in advenante van den penninck ſeſthiens, 't ſedert den inſtel van de ſaecke als voeren. Daer op niet te min validerende, ſulex als mannen hentieden dies verſtaende, ſullen jugieren ende eſtimeren 't importeren enae elevende aen de ſepulture ende jaergetyden van wylent M'heer Ferdinande de Salinas ende ſyne

Huyſvrouwe. Ende condamneert de Verweirders in de coſten van den Proceſſe ter cauxatie van den Hove.

Gedaen in de Caemere van den Raede in Vlaenderen te Gent de 9. Mey 1654. Was ondersteeckent: Van Steenberghen.

Quam eandem Sententiam quoad ſingula confirmavit Magnum Conſilium S. M. Mechliniæ reſidens, die 14. Decembris 1717.

CAPUT CX.

Epiſtola verè luctuoſa Vicarii Generalis Epiſcopatûs Ruremundenſis, Sede vacante, ad CLEMENTEM VIII. *Pont. miſſa anno 1592; quâ triſtis ejuſdem Eccleſiæ, Capitulique Cathedralis facies exhibetur.*

Ex Archivis Epiſcopatûs Rurem.

SAnctiſſime Pater. Eccleſiæ Ruremundenſis calamitas, ut Suæ Sanctitati ex vero innoteſcere poſſit, paucis vix id fieri nequit. Omittere tamen non potuimus, quin miſerabilem ejus Statum eidem quam pauciſſimis fieri potuit perſtringamus. Fuit dicta Eccleſia ante annos 32. vel circiter in Cathedralem erecta, erantque in eadem prout in præſentiarum ſunt, novem ſolum Præbendæ, quarum valor communibus & pacificis annis ad ſummam 40. ducatorum vel circiter aſcendere ſolebat.

Bullam habes Tom. I. pag 482. horum Diplom.

Verùm, ut dictæ Eccleſiæ tenuitati & Menſæ Epiſcopali provideretur, factæ ſunt tempore præfatæ Erectionis aliquot Incorporationes; idque taliter, quod quædam male ſint fundatæ, quædam nullius ſeu minimi valoris, & quædam nuſquam reperibiles. Ita ut ne teruntius quidem hactenus ex dictis Incorporationibus ad dicti Capituli utilitatem pervenerit.

Unde fit, quod non ſolum in ſua primæva tenuitate perieveret, ſed plane etiam his belli temporibus interire incipiat. Tanta hic eſt hujus temporis calamitas, ut tantillum haberi non poſſit, unde nudata & everſa per hæreticos anno 1572. Dei Altaria hactenus honeſtè erigi, & pro decoro contegi, ſeu neceſſaria ad divinum cultum decenter peragendum ornamenta haberi poſſint.

Status Capituli.

Ad hæc, Canonicorum nullus, nequidem ſolitariè vivens, dictæ Præbendæ ſuæ fructibus tenuiter victitare poteſt: licet Decanus ſolus cum duobus Canonicis ſuis Confratribus reſideat, & abſentibus nihil emolumenti concedatur. Ita ut Epiſcopus nihil vel parum auxilii à ſuis Canonicis in ſuæ Diœceſis adminiſtratione expectare poterit: eo quod idonei & qualificati hujuſmodi tenues Præbendas non ambiant, oblatas recipere recuſent, aut receptas ſtatim & ultro dimittant.

Quantum vero ad Dotem Menſæ Epiſcopalis attinet, ea fuit pacificis annis adeo exigua, ut Reverendiſſimus (1) Dominus noſter LINDANUS (cujus memoria in benedictione ſit) ſemper conqueri ſolebat, ſe in adeo ampla populoſa ac oneroſa Diœceſi vix ex dimidio munus ſuum Epiſcopale præſtare poſſe; prout ſæpius apud Sedem Apoſtolicam & ſuam Majeſtatem Catholicam fruſtra expoſuit.

Dicta autem Dos Menſæ Epiſcopalis adeo eſt attrita hoc tempore belli, ut omnia quæ Epiſcopo hoc tempore obvenire poſſent, non aſcendant ad ſummam 300 ducatorum: quibus ut Epiſcopus ſuam familiam, Eccleſiæ & Curiæ ſuæ onera ſuſtentare poſſit, eſt plane impoſſibile. Ex quibus pauculis Eccleſiæ hujus miſeriam colligere non eſt difficile.

Proinde cum ſua Catholica Majeſtas ad hanc pauperculam Eccleſiam regendam nominaverit Reverendum Dominum (2) *Joannem Longi-crucium*, J. V. Licentiatum, Præpoſitum Caſletenſem, eam ob cauſam humiliter petimus, quatenus Sanctitas veſtra dignetur ei Confirmationem concedere cum Annatarum remiſſione; ut tandem poſt quinque annorum vacationem Epiſcopum habere poſſimus. Alioquin noverit veſtra Sanctitas, quod diſciplina Eccleſiaſtica, unà cum Religione Catholica, hîc multùm periclitabuntur: eo quod hîc nullus ſit, qui media vel auctoritatem habeat, populum in officio continendi, præcipuè cum libera Religio hîc circumquaque & hinc longè & latè per ſeptemtrionem graſſetur.

Non foret eam ob cauſam inconſultum, ſi veſtra Sanctitas dignaretur ſuam Catholicam Majeſtatem ſerio monere, ut tandem pauperculæ Eccleſiæ Ruremundenſi, ſecundum ſuum promiſſum Sedi Apoſtolicæ in præfata Erectione factum, ſed hactenus nondum impletum, de neceſſariis & requiſitis providere velit; ut dicta Eccleſiæ in fidei Catholicæ collimitio ſita, tamquam ejuſdem fidei Catholicæ his in partibus propugnaculum ſervire poſſit.

Subſignatum: GREGORIUS GHERINX, Decanus, Officialis, & Vicarius generalis Sede vacante.

(1) GUILIELMUS LINDANUS, Dordracenus, S. T. D. Lovanii, primus Ruræmundenſium Epiſcopus anno 1562. conſecratus, præfuit difficilimis temporibus, & inter preſſuras continuas. Anno

1588. translatus ad Episcopatum Gandavensem, eo ipso anno obiit.

(2) JOANNES LANGE-CRUCIUS, Hilvaribecanus, J. U. L. & quondam Professor, Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Cassleti in Flandria, Vir pius ac doctus, ad Ruremundanas Insulas nominatus (uti patet è Litteris jam allegatis) eisdem sponte renunciavit. Vitâ functus anno 1604. Vide de ipso Bibliothecam Belg. T. II. pag. 672.

Eodem tempore nominatus fuit ad hunc Episcopatum REINERUS BERVOETS à Braeckel, S. T. L. in Ecclesia Cathedrali Antverpiensi Canonicus & Archidiaconus: sed & ille renunciavit. (Vide Historiam Episcopatûs Antverp. pag. 208.) Unde tandem Episcopus Ruræmundensium consecratus fuit anno 1596 HENRICUS CUYCKIUS, Culemburgensis, S. T. D. ac Decanus S. Petri Lovanii.

CAPUT CXI.

MATTHIAS HOVIUS, *Archidiaconus Mechlinienſis, Vicarius Generalis Sede vacante, ac paulò poſt Archiepiſcopus, conſentit in Tranſlationem Domûs Carthuſiæ, è loco dicto* Scheut, *juxta Bruxellam (qui per hæreticos fuerat dirutus) intra eandem Urbem, anno* 1592.

Ex Archiv Carthuſiæ Bruxell.

MATTHIAS HOVIUS, Presbyter, Sacræ Theologiæ Licentiatus, Metropolitanæ Ecclesiæ Beati Rumoldi Mechlinienſis Archidiaconus & Canonicus, nec non Archiepiscopatûs Mechlinienſis Sede vacante in spiritualibus & temporalibus Vicarius generalis: universis & singulis præsentes Litteras visuris, lecturis, pariter & legi audituris, salutem in Domino.

Justis subditorum nostrorum votis libenter intendimus, per quæ commoditatibus & utilitatibus eorundem maturè consulitur.

Pro parte Religiosorum Virorum nobis in Christo dilectorum, Prioris & Conventus Monasterii Carthusianorum, olim siti extra portas Oppidi Bruxellensis, Mechlinienſis Diœcesis, in loco vulgariter dicto *ten Scheut*, ad præsens ob ejusdem Monasterii totalem per hasce turbas eversionem & ruinam, in dicto Oppido Bruxellensi conventualiter degentium, Nobis cum querela exiſtit expositum & significatum, qualiter ipsi, quam sit periculosum ruri condere Monasteria, suâ jacturâ (pro! dolor) satis edocti, & ut ab ejusmodi periculo inposterum præserventur, dictum eorum dirutum Monasterium infra muros dicti Oppidi Bruxellensis, in locum ab ipsis ad hunc effectum, de consensu tam Sacræ & Catholicæ Regiæ Majestatis ut Brabantiæ Ducis, quam Capituli generalis sui Ordinis comparatum transferre, & ibidem ad Religionis augmentum, & dicti Oppidi ornamentum, illud erigere, & exstruere omnino statuerunt.

Verùm cum Translatio & Erectio hujusmodi juxta Canonicas Sanctiones, & Sacri generalis Concilii Tridentini Decreta absque Ordinarii consensu & beneplicito fieri validè non possint; Nobis humiliter supplicarunt, quatenus ipsis licentiam & facultatem dictum Monasterium ad prædictum Oppidum Bruxellense transferendi, & ad gloriam omnipotentis Dei illis ibidem erigendi, Authoritate nostrâ concedere dignaremur, & vellemus.

Nos igitur, de consensu prædicto per legitima Documenta nobis exhibita ad plenum informati, & securitati dictorum Supplicantium imposterum consultum cupientes, eisdem Supplicantibus, ut dictum eorum Monasterium ad hoc Oppidum Bruxellense transferre & illud ibidem erigere, & divino cultui accommodare possint & valeant, Authoritate Vicariali nobis Sede vacante concessâ, & qua fungimur in hac parte, licentiam & facultatem concessimus, & impartiti fuimus, prout concedimus & impertimur præsentium per tenorem, Jure cujuslibet in præmissis semper salvo.

In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium, præsentes Litteras exinde fieri, & per Secretarium Archiepiscopalis Curiæ Mechlinienſis in Districtu Bruxellensi infrascriptum subsignari, Sigillique majoris Sedis vacantis jussimus & fecimus impressione communiri.

Datum & actum Bruxellæ in Vicariatu nostro, anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, mensis Martii die decimâ.

Subsignatum: MATHIAS HOVIUS Vicarius Generalis.

De Carthusia Bruxellensi, fundatâ olim in Scheut juxta Anderlechtum anno 1454. dotatâ per Magistratum Bruxellensem 1456, approbatâ per Pium II. Papam 1458, vide Tom. III. horum Diplomat. Belg. pag. 153. 195. & 196.

CAPUT CXII.

Tractatus inter MATTHIAM HOVIUM *Vicarium generalem Sede vacante, & Capitulum Metropolitanum Mechlinienſe ex una, &* CAROLUM PHILIPPUM A RODOAN *Prælatum Commendatarium Monaſterii Eenhamenſis ex altera partibus anno* 1594. *pro Unione hujus Abbatiæ &c. ſed ſine effectu.*

Ex Archivis Capituli Metropol. Mechlin.

ANno Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto, die vero menſis Aprilis decimâ-ſextâ, inter Reverendos & Eximios Dominos MATTHIAM HOVIUM, S. Th. Licentiatum Canonicum & Archidiaconum Metropolitanæ Eccleſiæ Mechlinienſis, ac ejuſdem Sede vacante Vicarium generalem, nomine Archiepiſcopatûs, & HENRICUM FRANCISCUM VAN DER BURCH J. U. Licentiatum, itidem prædictæ Eccleſiæ Canonicum ac Decanum, nomine ſui Capituli ex unâ, nec non Reverendum ac Generoſum Dominum CAROLUM PHILIPPUM A RODUAN J. quoque U. Licentiatum, Præpoſitum divæ Waldetrudis in Eccleſia Collegiata Montenſi Hannoniæ, Cathedraliſque Eccleſiæ Gandenſis Canonicum & Decanum, Monaſterii Eenhamenſis Prælatum deſignatum, ſuo proprio, & Religioſorum dicti Monaſterii, qui huic Tractationi & Conventioni ſubſcribere volunt, nomine, ex alterâ partibus; ſub beneplacito ſuæ Sanctitatis & ſuæ Catholicæ Majeſtatis convênit in hunc, qui ſequitur, modum.

Dein III. Archiepiſc. Mechlin.

Dein Epiſc. Gandav. & Archipiſc. Camerac.

Dein Epiſc. Middelburgenſ. & Brugenſ.

Ut videlicet Reverendus ac Generoſus Dominus Carolus Philippus, videns Monaſterium prædictum ita demolitum ac devaſtatum, ut facilè reſtaurari nequeat; ac præterea conſiderans, cùm Religionis, tum Catholicæ ſuæ Majeſtatis maximè intereſſe, ut Eccleſia Metropolitana Mechlinienſis, cui Primatialis Dignitas in Belgio eſt attributa, & à qua proinde omnes ibidem reliquæ Eccleſiæ dependent, tandem aliquando conſtituatur; volenſque propterea pro virili ſua ad tam pium opus conferre quantum poſſet;

Nota.

Poſt multas & inſtantes preces & requiſitiones prælibatorum Dominorum Vicarii & Decani, nec non aliorum quoque Virorum bonorum & primariorum, paſſus ſit ſe induci, & eò condeſcenderit, ut promitteret, quemadmodum & promittit præſentium tenore (eiſdem Reverendis Dominis Vicario generali & Decano acceptantibus) ſe habito ſuæ Sanctitatis ac Regiæ Catholicæ Majeſtatis conſenſu, reſignare omne jus ſuum ei quomodocumque ad dictam Prælaturam & Monaſterium competens & competiturum, ad uſum & commodum Menſæ Capitularis dictæ Eccleſiæ Metropolitanæ, arbitrio Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi, aut ejus defectu, Vicarii Generalis, & ſuo, applicandum: ſub hac tamen modificatione & formâ.

Primo; ut ex dicta Prælatura deinceps conſtituatur Præpoſitura ſæcularis, cum dote ſexcentorum florenorum annuorum Monetæ Brabantiæ; eidemque præficiatur unus ex Canonicis ejuſdem Eccleſiæ Metropolitanæ, quotieſcumque poſtmodum eam vacare contigerit: qui ſe obliget & obſtringat ad perſonalem reſidentiam, ſub pœna privationis omnium fructuum, ipſo facto incurrendâ. Prout & ad idem ſe obligabunt, quicumque in eadem poſthac Dignitatem aliquam obtinere volent. Conceptus de Præpoſitura Mechlin.

Secundò; ut conſtituantur ſex Præbendæ novæ, quæ primùm conferantur totidem Religioſis in dicto Monaſterio reſtantibus: dummodo authore ſummo Pontifice religioſum habitum in ſæcularem mutare, ac Pontificio Privilegio uti volent. De Præbendis.

Tertiò; ut ſi dicti Religioſi hujuſmodi Privilegio uti recuſent, tum ipſis aſſignentur ad inſtar aliorum Canonicorum congruæ portiones, quibus ſe ſuſtentent, donec vivant. In eorumque loco à præfato Reverendo Domino Deſignato ſubſtituantur alii, qui poſt ipſorum Religioſorum deceſſum primùm plenis Præbendis fruantur.

Quartò; quod quidquid ultra dictarum Præpoſituræ & Præbendarum dotes, bonorum & proventuum ſuperfuerit, id omne dotationi conſtituendarum & augmentationi jam conſtitutarum Dignitatum, nec non veterum Præbendarum, aliiſque dictæ Eccleſiæ Metropolitanæ uſibus neceſſariis, arbitrio prædicto applicetur.

Quintò; quod adminiſtratio Dominiorum & Juriſdictionum dictis Prælaturæ ac Monaſterio competentium cedat Reverendiſſ. Archiepiſcopo, cum illis accidentariis emolumentis tantummodo, quæ nunc habet Præpoſitus Religioſus Cui quoque Archiepiſcopo cedent Collationes Beneficiorum eiſdem competentium; eâ tamen lege, ut in Beneficiis perſonalem reſidentiam non exigentibus potiſſima habeatur ratio Miniſtrorum actualiter Choro dictæ Eccleſiæ Metropolitanæ deſervientium; injuncto, ut omnia onera Miſſarum cæterarumque Fundationum piarum ipſis Prælaturæ & Mona- Collatio Beneficiorum.

ſterio incumbentia, ſic prædicto arbitrio adimpleantur; ut ne quis merito de piâ Fundatorum voluntate non adimpleta poſſit conqueri.

Sextò; ut Collatio dictæ Præpoſituræ, ſi Reverendus Dominus Deſignatus eam acceptare noluerit (quod ei tamen liberum relinquitur) pro primâ vice cedat ipſi, ac deinceps ſuæ Catholicæ Majeſtati, ejuſque legitimis harum Provinciarum Succeſſoribus.

Collatio autem ſex Præbendarum novarum, quandocumque eas vacare contigerit, pro prima itidem vice cedat eidem Reverendo Domino Deſignato, & poſtea perpetuis futuris temporibus Reverendiſſ. Domino Archiepiſcopo, cum Prærogativa Juris Patronatûs Laïcalis.

Septimò; ut corpora & proventus omnium Prębendarum tam veterum quam novarum in unam maſſam redigantur, ex qua ſingulis Canonicis Præbendatis æqualis tribuatur portio. Præterquam quod Præbendæ Graduatis affectæ certum inſuper accipient incrementum, arbitrio ſupra-dicto definiendum.

Denique ut ſumptus omnes, qui pro explicatione Tractatûs & Conventûs hujuſmodi ſubeundi erunt, ex proventibus dictorum Prælaturæ & Monaſterii ex hac die ceſſuris accipiantur.

Penſio Abbatis Commendat.

Cæterum, ne in hac ſua pietate nimium Reverendus Dominus Deſignatus lędatur, deſtinata eſt ei penſio mille florenorum prædictæ monetæ annuæ, eidem donec cedat vel decedat ſuper bonis per ipſum eligendis & adminiſtrandis aſſignanda. In cujus penſionis ſublevamen, Præpoſitus tantiſper non gaudebit fructibus ſuæ Præpoſituræ; niſi ſit, ut ob notabilem proventuum acceſſionem Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo, ac Reverendo Domino Deſignato aliud viſum fuerit expedire.

Sub qua præſcriptione inita eſt hæc Conventio, & non aliàs, aliter nec alio modo.

Quæ omnia & ſingula ſupraſcripta, ſic ut præmittitur inter Contrahentes bonâ fide acta ſunt & actitata, ipſis reciprocè promittentibus, ratum & firmum quantum in ipſis eſt, habitum iri, quidquid hîc pollicitum eſt aut promiſſum.

Sub obligatione perſonarum ſuarum ac omnium bonorum præſentium & futurorum; cum renunciatione beneficii reſtitutionis in integrum, aut cujuſcumque alterius ordinarii ſeu extraordinarii, omnium jurium, privilegiorum & exceptionum tam generalium quam ſpecialium, nominatimque illius, quod generalis renunciatio non ſubſiſtat, aut quod in genere exceptionibus renunciari nequeat, aliorumque omnium, cujuſcumque conditionis aut qualitatis fuerint, per quæ hæc Conventio ſeu Tractatus controverti poſſit aut infringi.

Conſtituentes hinc inde irrevocabiliter ſuos veros ac legitimos Procuratores, cum poteſtate ſubſtituendi abſolutè vel limitatè, Reverendi quidem Domini Vicarius Generalis & Decanus Clariſſimum & Ampliſſimum Virum Dominum Ferdinandum de Salinas ſuæ Catholicæ Majeſtatis in privato Conſilio Conſiliarium, & Dominum Petrum Vinck divæ Catharinæ in Civitate Bruxellenſi Parochum. Prælibatus autem Reverendus Dominus Deſignatus ſpectabiles Viros Dominos Guilielmum d'Enghien & Simonem Grimaldi ejuſdem ſuæ Majeſtatis in dicto Conſilio Secretarios, & eorum quemlibet in ſolidum, ad ipſorum reſpectivè Conſtituentium nomine dicti Tractatûs ſeu Conventionis ratificationem & approbationem à ſua Sanctitate & Regia Catholica Majeſtate impetrandum, eâque impetratâ ad omnia & ſingula ex ea dependentia debito effectui demandandum.

Promittentes ſub obligatione quâ ſupra, ſe ratum gratum & firmum habituros perpetuò, quidquid per eoſdem ſuos Procuratores ſeu eorum Subſtitutos & eorum quemlibet in his actum factum ſeu geſtum fuerit.

In quorum omnium & ſingulorum fidem & robur, præſentes hinc inde ſe ſubſcripſerunt, ac haſce ſigno ſuo munierunt.

Acta ſunt hæc Mechliniæ in domo ſolitæ habitationis Reverendi Domini Vicarii generalis, ſitâ Mechliniæ in platea vulgo dictâ de Bogaert-ſtraete, anno menſe & die, quibus ſupra.

Scriptum ampliativum præfati Conceptûs.

UNio Monaſterii & Conventûs Eenhamenſis cum Capitulo Metropolitanæ Eccleſiæ Mechlinienſis, fieri poſſe videtur ſub hac adſtipulatione.

I. Ut in loco diruti Monaſterii ædificetur Sacellum, in eoque pro Fundatoribus vel Benefactoribus, Prælatis & Religioſis Eenhamenſibus quotidie Deo Sacrificium offeratur. Quod Sacellum dotem accipiat ducentorum florenorum monetæ Brabanticæ annuorum.

II. Ut pro iiſdem Fundatoribus, Benefactoribus, Prælatis & Religioſis, primo cujuſlibet menſis die non impedito, Anniverſarium in Eccleſia Metropolitana Mechlinienſi celebretur, in eoque dentur duplices diſtributiones præſentibus.

III. Ut quotannis die . . . . . ſolemne Anniverſarium fiat pro Comite N. primo dicti Monaſterii Fundatore; in quo diſtributiones triplicentur.

IV. Ut ſi quid quoad pias Fundationes deſit, id omne bonâ fide in dicta Eccleſia Metropolitana ſuppleatur.

V. Ut ex proventibus Eenham. . . .

Digitized by Google

modii tritici & totidem ſiliginis, ipſis ibidem aut in Seminario Paſtorum quotannis applicandi.

VI. Ut Prælatura Eenhamenſis extinguatur, & ejus loco Præpoſitura in dicta Eccleſia Metropolitana conſtituatur. Cujus poſſeſſor non poſſit eſſe alius quam ibidem Canonicus, & qui ſe ad perſonalem reſidentiam obliget, ſub pœna amiſſionis omnium fructuum, ipſo facto incurrendâ. Ad quam reſidentiam ſub eadem pœna ſe quoque obſtringant omnes, qui in dicta Eccleſia Metropolitana Dignitatem Eccleſiaſticam obtinere volent, ſecundum provida Sacroſancti Concilii Tridentini Decreta.

VII. Ut in eadem Eccleſia erigantur ſex Canonicatus novi, qui unà cum veteribus, annumerato & illo, qui Archiepiſcopatui annexus eſt, viginti Canonicatus conſtituant. Hæque Dignitates, Archipresbyteratûs, Theſaurariæ & Scholaſtriæ.

VIII. Ut omnia & quæcumque bona, tam Capituli quam dicti Monaſterii confundantur, & in unam veluti maſſam conflentur. Eaque ſic confuſa, per unum vel plures Quæſtores, ſub cura & inſpectione unius vel plurium Canonicorum per Capitulum nominandorum, & ab Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo approbandorum adminiſtrentur & regantur.

IX. Ut ex proventibus eorundem bonorum, ſicut præfertur, in unam maſſam redactorum, ſingulis Canonicis aſſignentur Nota. Præbendæ æquales, ad rationem quadringentorum ſimilis Monetæ florenorum, granis ad communem valorem æſtimatis.

X. Ut Præpoſitus ultra ſuam Præbendam Canonicalem habeat alteram Præbendam cum dimidia, Decanus dimidiam, & Archipresbyter, Pœnitentiarius, Cantor, Theſaurarius ac Scholaſticus, item novem Canonici, quos vocant affectas Præbendas obtinentes, ſinguli unius Præbendę partem octavam, cum dimidia octavæ.

XI. Ut ex dicta Maſſa decidantur duæ Præbendæ cum dimidia, minutatim inter Canonicos pro duabus, & reliquos de Choro pro tertiâ partibus, ultra ordinarias veteres diſtributiones quotidie repartiendæ. Sic tamen, ut abſentium partes (niſi quis ex legitimâ cauſſâ abfuerit, quam cauſſam Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Dominus Archiepiſcopus, audito Capitulo definiet) præſentibus ſemper accreſcant.

XII. Ut ad ſuſtentationem cantûs & chori, decidantur duæ portiones ſeu Præbendæ Canonicales, arbitrio ejuſdem Reverendiſſimi & Capituli diſtribuendæ.

XIII. Ut ad neceſſitates Capituli ſublevandas, decidatur Præbenda una.

XIV. Ut item Præbenda una decidatur in uſum Seminarii Archiepiſcopalis, ſeu Paſtorum.

XV. Ut quidquid oneribus & ſumptibus, ac dictis Præbendis ſeu portionibus deductis, quotannis ſuperaverit, id ſingulis Præbendatis ſeu præbendales portiones habentibus ſecundum portionem prædictam accreſcat.

XVI. Ut Sacriſtiæ cedat quarta pars Præbendarum Dignitatibus & Canonicatibus competentium, quotieſcumque eas vacare contigerit: ita ut novus Poſſeſſor primo anno ſuæ reſidentiæ tanto minus accipiat. Cui & cedent Præbendæ ſeu portiones integrę, quandocumque annum integrum vacabunt. Sequentium vero annorum ſi ulterius vacent, cedent cæteris Præbendatis, ſeu Præbendialem portionem habentibus, ſecundum portionem prædictam.

XVII. Ut ſua Majeſtas Catholica ejuſque legitimi Belgicarum Provinciarum Succeſſores dictæ Præpoſituræ Collationem, ſeu ad eam habeant Præſentationem.

XVIII. Ut Reverendiſſimus & Illuſtriſſ. Dominus Archiepiſcopus ſit Collator ſex dictarum novarum Præbendarum, idque cum prærogativa Juris Patronatûs Laïcalis. Competat quoque eidem Collatio, tam dicti Sacelli, quam aliorum Beneficiorum diſpoſitioni Prælati Eenhamenſis hactenus relictorum. Eâ tamen lege, ut in illis, quæ perſonalem reſidentiam non requirunt, ratio potiſſimum habeatur illorum, qui actu Choro dictæ Eccleſię Metropolitanæ deſerviunt.

XIX. Ut hæc omnia perpetuò obtineant, cum hac exceptione in præſens, nempe ut Domino Prælato Eenhamenſi Deſignato, ſi ipſe Præpoſituram non acceptet, liceat primâ vice alium idoneum ſibi ſubſtituere.

XX. Item ut ſex Præbendæ novæ primùm conferantur totidem Religioſis Eenhamenſibus reliquis; ſi beneficio ſuæ Sanctitatis uti, ac Religioſum habitum in ſæcularem mutare volent. Sin autem, ut tunc ipſis aſſignetur Præbendialis portio adinſtar Canonicorum, quoad vixerint: licitumque ſit eidem Domino Prælato, in recuſantium locum alios idoneos nominare: qui titulo quidem tenus Canonici ſint, ſed poſt dictorum Religioſorum, in quorum locum nominati fuerint, deceſſum, Præbendis demum fruantur.

XXI. Denique ut dictus Dominus Prælatus, ſive Præpoſitus ſit, ſive non ſit, loco portionis Præpoſiti habeat annuatim mille florenos dictæ monetę ex certis bonis per ipſum eligendis & adminiſtrandis, donec ceſſerit vel deceſſerit. Intereaque Præpoſitus (ſi quis alius nominatus erit) ultra Prębendam ſuam Canonicalem non recipiat.

Digitized by Google

Supplex Libellus Regi exhibitus, per Capitulum Metropolitanum Mechlinienſe, in finem uti ſupra.

SAcræ Regię Catholicæ Majeſtati.

Exponunt quam poſſunt demiſſiſſimè Decanus & Capitulum Metropolitanæ Eccleſiæ Mechlinienſis, quod cum Veſtræ Majeſtati placuit, dictam Eccleſiam, olim Collegiatam, erigi in Metropolitanam, eique inter omnes Eccleſias Belgii deferri Prærogativam honoris; dubium non ſit, quin mens quoque Veſtræ Majeſtatis tum fuerit, ut illi, pro dignitate, tam quoad facultates ſeu proventus, quam quoad competentem numerum Miniſtrorum debitè proſpiceretur; quando ea & aliis deſtinabatur norma & exemplum, & ob dignitatem, præeminentiam & authoritatem, cæteræ ab ipſa dependere debebant.

In quo tamen, propter ſubortas ſtatim ab Erectione calamitates, ac propter graviſſimas perpetuò veſtræ Majeſtatis occupationes, uſque in præſentem diem tam parum præſtitum eſt, ut Capitulum, quod alioquin Archiepiſcopo Senatûs inſtar eſſe deberet, & in adminiſtratione Diœceſios (ultra XXIV. milliaria extenſæ) totiuſque adeo Provinciæ tam amplæ & impeditę procuratione, eidem eſſe ſuſtentaculo & ſubſidio: ut ipſum Capitulum ultra XIV. Canonicos, annumeratis Archiepiſcopo, Decano, Archidiacono, Cantore & Pœnitentiario, necdum habeat, eorumdemque Prębendæ, etiam Graduatis addictæ (quibus diſpendioſâ lite ademptum eſt, quidquid Bulla Erectionis viſa fuerat attribuiſſe) tam tenues ſunt & exiguæ (ut pote LXXX. ducatos annuos, omnibus computatis, non excedentes) ut ſingulæ quemlibet virum gravem pro dignitate alere non queant.

Id quod quoque in cauſa eſt, ut quam plures viri probi & docti hujuſmodi Præbendas oblatas aut acceptare abnuerint, aut acceptas illico repudiaverint; malentes nimirum ad ſecundariarum etiam ruri ſitarum Eccleſiarum Præbendas, imo & inferiores Vicariatus & Sacellanias concedere, quam Mechliniæ in egeſtate ac conditione ſibi indignâ degere.

Adeo ut Archiepiſcopus, & ipſe quoque inops, dum illis de ſuo ſuccurrere nequit, qualibuſcumque etiam caſu oblatis ſubinde coactus fuerit ſeſe juvare.

Ex quo certe defectu accidit, ut ſecundum hujus ſæculi (inopes contemnentis) mores, pro veneratione & condigna exiſtimatione, Eccleſia iſta vilipendium retulerit & contemptum: in non modicum ſervitii divini & veſtræ Majeſtatis prejudicium.

Quippe nec Religio, nec Sacri Ordinis Authoritas, in hiſce Provinciis commodè ſuſtentari poteſt, niſi illâ primum Eccleſiâ conſtitutâ. Ac proinde in adminiſtratione politicâ & Eccleſiaſticâ, hinc magnam partem dependente, mille quotidie difficultates ſuboriri eſt neceſſe.

Quæ omnia cum Exponentes (interea dum Archiepiſcopatum, ſextum jam annum vacantem, adminiſtrant) preſſiùs conſideraſſent, maturèque perpendiſſent, pro virili ſemper adlaborarunt tanto malo occurrere.

Et quamquam ob eaſdem calamitates hactenus fruſtra, nunc tamen rationem ſibi inventam arbitrantur, quâ ſi non omnibus defectibus, miniſtrorum ſaltem raritati, Præbendarumque tenuitati aliquatenus ſaltem ſubveniatur. Ea autem ratio ſic ſe habet.

Dum in ſupradicta conſideratione Exponentes ſunt, animadverterunt Abbatiam Eenhamenſem, Ordinis Sti. Benedicti, ſub Invocatione Sti. Salvatoris, Mechlinienſis Diœceſis, intra centum annos de novo reædificatam fundituſque iterum jam everſam, eo loco eſſe, ut ſpes prompta reſtaurationis ulla non ſuperſit.

Cum vero ea ex minoribus ſit, & ab harum Provinciarum pro Majeſtate tua Gubernatoribus conferri ſolita, ſexque tantum Religioſos habeat reliquos, qui ægrè admodum ad diſciplinæ & Regulæ Monaſticæ obſervationem reduci poterunt: adierunt iidem Exponentes Reverendum Dominum Carolum Philippum à Roduan, jam recens dictæ Abbatiæ Præſulem deſignatum. Ipſumque paratum repererunt, propter bonum quem habet erga Deum & Veſtram Majeſtatem zelum, dictam Prælaturam, omniaque inde dependentia, Menſæ Capitulari Exponentium, ſecundum formulam hiſce conjunctam, incorporanda reſignare; dummodo ad id Veſtræ Majeſtatis accedat conſenſus.

Igitur, quia plane confidunt Veſtram Majeſtatem conſideratione benignâ ad prædictas rationes habitâ, in cauſâ uſque adeo honori divino & rebus ſuis congruâ, non magis ſe præbituram difficilem, quam aliàs in ſimili ſe præbuit felicitſſimæ recordationis Carolus Quintus Imperator ejuſdem parens: cum eâdem pene Lege Conditionibuſque annuit Incorporationi Monaſterii Divi Bavonis Gandavi; recurrunt ad eandem Veſtram Majeſtatem;

Eique quam humillimè ſupplicant, ut intuitu prædictorum, ac in divini cultûs augmentum, diſciplinæ authoritatiſque Eccleſiaſticę incrementum, nec non rerum ſuarum proſperitatem, dignetur præfato Reverendo Domino Carolo Philippo à Roduan Prælato Eenhamenſi Deſignato, concedere facultatem, reſignandi Prælaturam Eenhamenſem, cum omnibus inde dependen-

dentibus, ad uſum Capitularis Menſæ Eccleſiæ Metropolitanæ Mechlinienſis applicandam, juxta præmemoratam Formulam.

Ac inſuper apud ſuam Sanctitatem per ſuum Legatum intercedere, pro confirmatione omnium & ſingulorum: mandando Supplicantibus ſuper his expediri Litteras efficaces in formâ debitâ & convenienti.

Id quod faciendo &c.

CAPUT CXIII.

Libelli, à R. P. ARNOLDO NYLEN *deſignato Epiſcopo Groningano, poſt redditam civitatem exhibiti Sereniſſimis Archiducibus* ALBERTO ET ISABELLÆ *ſupremis Principibus Belgii, circa annum* 1602. *quibus ſuas exponit calamitates.*

Ex Archivis Epiſcopatûs Groningani.

A Son Alteze Sereniſſime.

Remonſtre tres-humblement F. ARNAULT NYLEN *Vicaire general, denomé par feu d'haulte memoire Sa Majeſté Très-Catholique, Eveſque du Pays de Gruninghe: qu'eſtant de là icy refugié en Court à Bruxelles, il a pleu à feu de bonne memoire l'Archiduc* ERNESTUS *liberalement luy accorder une penſion de ſix-cent florins par an, pour ſubvenir à ſes neceſſités; ainſi que le Suppliant en a jouy ſucceſſivement juſques l'an* 1602. *excluſivè.*

Lequel (depuis ſon triſte exile) luy a eſté bien le plus calamiteulx, ayant eſté preſque accablé des miſeres par catherreuſes deſluxions, l'ayants tenue cinq mois malade a cauſe la perte d'un œuil, ſans que l'experience & diligence des Medecins & Chirurgiens y aient ſceu avec tous exceſſifs deſpens porter remede.

Se trouvant ainſy fort languiſſant entre mille afflictions, ſans eſperance de ſecours, ſi la liberalité de ſon benigne Prince ne luy ſurvient; & à laquelle en ſes extremes neceſſitez il dreſſe ſon refuge en toute humilité, ſuppliant très-humblement que le bon plaiſir de Son Alteze Sereniſſime ſoit d'encoirs une fois pour ceſte année ſeulement ordonner à Meſſeigneurs les Chiefz-Treſorier General & Commis de ſes Finances, que la ſuſdicte penſion ſoit audict Suppliant continuée & bien aſſignée, pour pouvoir ſatisfaire auxdicts grandes debtes & credits cauſées par ſa dicte maladie & inconvenients, & au demeurant ſtatuer quelque aſſeuré traictement audict Suppliant, pour ſe pouvoir aulcunement maintenir durant ſon miſerable exile.

Quoy faiſant &c.

LIBELLUS II.

SEreniſſimi Illuſtriſſimique Principes, Clementiſſimi Domini.

Exponit humillimè Serenitatibus veſtris F. ARNOLDUS NYLEN, Epiſcopatûs Gruningenſis Vicarius Generalis, & à Catholica Sua Majeſtate nominatus Epiſcopus, &c. quod juxta gratiam illi à Deo conceſſam, in eadem civitate, plus minus viginti annos, publicè Concionatoris officio perfunctus fuit, totiſque viribus collaboraverit, ut ab anno Domini 66 (uſque ad annum 94, quando violenter in Hollandorum poteſtatem civitas protruſa fuit à furentibus hæreticis) in Catholica Religione, Suæque Majeſtatis obedientia, firma, conſtans, immota permaneret; nec unquam cum aliquo Principe, aut Alenzonio, aut Auriaco, multo minus cum exoſis ſuperbiſque Anglis, fœdera iniret; uti tum hic, tum apud æternæ memoriæ Regem Catholicum, in Hiſpania, plurimorum teſtimoniis expoſitum fuit.

Tandem cum prædicta civitas, ab omnibus deſerta, in manus hoſtium incidiſſet, tum ut debitam Majeſtati ſuæ obedientiam apud Aulam Regiam teſtatiorem faceret, tum maximè ne Eccleſiæ ſecreta proderet, aut in caſſes hæreticorum incideret, venit Bruxellam. Ac ubi comparuit, Sereniſſimus Archidux Erneſtus feliciſſimæ memoriæ, non ſolum Exponenti benigne gratiſſimam audientiam dedit, cauſamque perditionis civitatis perquiſivit, verum bis terve eundem ad colloquium ultro evocavit; atque tandem ſerio mandavit, ut in officio Paſtorali perſiſteret, oves Chriſti abſens per Litteras foveret, atque in animarum pabulo pro poſſe proſpiceret, idque ut commodius præſtaret, liberalitatem 600. florenorum pro annua penſione, donativi loco, conſtituit.

Hanc proviſionem cum Supplicans ſingulis uſque in hunc diem annis non ſine magna difficultate, per ſupplices libellos, ſumma humilitate requireret, aliquoties integram, quandoque diminutam, quandoque nullam, conſequi potuit. Eaque de cauſa, in ſummis anguſtiis conſtitutus, maxime cum videat, infeſtiſſimo hoc bello, Ærarium Serenitatum veſtrarum exhauriri, nec pro alimentis neceſſariis ſemper parata pecunia poſſit Exponenti ſubveniri; ſupplicat cum debita reverentia, ut Serenitates Veſtræ prædictam 600 Carolinorum annuam penſio-

nem, ſuper Epiſcopatu Audomarenſi, aut alia Prælatura, ad collationem Serenitatum veſtrarum ſpectante, accedente Authoritate Apoſtolica, dignentur providere, & Diplomata, ad hæc neceſſaria, jubere expediri; donec prædictus Exponens ad quietam Officii ſui poſſit pervenire functionem.

Quod faciendo &c.

LIBELLUS III.

SEreniſſimis Illuſtriſſimis Principibus, Clariſſimis Dominis.

Exponit cum debita reverentia Frater Arnoldus Nylen, Epiſcopatus Gruningenſis Vicarius Generalis, atque ejuſdem à S. Catholica Majeſtate Nominatus Epiſcopus &c. Quod cum in eadem Civitate atque Provincia annos ultra viginti, juxta gratiam illi à Deo impartitam Concionatoris officio perfunctus fuiſſet, totiſque viribus, ut (deficientibus pene omnibus Belgii Civitatibus) ipſa quaſi limitanea civitas annos plus minus octodecim in Catholica Religione ſuæque Majeſtatis obedientia conſtans & immobilis permaneret, collaboraſſet, tandem ab Hollandis poſt quinque annorum obſidionem occupatâ civitate, venit anno 1594. cum præcipuis Regiis Miniſtris Bruxellas, Curiæ (ut patebat) incognitus. Atque exhibuit Illuſtriſſimo Archiduci ERNESTO Libellum ſupplicem, quo & Epiſcopatûs nomen, & alias dignitates ab Eccleſiæ Primatibus conceſſas in manus legitimorum ſuorum Collatorum liberè reſignavit, ut ad ſui Ordinis liberum exercitium redire poſſet. Sed rejecta eſt reſignatio, atque à Nuncio Apoſtolico ampliori poteſtate decoratus. Quin Illuſtriſſimus Princeps adjecit pro annua penſione (quatenus officio commodius incumberet) liberalitatem 600. florenorum.

Sed cum Expoſitor hanc penſionem aliquoties integram, quandoque diminuatam accipiat, ſupplicat cum debita reverentia: Serenitates Veſtræ prædictam 600. Carolinorum penſionem annuam ſuper aliqua Abbatia vel Prælatura ad collationem Serenitatum Veſtram ſpectante, accedente Authoritate Apoſtolicâ providere, & Diplomata ad hæc neceſſaria jubeant expediri; donec Exponens ad quietam Officii ſui poſſit pervenire functionem.

Quod faciendo &c.

LIBELLUS IV.

SEreniſſime Princeps.

Exponit omni cum humilitate reverentiaque Serenitati Voſtræ Frater Arnoldus Nylen, Epiſcopatus Groeningenſis Vicarius Generalis atque etiam à Sua Majeſtate deſignatus illius Epiſcopus, ſe jam plures annos in Urbe Provinciaque Groeningana nocturnam diurnamque operam poſuiſſe in populis illis, aliis ad Religionem Catholicam reducendis, aliis in ea atque obedientia Suæ Majeſtatis confirmandis; cujus non homines ſolos, ſed etiam Deum ipſum Sanctoſque omnes Teſtes implorare non veretur. Neque dubitat, quin & hic in Aula atque apud ſuam Majeſtatem in Hiſpaniis labores ſui ſint non ignoti.

Sed cum Civitas ea conceſſiſſet in hoſtium poteſtatem, multis de cauſis in ea non potuit permanere, tum ne cogeretur prodere Litteras atque alia ſecreta Eccleſiæ Groeninganæ, quæ tuto jam abſconderat; tum ne cogeretur contra Religionem ſuæque Majeſtatis obedientiam jurare: tum ut cæteris Eccleſiaſticis atque Catholicis exemplum præberet. Videbat etiam ſe in ea urbe non poſſe deliteſcere, neque fructum ullum facere, quod hæreticis nimis eſſet exoſus; ab iiſque ſerio perquirendus. Diſceſſit ergo, cum multis non ſuis ſolis, ſed Catholicorum præcipuè civium ſacrarumque Virginum lachrymis. Obteſtabantur omnes uti ſe non derelinqueret, ſed ſi abiret, è loco ſaltem viciniore ſcriptis litteris, atque aliis officiis conſuetis eis ſolatio atque auxilio eſſet.

Quorum ſupplices preces & lachrymas ſi Serenitas Veſtra benignis oculis aſpicere, gregemque non parvum in fide Catholica noti Paſtoris voce atque operâ fovere dignetur, ſupplicat, ut Serenitas Veſtra dignetur ipſi, jam ætate gravi, nomine atque auctoritate ſuæ Majeſtatis, Coloniæ vel alio loco Groeningæ propinquiore, aut ſaltem Antverpiæ, de vitæ neceſſariis, in annos aut menſes ſingulos providere, ut officio ſuo atque muneri diligenter & utiliter incumbere poſſit, & juvare Catholicos afflictos, qui vel ipſi ad ſe tamquam ad Paſtorem recurrent, vel litteris auxilium atque conſilium petent. Speratque, ſe quam ſolet operam diligentiſſimam atque utiliſſimam Catholicis Phrygiis navaturum.

Quod ſi vero Serenitas Veſtra id propter temporum calamitatem non poſſit, meſſiſque illa Groeningana balanteſque oviculæ ſint à Paſtore ſuo omnino deſerendæ, paratus eſt officium ſuum ad pedes Serenitatis Veſtræ deponere, atque ad priorem vitæ contemplativæ Statum reverti, in quo Deum pro Serenitate Veſtra Suaque Majeſtate deprecetur. Id unicum tali caſu petens, ut tantum pecuniæ Veſtra Serenitas ei curet numerari, quantum neceſſe eſt, ut qui prope nudus Groeningâ huc venit, habitu Monaſtico rurſus decenter reveſtiri poſſit, atque ad Monaſterium à ſuo Provinciali deſignandum reverti. Omnia humiliter judicio diſcretionique Serenitatis Veſtræ ſubmittens; &c.

Digitized by Google

CAPUT CXIV.

MATTHIAS HOVIUS *Archiepiſcopus Mechlinienſis confirmat anno* 1613. *Fundationem Capellaniæ, ſub onere Miſſæ quotidianæ in Eccleſia B. M. V.* Aſpricollenſi *inſtitutæ per Sereniſſimam Principem* CATHARINAM *Duciſſam* LOTHARINGIÆ, *tanquam Executricem ultimæ voluntatis* ANTONIÆ A LOTHARINGIA *Duciſſæ Cliviæ, Juliæ &c.*

Ex Archivis Archiepiſcopatûs Mechlin.

MATTHIAS Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Archiepiſcopus Mechlinienſis & Sereniſſimorum Belgii Principum à Conſilio Status &c. Univerſis & ſingulis præſentes Litteras viſuris, lecturis, ſeu legi audituris, ſalutem in Domino.

Exigit Officii noſtri debitum, ut ea quæ à Chriſti fidelibus, potiſſimum Principibus, ad honorem Dei, divini cultus augmentum & animarum ſalutem, piè & ſalubriter acta & ordinata ſunt, libenter promoveamus, & noſtræ Confirmationis robore muniamus.

Sane pro parte Sereniſſimæ Principis Dominæ CATHARINÆ A LOTHARINGIA, rerum mobilium heredis piæ memoriæ ANTONIÆ A LOTHARINGIA, Cliviæ, Juliç, Montium &c. Duciſſæ, nobis expoſitum fuit,

Quod ipſa inſequendo ultimam voluntatem præfatæ Dominæ Duciſſæ defunctæ, in Fundationem & Dotationem Beneficii ſive Capellaniæ perpetuæ in Eccleſia beatæ Mariæ Virginis Aſpricollenſis, noſtræ Diœceſis, ſub onere Miſſæ quotidianæ, inſtituendæ & erigendæ, modo & forma infra declaratis, à Scabinis & principalioribus oppidi Cortracenſis partium Flandriæ Tornacenſis Diœceſis, quemdam reditum ſive cenſum annuum centum talerorum Imperialium, ducentos viginti quinque florenos Renenſes conſtituentium, legitimè coëmerit, juxta documenta ea de re expedita, & in Archivis dictæ Eccleſiæ aſſervata (ad quæ relatio habeatur) idque mediante quantitate bis mille talerorum ſimilium, prædictis Scabinis & principalioribus Oppidi Cortracenſis realiter traditorum & enumeratorum.

Quem quidem annuum cenſum ſive reditum ducentorum viginti-quinque florerenorum, quod-annis percipiet poſſeſſor dicti Beneficii ſeu Capellaniæ perpetuæ, ab ipſa Domina Exponente quoad vixerit. Et poſt obitum ejus, ut inferius declarabitur, à Sereniſſimis Ducibus Lotharingiæ aſſumptus & proviſus, Aſpricolli perpetuò habitans, & præfatam quotidianam Miſſam ad intentionem dictę Dominæ Duciſſæ ibidem ſine intermiſſione celebrans, & perſolvens.

Porro autem ſi contingat prædictos Scabinos, & principaliores dicti Oppidi Curtracenſis præfatum cenſum ſive reditum annuum, pari ſorte ſive quantitate duorum millium talerorum redimere, ipſa Domina Exponens, ſi id fiat ſe adhuc ſuperſtite, & poſt obitum ejus, Sereniſſimi Duces Lotharingiæ, eâdem pecuniæ ſummâ, parem vel vel ſimilis valoris & naturæ, ſeu annuum redditum ducentorum viginti quinque florenorum empturi ſunt in partibus Brabantiæ vel Flandriæ, eo commodiori, proximiori, ſeu viciniori beatæ Virginis Aſpricollenſis loco quo fieri poterit; aſſiſtente tamen huic negotio Procuratore generali, vel Fiſco Sereniſſimorum Belgii Principum Ducum Brabantiæ, & Comitum Flandriæ &c. vel eorum Succeſſorum. Cujus aſſiſtentiam, conſilium & authoritatem hac in parte ex nunc, prout ex tunc, implorat prædicta Domina Exponens.

Miſſam vero, quæ fiet diebus lunæ (qui præfatæ Sereniſſimæ Duciſſæ obitûs dies exiſtit) Capellanus pro defunctis, cum Collecta pro una defuncta celebrabit.

Sereniſſima Domina Exponens quoad ipſa vixerit, & poſt mortem ipſius, Illuſtriſſimus Sereniſſimus Princeps Henricus Lotharingiæ Dux, ejuſque Succeſſores pro tempore exiſtentes, quotieſcumque hanc Capellaniam vacare contigerit, Jure Patronatus Laïcalis ad eam honeſtum Sacerdotem præſentabunt Nobis & Succeſſoribus noſtris Archiepiſcopis Mechlinienſibus loci Ordinariis, vel Archidiacono Mechlinienſi, de more inſtituendum; quem non alium quam actu Sacerdotem, cujuſque vitæ & morum probitas fide digno teſtimonio comprobetur, ad hanc Capellaniam vult præſentari & aſſumi.

De hac Capelllania proviſus, vocabitur Capellanus Duciſſæ Cliviæ, & perpetuò in loco Aſpricollis reſidebit, & ne quidem ad paucos dies, etiam ob legitimam cauſam, abeſſe poterit, ſine ſcitu & conſenſu Poſtoris loci.

Dum autem cum ejuſmodi conſenſu, & ex rationabili cauſa abeſſe contigerit, tempus abſentiæ ſibi conceſſum non excedet; & interim dum abſuerit, per alium honeſtum Sacerdotem quotidianam Miſſam perſolvi curabit.

Si autem contingat, Capellanum ægritudine longâ laborare, Paſtor vel Rector loci, pro ſua fide & charitate hoc quotidianum Miſſæ onus per alium probum Sacerdotem expleri faciet, factâ proventuum debitâ diviſione, ut & Capellanus ægrotus pro ſua neceſſitate, & ejus loco celebrans, pro labore, portiones aliquales percipiant.

In Eccleſiaſticis Officiis, maximè in ſolemni Miſſa, Veſperis, proceſſionibus, ſepulturis, & ſimilibus Paſtori loci pro tempore Capellanus ſubditus erit.

Ita tamen ut pro talibus oneribus emolumenta, ſeu diſtributiones aliquæ pro qualitate muneris ei dentur; ſecus non obligetur.

Quod ſi plures ſint Capellani, tamquam omnium primus, & præ omnibus inſtitutus præferetur. Quare ſi ſolemnibus Miſſis adſtiterit, aget Diaconum, ſi Veſperis primis choralem; denique inter Capellanos in omnibus favorabilibus, hoc eſt in perceptione diſtributionum, & dignitate officiorum primas obſtineat.

Capellaniam autem hanc nunquam reſignare, nec permutare poterit Capellanus, ſine expreſſo conſenſu prędictæ Dominæ Exponentis, & Ducum Lotharingiæ poſt ipſius obitum. Sed ſive Capellania per mortem, ſive per reſignationem, vel aliàs vacet, ſemper ejus Præſentatio uti prędimittimus, ſpectabit ad ipſos Patronos.

Et ſi forte tempeſtivè Succeſſor haberi non poſſit, durante vacatione, Paſtor ſeu Rector loci curabit, ut huic oneri quotidianæ Miſſæ ſatisfiat ex proventibus hujus Capellaniæ; aſſignando Celebranti pro ſingulis Miſſis tantam eleëmoſynam, quanta pro more Eccleſiæ aliis ordinariè eo tempore datur, excreſcentiâ in uſum Eccleſiæ reſervata, vel potius (ſi ita videatur) in uſum Succeſſoris.

Nos ulterius ex parte dictæ Sereniſſimæ Principis Dominæ Catharinæ debita cum inſtantia requiſiti fuimus, quatenus dictæ Capellaniæ Fundationem, Dotationem laudare & approbare, ac Authoritatem noſtram Ordinariam illis interponere, nec non dictam Capellaniam in Beneficium perpetuum erigere & inſtituere eadem Authoritate vellemus & dignaremur.

Hinc eſt, quod Nos, ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis maturâ habitâ deliberatione & conſilio, ac conſiderantes illa tam ad honorem Dei, & cultûs divini in dicta Eccleſia incrementum, quam animarum ſalutem tendere, prętactæ Capellaniæ Fundationem, Dotationem & Ordinationem cum omnibus & ſingulis ſuis clauſulis ſuperiùs expreſſis, recipimus, admittimus, laudamus, & approbamus, ac Authoritatem noſtram Ordinariam illis interponimus, dictamque Capellaniam in Beneficium perpetuum eâdem Authoritate noſtra Ordinariâ erigimus & inſtituimus per præſentes.

In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium, præſentes Litteras exinde fieri, & per Secretarium noſtrum infraſcriptum ſubſignari, ſigillique noſtri juſſimus & fecimus appenſione communiri.

Datum & actum Mechliniæ anno à Nativitate Domini milleſimo ſexcenteſimo decimo-tertio, die ultimâ menſis Aprilis.

CAPUT CXV.

* Dein Archiepiſc. Camerac.

FRANCISCUS BUISSERET *Namurcenſis Epiſcopus,* * *erigit Eccleſiam S. Quintini de* Andoy *in Parochialem anno* 1614, *ad inſtantiam Prioris de Geronſart Ordinis Sti. Auguſtini, Patroni ejuſdem Curæ.*

Ex Archivis Abbatiæ Gerondis.

FRANCISCUS DE BUISSERET Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Namurcenſis. Univerſis & ſingulis, præſentes viſuris, lecturis, pariter & legi audituris, ſalutem in Domino.

Circa Eccleſiarum & locorum eorumdem Statum ſalubriter dirigendum, juxta Paſtoralis noſtri Officii debitum, conſiderationis extendentes intuitum, in his eis libenter aſſiſtimus, per quæ animarum occurritur periculis ac perſonarum commoditatibus providetur: quemadmodum Eccleſiarum ipſarum neceſſitas exigit, cauſæ ſuadent rationabiles, Catholici populi incrementum expoſcit; quatenus Eccleſiarum earumdem ſtatus immutetur ſeu in melius reformetur, prout rerum, temporum, & locorum circumſtantiis penſatis, id noverimus in Domino ſalubriter expedire.

Sane pro parte Reverendi Domini Prioris Monaſterii de Geroldi-Sarto Ordinis Sancti Auguſtini, Vallis Scholarium prope Namurcum, Nobis expoſitum eſt, Paſtori Eccleſiæ Parochialis d'Erpent noſtrę Diœceſis, qui dicti Monaſterii Religioſus exiſtit, incumbere onus binandi

in

in Capella d'Andoy *, ſub eadem Parochiali ſita, idque propter illius incommoda, diſtantiam à dicta Parochiali, &c.

* Vide ſuperiùs ad pag. 385.

Et ſicuti eadem Expoſitio ſubjungebat, ſi Perſonatus Eccleſiæ Parochialis de Wierde, cujus Rector eſt etiam dicti Monaſterii Religioſus, eidem deſerviens ſub onere duarum Miſſarum in quindena, cum illius emolumentis, & onere prætacto transferretur ad dictam Capellam, talis incommoditas ceſſaret. Supplicavit Nobis ob id idem Exponens, quatenus dictam tranſlationem facere, & eandem Capellam, & illius ſubditos à prætacta Parochiali d'Erpent diſmembrare, & illam in Parochialem Eccleſiam ſub onere quartæ Capellæ erigere, illique fructus dicti Perſonatûs adjicere, & ſubditos dicti loci d'Andoy eidem ſic erigendæ Parochiali ſubjicere, Sacramentaque Eccleſiaſtica Parochianis ejuſdem de cœtero ibidem adminiſtranda eſſe, decernere vellemus & dignaremur.

Nos vero Franciſcus Epiſcopus, præfatus, attendentes petitionem ejuſmodi fore juſtam, & rationi conſonam, de præmiſſis omnibus & ſingulis & eorum circumſtantiis inquiſivimus, & nos informavimus diligenter.

Et quia per informationem legitimam & ſufficientem reperimus præmiſſa expoſita veritate fulciri, idcirco Auctoritate noſtrâ tam Ordinaria, quam poteſtate nobis per Decreta Concilii Tridentini attributâ prætactam Capellam d'Andoy, & illius loci incolas & ſubditos à prætacta Parochiali d'Erpent ſeparavimus, diviſimus, & diſmembravimus, ac perpetuis futuris temporibus ſeparatos, diviſos & diſmembratos eſſe & manere volumus.

Ac dictam Capellam d'Andoy ſub onere quartæ capellæ in Parochialem cum omnibus juribus & inſigniis ad Parochialem Eccleſiam ſeu quartam Capellam ſpectantibus erigimus. Eidem prætacti Perſonatus redditus, fructus & proventus pro illius dote adjicimus & appropriamus; dictoſque ſubditos d'Andoy ipſi ſic erectæ Parochiali ſubjicimus, & pro exercitio curæ animarum in populum, & utriuſque ſexûs homines in dicto loco d'Andoy habitantes, faciendo dilectum nobis Fratrem Philippum Follon prætacti Monaſterii Religioſum & dicti Perſonatus Rectorem; qui populo & Eccleſiæ prętactis in divinis, & animarum cura gerenda præſit, ad hoc habilem & idoneum compertum præficimus; illique curam regimen & adminiſtrationem Sacramentorum Eccleſiaſticorum dictæ Parochialis committimus.

Ac de Eccleſiâ ſic noviter erectâ, & pro hac primâ vice providemus; & ulterius præſentationem perſonæ idoneæ ad dictam Parochialem ſic per nos erectam, pro tempore Archidiacono Namurcenſi, quando illam vacare contigerit, pro Inſtitutione Canonicâ obtinendâ faciendam præfato Exponenti, & ſuis in prætacto Paſtoratu ſucceſſoribus reſervamus.

Quocirca dilecto Domino Archipresbytero Namurcenſi, cujus Concilio dictam Parochialem ſubjicimus, mandamus, quatenus dictum Proviſum in realem & actualem poſſeſſionem ponat & inducat &c.

In cujus rei teſtimonium has noſtras exinde fieri, & per Notarium publicum Curiæ noſtræ Scribam infraſcriptum ſubſcribi, Sigillique noſtri juſſimus & fecimus appentione communiri.

Datum Namurci, die XXVII. Septembris M. D. C. XIV.

CAPUT CXVI.

Erectio Monaſterii Stæ. Monicæ, *Monialium Anglarum Ordinis S. Auguſtini Lovanii, per* MATTHIAM HOVIUM *Archiepiſcopum Mechlinienſem, anno* 1618.

MATTHIAS Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Archiepiſcopus Mechlinienſis, univerſis & ſingulis præſentes Litteras viſuris, lecturis, ſeu legi audituris, ſalutem in Domino.

Exigit officii noſtri debitum, ut prudentibus Virginibus, quæ ſæculo patrioque ſolo ob Dei Religioniſque cauſam relicto, ad partes, in quibus Religionis Catholicæ viget exercitium, ſeceſſerunt, quæque ſub ſuavi Monaſticæ vitę jugo Creatori ſuo inibi famulantur, ſollicitudinis noſtræ partes libenter inpendamus, illaſque (quantum poſſumus) ſpecialibus favoribus & gratiis proſequamur.

Cum itaque ex parte Nobis dilecti in Domino *Thomæ Wortinthon* Nobilis Angli, aliarumque quarumdam devotarum perſonarum, Nobis expoſitum fuerit, Nos ſuperioribus annis ad illorum preces & inſtantiam conſenſiſſe in inchoationem novi Monaſterii Religioſarum Nationis Anglicanæ, Ordinis S. Auguſtini, in Oppido Lovanienſi noſtræ Diœceſis, in honorem Dei, glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, & S. Michaëlis Archangeli, ſub invocatione S. Moni-

Digitized by Google

cæ Matris D. Auguſtini Epiſcopi & Doctoris Eccleſiæ;

Voluiſſe tamen inter alia, quod ſenſim tentaretur ſucceſſus & Erectio hujuſcemodi novi Monaſterii, per certas leges, conditiones & Regulas illis tunc à Nobis præſcriptas; ut illis cognitis, in uſum adductis & probatis, poſtmodum in Erectionem & Inſtitutionem dicti novi Monaſterii conſentiremus, illamque approbaremus, ac Litteras noſtras opportunas deſuper concederemus.

Atque (uti ſubjungebatur) ab eo tempore Conventus dicti Monaſterii in loco ad hoc in dicto Oppido Lovanienſi coempto, divinâ favente gratiâ, & coöperantibus bonis patronis & amicis, ſic paulatim profecerit, ut ad aliquam perfectionem ſit perductus, ſaltem quatenus ſufficere poteſt, prætactis legibus & conditionibus ſervandis.

Nobis ea-propter humiliter ſupplicando, quatenus in Erectionem & Inſtitutionem prædicti Monaſterii, ſub præmentionatâ invocatione ac patrocinio S. Monicæ ſimpliciter conſentire, illamque approbare & confirmare Authoritate noſtrâ Ordinariâ, ac Litteras noſtras ea de re expediri, mandare dignaremur & vellemus.

Nos igitur, de præmiſſorum veritate ſufficienter informati, ideoque precibus hujusmodi favorabiliter inclinati, tenore præſentium præfatis Thomæ Wortinthon & Monialibus Anglicanis, Authoritate noſtra Ordinariâ, in dicto Oppido Lovanienſi, in loco ad hoc deſignato & acquiſito, Monaſterium hujuſmodi, cum Eccleſia, campanili, campanis, ſacriſtia, choro, clauſtro, dormitorio, refectorio, cœmiterio, horto, cellis, ædibus, ædificiis, & membris neceſſariis, conſtrui licentiam & facultatem concedimus & impartimur.

Illudque poſtquam conſtructum & debitâ clauſurâ munitum, ac dotatum & inſtructum fuerit, in Monaſterium Monialium Ordinis & ſub Invocatione hujuſmodi per unam Prioriſſam regendum & gubernandum, pro perpetuis uſu & habitatione duodecim ut minimum Monialium, comprehenſâ dictâ Prioriſſâ, juxta ipſius Ordinis Inſtituta qualificatarum, per dictam Prioriſſam introducendarum,

Omneſque Moniales hujuſmodi, habitum per alias Moniales aliorum Monaſteriorum ejuſdem Ordinis geſtari ſolitum ſuſcipere, & anno probationis elapſo, profeſſionem per alias Moniales præfatas emitti conſuetam, in manibus pro tempore exiſtentis ipſius Monaſterii Prioriſſæ emittere, ac ſub cura, viſitatione, correctione, juriſdictione, obedientia & directione noſtra, & Succeſſorum noſtrorum Archiepiſcoporum vivere;

Nec non ritibus, moribus, conſuetudinibus & Inſtitutis Regularibus dicti Ordinis ſe conformare, ac illa, nec non perpetuam clauſuram (quoad eis fieri poterit) ſervare, diviniſque laudibus & officiis inſiſtere poſſint & valeant, perpetuo, ſine alicujus prejudicio erigimus & inſtituimus.

Ac eidem Monaſterio ſic erecto & inſtituto, pro ejus dote, & Prioriſſæ, Conventûs, & Monialium prædictarum ſuſtentatione, redditus annuos mille & centum florenos jam acquiſitos & aſſignatos, perpetuò applicamus, attribuimus & aſſignamus.

Ita quod liceat Prioriſſæ & Conventui præfatis, per ſe vel alium ſeu alios, dicti Monaſterii nomine, illorum corporalem & realem & actualem poſſeſſionem propriâ authoritate liberè apprehendere, & apprehenſam perpetuò retinere, ac fructus, redditus, proventus, jura, obventiones & emolumenta quæcumque ex eis provenientia, percipere, exigere, levare, recuperare, regere & adminiſtrare; ac unà cum eleëmoſynis, oblationibus & aliis ſuffragiis ſibi pro tempore elargiendis, in ſuos communes & dicti Monaſterii, illaſque in Eccleſiæ & ſacriſtiæ uſus & & utilitatem, ſumptuſque expenſas & neceſſitates pro tempore occurrentes convertere.

Propterea eidem Monaſterio ejuſque Prioriſſæ, Conventui & Monialibus pro tempore exiſtentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, & immunitatibus, libertatibus, prærogativis, favoribus, indultis & aliis gratiis tam ſpiritualibus quam temporalibus, quibuſvis aliis Monaſteriis, & locis Monialium dicti Ordinis, eorumque Eccleſiis, Prioriſſis, Conventibus & perſonis, quomodolibet conceſſis, uti, frui, potiri & gaudere, liberè & licitè debeant, indulgemus.

Ulteriuſque præfatis *Thomæ Worthinton*, ejuſque Succeſſoribus gratioſè permittimus, ut ſi quando templum dicti Monaſterii ædificabitur, poſſit & valeat ſuis ſumptibus & expenſis ſibi in eodem, commodo aliquo loco, erigere ſepulturam, & ad illam extrui curare Altare ſeu ſacellum, tanquam pro Patrono, qualis nominatus eſt in Litteris prætactæ inchoationis. Ad quos tamen ſumptus & expenſas non tenebitur dictum Monaſterium.

Et ſi fortaſſis in poſterum, circa directionem temporalem dicti Monaſterii difficultatem (quod abſit) inter ipſum & dictas Prioriſſam & Conventum ſuboriri contigerit, illam deferri volumus ad judicium & deciſionem noſtram & Succeſſorum noſtrorum, viâ ordinariâ & abſque ſtrepitu judicii atque alterius interventu terminandam.

In quorum præmiſſorum fidem & teſtimonium &c.

Datum &c. Anno M.D.C.XVIII.

Digitized by Google

CAPUT CXVII.

ANTONIUS TRIEST, *Gandavenſium Epiſcopus, ſuppreſſis antiquis Capellaniis, quæ erant in Eccleſia Parochiali Sti.* Jacobi *Gandavi, ſex novas ibidem erigit anno* 1639; *ſub certis conditionibus, prævio aſſenſu & conſenſu Monaſterii Sti.* Petri *Gandavi, Jus Patronatûs in prædicta Eccleſia obtinentis.*

Ex Actis Litis inter Epiſc. Gandav. & Abbatem S. Petri.

ANTONIUS TRIEST, Dei & Apoſtolicę Sedis gratiâ Epiſcopus Gandavenſis &c. omnibus has viſuris aut legi audituris, ſalutem in Domino. Exhibita Nobis fuit pro parte RR. DD. Prioris & Conventûs Exempti Monaſterii S. Petri Blandinienſis juxta Gandavum Ordinis Sti. Benedicti Diœceſis Gandavenſis, Sede Abbatiali vacante, Acta Capitularis conſenſûs in ſuppreſſionem & extinctionem omnium Capellaniarum olim in Eccleſia S. Jacobi Patronatûs Monaſterii præfati fundatarum, ac bonorum eorumdem applicationem ſex Capellanis novis jam pridem de conſenſu admodum Reverendi Domini Arſenii Abbatis ejuſdem Monaſterii factæ, tenoris ſequentis.

Nos Prior, & Conventus Exempti Monaſterii S. Petri Blandinienſis &c. Notum ſit, quod attentâ & examinatâ Supplicatione DD. Paſtorum nec non Magiſtrorum Fabricæ & Menſæ S. Spiritus Eccleſiæ Parochialis S. Jacobi dictæ Gandavenſis Civitatis, noſtri Patronatus, continente quod in dicta Eccleſia pro decore ejuſdem, ob miniſtrorum ibidem deſervientium raritatem & defectum, divinum Officium non rite peragatur; ac proinde quod pro bono dictæ Eccleſiæ, ad divini cultûs augmentum, populique inde confluentis augendam devotionem, plurimum conducat, ſi omnes Capellaniæ olim in dicta Eccleſia fundatæ ſupprimantur, & bona earumdem applicentur ſex Capellanis, qui perſonaliter ibidem reſidere, divinumque officium juxta Ordinationem deſuper ſtatuendam peragere ſingulis diebus teneantur.

Cumque ea-propter dicta applicatio, unio & incorporatio bonorum omnium Capellaniarum dictę Eccleſiæ in ſex, cum oneribus ſuis facta fuiſſet anno 1628. die 17. Februarii, de conſenſu Reverendi admodum D. Abbatis Arſenii defuncti, non requiſito conſenſu Conventûs; ut omnis materia litium præſcindatur, Nobis humiliter ſupplicatum fuit, ut ad majorem cautelam & ſubſiſtentiam dictarum Applicationis &c. quatenus opus eſt, eaſdem ratas hære, & conſenſu noſtro etiam approbare dignaremur.

Nos igitur, attendentes Supplicationem hujuſmodi eſſe juſtam & rationi conſonam, quodque per hanc reductionem & ſex novarum Capellaniarum Erectionem, divinus cultus plurimùm augebitur, populique ad divinum officium confluentis frequentatione in Dei Eccleſia devotio magis magiſque accendetur; eidem Supplicationi favorabiliter inclinati, &c..... conſentimus in ſuppreſſionem omnium & ſingulorum veterum &c.

Eâ tamen conditione, & non aliàs, quod dictæ ſex Capellaniæ conferantur duobus Vice-Paſtoribus dictæ Eccleſiæ, ad Præſentationem DD. Paſtorum. Qui quotieſcumque alterutram earum quovis modo vacare contigerit, tenebuntur præſentare Reverendo Domino Prelato dicti noſtri Monaſterii, aut Nobis Sede vacante, tres viros Eccleſiaſticos bonæ vitæ, nominis & famæ. Ex quibus Abbas, vel Nos, Sede vacante, tanquam Patronus & Patroni dictæ Eccleſiæ & Capellaniarum, unum ad Vice-Paſtoratum eligere, & ad illius Deſerviturum promovere poterimus.

Quodque reliquæ quatuor Capellaniæ remanebunt ad liberam noſtram diſpoſitionem & Collationem: ita ut futurus Abbas vel Nos, valebimus ad Deſerviturum earum promovere viros idoneos, actu Sacerdotes, vel qui ad minus infra annum ad Sacerdotium promoveri poterunt: niſi tanta eſſet penuria Eccleſiaſticorum, ut ſimiles reperiri non poſſent, qui earum deſerviturum acceptare vellent.

Quo caſu poterit Reverendus Dominus Abbas, vel Nos, promovere alios magis aptos & capaces: qui omnes, & ſinguli illorum tenebuntur perſonaliter reſidere in dicta Eccleſia, eidem inſervire, & unà cum DD. Paſtoribus divinum Officium decenter decantare;

Poteruntque amoveri, & dictis ſuis Capellaniis privari, aliique in eorum locum ſubſtitui, quotieſcumque Reverendo Domino Prelato aut nobis, ob rationes eum vel nos reſpectivè moventes, ad ſuggeſtionem & expoſitionem DD. Paſtorum ita viſum fuerit.

Et finaliter, quod ad majorem conſervationem jurium, fructuum, reddituum &

Digitized by Google

proventuum dictarum ſex Capellaniarum ſic ſuppreſſarum & reductarum, conſtituetur aliquis Receptor generalis per R. D. Abbatem, vel Nos, qui oneribus illis incumbentibus ſatisfieri curabit, & ſingulis annis dicto Domino Prælato & Paſtoribus ſuæ adminiſtrationis rationem reddere tenebitur.

Quo-circa rogamus Reverendiſſ. D. Epiſcopum Gandenſem, ut ad conſervationem juris hujus Abbatię & Conventûs dignetur expediri curare Actum in forma, cum clauſulis conditionibus & limitationibus præfatis.

Datum in loco Capitulari noſtri Monaſterii, ſub Sigillo noſtri Conventûs & Secretarii noſtri ſignatura, anno Domini 1638. menſis Decembris die ultimâ.

Rogantes, quatenus prædictam Suppreſſionem omnium & ſingularum Capellaniarum, & earumdem reductionem, Unionem & Incorporationem dictis ſex novis Capellaniis Authoritate noſtrâ Ordinariâ ad majorem cautelam, & quatenus opus eſt, laudare, approbare, & confirmare dignaremur.

NOs maturâ habitâ deſuper RR. Dominorum de Vicariatu noſtro deliberatione, & tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus, quâ in hac parte fungimur Authoritate, de veritate prænarratorum pleniſſimè informati, eandem Suppreſſionem omnium & ſingularum Capellaniarum veterum in dicta Eccleſia D. Jacobi olim fundatarum, & Reductionem, Unionem & Incorporationem jam pridem (ut ante dictum eſt) factas dictis ſex novis Capellaniis, ad majorem cautelam, & quatenus opus eſt, tenore præſentium laudamus & approbamus, eaſdemque Capellanias veteres in perpetuum ſex novis Capellaniis prætactis unimus & incorporamus.

Eâ tamen conditione, & non aliàs, quod duæ dictarum ſex Capellaniarum conferantur duobus Vice-Paſtoribus dictæ Eccleſiæ, ad præſentationem Dominorum Paſtorum pro tempore exiſtentium; qui quotieſcumque alterutram earumdem quovis modo vacare contigerit, tenebuntur præſentare Reverendo Domino Prælato dicti Monaſterii, aut RR. Dominis prætactis Sede vacante tres Viros Eccleſiaſticos bonæ vitæ nominis & famæ: ex quibus Abbas, vel Prior & Conventus prædicti Sede vacante tanquam Patronus & Patroni dictæ Eccleſiæ & Capellaniarum unum ad dictum Vice-Paſtoratum eligere, & ad illius Deſerviturum promovere poterunt.

Quodque reliquæ quatuor Capellaniæ remanebunt ad liberam illorum diſpoſitionem & collationem: ita ut futurus Abbas vel Prior & Conventus prætacti valebunt ad Deſerviturum illarum promovere viros idoneos, actu Sacerdotes, aut qui ad minus infra annum ad Sacerdotium promoveri poterunt: niſi tanta eſſet penuria Eccleſiaſticorum, ut ſimiles reperiri non poſſent, qui illarum Deſerviturum acceptare vellent.

Quo caſu poterit Dominus Abbas vel Prior & Conventus ſæpe-dicti promovere alios aptos & capaces: qui omnes & ſinguli illorum tenebuntur perſonaliter reſidere in dicta Eccleſia, eidem inſervire, & unà cum DD. Paſtoribus divinum Officium decenter decantare. Poteruntque amoveri, & de ſuis Capellaniis privari, aliique in eorum locum ſubſtitui, quotieſcumque Reverendo Prælato aut Priori & Conventui ſæpe-dictis, ob rationes eum vel eos moventes reſpectivè ad ſuggeſtionem & oppoſitionem DD. Paſtorum ita viſum fuerit.

Et finaliter, quod ad majorem conſervationem jurium, fructuum, reddituum & proventuum dictarum ſex Capellaniarum ſic ſuppreſſarum & reductarum conſtituetur aliquis Receptor generalis per Reverendum Dominum Abbatem vel Priorem & Conventum ſupra-dictos, qui oneribus illis incumbentibus ſatisfieri curabit; & ſingulis annis dictis DD. Prælato & Paſtoribus ſuæ adminiſtrationis rationem reddere tenebitur.

Datum Gandavi ſub Sigillo noſtro, ac Secretarii noſtri ſignaturâ, hac die XII. Martii M. D. C. XXXIX.

Idem Epiſcopus Antonius Trieſt, ſub ſimili formâ, & previo ſimili conſenſu Abbatis S. Petri Gandavi, ſuppreſſit & extinxit omnes veteres Capellanias olim in Eccleſia Parochiali B. M. V. juxta dictam Abbatiam, fundatas, & bona earumdem applicuit ſex novis Capellaniis ibidem erigendis, ſub iiſdem, ut ſupra conditionibus. Litteræ Conſenſûs Domini Abbatis datæ ſunt 4. Decembris 1651. Litteræ autem Suppreſſionis, Unionis & Erectionis, Illuſtriſſimi Domini Trieſt datæ fuerunt 3. Octobris 1653.

CA-

Digitized by Google

CAPUT CXVIII.

Concordatum pro admisſione Presbyterorum Congregationis Oratorii D. Jesu in Urbem Bruxellenſem, & ad Eccleſiam Collegiatam S. Gudilæ, cum aſſignatione ſeptem Capellaniarum, anno 1643.

Ex Archivis Eccleſiæ S. Gudilæ Bruxell.

ILluſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus Mechlinienſis Jacobus Boonen, cum R. D. Joanne Hugone Quarre' Præpoſito & Superiore Presbyterorum & Clericorum Congregationis Oratorii, nec non R. R. PP. Martino Lanoy & Frederico Piroël ejuſdem Congregationis Aſſiſtentibus, pro ſe ſuiſque Succeſſoribus ex unâ, Reverendi admodum Domini Decanus & Capitulum Inſignis Eccleſiæ Collegiatæ & Parochialis Divorum Michaëlis & Gudilæ Oppidi Bruxellenſis ex alterâ partibus, Conſiderantes gravem neceſſitatem, quâ populus eidem Eccleſiæ ſubjectus, conſtans circiter viginti millibus Communicantium propter paucitatem Miniſtrorum Eccleſiaſticorum laborat, videlicet in Sacramentorum adminiſtratione, ægrorum præſertim pauperum viſitatione & conſolatione, eorumque digna diſpoſitione ad acceptandum à divina bonitate cum debita reſignatione quidquid ei de creaturis ſuis in utramque partem ſtatuere placuerit, & ſolliciti ut huic neceſſitati ac malis indè orituris opportunis remediis occurratur, neque videntes quomodo efficaciter id fieri valeat, niſi de novo aſſumantur aliquot viri probi & charitatis igne ferventes, qui Parochiam dictæ Eccleſiæ ſubjectam obeuntes, Chriſti fideles in iis quæ ad ſalutem animæ ſunt neceſſaria erudiant; præcipuè dum mortis anguſtiis circumceſſi, in ultimo agone cum diabolo humani generis hoſte viribus imparibus & ſucceſſu dubio luctantur, defectu inſtructionis in exercitio charitatis Dei, Contritionis, aliorumque actuum ſupernaturalium.

Hinc placuit eidem Illuſtriſſimo Domino & Reverendis Dominis Decano & Capitulo (ex intimis præcordiis dicto populo condolentibus) illi ſubvenire modo infraſcripto: videlicet,

I. Ut ſeptem Capellaniæ in dicta Eccleſia Divorum Michaëlis & Gudilæ fundatæ, nimirum Capellania ſancti Servatii, cujus modernus poſſeſſor eſt Dominus Lucas van Lathem, Capellania ſancti Sebaſtiani, cujus modernus poſſeſſor exiſtit Dominus Carolus à Coolputte, Capellania ſanctæ Agathæ tertiæ fundationis, cujus modo poſſeſſor eſt Dominus Arnoldus Candries, Capellania S. Catharinæ ſecundæ fundationis, cujus modo poſſeſſor eſt D. Adrianus Delens, Capellania S. Annæ in ambitu chori, cujus modernus poſſeſſor eſt Dominus Wouters, Capellania ſancti Cornelii, cujus modo poſſeſſor eſt Dominus Jordanus Vande Velde, uniantur Menſæ Capitulari, cui ipſa Plebania ab antiquo etiam unita & incorporata exiſtit,

Ad opus quinque Sacerdotum, qui DD. Plebano & Vice-Plebanis in adminiſtrandis Eccleſiæ Sacramentis, viſitandis infirmis, aliiſque functionibus paſtoralibus exercendis adjutorio erunt, prout illis hoc à DD. Decano & Capitulo pro tempore exiſtentibus præſcriptum & ordinatum fuerit.

Qui quidem quinque Sacerdotes à dictis DD. Decano & Capitulo ex dicta Congregatione Oratorii deſumentur, & prima vice eligentur, eruntque tantum triennales;

Ita quod prædictis DD. Decano & Capitulo dicto triennio expirato, liberum erit alium vel alios ex dicta Congregatione aſſumere. Imo ſi durante etiam triennio aliquis aſſumptorum, vel non gratus Communitati vel in defectu, negligentia, ſeu alias non idoneus judicio Ordinarii & Dominorum de Capitulo repertus fuerit, debebit Superior Oratorii poſt monitionem alium præſentare; prout inferius latius præſcribitur.

II. Quotieſcumque continget unum ex dictis quinque Sacerdotibus, expirato triennio, à dictis Dominis Decano & Capitulo non continuari, vel dicto triennio adhuc durante mori, ex dicta Congregatione vel ex hac Civitate dimitti aut recedere; tenebitur Superior dictæ Congregationis infra duos menſes à monitione, tres alios ex dicta Congregatione Sacerdotes, Ordinarii (& caſu quo in ſupra memorata monitione hoc à Capitulo requiratur) etiam judicio duorum juratorum ad examen Paſtorum in hac Diœceſi Deputatorum idoneos & debitè qualificatos, Dominis Decano & Capitulo præſentare, ex quibus dicti Domini de Capitulo unum tenebuntur eligere.

III. Si autem contingat dictos Dominos de Capitulo eodem tempore vel modico tantum interjecto intervallo dimittere à prædictis functionibus non unum tantum, ſed plures aut etiam omnes quinque ſimul, tunc ſi duo dimiſſi fuerint, ſufficiet à prædicto Superiore poſt dictam monitionem præſentari quatuor ut ſupra qualificatos, non ta-

men ex illis qui recenter dimiſſi fuerint. Et ſi tres vel plures dimittantur, ſufficiet præſentari ſex ut ſupra, non tamen recenter dimiſſos. Et quomodocumque & quandocumque aliquis aſſumptus vel continuatus fuerit ad unum dictorum locorum, ad triennium tantum aſſumptus vel continuatus cenſebitur.

IV. Si autem Superior dictæ Congregationis, intra duos menſes à die monitionis talem præſentationem non fecerit, poterit Capitulum pro iſta vice & pro triennio tantùm alium vel alios Sacerdotem vel ſacerdotes extra Oratorium aſſumere, & ſingulis ex fructibus dictarum Capellaniarum penſionem annuam quadringentorum florenorum aſſignare, cum quinta parte onerum. Finito autem triennio ſic aſſumpti vel aſſumptorum, poterit Superior Oratorii rurſum pro iſto loco vel locis præſentare ut ſupra.

V. Et quia dictæ ſeptem Capellaniæ modo à diverſis perſonis poſſidentur, ita quod dicti Sacerdotes ex hac Unione nullum adhuc ab initio fructum percipient, ſatisfaciet dicta Congregatio, paratos habendo & ſuppeditando ad effectum præexpreſſum duos Presbyteros (quorum ſaltem alter etiam ſit peritus linguæ Gallicæ) ex ſuo Corpore debite ut ſupra qualificatos, donec plures quam duæ ex ſupradictis Capellaniis vacaverint. Pluribus autem vacantibus, tenebitur illico prænominatum numerum Presbyterorum uſque ad quintum completum habere. Inter quos ſemper ad minimum duo non tantum Teutonicæ ſed etiam Gallicæ linguę ſint periti. Et ſi pauciores ſint quinque, ſemper ad minimum unus ſimiliter utramque linguam ſciat. Qui omnes & ſinguli has Conditiones abſque ulla contradictione obſervabunt.

VI. Imprimis dicti Sacerdotes de Oratorio diu noctuque parati erunt ad ægrorum (præſertim pauperum) viſitationem faciendam, eiſque ſpiritualem conſolationem impendendam, ſecundum dictamen & Ordinationem Capituli. Dictamque viſitationem & conſolationem continuabunt debitis temporum itervallis accedendo, ſeu etiam ſubindè pernoctando uſquedum neceſſitas ſe remiſerit.

VII. Deinde tenebuntur omnes & ſinguli dicti Sacerdotes, Ordinationibus, correctionibus, Statutis & ſtatuendis Dominorum Decani & Capituli ſub-eſſe, ſine ulla tergiverſatione aut exceptione; eaque juramenta in ſua aſſumptione præſtare, ſicuti alii Vice-Paſtores vel Beneficiati dictæ Eccleſię.

VIII. Obligabuntur inſuper onera Miſſarum aliaque munia, qualiacumque ea ſint, dictis Capellaniis incumbentia fideliter expiere & dictas Miſſas ex ordine legere, loco & tempore ipſis à Dominis Decano & Capitulo pro tempore exiſtentibus præſcribendis; & de iſtis oneribus expletis quotannis, ſicut alii Beneficiati ejuſdem Eccleſiæ ſe in Capitulo ſub juramento expurgare, chorum ſicut alii Beneficiati cum habitu frequentare, Officio divino pſalmodiando aſſiſtere & coöperari, quantum ſupradictæ functiones permittent.

IX. Illis etiam diebus & temporibus quibus populus ad confitendum aut Sacramentum Euchariſtiæ ſumendum accurrere ſolet, tenebuntur dicti quinque Sacerdotes ſe paratos exhibere, ad adminiſtranda dicta duo Sacramenta. Sacramentum tamen Euchariſtiæ nunquam in Eccleſia diſtribuent, niſi quando ad hoc à Capitulo requiſiti aut admoniti fuerint, idque locis conſuetis, vel à dictis Dominis Decano & Capitulo aſſignandis.

X. Neque poterunt aut tenebuntur plures quam quinque Sacerdotes de Oratorio Capitulo debite præſentati, ne quidem prætextu VIII. Conditionis inſertæ Concordato inito 18 Februarii 1634. in hac Eccleſia audire Confeſſiones, niſi licentiâ Dominorum Decani & Capituli deſuper petitâ & obtentâ.

XI. Requiſiti curam Sacriſtiæ acceptare tenebuntur, & per aliquem vel aliquos ex ſua Congregatione exercere, ſub conditionibus tunc præſcribendis & mediante honeſto aliquo honorario. A qua tamen cura ad nutum Dominorum Decani & Capituli erunt amovibiles.

XII. Debebunt etiam inter prædictos quinque Sacerdotes duo eſſe idonei, ſcientiâ & eloquentiâ debite qualificati, ad Verbum Dei in hac Eccleſia Divæ Gudilæ prædicandum, quoties ad id à dictis Dominis Decano & Capitulo vel Plebano vocati fuerint. A quo ſimiliter deſiſtent, quando Dominis de Capitulo viſum fuerit.

XIII. Manebit etiam ſemper penes Dominos Decanum & Capitulum poteſtas, Sacerdotibus de Oratorio alios quoſcumque Sacerdotes, non de Oratorio, ad dictas functiones adjungendi.

XIV. Et quia juſtum eſt dictam Congregationem modo hic expreſſo obligatam ad continuam & perpetuam exhibitionem & ſuſtentationem dictorum quinque Presbyterorum, ad dictas functiones obeundas, ex eadem ſuſcipere ſumptus ad iſtam ſuſtentationem neceſſarios, eadem Congregatio omni tempore, ac etiam in caſu quo actualiter citra ſuam culpam dicti Presbyteri non inſervient, integrè percipiet, & in uſus ſuos convertet omnes proventus & emolumenta ad dictas ſeptem Capellanias ſpectantia. Eritque tamen omnium bonorum ad dictas Capellanias ſpectantium adminiſtratio & elocatio ſemper penes Dominos de Capitulo. Qui pro iſtis ſpecialem Receptorem è duobus ex Oratorio ab ipſo Præpoſito præſentandis eligent & conſtituent, qui etiam ſingulis trienniis erit amovibilis, modo & formâ, ut ſupra dictum eſt de quinque Sa-

Digitized by Google

cerdotibus. Eritque in omnibus ſubjectus Dominis de Capitulo, quemadmodum prædicti quinque Sacerdotes, & ſub conditionibus quæ Receptoribus Capituli traduntur.

XV. Et ne Sacerdotes ejuſdem Congregationis populum aliquo modo ab Eccleſia ante-dicta Divæ Gudulæ avocent, non poterunt ullo unquam tempore Eccleſiam aliam in hac Parochia ſeu limitibus Capellarum ſubalternarum ædificare vel occupare, ſine conſenſu expreſſo dictorum Dominorum Decani & Capituli, in qua publica officia peragere poſſint: ſed tenebuntur prædictam Eccleſiam primariam in omnibus promovere & commendare, ſub pœna Articulo decimo nono expreſſa.

XVI. Et quamvis dicta Congregatio ad privatos uſus domeſticum Oratorium habere non prohibetur, nullam tamen ibi facient aut admittent congregationem populi. Multo minus eidem ulla ibidem unquam Sacramenta adminiſtrabunt, nec aliquem unquam ad ſepulturam poterunt admittere, ſub pœna Articulo decimo nono expreſſa.

XVII. Quotieſcumque autem continget aliquem ex Sacerdotibus aut Clericis dicti Oratorii Viatico aut Sacramento Extremæ Unctionis indigere, illud recipient à Reverendo Domino Decano Capituli noſtri Divæ Gudilæ tamquam proprio Paſtore & non alio, niſi de ejus venia & conſenſu.

XVIII. Si autem contingat Congregationem Oratorii ſic deficere, quod dictos Sacerdotes debite ut ſupra qualificatos ſubminiſtrare non poſſet, & in iſto defectu toto quadriennio perſeveraret, ita quod interim nequidem tres ut ſupra qualificatos exhibere poſſet, tunc erit in poteſtate Capituli prædictam Congregationem in perpetuum vel quamdiu ipſi Capitulo videbitur, dictis functionibus nec non omnibus fructibus dictarum ſeptem Capellaniarum ſecludere & privare. Quo caſu nihilominus tenebitur Capitulum ſemper aliquos alios pari numero Sacerdotes ad hoc approbatos aſſumere, qui dictas functiones exerceant, & fructibus dictarum ſeptem Capellaniarum ſuſtententur.

XIX. Quod ſi etiam contingat dictam Congregationem Conditiones hujus Contractus in totum vel ex notabili parte non velle obſervare, poterit ſimiliter Capitulum poſt trinam monitionem, per decem dierum ab unaquaque intervallum factam, dictam Congregationem, niſi ſatisfaciat, dictis functionibus & omnibus fructibus ſeptem Capellaniarum, in perpetuum vel quamdiu ipſi Capitulo viſum fuerit, ſecludere & privare, alioſque Sacerdotes non de Oratorio ad dictas functiones, ut ſupra in proximo Articulo aſſumere.

XX. Si pro adminiſtratione Viatici, Extremæ Unctionis, ſeu aliorum Sacramentorum per Capitulum, Dominos Plebanum vel Vice-Plebanos, aliquis eorum aliquando ſubſtituatur ſeu aſſumatur, quidquid tunc oblatum fuerit non recuſabit, ſed receptum fideliter tradet ei cujus vices agit, per eum deinde cum ſuis de more dividendum, niſi Dominis Decano & Capitulo aliter viſum fuerit.

XXI. Si vero futuris temporibus contingat dictam Congregationem Oratorii vigore alicujus Privilegii ex nunc obtenti vel impoſterum obtinendi, prætendere exemptionem ab Ordinario, ſive quoad legem juriſdictionis, ſive quoad legem Diœceſanam ſive quoad utrumque ſimul, eo ipſo reditus & bona dictarum ſeptem Capellaniarum à Dominis de Capitulo aliis Sacerdotibus non de Oratorio in eundem finem applicabuntur: prout dictis Dominis Decano & Capitulo viſum fuerit.

XXII. Item ſi futuris temporibus in Capellis ſubalternis, videlicet S. Gaugerici, S. Jacobi, S. Nicolai, Finis Terræ, aut aliis Capellis, plures vel novi reſpectivè Sacerdotes ſubſidiarii, vel Sacramentorũ adminiſtratores requirantur, debebunt eo caſu aliqui ex dictis quinque Sacerdotibus, poſtquam dicta Congregatio ad plenam dictarum Capellaniarum fructuum perceptionem pervenerit, eò deſtinari. Et ſi quinque non ſufficerent, tenebitur Superior ejuſdem Congregationis poſt tempus talis perceptionis, duos alios approbatos & dictis functionibus obligatos Capitulo præſentare, & ex fructibus dictarum ſeptem Capellaniarum ſuſtentare: cum tali proportione, ut ſinguli qui ad iſtas Capellas deſtinabuntur, ex dictis fructibus participent talem quotam, qualem ſinguli qui in Oratorio reſident habebunt, vel habebunt unam ſeptimam partem.

XXIII. Non tenebuntur tamen ob ſupradicta Sacerdotes Oratorii alibi habitare quam in Domo ſua communi, non procul ab Eccleſia Sanctæ Gudulæ. Sed ſi neceſſitas animarum exigeret aliam reſidentiam, eamque Sacerdotes Oratorii detrectarent, eo caſu de fructibus dictarum ſeptem Capellaniarum deducetur id, quod aliis ad hoc approbatis & aſſumendis qui debito loco reſidebunt & fungentur, præſtandum erit, videlicet ſeptima pars fructuum, prout in proximo Articulo ſupra declaratum eſt.

XXIV. Per hæc autem non intendit Capitulum agnoſcere vel ſubire aliquod onus erga Capellas ſubalternas, quam ad quod hactenus tenetur.

XXV. Cæterùm ſi ad ſubſiſtentiam hujus Unionis, Pontificis aut Regis noſtri tamquam Patroni dictæ Eccleſiæ, auctoritate, conſenſu ſeu aliâ quadam formali ſolemnitate opus fuerit, ea omnia prædictus Illuſtriſſimus Dominus ſuis expenſis procurare promiſit.

XXVI. Et cum annis præteritis, videlicet decimâ Martii 1628. & tertiâ Aprilis 1634.

Digitized by Google

inter dictos Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Dominum Archiepiſcopum, & Reverendos Dominos Decanum & Capitulum varii Contractus ſuper Incorporatione dictarum ſeptem Capellaniarum, decem minorum Præbendarum, aliiſque in illis latius contentis initi fuerint, ex quibus futuris forte temporibus variæ difficultates & controverſiæ oriri poſſent; viſum quoque fuit prædictis Dominis ab illis omnibus (ſimul atque hic Contractus ſuum robur habuerit) recedere illoſque in omnibus & per omnia extinguere & annullare; ſicuti præfati Illuſtriſſimus Dominus Archiepiſcopus, cum Reverendo Patre Hugone Quarré tamquam Superiore dictæ Congregationis, nec non Patribus Martino Lannoy & Frederico Pirouel qualitate ſupra declaratâ, & Reverendi Domini Decanus & Capitulum ab illis omnibus hinc inde recedunt, illoſque in omnibus & per omnia ut ſupra extinguunt & annullant, extinctos & annullatos tenore præſentium declarant. Salvo quod Capellania ſanctorum undecim millium Virginum ſecundæ Fundationis in Eccleſia Divæ Gudilæ fundata, incorporabitur Menſæ Capitulari, ad opus Vicarii in Elſen, qui ibidem perſonaliter reſidere, habitare & pernoctare tenebitur, quemadmodum ſi foret titulatus Paſtor. Proviſio autem iſtius Vicariæ fiat per eum cui id de Jure competet.

Hæc omnia ſupra memorati Contrahentes ſervare promiſerunt; & in fidem veri conſcripta ſunt hujus Concordati duo exemplaria ejuſdem tenoris, minuta chyrographis dicti Illuſtriſſimi Domini & dictorum Patrum, nec non Sigillo ejuſdem Illuſtriſſimi ex una, & Sigillo ſubſcriptioneque Secretarii dictorum Dominorum Decani & Capituli ex alia partibus, Bruxellæ die undecimâ Februarii anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo tertio.

Et erat ſignatum: Jacobus, Archiepiſcopus Mechlinienſis.

J. H. Quarré, Oratorii Præpoſitus.
M. de Lannoy.
Fredericus Pirouel.
Carolus à Manſvelt Decanus.
Alb. à Steenſele, Cantor.
D. Van Domburch, Theſaurarius.
Joannes Vander Tommen. Petrus Ramirez.
J. Woiſlausky.
Barth. Gaigne.
B. Tichon.
Henricus Tailler.
H. Van den Hove.

C. P. de Spanhogen Paulò inferius habebatur: de mandato & unanimi conſenſu Venerabilium & R. R. admodum D. D. Decani & omnium Canonicorum ſupra ſcriptorum tunc temporis exiſtentium.

J. D. Weerts, Secret. Capituli.

CAPUT CXIX.

JACOBUS BOONEN, *Archiepiſcopus Mechlinienſis, confirmat, ad inſtantiam Dominæ* Mariæ de Cottereau, *Marchionis Aſcanæ, Reſtaurationem veteris Hoſpitalis Aſcani per bella collapſi; nec non admiſſionem Monialium Hoſpitalis Hulſtenſis in Flandria, inde per Hollandos ejectarum, anno* 1645.

Ex Archivis loci.

IACOB door de gratie Godts ende des Heylighs Stoel van Roomen, Aertſbiſchop van Mechelen. Allen die deſen onſe opene Brieven ſullen ſien, ſaluyt.

Doen te weten, dat wy hebben ontfanghen de oodtmoedighe Supplicatie, ende wel-bedaghte ende lof-baere remonſtrantie van Vrouwe Maria de Cottereau, Baender-Vrouwe Douagiere van Jauche, Vrouwe van ende tot Aſſche &c. waer van den teneur hier naer volght.

Aen den Doorluchtighſten Hooghweerdighſten Heere Aertsbiſchop van Mechelen.

Alſoo het Gaſthuys van oudts gefondeert in de Vryheydt van Aſſche in dit Aertsbiſdom van Mechelen, van over veele jaeren is onbewoont geweeſt, ende gebleven heeft ſonder forme oft ſpecie van Gaſthuys, ende dat de goederen ende innecomen deſſelfs, ſoo door de quaede teyden, als anderſſins niet en ſyn gebruyckt geweeſt tot het onderhaut van de ſiecken, als mede dat van veele jaeren herrewaerts in de Capelle van 't ſelve Gaſthuys geene oft luttel Miſſen ende Godtsdienſt en is geſchiet.

Synde ter contrarie de ſelve misbruyckt gegeweeſt tot een herberghe ende ſchuyplaetſe van bedelaers ende vagabonden ſoo mans als vrouwen; die naementlyck by nachten hun daer inne gehouden hebben, met groot ſchandael, peryckel ende ſchaede van de gemeynte aldaer, ende van de reyſende lieden. Datter oock luttel apparentie ofte hope is van het ſelve Gaſthuys te brenghen in eenen goeden ſtaet, ten waere door het toedoen van eenighe moghende ende liberaele perſoonen, die door authoriteyt ende gifte de vervallen huyſingen ſouden willen vernieuwen, ende de oude Fondatien met bouwen ende anderſſins merckelyck verbeteren. Nota.

Soo iſt, dat Wy Vrouwe Marie de Cotereau, Baender-Vrouwe Douagiere van Jauche, Weduwe

duwe wylen den Edelen wel-geboren Heere, Heere Willem van Cottereau, Baender-Heere van Jauche, Heere van ende tot Aſſche, Erf-Standaert-Draegher van Brabant, Heere van Wyden, St.-Lambrechts, Perck, Steen-Ockerſeele, Humelghem, Bumal, Niel St.-Martin, Ezemael &c. Erff-Vooght van Mont S. Martin ende Altencourt &c. met het overſtaen ende wel behaeghen van den Edelen ende wel-geboren Heere, onſen eenighen ſone, Heer Willem de Cottereau, Baender-Heere van Jauche, van ende tot Aſſche, ende der voorſchreve andere Heerlicheden, ende van Vrouwe Dorothea Henrietta de Cottereau van Jauche, onſe eenighe Dochter, huys-vrouwe des Edelen en wel-geboren Heere, Heere Hendrick Ogier Grave van Rivieren d'Aerſchot, eenighen ſone des Graeve van Heers ende des H. Ryckx, ſyn beweeght geweeſt tot onſer Zielen ſaeligheyt, ende die van onſen Heere Man zaeligher, van onſer byder Ouders, als oock van wylen Heer Hendrick de Cottereau, Heer van Weſtmael, ſoone Heer Erarts, ende van Vrouwe Maria de Reneſſe, ende van Vrouwe Catharina van Hamal Vrouwe van Weſtmael, onſen Edelen Vaeder ende Moeder, ende van Heer Jan de Cottereau, Baender-Heer van Jeauche ende Aſſche, ende Vrouwe Catharina de Brandenbourg, Ouders van onſen voorſchreven Man, van onſe overledene dochter Catharina Urſula de Cottereau de Jauche, ende andere deſcendenten en maeghſchap;

Ende tot gerief ende dienſt van de arme ſiecken ende goede gemeynte van Aſſche, het voorſchreven Gaſthuys ſoecken te reſtaureren ende beneficieren voor ſoo veele in ons is, ende te brenghen op ſulck eenen voet, dat de ingeſetenen van Aſſche voorſchreve daer door geaſſiſteert ende de ſiecken gedient ſullen worden door Religieuſe dochters; gelycker wys het geſchiet in de groote Gaſthuyſen van Bruſſel, Mechelen, Loven ende andere plaetſen.

Tot welcken eynde Wy bereet ſyn ende preſenteren aen 't voorſchreve Gaſthuys te geven eene ſomme van ſes duyſent rinſguldens eens; de welcke ſullen aengeleyt worden aen jaerelyckxſche Renten by onſe kenniſſe, ende afgeleyt weſende, by gelycke kenniſſe, wederom ſullen worden aengeleyt. Met wel expreſſe conditie, dat uyt de ſelve gefondeert ſal worden eene wekelycke Miſſe van Requiem, met eenen Miſerere en de Profundis, tot laeffeniſſe van ons ende onſer voorſchreve Mans Ouders en Vrienden zielen; ende dat de ſelve ſal worden gecelebreert, by den Prieſter oft Paſtoor van 't voorſchreve Gaſthuys.

I. Synde ons eerſte bede ofte intentie, dat het voorſchreve Gaſthuys ſal gereſtaureert worden ter eeren Godts, van Maria ſyne gebenedeyde Moeder ende Maegbet, van de H. H. Joſeph ende Martha. Ende dat Wy, ende onſer naercomelinghen Heeren ende Vrouwen tot Aſſche, nopende het voorſchreve Gaſthuys hebben ende behauden alſulcken geſagh ende vermooghen, als wy ende onſe voorſaeten Heeren van Aſſche tot nogh toe gehadt hebben.

II. Sullen wy ter dien opſighſte beſorghen alle moghelycke edificien, ſoo voor de Suſters als voor de ſiecken; in ſulcker voeghen, dat die Suſters ſullen hebben beſondere commoditeyt ende celen, ende dat de ſiecke mans-perſoonen ſullen afgeſloten wejen van het quartier van de vrouwen

Sequuntur alii Articuli minoris conſequentiæ, utque ad Num XXII quos brevitatis gratiâ hic prætermitto: exceptis V. & VI. & XIII.

V. Geene Jonghers oft Novitien en ſullen moghen aenveert worden, dan naer dien ſy ſullen het broot gebeden hebben aen de Remonſtrante en haere Naercomers, gelyck 't geſchiet in 't groot Gaſthuys tot Bruſſel. Gelyck oock geene Jonghers en ſullen moghen ontfanghen worden tot Cleedinge oft Profeſſie, dan met conſent van dryen, te weten des Heere Aersbiſſchop, des Moeder, ende des Couvents.

VI. De voorſchreve Suſters (welckers getal ſyne Hoogheweerdigheyt ſal believen niet hooger te ſtellen dan 15, nogh leeger dan 9 ofte thien) ſullen daegheliyckx naer de maeltydt en naer de collatie leſen den Pſalm de Profundis voor de ziele van de Vrouwe Remonſtrante, ende der overleden Baender-Heeren van Jauche.

XIII. Den Prieſter ofte Paſtoor van dit Gaſthuys ende ſiecken ſal geſtelt worden by den Heere Aersbiſſchop, met conſent van de voornoemde Baender-vrouwe en haere Naercommers Heeren tot Aſſche, niet by tytel van eeuwig Beneficie, maer alleenelyck van Officie, genietende de profyten van de oude Fondatien der Miſſen in 't voorſchreve Gaſthuys, die by ſal ſchuldigh ſyn te doen. Ende ſal moeten weſen datelyck Prieſter, connende ſoo wel de nederduytſche als de franſche tacle &c.

Poſtmodum inſeritur Acta admiſſionis Monialium Hulſtenſium.

WY Vrouwe Marie de Cottereau &c. Doen te weten, een iegelycke, die deſe jegenwoordige ſullen ſien ofte hooren leſen, dat Wy, op 't vertoogben aen ons gedaen by Suſter Eliſabeth Van den Putte Moeder geweeſt ſynde van het Gaſthuys binnen de Stede van Hulſt, inhoudende, als dat ſy met de andere Suſteren van den ſelven Gaſthuyſe, ter oorſaecken van het veroveren der voorſchreve Stede by de Staeten van de Geunieerde Provincien, haer hadden moeten vertrecken uyt de voorſchreve Stadt. Van intentie ſynde te blyven onder de gehoorſaemhydt van ſyne Coninckelycke Majeſteyt van Spanien, in eenige Stadt ofte plecke, alwaer ſy lieden moghten vercrygen eenige wooninge ende commoditeyt, om als Gaſthuys Suſters te continueren hunnen Regel ende dienſten, om de arme ſiecken menſchen by te ſtaen.

Ende conſidererende den goeder yver, affectie ende begeirte die Wy ſyn hebbende, om te reſtabiliteren ende reſtaureren het Gaſthuys onſer Vryheyt ende Prochie tot Aſſche, ende aldaer door ſyne Hoogheweerdigheyds den Aersbiſſchop van Mechelen te doen ende laeten ſtellen eenige Suſters bequaem tot den voorſchreven dienſt;

Ende oock, naer dien wy wel ſyn onderricht

ende geinformeert geweeſt van het geſtichtigh leven ende zeden ende manieren, mede van de bequaembydt der voorſchreve Moeder en haere mede-Suſters;

Soo iſt, dat wy de ſelve in de voorſchreve Vryheydt ende Gaſthuys geirne hebben aenveirt, enae aenveirden mits deſen, onder den Reghel ende Statuyten die ſy te vooren hebben onderhouden; ende noch voorders onder de conditien ende laſten, die tuſſchen ſyne Hooghweerdighydt voorſchreve en Ons ſullen worden geraempt;

Ende onder expres beſpreeck, dat de ſelve Moeder ende haere voorſchreve mede-Suſters tot vervoorderinghe van 't voorſchreve Gaſthuys, aldaer ſullen innebrengen alle ſulcke ornamenten, gereede penningen, meubelen, ſpecereyen, apothekereyen ende anderſins, als ſy ons by Inventaris oft ſpecificatie als nu hebben gedeſigneert.

Item tot dien almoch ſulcke gronden van erven, obligatien, loopenden gelde op intereſt, renten oft immers d'actien ende pretentien tot de ſelve, in de voorſchreve ſpecificatie ook gementioneert.

Ende oft het ſoo geviele, dat de voorſchreve Moeder ofte haere naercomelinghen naermaels geraeckten te komen in accoort met de voorſz. Staeten, oft dat ſy by andere middelen, hoedanighe de ſelve ook ſoude mighen weſen, wederomme begeirden te keeren in 't voorſchreve Gaſthuys van Hulſt, ſoo ſullen dien niet tegnen ſtaende in 't voorſchreve Gaſthuys tot Aſſche moeten blyven vyf der voorſchreve Suſters, met de voorſchreve meubelen ende perſonele actien.

Ende tot dien eynde de heilight van de voorſz. gronden van erven ende beſette Renten, mitſgaeders alle de timmeragie, verbeteringhe ende reparatien, die ſy, oft van hunnen 's wegen aen 't verno mt Gaſthuys tot Aſſche gedaen ſullen hebben, ſonder de ſelve eenighſins te mogen wederom eyſſchen, ofte 't ſelve Gaſthuys daer af in eeniger maniere te ontvremden.

Met beloſte aen de voorſz Moeder by ons gedaen, van dien aengaende te procureren de agreatie ende Approbatie van ſyne Hooghweerdigheyt den Heere Aersbiſſchop voornoemt, ende van den Eerweirdighſten Heere Biſſchop van Gendt.

Ordonnerende mits dien, ende beveelende aen onſen Meyer, Schepenen, Bede-ſetters ende Gemeyntenaeren onſer voorſz. Vryheydt van ende tot Aſſche, dat ſy de voorſz. Suſter Eliſabeth van den Putte ende haere mede-Suſters tot alle het gene voorſz. is, ook peyſibelyck ende vredelyck ſullen ontfangen ende behulpſaem weſen, ſonder eenigh hinder, beleiſel ofte wederſtandt.

Aldus gedaen ende gepaſſeert in ons huys binnen Bruſſel, ter preſentie van den Notaris hier onderteeckent, ende Sr. Charles Crabeels, ende Sr. Jan de Decker, als getuygen hier toe gebeden ende geroepen, deſen XVIII. November M. D C. XLV.

Was onderteeckent: Marie de Cottereau Baroneſſe van Jauche, ende Suſter Eliſabeth Van den Putte Moeder des Gaſthuys.

Onderteeckent: Mauriſſens *Notarius &c.*

ALle d'welcke by ons aendaghtighlyck gecenſidereert weſende, en by geloofweirdighe relatie geinformeert ſynde van de waerhydt van 't geene vooren is uytgedrukt, naer rype deliberatie met den Eerweirdighſten Heere Henricus Calenus *genomineerden Biſſchop van Rurmonde, als noch onſen Vicaris Generael ende Archidiaken, ende met den Eerweirdigen Heere* Amatus Coriache *onſen Officiael, byde Canonicken onſer Metropolitaene Kercke van Ste. Rombauts, hebben gelaudeert de devote ende heylige intentie ende liberaelhydt van de Vrouwe Remonſtrante, gelyck wy die lauderen, approberen ende accepteren mits deſen, tot behoef van het Gaſthuys voorſchreven.*

Haer ende haere deſcendenten toeſtaende alle en iedere pointen hier voor beſproken, alles mits by haer volcommende de voorſchreve preſentatie ende pieuſe intentie: mitſgaeders ook te eygenende voor ſoo vecle als 't noot ſy aen dit gereſtaureert ende gemeerdert Gaſthuys alle de roerende ende onroerende goederen, die 't voorgemeide oudt Gaſthuys ſyn toe behoorende. geene uyt-geſondert; met alle edificien, Capelle, hove ende preeminentien 't ſelve eenighſints competerende, met het gene by aenſtaende Rekeninghe bevonden ſal worden te overen.

Daer en boven, wy aenveerden de voorſchreve verjaeghde Religieuſen van Hulſt, binnen het Diſtrict van ons Aersbiſdom ende Reſidentie voorſchreve; ben lieden boven den Regel van St Auguſtyn preſcriberende de Statuyten van het Gaſthuys van Hulſt voorſchreve, onder de Conditien hier boven breeder uytgedruckt, ende met obligatie van te moeten onderhouden alle 'tgene de voorſz. Vrouwe Remonſtrante hier vooren heeft bedonghen gehadt, op penen als boven.

Tot welcken eynde, Wy ook lauderen en approberen het Contract, dat de voorſz Suſters met de voorgemelde Vrouwe Remonſtrante hebben aengegaen, in date van den 18. November 1645, gelyck het ſelven hier boven is geinſereert.

Ende tot meerdere vaſtigheyt van 't gene voorſz. hebben Wy deſe opene Brieven laeten depecheren onder onſe ſignature ende Seghel, ende die van de voorſz. Vrouwe Remonſtrante, binnen Bruſſel den XIX November M D C XLV.

Was onderteeckent: Jacob Aersbiſſchop van Mechelen, *ende* Marie de Cottereau *Baroneſſe van Jauche, ende geſeghelt met haere reſpective Segelen &c.*

De Municipio Aſcano, & de Incorporatione Eccleſiæ Parochialis ibidem, vide Diplom. Belgica Tomo III. pag. 639. & Tomo I. pag. 535.

Digitized by Google

CAPUT CXX.

Fundatio pro Paſtoribus & Sacerdotibus ſæcularibus in Seminario Epiſcopali Antverpienſi inſtituta anno 1674 per AMBROSIUM CAPELLO *Ordinis FF. Prædicatorum, VII. Antverpienſium Epiſcopum.*

Conditiones Fundationes.

I. IN primis in dicto Seminario Epiſcopali Antverpienſi accomodabitur locus commodus ad uſum eorum qui in hoc Collegio erunt aſſumendi, Presbyteri ſœculares, pauperes, habentes qualitates, juxta Regulas & Conditiones Fundationis requiſitas judicio RR. DD. Proviſorum.

II. Admittentur ad hoc Collegium Paſtores pauperes, qui in Epiſcopatu Antverpienſi per annos ſedulo deſerviorunt, & jam ſenio confecti, morbo gravati, vel aliâ de cauſâ impediti, in officio ſuo Paſtorali amplius ſervire non poſſunt.

III. Admittendi ſibi providebunt de lecto, menſâ & ſedilibus, ſi media habeant: ſin minus, ex parte Fundationis hujus Collegii ipſis providebitur, uti etiam de candelis, igne in communi calefactorio aliiſque neceſſariis.

IV. Admiſſi pro hâc Fundatione habebunt menſam, ſeparatam à menſâ alumnorum Seminarii Epiſcopatûs, in eodem tamen refectorio. Pro menſâ autem ſolvetur ex hac Fundatione ad ratam ducentorum florenorum annuè pro ſingulis; quæ ſumma juxta temporis exigentiam & caritatem annonæ, augeri poterit, ex arbitrio RR. DD. Proviſorum.

V. Admittentur etiam, in defectum ſeniorum pauperum Paſtorum, ſenes Vice-Paſtores vel alii Vicarii, aut Sacerdotes, qui in functionibus Paſtoralibus vel aliis in hoc Epiſcopatu per annos inſervierunt & laboraverunt, ac judicio RR. DD. Proviſorum qualitates habent, ut ad hoc Collegium ſint admittendi.

VI. In defectum autem, quod Paſtores, Vice-Paſtores & alii Sacerdotes ſœculares pauperes ſupra nominati, non exiſterent ad hoc Collegium admittendi, aut ad id ſe non præſentarent, admittentur Burſarii, & Convictores Seminarii Antverpienſis pauperes, qui ſtudia ſua expleverint, & ad curam animarum per rigoroſum examen prævie fuerint reperti idonei. Uti etiam illis deficientibus alii emeriti Theologi, primò hujus Civitatis, deinde Diœceſis, qui in eodem Collegio tam diu remanere poterunt, donec de conditione occurrente poterit illis provideri, quamque etiam acceptare tenebuntur judicio RR. DD. Proviſorum, alioquin ex Collegio dimittendi.

VII. Admittendi in hoc Collegio Sacerdotes, ſenio, morbo, vel aliâ de cauſâ non impediti, tenebuntur judicio RR. DD. Proviſorum eorumque mandato in Eccleſiis Parochialibus hujus Civitatis, vel etiam totius Diœceſis excipere confeſſiones, ſubſervire Paſtoribus, illoſque in divinis officiis juvare, inviſere pauperes ægrotos, maxime honeſtos, qui ſe Eleëmoſynariis declarare erubeſcunt, illiſque ſuccurrere ſpiritualiter & corporaliter.

VIII. Conſtituetur famulus vel ancilla judicio RR. DD. Proviſorum, qui Sacerdotibus in præfato Collegio admiſſis tempore infirmitatis in lecto iternendo aliiſque neceſſariis inſerviat.

IX. D. Præſes Seminarii etiam redditus, & bona hujus fundationis & Collegii, judicio RR DD. Proviſorum, per ſe vel alium ab ipſis aſſumendum adminiſtrabit, & ſingulis annis exactum computum, diſtinctum & ſeparatum à computu Seminarii Alumnorum, coram RR. DD. Proviſoribus hujus Fundationis reddere tenebitur.

X. Quod ſi initio non occurrant debitè qualificati, qui in Collegio admittantur competenti numero, ſuperexcreſcentia annuorum proventuum accreſcet ipſi Fundationi; donec ſufficiens ſit ad alendos in eodem numero duodecim Sacerdotes. Eoque numero debitè fundato, ſuper-excreſcentia applicabitur pauperibus honeſtis, de quibus ſuprà Articulo ſeptimo: niſi alia occurrat neceſſitas, vel occaſio, quà unus aut alter extremè indigens, ſi conveniret, in hoc Collegio admitteretur.

XI. Si quis contravenerit præfatis Ordinationibus & Regulis, judicio RR. DD. Proviſorum corrigetur, & ſi gravitas delicti exigat, dimittetur. Poteruntque DD. Proviſores dimittere, quoſcumque in præfato Collegio incapaces, inutiles, aut nimis in communi conſortio difficiles aut rixoſos judicaverint.

XII. Proviſores autem nominavimus per præſentes quatuor, ſcilicet RR. adm. DD. Aubertum van den Eede Archidiaconum, Joannem de Weeze Archipresbyterum, Carolum Joannem de Fourneau, & Paulum van Halmale, omnes Eccleſiæ noſtræ Cathedralis Canonicos Graduatos, præſentes hîc, & Fundationem hanc pio zelo acceptantes.

XIII. Dum unus ex his quatuor morie-

Digitized by Google

tur, aut quâcumque ex causâ hinc migrabit, aut defungetur, reliqui tres superstites eligent quartum ex Canonicis Ecclesiæ nostræ Cathedralis; qui tamen post-hac non poterit simul esse Provisor Seminarii Episcopalis.

XIV. Si in præscriptis Conditionibus aliquid addendum, aut immutandum pro meliori bono, aut regimine hujus Fundationis & possessorum ejus occurrerit, DD. Provisores à nobis supra designati, rem sedulò examinabunt, & ipsi juxta mentem nostram ipsis indicatam in omnibus ordinabunt, prout secundum Deum & conscientiam maximè judicaverint expedire.

Actum Antverpiæ in Palatio Episcopali, die secundâ Martii, Anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto.

Subsignatum: Fr. Ambrosius Episcopus Antverpiensis: Aubertus van den Eede Archidiaconus Antverpiensis Provisor: J. de Weeze Archipresbyter & Provisor: C. J. de Fourneau Provisor: P. van Halmale Provisor.

WY desen ondersteeckent hebbende bekennen als Provisseurs vande bovenstaende Fundatie ontfanghen te hebben van syne Doorluchtighste Hooghweerdigheyt den Heere AMBROSIUS CAPELLO *Bisschop van Antwerpen in contante gelde metter warmer handt, ende Donatie inter vivos de somme van een hondert ende elff duysent guldens Capitael salvo justo, om de selve naer ons best vermogen te employeren, ende te Rente aen te leggen tot het volbrengen, ende profyt vande bovenstaende Fondatie oft Collegie van arme Paستoors, Priesters &c. als boven*

Welcke Renten wy in desen tegenwoordigen Registre oock sullen doen registreren: behoudelyck dat wy geene van de bovenstaende penningen en sullen aenleggen op eenige Polders, ofte Dyckagie-landen, 't zy van de Heeren van 't Capittel, oft van iemant anders.

T'oirconden: in Antwerpen desen tweeden Meert Anno 1674.

Was onderteeckent: Aubertus vanden Eede Archidiaconus Provisor: Joannes de Weeze Archipresbyter & Provisor: C. J. de Fourneau Provisor: P. van Halmale Provisor.

Onder stont: collata præsens Copia cum suo Registro, & signaturis ejusdem Illmi Domini, & RR. DD. Provisorum concordat. Per me infrascriptum sacris Apostolicâ & Regiâ auctoritatibus Notarium admissum, Antverpiæ residentem.

Hac XXIII. Januarii M D.C.LXXV. In quorum omnium &c. *Ende was onderteeckent:* Nicolaus de Riemer Presbyter, Notarius Apostolicus.

Conditiones suprascriptis addendæ.

NOs infrascripti Provisores, juxta mentem Illmi ac Rmi Domini Fundatoris ab eo nobis in ipso actu Fundationis indicatam, ultra suprascriptas Conditiones statuimus & ordinamus sequentia.

I. Primò, ut singulis diebus fiat sacrum in Sacello domestico Seminarii, pro diuturnâ incolumitate Illmi ac Rmi Domini Fundatoris; & post ejus obitum, pro animæ suæ suorumque parentum & amicorum refrigerio.

II. Quod sacrum hebdomadatim fiet per unum ex prælatis presbyteris per turnum, eique reliqui omnes tenebuntur interesse, nisi legitimè fuerint impediti. Finito sacro legentur per celebrantem Psalmi *Miserere*, & *de Profundis*, cum Collecta, *Deus qui inter:* reliquis alternatim respondentibus. Absentes vero tenebuntur prælatos Psalmos privatim legere.

III. Insuper pridiè diei anniversariæ, quâ Illmum ac Rmum Dominum Fundatorem mori contigerit, cantabunt post meridiem in prælato sacello Officium Defunctorum more duplici, cum invitatorio & tribus nocturnis. Ipsâ autem die anniversariâ cantabunt ibidem Missam de Requiem solemniter cum Diacono, & Subdiacono.

IV. Legent præterea singulis mensibus pro animâ Illmi ac Rmi Domini Fundatoris semel Officium Defunctorum, cum uno Nocturno diei correspondente. Actum Antverpiæ die sextâ Martii Anno Domini 1674. & est subsignatum: Aubertus vanden Eede Provisor Archidiaconus: J. de Weeze, Archipresbyter, & Provisor: C. J. de Fourneau, Provisor: P. van Halmale Provisor.

Postmodum Status hujus Seminarii, (quod vulgariter *Rosa* decebatur) in pluribus fuit immutatus, tum in vim Sententiæ latæ in Consilio Supremo Brabantiæ die 18. Julii 1716, inter Illustriss. D. Episcopum Antverpiensem & Pastores ex una parte, & Provisores Fundationis Episcopi Capello ex alterâ. Tum etiam per restaurationem Episcopalis Seminarii Antverpiensis factam per Illustriss. D. *Petrum Josephum de Francken-Sierstorpf*, XI. Antverpiensium Episcopum.

Digitized by Google

CAPUT CXXI.

FF. Carmelitæ Diſcalceati in Eremo de Nethene (qui vicus eſt Diœceſis Mechlinienſis in Diſtrictu Lovanienſi) fundantur anno 1689, *per Sereniſſ. Principes* Carolum Henricum à Vaudemontio, *&c. ejuſque conjugem* Annam Eliſabetham à Lotharingia.

JESUS MARIA.

Ex Archivis Domûs Lotharingicæ.

IN nomine Domini, Amen. Tenore præſentis Inſtrumenti omnibus notum ſit, quod cum Patres Carmelitæ diſcalceati Provinciæ Flandro-Belgicæ ſancti Joſeph, Domum de Savenel cum ſuis appendentiis in pago de Nethen Diœceſis Mechlinienſis ex pia Donatione accepiſſent, nec non ejuſdem aliqualem adiiſſent poſſeſſionem (prout mihi infraſcripto Protonotario, nec non infraſcripto Domino Canonico la Gorge conſtitit, dum anno præcedente in æſtate à quibuſdam ex dictis Patribus ibi habitantibus recepti fuimus) tandem poſt acceptam pleniſſimam facultatem à perilluſtri ac Rev. Domino Philippo Erardo Van-der Noot, Metropolitanæ Eccleſiæ Mechlinienſis vacantis Generali Vicario, Præpoſito & Canonico Graduato, de data diei XXV. Auguſti currentis anni MVC. LXXXIX.

In mea, & infra nominatorum Dominorum Teſtium præſentia ſolemniter in dictæ Domûs & appendicium poſſeſſionem introducti ſunt, & eamdem acceperunt, in hunc modum.

Primò. Prædictus Rev. Dominus Vicarius Generalis Venerabile Sacramentum acceptum in Eccleſia Parochiali dicti loci de Nethen, detulit proceſſionaliter ad dictam Domum, & Capellam ibidem exſtructam, campanis pulſantibus, præcedentibus cum lumine dictorum Patrum, Provinciali Patre (1) Maximiliano à Sta. Maria aliiſque qualificatis ejuſdem Ordinis; nec non perilluſtri ac Nobili Domino (2) Joanne Baptiſta Martel olim Celſiſſimi Principis de Vaudemont guardiæ Capitaneo, & ejuſdem filii Principis Gubernatore, pro nunc Fratre Joanne Baptiſtâ à Miſericordiâ nuncupato, ejuſdem Eremi benefactore ſingulari, & primo incola; Diacono & Subdiacono ad aſſiſtendum ſolemni ſacro indutis.

Subſequentibus Celſiſſimâ Dominâ (3) Annâ Eliſabethâ à Lotharingia, Principiſſa de Vaudemont, ejuſdem Eremi, cum Celſiſſimo ejuſdem Marito Domino (4) Carolo Henrico à Lotharingia Principe de Vaudemont, Fundatoribus, junctis eidem Fundatrici Excelſiſſima Principiſſa de Chimay-Bouſſu, aliiſque Nobilibus mulieribus, Clero toto proceſſionis tempore cantante, & in fine addendo Hymnum *Te Deum*.

Ubi ad dictam Capellam perventum eſt, prædictus Reverendus Dominus, datâ venerabilis Sacramenti benedictione, ſolemniter Miſſam decantavit, reſpondente ad latus Sacelli dictorum Patrum choro. Finitâ Miſſâ, & impertitâ iterum benedictione ſacrâ, dictus Rev. D. relicto ibidem Venerabili contulit ſe proceſſionaliter, ſicut ante, aſſiſtentibus Diacono & Subdiacono, cæteriſque ante nominatis ad locum ædificandæ Eccleſiæ, præcedente cruce, quam ibidem ſecundum Eccleſiæ ceremonias benedixit, & fixit.

Inde deſcendit verſus locum ædificandæ Eremi, ibidemque primum lapidem, cui inſcripta erant Nomina prædictorum Celſiſſimorum Fundatorum, & quadruplici Cruce à ſe in quatuor angulis ſignatum, & ſecundum morem Eccleſiæ benedictum, tradidit prædictæ Celſiſſimæ Principiſſæ uti Fundatrici deferendum ad locum demiſſum, in quo erant jacienda fundamenta ædificii. Ad quem locum deſcendens idem Rev. D. dictum locum jaciendis fundamentis deſtinatum, etiam benedixit; & lapidem ante-dictum Celſiſſima Principiſſa poſuit & applicuit.

Poſt meridiem, in noſtra & dictarum Principiſſarum præſentia, præſente quoque eodem Reverendiſſ. Domino aliiſque antedictis, plantata eſt Crux major lignea ante fores dictæ Domus, in ſignum captæ poſſeſſionis appendentium, & quod illa eſſet jam Deo dicata.

Acta ſunt hæc die decimâ quartâ currentis menſis Septembris anni milleſimi ſexcenteſimi octuageſimi noni: præſentibus uti Teſtibus Reverendis admodum D. Franciſco la Gorge, antea ejuſdem Principiſſæ de Vaudemont Eleëmoſinario, Paulo Dominico le Grand ante-hac per annos plures Capellano ſuæ Excellentiæ Ducis de Villahermoſa, modo inſignis Eccleſiæ Collegiatæ Divi Petri Lovanii Canonicis &c.

Subſignatum: Nicolaus Du-Bois, Protonotarius Apoſtolicus, Sacrarum Litterarum Primarius Profeſſor &c.

Tabula Orationum.

AD perpetuam rei memoriam.

Tabula Orationum, precum, & Sacrificiorum, quæ in hac ſancta Eremo, Verbo Incarnato conſecratâ, pro Sereniſſimis Fundatoribus ac Patronis Carolo Henrico, ac Anna Eliſabetha à Lotharingia fieri, & celebrari ſemper debebunt: ut eorum in hunc Religioſum cœtum piiſſimæ munificentiæ per ſpiritualis officii compenſationem grates perpetuæ habeantur.

I. Tota hujus ſancti Deſerti Communitas diebus ſingulis binas orationi mentali horas impendet, pro ſalute ſpirituali & corporali ſuarum Celſitudinum, ac Sereniſſimæ Familiæ incremento. Duæ autem hæ orationis mentalis horæ, ut ſecuriores & certiores ſint, erunt illæ, ad quas Eremicolæ, tam ii qui in ſeparatis hîc Eremiticis Cellis, quam in hoc Conventu degunt, in-dies obligantur, juxta ſanctiſſimas hujus inſtituti Leges & Sanctiones.

II. Sub finem dictarum horarum, recitatâ Antiphonâ, Sub tuum præſidium, dicetur ſequens Collecta: Protege Domine famulos tuos Carolum Henricum & Annam Eliſabetham hujus Eremi Fundatores ſubſidiis pacis, & Beatæ Mariæ Virginis Patrociniis confidentes à cunctis hoſtibus & periculis redde ſecuros.

III. In omnibus Miſſis ſive ſolemnibus ſive privatis, poſt Collectam ſeu Orationem vel orationes dici ſolitas, ſubjungetur: & famulos tuos N. Papam, Carolum Henricum, Annam Eliſabetham Fundatores noſtros ab omni adverſitate cuſtodi, pacem & unitatem noſtris concede temporibus, & ab Eccleſia tua cunctam repelle nequitiam &c.

IV. Omnes reliquæ Orationes & ſpiritualia exercitia, quæ toto eo tempore quo Principes vixerint, fient, & in hoc ſancto Deſerto pro iiſdem Deo offerentur; ut eos divina clementia ſervet incolumes, & gratiæ ſuæ abundantiam impertiatur, ut in verâ perfectaque charitate feliciter vivant, & vitam beate finiant.

V. Statim poſt obitum cujuſcumque Principis aut Patroni, per Patres Deſerti offerentur Miſſæ Sacrificia, & anniverſaria celebrabuntur Tabulæ huic inſcribenda: pro devotione & ordine ſtatuendo per Sereniſſimos Principes Fundatores noſtros.

VI. Omnes Sacerdotes tam in Miſſis privatis, quam ſolemnioribus, pro Sereniſſimis Principibus hujus ſacræ Eremi Fundatoribus ac Patronis Deum orabunt.

Ad majorem Dei, Deiparæ Virginis ac Sanctorum Joſeph & Thereſiæ gloriam.

(1) P. Maximilianus a S. Maria, Mechlinienſis, in ſæculo dictus de *Gaverelles*, vir natalibus ac ſcriptis præclarus, Antverpiæ vitâ defunctus anno 1717. in hac Eremo ſepeliri deſideravit.

(2) Joannes Baptista de Martel, nobilis Lotharingus hujus Deſerti primus Incola ac benefactor præcipuus, dictus *F. Joannes Baptiſta à Miſericordia Dei*, obiit Lovanii in Conventu S. Alberti FF. Diſcalceatorum die 14. Maii 1702. Eremitici receſſus anno 16. ætatis 67.

(3) Anna Elisabetha a Lotharingia, hujus Eremi fundatrix, filia Caroli Ducis d'Elbeuf, nupta Vadomontano Principi, deceſſit anno 1714. in Gallia.

(4) Carolus Henricus a Lotharingia, Princeps Vadomontanus, Caroli IV. Lotharingiæ Ducis ex Beatrice à Cuſantia filius, natus eſt anno 1649. Fuit in Belgio ſupremus armorum præfectus, bellicâ virtute inclytus: hinc Mediolanenſis Ducatûs pro Carolo II. Hiſp. Rege Gubernator. Devixit Nanceii 14. Januarii 1723.

CAPUT CXXII.

Tranſactio inter Illuſtriſſimum Dominum JOANNEM BAPTISTAM DE SMET *Epiſcopum Gandavenſem, & Reverendiſſ. D. Abbatem* Sti. Petri *Gandavi, ſuper Jure Patronatûs XXII. Paſtoratuum in eádem Diœceſi, jam pridem controverſo; inita coram Supremo Senatu Mechlinenſi, die* 19. *Februarii* 1735.

Ex Actis Magni Conſilii.

COmme Procès s'étoit meu au Conſeil en Flandres entre les Prieur & Religieux de l'Abbaye de St. Pierre lez Gand, Impetrans des Lettres de maintenue Eccleſiaſtique en date du 26. Novembre 1643. *Par leſquelles ils avoient repreſenté, qu'appartenoit à laditte Abbaye les Cures de notre Dame, dans la Ville de Gand, & celles de St. Jaques & St. Nicolas auſſy dans laditte Ville, comme auſſi des Villages de Swynaerde, Severgem, Eecke, St. Denys, Afsné, Lovendegem, Marie-kercke, Vrachene, Melſele, Calloo, Haeſdonck, Kildrecht, Saffelaere, Baerle & Auwegem; ſoutenans, que l'Abbé, Prieur & Religeux de laditte Abbaye étoient Curé primitif deſdittes Cures, & qu'elles n'étoient en en aucune maniere ſujettes au Concours, que faiſoit inſtituer l'Evêque de laditte Ville; enſuite du Concile de Trente Seſſion* 24. *chap.* 18. *Auquel Concours les Cures incorporées dans laditte Abbaye & autres Communautez Eccleſiaſtiques ne ſeroient ſujettes.*

Que ce non obſtant, l'Evêque de Gand auroit expoſé quelqu'unes deſdites Cures au Concours: par ou il auroit troublé les Impetrans dans leur droit & poſſeſſion d'Exemption dudit Concours, concluans d'être maintenus dans l'execution dudit Concours pour leſdittes Cures.

Sur quoi l'Evêque dudit Gand auroit denié, que les Impetrans ſeroient Curé primitif de toutes leſdites Cures, & qu'elles ſeroient incorporées dans laditte Abbaye. Et longues procedures aiant eté mues à ce ſujet, ſi avant y a été procedé, que par Sentence definitive du 15. *Decembre* 1713, *les Impetrans ont été maintenus dans le droit & poſſeſſion de denommer aux Vicairies des Cures des Egliſes Paroiſſiales ci-deſſus des perſonnes capables, pour ſans Concours & après examen dudit Evêque être chargées de de la Cure des ames & de l'Inſtitution à ce requiſe.*

De laquelle Sentence ledit Evêque de Gand aiant appellé au Grand Conſeil, ledit procès y auroit été conclu en Droit & mis en raport. Pendant lequel a été ordonné aux parties de comparoitre par devant des Commiſſaires pour être fait droit, comme en Juſtice appartiendra.

Pour à quoy ſatisfaire, ſont comparus par devant Nous Meſſire Juſte Jaques Bervoet Maitre aux Requettes de l'hôtel de l'Empereur & Roy, Conſeiller en ſon Grand Conſeil, & Meſſire Jean Baptiſte Hony, Maitre aux Requêtes dudit Hôtel & Conſeiller Eccleſiaſtique audit Grand Conſeil, & le Greffier de Robiano adjoint, Meſſire Jean Baptiſte de Smet Evêque moderne du Dioceſe de Gand d'une part, & Philippe Standaert Abbé de l'Abbaye exemte de St. Pierre lez Gand au Mont-Blandin, aſſiſté de l'Avocat Deſcartes d'autre. Auxquelles pluſieurs propoſitions d'accord aiant été faites & après pluſieurs conferences, ſont enfin convenus & ont tranſigé en la maniere ſuivante.

Sçavoir: que les Cures de notre Dame dans la Ville de Gand au Mont-Blandin, celles des Villages de Swynaerde, Severgem, Eecke, Saffelaere, Deſtelberge, Calloo, Baerle, & Vrachene, reſteront & demeureront à perpetuité unies & incorporées à laditte Abbaye de St. Pierre, pleno Jure, tam quo ad Spiritualia quam quoad temporalia *; ſans quelles pourront jamais être ſoumiſes ou aſſujetties à aucun Concours de l'Evêque de Gand. En ſorte que le Prelat de laditte Abbaye en qualité de Paſteur primitif d'icelles ſera & demeurera toujours en pleine faculté & droit de commetre*

Digitized by Google

à l'exercice actuel deſdittes neuf Cures pour Vicaires & Vice-vicaires d'icelles tels de ſes propres Religieux qu'il eſtimera les plus capables & les plus dignes.

Lesquels devront neanmoins obtenir dudit Seigneur Evéque l'Inſtitution & la charge d'ames prævio examine, *avant qu'ils puiſſent entrer dans l'exercice des des fonctions Paſtorales : bien entendu neanmoins, que ce qui eſt dit ci-deſſus, n'aura lieu, qu'après la mort ou promotion des Vicaires & Vice-vicaires qui ſont actuellement dans l'exercice deſdittes neuf Cures, & qu'il ne pourra y établir de Vice-vicaires dans aucunes deſdittes neuf Cures, qu'après y avoir établi un Vicaire de ſa part : étant auſſi ſtipulé que ledit Evéque de Gand ne pourra donner ſon conſentement à aucune permutation ou reſignation deſdittes Vicairies en prejudice dudit Abbé & que de ſon conſentement.*

Que s'il arrive que ledit Abbé ne puiſſe trouver ſoit à preſent ſoit à l'avenir dans ſes propres Religieux le nombre ſuffiſant à l'effet de remplir l'exercice actuel des neuf Cures prementionnées, il lui ſera libre d'y commettre ſeulement pour lors des Vicaires ſeculiers Prêtres du Dioceſe de Gand. Les quels devront pareillement obtenir dudit Evéque l'inſtitution & charge d'ame prævio examine, *comme eſt dit ci-devant, ſans que l'établiſſement ou commiſſion des Vicaires & Vice-vicaires ſeculiers pourra* ullo numquam tempore *donner aucune atteinte ou alteration à ſon droit de Paſteur primitif deſdittes Cures ni à la faculté & droit qu'il conſervera toujours d'y propoſer ſes propres Religieux preferablement à tels Vicaires & Vice-vicaires ſeculiers, lors qu'il en trouvera des idoines & capables ; & ce après la mort ou promotion deſdits Vicaires ſeculiers.* Salvo ſemper in omnibus jure ſuo Paſtoris Primitivi, & aliis juribus honorificis & utilibus.

Et à l'égard des treize Cures reſtantes, ſçavoir de St. Nicolas & de St. Jaques dans la Ville de Gand, & celles des Villages de St. Denis, Aſsné, Auxegem, Tamiſe, Kemſeke, Kieldrecht, Mariekercke, St. Gille, Lovendegem, Melſele & Haeſdonck, il a été convenu, qu'elles ſeront à perpetuité ſujettes au Concours dudit Evéque. En telle ſorte neanmoins, que ledit Abbé conſervera à perpetuité le Droit de pouvoir choiſir entre les trois qui auront été trouvez les plus capables audit Concours, celui qu'il croira le plus digne, au quel ledit Evéque conferera enſuite la Vicairerie vacante, ſelon le formulaire anciennement obſervé: ſalvis etiam in omnibus juribus Paſtoris Primitivi ad ipſum ſpectantibus: *dont ledit Abbé eſt en Droit ou en poſſeſſion.*

Parmi quoi ledit Procès vient à ceſſer avec compenſation de depens ; & ceux qui ſont payés demeureront à la charge de celui qui les a payé, & ſera le preſent Rapport payé par les deux parties contractantes chacun pour la moitié.

Et ſera la preſente Tranſaction aggréé en forme due par le Chapitre dudit Abbé, qu'il promet de procurer dans la huitaine. De tout quoi les Parties reſpectives ont requis le Decretement de la Cour.

Fait à Malines le 19 *Fevrier* 1735. *Etoient ſignés : Joannes Baptiſta Epiſcopus Gandenſis, & Philippus Abbas Sti. Petri. Plus bas étoit. Veu l'Acte d'agreation du Chapitre de l'Abbaye de St. Pierre lez la Ville de Gand du 22 de ce mois, & Raport fait, la Cour decrete la Tranſaction ci-deſſus, ordonne aux Parties de s'y conformer, & ſera ledit Acte attaché à la Tranſaction originale. Fait à Malines le 25. Fevrier M. D. C. C. XXXV. ſigné G. N. de Robiano.*

Digitized by Google

DIPLOMATUM
BELGICORUM NOVÆ COLLECTIONIS
TOMUS QUARTUS.

PARS QUARTA.

Continens Diplomata, Privilegia, Donationes, Beneficia per Viros Eccleſiaſticos aut Nobiles, Belgicis Eccleſiis conceſſa.

CAPUT I.

Narratio Originis Eccleſiæ Sti. Albani Namurcenſis (*quæ hodie Cathedralis exiſtit*) *ab anno* 1047 *è vetuſtiſſimo ejuſdem Eccleſiæ Codice deſcripta.*

Ex tractum ex præfatione Miſſalis antiquiſſimi, in pergameno manuſcripti hujus Eccleſiæ, quod ſic incipit, ſine titulo.

Ic noviter noſtri facta eſt reparatio Templi,
Quod Comes ALBERTUS *divino flamine tactus*
Diruit, atque ſuis rebus reſtruxit & auxit.

Fuit (ut refert vetuſtas) Cœnobium noſtrum antiquitus divitiis & ordine Monachorum vehementer honorificatum, & à Papa Cornelio Kalendis Septembris dedicatum. Sed ingruente tribulatione, dicunt eſſe poſtea prædiis ſpoliatum & ab omni religione deſtitutum. Locus autem in ſuburbio Namurcenſi ſitus non penitus abſque oratorio manſit, ſed exiguo ad quantitatem prioris.

Poſt deſtructionem igitur (elapſo dierum multorum curriculo) Comes Albertus ſecundus, ortus ex patre Lotharienſi, matre vero Francigena Ermengarde, nobiliſſimorum Francorum Regum proſapiam trahente, memor reſurrectionis corporis ſui, locum hunc ſibi requiem elegit, Ermengardis matris, & ejuſdem conjugis, antiquitus factam Eccleſiolam diruit, & dirutam conſentiente uxore ſuâ Gothelonis Ducis filiâ reſtruxit, & reædificatâ ordinem Canonicorum inſtituit.

Evolvebatur tunc temporis annus ab Incarnatione Dominica M. XLVII. Indictione XV. eodemque tempore Rex Henricus Romanorum ſceptro claruerat, Wazo vero non minus bonitate quam ſapientiâ præditus Epiſcopium regebat Leodienſe, cujus ſanctitatis opinio diffuſa eſt longe lateque. Temporibus hiſdem (1) Fredericus qui & Stephanus poſtea Romanorum Papa futurus, in conſpectu ſupra-dicti Comitis gratiam invenerat, qui ei familiaritate junctus quæ erant Eccleſiaſtica cum eo diſponebat.

Is autem Fredericus locum noſtrum facultatibus ſuis, librorum ſuorum ornatu &

Digitized by Google

Reliquiarum honore, quæ à patre Gothelone Duce ſibi remanſerant, ditavit; cujus memoria non recedet à nobis in ſæculum ſæculi. Dedit & idem nobis ſcriniolum ebeninum Sanctorum Reliquiis plene refertum.

Creſcente aliquantulum religione Canonicorum, proficiente Congregatione, ſuadente piiſſimo Comite Alberto Dominus Fredericus cum maximo Cleri trepudio Moguntiam expetivit, & ab Archiepiſcopo ſancto Bardone acceptas Reliquias de corpore prætioſiſſimi Martyris (2) Albani cum ſummâ lætitiâ ad Nos devexit.

Poſt multum temporis in amicitiam Leonis Papæ receptus, immemor hujus loci non eſt factus, divinâ providente clementiâ, dum Leo Papa Pontificum ſummus Reliquias Sti. Gerardi Tullonenſis Epiſcopi ex habitaculo quo fuerant antiquitus reconditæ elevaret apud Tullum, & quo requieſcerent thecis tali patrono dignis, relocaret, partem Corporis ejus cum aliis Reliquiis Dominus Fredericus à Papa impetravit, & cum dalmatica quâ ſummus Papa utebatur Nobis miſit.

Leo IX Canonizavit S. Gerardum Epiſc. Tull. 1050.

Defuncto Leone, Succeſſoreque ejus Victore, Domnus Fredericus Romanæ Eccleſiæ ſuſcepit regimen, Dei diſpoſitione, eandemque benevolentiam quam retro penes nos oſtendiſſet, niſi mors nimium matura prohibuiſſet. Heu, heu! quantum nobis incommodum intulit, dum Frederico mors non pepercit.

Stephanus IX Pont. A. 1057.

Videns Eccleſiaſticæ religionis amator Deo diſponente, cuncta quæ diſpoſuerat in bonum proficere, congratulari cœpit ſuper Eccleſiaſticâ ædificatione, & ad Religionem multiplicandam locum hunc ditavit facultate, Britinium dans nobis cum quinque molendinis, cum prato & nemore.

(3) Ermengarde matre ejus defunctâ, pro anima ejus Glans ſuper Jayram fluvium ſitum tradidit huic Eccleſiæ: pro quo Eccleſiam Sti. Remigii in d'Ouy mutuo accepimus, & prædiolum in Novile, cum Monachis Sti. Jacobi factâ commutatione. Tradidit & Eccleſiam Sti. Mennii, annuente uxore, imo & hortante, in Dionantio. Dedit ſimiliter Eccleſiam in Veſlomiis, Agnetis, & Sti. Lamberti in Emines, non diſſuadente ſed potius ſtimulante Reylende conjuge ſua; locum quem reparaverat multiplicavit, manſumque unum in Anheia, alterum in Sorma, tertium in Wederina nobis dedit.

Dos prima Namurcenſis Eccleſiæ.

Celſas turres, pauperumque tabernas mors pulſat, & rapit ſine diſcrimine quoſcumque rapere judicat. Ipſa nobis damnum illatura non modicum abſtulit Patronum noſtrum Comitem Albertum (4), cui requiem dat Cœnobium noſtrum. Sepulto eo, dedit uxor ejuſdem medietatem de Holon in Eccleſiâ & omnibus appenditiis ejus. Non prætereundum arbitror, nec dignum ſilentio quod factum eſt adhuc vivente Comite ſupra memorato.

Leudinus Epiſcopus Oicharienſis (5) genere Lotharienſis cauſâ ſuos viſendi Pannoniam egreſſus, Leodii vel Andanæ morabatur. Dei vero providentiâ cauſâ viſitationis Nobiliſſimum Comitem expetivit: qui ab eo honorifice ſuſceptus eſt, & habitus cum amicis. Qui videns locum hunc jam dirutum ſed aliquantulum erectis parietibus reædificatum, hîc Miſſam celebrans multum dedit Reliquiarum. Dedit de corpore Georgii Martyris, ſimiliter de corpore proprio Nicolai Confeſſoris Smyrneorum Epiſcopi, & aliorum, quorum nomina ſcripſit in æterno cœleſtis littera libro.

Quomodo autem Pontifex de quo mentio facta eſt eaſdem reliquias ſit adeptus ſcribi præcepit, & penes nos ſcriptum retineri. Factum eſſe hoc modo, nobis notificavit, verumque eſſe confirmavit.

Stephanus (6) Rex Pannoniorum ex pagano Chriſticola factus, veræ fidei imitator erat Deoque devotus. Ortâ vero bellorum tempeſtate quæ à barbaris infeſta Imperatori Conſtantinopolitanæ urbis, Rex Conſtantinopolis eundem Stephanum ad bellandam barbariem ſibi adſcivit, cujus adminiculo cæſariem ſibi infeſtam vi debellavit.

Cumque Conſtantinopolitani prædas raperent & urbem divitiis denudarent, Vir vere catholicus Stephanus à rapina deflexit mentem. Qui ingreſſus templum Sti. Georgii Reliquias quas invenerat abſportavit, coluit, & cum reverentiâ utpote Chriſtianus in vitâ ſuâ ſervavit. Sed ipſo defuncto, Andreas in regno ſucceſſit: qui noviter intronizatus dum Anteceſſoris inquireret ornatum & ſuppellectilem regiam, Leuduino Præſuli præcepit, ut breves Reliquiarum legeret, & quorum lipſana eſſent pro certo ſciret.

Cartas legit Pontifex præfatus relocans in eorum thecis partem ſibi retinuit, ubi eas aſſumpſit quas nobis poſtea dedit.

Poſt vero obitum conjugis ſui Alberti, Reylendis Comitiſſa Comitiſſarum ei more regio mauſolæum erexit, & miro decore fabricari juſſit. Quæ honore mundi poſthabito, amiſſo carnali ſponſo famulata eſt ſuperno. Ornavit locum hunc ornatu egregio, tapetibus & aulæis, albis, & crucibus, & caſulis, feneſtris, turibulis & univerſa ſupellectili, quâ indiget Eccleſiaſticus uſus.

Hactenus præfatum Memoriale.

De Cath-drali Eccleſia S. Albani Namurcenſis ejuſque Capitulo, jam actum ſæpius per diverſa Diplomata, Principumque Donationes. De quibus vide Indicem ad calcem Tomi III.

(1) FRIDERICUS, Gozelonis Lotharingiæ Ducis filius, olim Leodienſis Eccleſiæ Archidiaco-

Digitized by Google

nus, dein Monachus & Abbas Montis Caſſini, electus Pontifex Max. anno 1057. Stephani IX. nomen aſſumpſit. Hic magnus extitit Namurcenſis Eccleſiæ benefactor. E vivis ſublatus die 10. Februar. 1058.

(2) S. ALBANUS, Presbyter, Martyr, Namurcenſium çquè ac Moguntinenſium Patronus, ab Arrianis martyrio affectus eſt anno 425. (alii dicunt poſt annum 483.) De eo Martyrologium Romanum ad diem 21. Julii. Pars cranii ejus aſſervatur in Æde Cathedrali Namurcenſi, argenteæ ſtatuæ incluſa. Litteras autem Aſſociationis & Confraternitatis inter hanc Eccleſiam & Abbatiam S. Albani Moguntiæ, (hodie illuſtrem Collegiatam Canonicorum) datas anno 1200. Tomo II. horum Diplomatum pag. 1206. exhibuimus.

(3) ERMENGARDIS. Sepulta (ut fertur) Namurci, in Eccleſia B. Mariæ, hoc Epitaphio : quod citat Grammayus pag. 23.

Nobilis Ermengarda *ex Francicenarum Stirpe, Caroli Ducis filia, in feſto LV. Martyrum defuncta, in Eccleſia Mariæ Matris cœlorum tumulatur; & præſente filio Comite* Alberto *Namucenſi, & Gerelmo Abbate S. Mariæ, legavit Terræ quietionis ſuæ XX. parvos denarios. Deus ſit ejus animæ miſericors.*

(4) Albertus Comes Namurc. obiit anno 1035. ſepultus in S. Albani, cum hac olim inſcriptione. *Hic ſepultus jacet Nobiliſſimus Comes* Aldebertus, *&* Reneldis, *ex Lotharienſium Stirpe nobilis ejus Sponſa, qui Eccleſiam hanc fundavit.*

(5) LEUDINIUS, quis ille, aut cujus Sedis Epiſcopus, hactenus mihi non conſtitit.

(6) STEPHANUS. Is fuit primus Hungariæ Rex Catholicus, zelo Religionis clariſſimus. Regnavit annis XLI. deceſſit 1038. Sanctis jam pridem adſcriptus, cultum in Breviario Romano juſſu Innocentii XI. Pont. max. anno 1687. obtinuit ad diem 2. Septembris.

CAPUT II.

Ragenera, *mulier Nobilis, tradit ſe-ipſam in Ancillam Abbatiæ S. Amoris in Beliſia, Diœceſis Leodienſis, anno* 1040 : *ubi nunc eſt illuſtre Nobilium Canonicarum Capitulum, vulgo* Munſter-Bilſen, *apud Haſſelt.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Notum ſit omnibus, tam poſteris quàm præſentibus, qualiter ego Regenera, tam pro remedio animę quàm pro defenſione totius poſteritatis meæ, cum eſſem libera, tradidi me in ancillam ſancto (1) Amori in Biliſia (2), ſub cenſu ceræ quatuor denariorum; câ conditione, ut omnis mea poſteritas eundem cenſum ſolvat in feſto ſancti Amoris : nullus autem ſolvat, niſi priùs in conjugio fuerit, per diem & annum.

Si quis verò de longinquo venerit, & opus prandio, propter inopiam, habuerit, detur ei denarius ab eo qui cenſum recepit; poteſtatem habeat maſculus uxorem ducendi; femina verò nubendi, uterque ſine licentia, ubi, & cuicumque voluerit. Placitum Advocati nullus quærat, neque obſideat. Quod ſi aliquis ex hac cognatione aliquâ querimoniâ pulſatur, nulli niſi Abbatiſſæ reſpondeat, & nuſquam niſi coram illa judicio Parium ſuarum conquerenti ſatisfaciat, niſi fortè de violata pace, jure duelli impetatur, vel de immunitate.

Si verò aliquis aliquem de parentela iſta occiderit, homicida ille ſolvat Abbatiſſæ aureum unum, denarium & duas libras; Advocato verò unam. Tota autem illa cognatio poſt mortem ſuam de capite ſuo, pro jure quod vulgo attulit, ſive corimede dicitur, tantùm duodecim denarios, & nihil ampliùs ſolvat.

Si quis verò contra hoc ſtatutum Jus aliquod pertinaciâ vel negligentiâ rebellare nititur, anathematis ſententiâ reſtringatur, quouſque Eccleſiæ ſatisfaciat, & debitum perſolvat.

Quicumque autem hanc Chartam voluerit infringere, & huic cognitioni nocere, pereat ipſe & omnis ejus poſteritas malâ morte, inſuper æternâ maledictione ſeparetur à Chriſtiana ſocietate.

Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis milleſimo, quadrageſimo, Indictione octavâ, imperante Henrico Romanorum Imperatore tertio, Richardo Leodienſi Epiſcopo, tempore Goderonis Marchionis, ſub teſtimonio Adelgeri Advocati,

Rudolfi,
Herelonis,
Tiboldi, liberorum hominum.

Interfuit etiam Yſecho & Hadego Presbyter, de Familia Eccleſiæ Veſtechen, Arnoldt, Adelbertus.

Extant in Hiſtoria Loſſenſi Laur. Robyns J. C. ſeptem alia Diplomata, ad hoc Capitulum ſpectantia, Parte II. à Num. 1. ad 8.

(1) S AMOR, Confeſſor, Beliſiæ Patronus, natione Aquitanus, colitur VIII. Octobris : teſte Molano.

(2) BELISIA, hodie *Munſter-Bilſen*, Diœceſis Leodienſis oppidulum : de quo ſupra Tomo II. pag. 853. & 855. hotum Diplom.

Digitized by Google

CAPUT III.

ARNOLDUS *Comes* CHINIACENSIS, *fundat ac dotat anno* 1068. *Cellam ſeu Prioratum S. Sulpitii, Vallis Pirorum (in Diœceſi Remenſi) vulgo* Priez, *ſub adminiſtratione Abbatis Sti. Huberti in Arduenna, Ord. S. Benedicti.*

Extat etiam Tomo I. pag. 472. Collectionis Diplomat. Bened. S. Mauri.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Arnulfus Comes cum conjuge meâ Adelail, filius Ludoguici Comitis, præſentibus & futuris ſanctæ matris Eccleſiæ filiis.

Audiens in Evangelio, quia *nihil prodeſt homini ſi lucretur univerſum mundum, animæ autem ſuæ patiatur detrimentum*; audiatis & credatis firmiſſimum, quod patri meo & matri meæ & omnibus anteceſſoribus meis primùm, & pòſt animę meæ & hæredibus meis ſtatui ſingulare remedium. In Villâ Pirorum habebam paterno jure clericalem Abbatiolam in honore ſancti Sulpitii fundatam, fideli quidem ſatis Anteceſſorum meorum devotione, ſed pauperiori quam oportebat reddituum proventione.

Hanc ampliatam pro poſſe rebus ſubternotandis, quia necdum ut volebam per ſe conſiſtebat ſatis, communi conſilio Archiepiſcopi Remorum, ad cujus Dioceſim pertinet Abbatiola ipſa, ſubjectam feci eam ſeniori Eccleſiæ ſancti Petri & ſancti Huberti in Ardennâ; eâ conditione, ut Abbas de ſancto Huberto ponat Monachos, quibus ipſe præſit in loco illo.

Nec error aliquis generetur ſuper hujuſmodi opere, loco ut antiquitus ad Dioceſim Remenſem pertinente, mihi & heredibus meis reſervatâ Legali Advocatione, & ad Matrem Eccleſiam ſancti Huberti ſubjectione perpetuâ remanente.

In ipſâ Villâ Pyrorum do totum allodium quod jacet ſuper Marbaiz ex utraque parte, ex una parte ſuper ripam Moſæ uſque ad Helmericum montem, & exinde uſque ad Fainon & dimidiam partem cum pratis, ſilvis & piſcatura. Nec non & Familiam quæ ad eandem pertinet Villam. Medietatem Eccleſiæ de Stavelz: de Eccleſia Auré medietatem.

De Eccleſia Vilers medietatem, medietatem decimæ, in Flohier-monte dimidium molendinum, dindominicatu Ingivel totam nonam, de Eccleſiâ in Sùrai quattam partem, decimam molendini in Caſtilon, ſeptem manſos pertinentes ad Sanctum Hilarium cum totâ familiâ, donum ex integro Capellæ ſancti Johannis in Warc, ſeſſuram molendini ad Baiart.

Decimam de ſancto Hilario & de Ware de omni indominicatu, ſcilicet de terris indominicatis, de ſylvis indominicatis, de ſexteragio, de furno, de cambis, de ſotularibus & de cyrothecis.

Signum Arnulphi Comitis, & Manaſſe fratris ejus.
S. Reguini.
S. Ratbodi.
Signum Lamberti de Turre.
S. Lamberti de Porta.
S. Johannis de Warcq.
S. Requini,
S. Theodorici, filiorum ejus.
S. Tietbaldi de Tilaz.
Signum Rodulphi.
Signum Wilberti.
S. Ingebrandi.
S. Arnulphi.
S. Lietberti.
S. Wazonis,
S. Warneri de Ciplez.

CAPUT IV.

WALCIODORENSIS *Abbatia Benedictinorum, Diœceſis Namurcenſis, dotatur anno* 1076 *per* JOANNEM *Virum Nobilem.*

Ex Cartulario MSS. Abbatiæ Walciod.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Johannes Adoleſcens, judicio meo, omnium minimus, quamvis apud ſœculum Ingenuus, cum frequens me affligeret cogitatio de hiis quę mortem ſequuntur, propoſui juxta vocem Prophetæ peccata mea elemoſinis redimere: & talibus elemoſinis quæ non mecum in brevi aſſumantur, ſed de die in diem renoventur, & renovatæ continuam michi ſalutem poſt mortem operentur.

Et hac confidentiâ ſancta loca Eccleſiæ Walciodorenſis adii; ibi per manum Advocati Theodorici junioris ſub teſtibus idoneis Stæ. Mariæ tradidi quidquid noſtri Juris erat in novis Burſinis, in Pago Ardenenſi in Comitatu Namurcenſi, cum terris cultis & inculi-

Digitized by Google

incultis, ſilvis, pratis, aquis aquarumque decurſibus cum quarta pœne parte Eccleſiæ: nam ſicut in cæteris & in hac quinta pars de quarta probatur minus eſſe.

Cum ſervo etiam Waltero nomine, hanc Donationem legitimè Walciodori confirmavi, præſente Advocato Theodorico & Abbate Godeſcalco, adhibitis Teſtibus idoneis,

Francone avunculo,
Item Francone nepote,
Criſpino, Gerulpho,
Herimanno de Onhaya,
Reinardo, Gillelmo,
Gothelone des Bonnes-beches.

Item Leodii coram patre meo Giſleberto & Engolbrando fratre meo id ipſum renovans iteravi: adhibitis fidelibus viris,

Johanne Stephano,
Herimanno de Heiis,
Gerardo, Anſelmo, Odelino.

Si quis Teſtamentum hoc infregerit, & fructu ventris ſui privetur & de terra viventium eradicetur.

Actum Walciodori, & iteratum Leodii anno ab Incarnatione Domini milleſimo ſeptuageſimo ſexto, Indictione XIV.

CAPUT V.

ERMENGARDIS *Comitiſſa donat anno* 1078. *Eccleſiæ Collegiatæ S. Bartholomæi Leodii, prædia apud oppidum de* Brée, *& Villas* Woromes, Longchamp, Rummen, Curenge *&c.*

Ex Archivis Capituli.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Homo cùm reputat quid ſit, unde ſit, quorſum redeundum ſit, imaginis ſui Authoris, cujus inſtar habet, dignè decus coram ingerat, ſimulque ſi pauperibus, ad imitationem illius qui de cœlo venit pauper fieri, paupertati congaudet: vel ſi dives opum, non in illis diſſolvitur, ſed in nomine ejus à quo eas habet, illis dividit qui indigere videntur, catholico modo ſe ſuaque rerum Authori, à quo proceſſerunt, laudabiliter reſignare, talique boni operis Baptiſmo peccata, ſine quibus nemo vivit, purgando creditur, & mirum eſt, abluere.

Hanc ſaniſſimam amplectens ſummariam virtutum ſemitam, Ermengardis Comitiſſa, quibus multipliciter abundabat ab avis atque atavis nobilibus, pro ſua ſuorumque animabus, Deo ejuſque Eccleſiis ſplendidè conſcripſit prædia. Horum, inquam, prædiorum jacentium apud Villas Worommes & Longum-Campum, præter Beneficia ſervientium, & præter duo molendina & duas cambas, & præter Eccleſiam & decem manſos, & viginti de familia, ſicut ea tenebat: cumque ſacrum Velamen capite ſuſciperet, traditionem fecit ad Altare Apoſtoli Bartholomæi. Tradidit etiam totum Allodium de Rumines, præter quinque manſos, quos dedit Sanctæ Mariæ in Hoyo, præter Beneficia ſervientium. Simulque tradidit totum Allodium de Curinges, præter quinque manſos, quos dedit ſancto Joanni in Inſula, præter Beneficia ſervientium.

Tradidit quoque totum allodium quod habebat apud Gelmines & Berlinges, præter Beneficia ſervientium. Tradidit quoque allodium de Brede, cum Eccleſia, præter decem manſos, quos dedit Gerardo Comiti, & viginti de Familia, & præter decem manſos, quos dedit ſancto Joanni, & viginti de Familia S. Jacobo, Avroch dedit cum ſuis appenditiis.

* Id eſt Brée: oppidum Campiniæ Leod.

Conſtituit etiam ipſa Virago, ut ſe vivente, ſi quid de his quæ tenebat manumitteret, Epiſcopo Henrico cederet; poſt deceſſum Epiſcopi & ipſius, totum quod ejus liberum allodium fuerat, ubicumque eſſet, Eccleſiæ Sancti Bartholomæi fieret.

Hujus autem boni operis beatæ memoriæ Dominum Epiſcopum Henricum incentorem habuit, & devotiſſimum ſuffragatorem: & ut hoc libentiſſimè perageret, quorumdam Epiſcopi curſuum delegavit ei redditus, donec viveret.

Suſcepit verò hanc Traditionem, qui tunc Advocatus erat, Comes Henricus de Dolvin-Caſtello, ubi præſto fuerunt liberi & honeſti viri, hinc Clerici, hinc Laïci; necnon etiam de Familia Eccleſiæ plurimi.

Godeſchalcus Archidiaconus, item Dietwinus Archidiaconus, Hugo Præpoſitus, Franco Scholaſticus, Godefridus Raſo, Hildonius.

Canonici ipſius loci, Odelinus, Geldulphus, Henwardus, Cheldoldus, Belbaldus, Waltherus, Heribertus, Ermenerus, Wiſo, Piemarus, Ameſo. Comes Cono de Monte-Acuto, Reginardus de Roden, Witmannus de Molenarche, Godeſchalcus de Cennaco, Lambertus de Foron, Turevinus de Wogelmont, Menirnus, Lambertus, Fredericus, Godefridus, Fredericus, Lienbertus, Waſelinus filius ejus, Lambertus, Waſelinus.

Actum eſt hoc anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo, ſeptuageſimo octavo, Indictione primâ.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Stupenda punitio eorum, qui res ſacras Abbatiæ Criſpinienſi, *Monachorum Benedictinorum in Hannonia collatas, auferre moliebantur, anno* 1098.

Ex Cœnobiarchia Criſpiniana Raiſſii.

IN nomine S. & individuæ Trinitatis. Nobiles religioſaſque duas mulieres contigit manſiſſe in villâ Buxit, quarum altera Giſla, altera Berta vocabatur. Quæ divinâ inſpirante clementiâ, dum ad ſanctum Landelinum in die Paraſceven orare veniſſent, caſque Canonici qui ibidem Deo ſerviebant honorificè ſuſcepiſſent, ob animarum ſuarum ſalutem, vitæque proſperitatem, eidem Eccleſiæ dona quæ ſubſcripſimus legaliter contulerunt.

Giſla quidem ſuarum culturarum decimationem dedit: Berta verò decimam unius manſi, qui dicitur manſus Hungeri, & decem hortorum ſancto Petro, ſanctoque Landelino contradidit.

Poſteà Bertæ Traditionem quidam ſui ſervuli Godefridus & Ivo perturbaverunt, qui ejuſdem beneficii tunc temporis miniſtri fuerunt. Pro pacificanda itaque eadem perturbatione, & multis innoteſcenda prædicta Traditione, die ſtatuto, ſuper Terram convenerunt Canonici, ſecum ferentes Reliquias ſancti Landelini. Præſcripti etiam adfuerunt ſervi & commanentes in jam dicta Villâ cum eis. Sed quid mirabile per merita ſancti Landelini Jeſus Chriſtus ibidem fecerit, quâve ultione ipſorum ſuperbia tandem vindicata ſit, eodem tempore multis claruit.

Enim-verò Canonici aſtantes & Reliquias ſancti Landelini cum reverentiâ tenentes, dum coram aſtantibus dona quæ bona mulier contulerat, occupare (quod vulgò dicitur *ſaſire*) voluerunt, irâ permotus unus ex ſervis, Godefridus nomine, ſagittam emiſit, & tenentem percutere volens, vas in quo Reliquiæ ſancti Landelini poſita erant percuſſit. Quo facto, mirum dictu! nebula ſupervenit & alter alterum vix videre potuit. Hujus rei eventu, qui aſtabant, valde perterriti, unuſquiſque ad propria ſunt reverſi. Godefridus procul dubio domi reverſus, dum ad latrinam ſeceſſit, diſruptis & ejectis viſceribus, morte turpiſſimâ vitam finivit.

Quâ de re ceteros perturbatores Eccleſiaſticæ traditionis timor magnus invaſit, & excogitaverunt, qualiter Deo, ſanctoque Landelino poſſent reconciliari. Actum eſt igitur in præſentiâ bonorum virorum, maximèque illius Dominæ conſilio, quæ Traditionem fecerat, ut ſanctus Landelinus de decem hortis, unius decimationem ſolus haberet; & de novem reliquis Eccleſia ſancti Landelini, & Eccleſia ſancti Gaugerici de Buxut, per medium inter ſe decimationem dividerent.

De ceteris autem traditionibus nulla orta eſt contentio, ideò nec facta eſt reconciliationis aliqua mentio. Poſt multum verò temporis in (1) Eccleſiâ ſancti Landelini ordine mutato, de Clericali videlicet in Monachico, & eiſdem Monachis per annos plurimos res Eccleſiæ fideliter procurantibus, homo quidam Amardus nomine in Villâ Buxut commanebat, qui præteritorum inſcius, prædictæ Traditioni obviare volebat, quo tempore Abbas Lambertus, qui tunc, id eſt M. nonageſimo octavo anno ab Incarnatione Domini, eidem Eccleſiæ præerat, & nonnulli Fratrum in Villâ Buxut convenerunt, & teſtimonio virorum provectæ ſenectutis, Remigii videlicet, Florberti, Adam, Fulmari, Huberti eidemque teſtimonium uno ex illis, Huberto nomine, ſuper ſancti Landelini Reliquias, manu propriâ confirmante, prædictum Militem Amardum ſatisfactionem hujuſmodi ſuſcipientem, coram ceteris commanentibus Villæ ab injuria ſua ceſſare fecerunt.

His viri iſti præſentes fuerunt:
Amalricus, Remigius, Ivo.
Adam, Fulmarus.
Henricus, Amardus.

Actum in Buxut, anno M. XCIIX. Dominicæ Incarnationis, X. Kalend. Auguſti, concurrente IV. Epactâ XV. Indictione VI. Regnante Henrico Imperatore.

(1) Fuerunt in Eccleſia Criſpinienſi Canonici ſæculares ante annum 941. ut patet ex Diplomate Henrici Aucipis Imper. iiſdem benefacientis. Vide ſupra Tomo II. pag. 1129. horum diplom. Poſtmodum amotis ſæcularibus, anno 1080. Richildis Hannoniæ Comitiſſa Monachos Benedictinos ſubſtituit. Vide ibidem pag. 1135. aliaque Diplomata notata in Indice Tomi III.

Digitized by Google

CAPUT VII.

Elbertus & Sigerus de Bethunia, DD. de Carency, LAMBERTUS *Atrebatenſis Epiſcopus, aliique, varia prædia beneficiaque elargiuntur Abbatiæ Montis S. Eligii Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini, juxta Atrebatum, anno* 1100, *& ſequentibus.*

Ex Documentis Hiſt. Bethun. per Duchenium, pag. 361. &c.

FILII ſanctæ Matris Eccleſiæ, volumus vobis manifeſtare, Eccleſiam beati Vindiciani Terram de Gomicourt juſtè poſſidere. Quod ut tam vos quàm poſteri poſſitis agnoſcere, à quibus ſit tradita eidem Eccleſiæ curamus ſcribere.

Robertus de Perona, concedente filio ſuo Odone, ac filia ſua Alecia, dedit quartam partem quam habebat in prænominata terra, &c. Item Morens de Bethunia dedit allodia ſua quæ poſſidebat in eadem ex parte uxoris Odæ, eidem B. Vindiciani Eccleſiæ.

Teſtes, Arnulfus Mala-terra,
Wago de Bethunia,
Alulfus Præpoſitus,
Elbertus de Bethunia, Gualbertus.

IN nomine ſummæ & individuæ Trinitatis. LAMBERTUS miſeratione Dei Attrebatentium Epiſcopus, Succeſſoribus ſuis gaudium ſummæ beatitudinis. Prædeceſſores Patreſque noſtros, Beatum videlicet Vedaſtum, Gaugericum, Autbertum, atque Vindicianum, quorum lucent coram nobis opera, fore credimus imitandos, &c.

Comes videlicet Robertus, & filius ejus junior Robertus, aquam de Anzè uſque ad molendinos de Longo-vado dederunt.

Teſtes, Johannes Advocatus, Robertus Advocatus, Walbertus Præpoſitus, Hugo de Albiniaco, Gerardus de Floresberc, Engelrannus de Lilero, &c.

Robertus Advocatus dedit terram quæ Faverilis vocatur, & ſylvam alnorum ejuſdem terræ, & juxta eandem unum manſum.

Teſtes, Elbertus de Bethunia, Rogerus, Wago, Venemarus filius Anſelmi, &c.

In Gumicourt, Walcherus totum quod habebat dedit, ſimul & Engebrandus avunculus ejus, Rogerus de Surches, Elbodo nepos ejus, Hugo de le Mota, Morengus de Bethunia, & Oda uxor ejus, &c.

Apud Ablag, Dominus Elbertus de Bethunia, & Amulricus filius ejus dederunt ad Alleu terram duodecim ſextariorum, & ſylvam ejuſdem terræ, & unum hoſpitem, & ad Bovennas unum, &c.

In Camblinio dedit nobis Hato totum alodium ſuum, & Hugo Havés terram quatuor ſextariorum, & Odo & Fratres ejus & nepotes totam hæreditatem ſuam: de qua dedit nobis Dominus ELBERTUS Placitum in totam juſticiam, &c.

Rogerus puer de Bethunia, & Walterus de Goi, & Helewidis, & Supplicia de Juvenci, quicquid in eadem hæreditate habebant, communiter dederunt, &c.

Apud nos dedit Rogerus puer & uxor ejus Wilburgis unum hoſpitem, & apud Aneſim, XXII. ſeſtarios annonæ, à quodam molendino ſingulis annis recipiendos, & alios redditus de eodem molendino, quos vulgus oblationes vocat, & quatuor manſos terræ quos curtillos vocamus, &c.

Wilburgis uxor ejuſdem Rogeri, & filiæ eorum, Judith, Helewidis, Godeldis, hoc confirmaverunt, &c.

Apud Arenim dedit Hadewidis de Bethunia unum manſum terræ, pro anima mariti ſui Roberti Craſſi, &c.

NOtum ſit omnibus tam futuris quàm præſentibus hanc Cartam legentibus, quod Ego Warinus de Dourges pro ſalute animę meæ ac meorum Anteceſſorum, Alodium meum de Dourges & de Nigella, quod eſt in Pago Scarbeio, tam in manſis hoſpitum quàm in terra arabili, & in pratis atque ſylva, cum ſede molendini & aqua ei pertinente, & quicquid habebam Alodii in Spinecham in terra & ſylva & pratis, tradidi Eccleſiæ quę ſita eſt in Monte Sancti Eligii, in honore ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac beati Vindiciani Epiſcopi & Confeſſoris. Exiſtente tunc ipſius loci Domino Johanne Abbate, &c.

Signum Henrici Abbatis Sancti Vedaſti,
S. Hugonis de Inci,
S. Hugonis filii ejus,
S. Hugonis de Albiniaco,
S. Balduini Caſtellani de Lens,
S. Lotardi Brochet,
S. Johannis de Vaencourt,
S. Lainuſſi de Foſſels,
S. Milonis de Hoſden,
S. Hugonis de Hucin,
S. Elberti de Bethunia,
S. Hugonis de Not. &c.

Actum eſt hoc anno Dominicæ Incarnationis M. C. IX. regni verò Ludovici Regis anno primo, præſidente Eccleſiæ Atre-

Digitized by Google

batenſi Domino Lamberto Venerabili Epiſcopo, principante Flandriæ Comite Roberto ſecumdo.

EGo Richardus Abbas Eccleſiæ de Monte Sancti Eligii, ceterique ejuſdem loci Fratres. Notum fieri volumus, quod quidam homo nomine Odo, de Villa quæ dicitur Camblinium, & frater ipſius nomine Fulbertus, cum ſuis participibus, Rambaldo de Devis, & Urſione de Attrebato, adiit Dominum Johannem noſtrum prædeceſſorem: expetens ab eo, ut ſi impetrare poſſet ab Elberto de Bethunia Milite, quatenùs eos liberos faceret de Placito quod ſibi debebant apud Ablevium, pro ſuis Alodiis terraceum frugum eorum traderent in perpetuum, ipſeque Odo hac de cauſa Homo ipſius Abbatis fieret.

Hoc autem facto, poſt aliquantum temporis defuncto Elberto prædicto, Sicherus filius ejus voluit adnullare quod pater ſuus fecerat. Tandem verò per Dei gratiam & auxilium amicorum noſtrorum egimus apud ipſum, ut reſipiſceret, & Conventionem patris ſuis meliùs etiam quàm facta fuerat priùs nobis faceret ac confirmaret.

Fecit igitur nobis Donationem jam dicti Placiti, præſente & annuente Domino Roberto Advocato, filioque ejus Balduino, à quo illud tenebat in feodo.

Hujus rei Teſtes ſunt,
Balduinus, filius Hugonis de Albiniaco,
Johannes de Wahencourt,
Warnerus de Hameleincourt,
Gamelus de Uſi,
Hugo, filius Wagonis de Bethunia,
Manaſſes, Clerici:
Gerardus Presbyter,
Johannes Diaconus, Hainfridus.

RObertus, dictus Craſſus, Dominus de Arimino, ex Haduide conjuge procreavit Fredeſcendem, quam duxit Petrus de Suces, & Odam uxorem Ricardi cognomento Brunonis. Quâ defunctâ, vir donationem uxoris confirmavit. Teſtes,

Robertus, Rivaldus, filii Engeladi de Lens,
Hugo de Squania,
Theodoricus de Hablen,
Sicherus frater ejus.

Oda de Ricardo filiam ſuſcepit, nuptam Gerrico, quæ & ipſa confirmavit.

Teſtes: Sicherus filius Elberti, &c.

NOtum ſit omnibus Cartulam hanc legentibus, quod Dominus Robertus Bethunienſis & idem Advocatus Attrebatenſis, poſt Donationem terræ quæ Faverils dicitur, quam fecerat Eccleſiæ de Monte Sancti Eligii, quodam tempore partem ipſius terræ aufferre voluerit: ſed pòſt pœnitentiâ ductus tortitudinem ſuam in præſentia Comitis Karoli Flandriæ recognovit, &c. Hoc denique factum apud Bethuniam ipſe Dominus Robertus renovavit, &c.

Teſtes, Guillelmus filius ipſius Roberti,
Sicherus de Carenci, &c.
Hugo de Carenci,
Robertus frater ejus,
Elbodo de Carenci.

NOtum ſit omnibus ſcripturam hanc legentibus, quod Sicherus & uxor ejus Bertha, de Villa quæ dicitur Ablanis, terras Alodii ſui, quæ ſunt Rouoncourt (quas Homines, quorum ut vulgò dicitur ſarta erant, Eccleſiæ de Monte Sancti Eligii tradiderant) ipſe Sicherus & ejus prætata conjunx, qui hæreditario jure terræ illius competebant, Eccleſiæ jam dictæ, Dominoque Ricuardo Abbati, Fratribuſque inibi canonicè Deo ſervientibus, ac in poſterum ſervituris, legitimè tradiderunt. Excepto quod terraceum earumdem terrarum in ſua manu retinuerunt.

Hoc denique conceſſerunt, quod nec ipſi, nec hæredes eorum ullam omninò exactionem vel relevationem pro illis terris ab Abbate ſeu Succeſſoribus ipſius eſſent requiſituri. Cumque tempus metendi adveniſſet, mandaretur eis, ut pro ſuo terraceo mitterent. Quod ſi miſſus fortè deeſſet, fideles Eccleſiæ quod ſuum erat liberè acciperent, & terraceum, donec ab eis cuſtodiretur redderent. Si verò eis ſuper hoc non benè crederetur, unus ex eis in veritate diceret, non plus ſe habuiſſe quàm reddidiſſe.

Actum eſt hoc præſentibus idoneis Teſtibus, ſcilicet ipſius Sicheri fratribus,

Theoderico, Simone:
Elberto de Bethunia,
Manaſſe, ac Gerardo, filiis ejus,
Gotſelino genero ejus,
Roberto & Waltero de Carenci, &c.

MEmoria dignum & utile ducimus, quod Galterus Faelet de Goy, omnibus filiis ſuis viam univerſæ carnis ingreſſis, pro ſuo & eorum uxoriſque ſuæ ſalute omnia alodia, &c.

Teſtes: Sicherus de Bethunia,
Anſellus de Houdeng, &c.

Donatio Guilielmi Bethuniæ *Domini, circa ann.* 1120 *in favorem Prioratûs B. Mariæ* du Perroy *juxta Bethuniam, quæ ab Abbatia Montis S. Eligii dependet.*

IN Nomine ſanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, amen. Ne quod dignum eſt memoriâ oblivioni

oblivioni tradatur, ſtyli officio notum facimus tam poſteris quàm præſentibus, quod Ego Guilielmus jure hæreditario Bethunienſis Advocatus, Clementiâ uxore meâ, filioque meo Roberto annuentibus, Eccleſiæ beatæ Mariæ ſemper Virginis, quæ ſita eſt propè murum Bethuniæ, viginti ſolidos Pariſienſes in Nativitate Domini apud Boiſeriam, & in Stailebroc Decimam ſeptem manſorum, & in Parrochia Sancti Laurentii de Richeborc Decimam novæ terræ combuſtæ in maraſco, & duas partes Decimæ de ſarto Hugonis filii Raineri, & dimidium terragium ejuſdem ſarti, & quotidie faſciculum lignorum in ſilva mea, quantùm humeris homo deferre poterit ad ignem faciendum, & terragium de Alviler, pro peccatis meis, patris, matriſque meæ in perpetuum concedimus.

Ut ergo hujus noſtræ Paginæ ſcriptum inconvulſum & ſtabile permaneat, ad hoc corroborandum Homines noſtros fideles & amicos, & Teſtes idoneos ſub-notare procuravimus.

Signum Hugonis Præpoſiti ſancti Bartholomæi.

Vide Chronic. Locrii pag. 256.

Signum Guiberti Canonici & Sacerdotis.
Signum Guiberti Canonici.
S. Giſleberti de Bergis.
S. Simonis de Oyſi.
S. Roberti Caſtellani Inſulenſis.
S. Sicheri Bethunienſis.
S. Roberti de Foſſa.
S. Johannis de Beveri.
S. Guarini de Aneſin.
S. Arnulfi Colée.

NOtum volo fieri omnibus tam futuris quàm præſentibus, quod ego Robertus Attrebatenſis Advocatus, pro ſalute animę meæ & Anteceſſorum meorum, alodium meum, videlicet terram quæ dicitur Faverils & Iſels, cum ſylva, precatu Walberti fidelis mei, cujus ex me beneficium erat, contuli Eccleſiæ, quæ in honore Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & ſancti Vindiciani ſita eſt in Monte Sancti Eligii, ac Domino Johanni ejuſdem loci Abbati, Fratribuſque inibi Deo canonicè ſervientibus.

Poſt aliquantum verò temporis, volens confirmare præfatam Donationem, habito Conventu multorum Optimatum in jam dicto Monte, Richardi Abbatis Johannis Succeſſoris, iterum Ego Robertus, ac filius meus Balduinus, prædictum Alodium tradidimus præfatæ Eccleſiæ, ſicut priùs; præſentibus multis & idoneis Teſtibus: ſcilicet

Simone Caſtellano,
Manaſſe filio Elberti,
Balduino fratre ejus, &c.

Actum eſt hoc Philippo Rege regnante, Roberto juniore Comite dominante, Lamberto Epiſcopo Eccleſiam Attrebatenſem regente.

AUdiant qui neſciunt, imitentur qui poſſunt, factum Sicheri de Bethunia viri Nobiliſſimi Teſtamentum: qui moriens de hiis quæ multa acquiſierat & poſſederat, ex parte ſanctam Eccleſiam fecit hæredem. Dedit igitur Eccleſiæ ſancti Vindiciani apud Bouvegnies terram trium modiorum, quod dicitur Goſonis-ſart. Quo ſepulto, Hilbertus filius ejus eandem Donationem cum ſuis Fratribus recognovit, & ſuper Altare ſancti Vindiciani manu-miſſa, ſub oculis multorum Teſtium confirmavit.

Teſtes, Guido de Noella,
Gualterus filius ejus,
Rogerus de Wavrin,
Robertus del Maiſnil,
Euſtachius de Nova-Villa,
Euſtachius de Squania,
Elbodo de Carenchi,
Andreas & Acardus fratres ejus,
Johannes de Beveri,
Robertus Advocatus Bethuniæ.

NOtum ſit omnibus Chartam hanc legentibus, Conventionem fuiſſe inter Dominum Richardum Abbatem & Gontrannum Militem Attrebati, de Terra quam diu poſſederat apud Boraim Eccleſia de Monte Sancti Eligii, &c.

Actum eſt hoc in Synodo Atrebatenſi, Domino Roberto Epiſcopatum tenente, & in perſonarum præſentiâ venerabilium, videlicet:

Drogone, Roberto Archidiaconis,
Aluiſo Abbate Aquicinenſi,
Lamberto Abbate Hamenſi,
Simone Abbate Sancti Nicolai de Voye,
Azone de Bethunia,
Guarnero de Henin,
Guilielmo, Amulrico, Guirembaldo, Decanis.
Balduino, Martello, Andrea,
Roberto Pede-argenti,
Roberto filio ejus,
Petro Privigno ejus,
Roberto de Bethunia.

Canonicis ſanctæ Mariæ Atrebatenſis, Roberto Archidiacono, &c.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

WALTHERUS DE SARCEYO, *Vir Nobilis, reſtituit Capitulo* S. Beggæ Andanenſi, *in Namurceſio, quæcumque ei injuſtè abſtulerat, anno* 1105, *præſente* THEODERICO DE ALSATIA, *Duce Metenſi, eo ipſo die, quo idem* THEODORICUS *Huii* GERTRUDEM ROBERTI *Comitis Flandriæ filiam in uxorem duxit; câque ratione Comitatus Flandriæ poſtmodum ad ejus Filium Theodoricum pertranſiit.*

Ex Calmeti Hiſtor. Lothar. pag 518. inter Documenta.

NOtum ſit omnibus, quoniam Walterus Advocatus de Saccio omnia paulò minus jura Eccleſiæ ibidem invaſit, quæ diu ſub querimonia & calumpniâ pręſumptivè tenuit. Contigit autem Theodericum Ducem Metenſem, de quo Walterus eandem Advocatiam ſub fratre ſuo Dodone in tertio loco poſſederat, oppidum Hoyenſe veniſſe; quod Fratres & Sorores Andanenſes audientes, & Corpus ſanctiſſimæ Beggæ illuc deferentes, venerunt ipſo die Aſſumptionis beatæ Mariæ.

Affuit illuc innumerabilis confluentia populorum, non modica frequentia nobilium, cùm dies magnus & venerandus erat, cumque ipſe Dux filiam Roberti Flandrenſis Comitis in uxorem duxerat. Affuit etiam ipſe Walterus temerarius Eccleſiæ Advocatus.

Nota.

Ibi pronuntiatis proclamationum Litteris, & utriſque partibus diſcuſſis, Walterus quicquid injuſtè invaſerat, judicio Nobilium Eccleſiæ recognovit, judicio etiam ipſius Dodonis Advocatiam in ſecundo loco diſponentis recognovit. Oblatas miniſtrorum, dominicales Oblatas, etiam Eccleſiæ angarias vini, injuſtas cautiones; item quod Præpoſitum abſque conſilio Legati Eccleſiæ præfecerit, & quod ſervum de ſervis Eccleſiæ non fecerit; idem ſervi in Caſtello ſuo manentes, alias leges haberent, quàm ſi reſidui erant in ipſo Allodio Eccleſię. Recognovit etiam quod ſervos & manſionarios Eccleſiæ in opus Caſtelli deſudare fecerit, & quicquid injuſtè ſuo dominio mancipavit.

Præterea diffinitum in publica ſubſcriptorum Audientia, quicquid juris eſſet Advocati, ut nihil ſupra, ſcilicet manſus unus integer, exceptâ cerâ, in tribus culturis pars terræ quam prędicti * talem dicimus; tres in anno corvadæ propter ſui nemoris amœnitates; tertius in omni quæſtu Placiti denarius; piſcium corveda ob diem veneris, niſi Legatus Eccleſiæ affuerit. Hoc autem recuperationis Eccleſiæ Pactum ſancitum & conſtipulatum, tot tantorumque præſentiâ & authoritate Nobilium.

* Forte prædialem.

Signum Theodorici Ducis Metenſis.
S. Ducis Godefridi.
S. Namurcenſis Comitis Alberti.
S. Gerardi Comitis.
S. Sigeberti Comitis.
S. Henrici Comitis.
S. Arnulphi Comitis de Baſney.
S. Cononis Comitis.
S. W. Advocati.
S. Alberti de Bricio.
SS. Johannis fratris ejus,
Adelonis.
Frederici de Duno, Fratrum duorum Godefridi & Cononis.
Anſelini, & aliorum multorum.

Actum anno Dominicę Incarnationis M. C. V. Indictione XIII. Henrico imperante, inquietantibus filio & Mathilde, Otberto Leodii Epiſcopante, & ipſo præſente; Godefrido Regium Lotharingorum Ducatum & Marchiam procurante, & ipſo præſente. Hoc ergo quiſquis infregerit, vel in pejus mutaverit, anathema ſit.

CAPUT IX.

Abbatia S. Huberti in Arduenna, Monachorum Benedictinorum, acquirit Allodium de Boumale, *ſub Archidiaconatu Famennæ, anno* 1109. *à* Ramboldo de Mucei, *Milite.*

Ex Archivis Abbatiæ S. Huberti.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Licet juxta Prophetæ David teſtimonium: *Cœlum cœli Domino, terram autem dederit filiis hominum*; clementiſſimæ tamen pietatis ſuæ providit mortalibus mirabile commercium; ut quotiens impenditur ab eis in tempore terrenum commodum, ſine fine concedat eis cœleſte cum remiſſione peccaminum..... autem inter reddentem, ſcilicet hominem, & recipientem..... me-

lius intelligimus, quam quorum pretio ipſe Deus eſt in terra viventium, quique ſui ſuorumque contemptores effecti expeditius.... jam aſſiſtunt vultui divino, pro ſalute ſua vel omnium. . . .

Ramboldus Miles de Mucey, Hugonis de Sancey, & Eri..... Nobiliſſimæ filius, & uxor mea Canoza, hujus rei xeniolum reddimus largitori omnium de ſuis donis, ad uſus Monachorum in Eccleſia ſancti Petri ſanctique Huberti in Ardennâ commorantium, Allodium noſtrum *Bomellam* dictum, ſitum in Famenna, liberum & abſolutum, cum toto banno & familiâ contingente & pertinente, & cum omnibus appenditiis in culturis indominicatis, campis, pratis & ſylvis, aquis, cambâ, molendino, wadriſ-campis & cæteris utilitatibus, intra vel extra ad illud reſpicientibus; eâ tamen conditione, ut nulli poteſtati liceat illud vel aliquid ejus vendere, vel alienare, vel in beneficium dare.

Et ne huic Traditioni refragetur poſteritas, Cartam hanc corroboramus Nobiliſſimorum atque illuſtrium virorum teſtimonio, qui interfuere apud Caſ..... ubi facta eſt Donatio.

Signum Guillelmi, Comitis Lucemburgenſis.

S. Godefridi, Comitis Namurcenſis.

S. Ottonis, Comitis Chiſniacenſis.

S. Rurici, & filiorum ejus Guilielmi & Ludovici.

S. Roberti de Sancey.

S. Petri de Iſodenges.

S. Rodulphi.

S. Richardi de Ra... na...

S. Odonis de Falei.

Facta eſt hæc Carta anno M. C. IX. Dominicæ Incarnationis, Indictione II. concurrente IV. Epactâ XXIII. imperante Henrico V. anno III. filio Henrici, qui pulſus Regno Leodii mortuus, Spiræ ſepultus eſt; præſidente Coloniæ Archipræſule Frederico, Treviri Brunone, Leodio Pontifice Oberto.

CAPUT X.

EUSTACHIUS DE HOYA, *Vice-Comes de Merck, dat Monaſterio B. M. de* Capella, *Ordinis S. Benedicti in Artheſia, XXV. menſuras mariſci anno* 1117. *Cui etiam benefacit Henricus Vice-Comes de Hoya, anno* 1209.

Ex Archivis Abbatiæ S. Joannis Ipris.

EUSTACHIUS DE HOYA filius Anſelmi Vice-Comitis de Merck, divino inſtinctu, & de uxoris ſuæ Godildis aſſenſu, commotus, conſiderans paupertatem Monachorum Beatæ Mariæ de Capellâ, in Villâ, Brucham vocatâ, dedit pro anima venerabilis Idæ Bolonienſis Comitiſſæ, & pro ſalute animæ ſuæ & uxoris ſuæ, & pro animabus Prædeceſſorum & Succeſſorum ſuorum, per manus Domini ſui Euſtachii ejuſdem Idæ Comitiſſę filii, viginti quinque menſuras de mariſco ſuo cum Comitatu liberas, & in perpetuam eleemoſinam.

Datum apud Merck anno Dominicæ Incarnationis M. C. XVII. coram Teſtibus,

Balduino Coſpar,

Hugone fratre ejus,

Ricardo Brun, & Heliâ fratre ejus.

Diploma HENRICI *Vice-Comitis de Oyâ Anno* 1209.

HENRICUS Vice-Comes de Hoyâ, coram Paribus ſuis, videlicet Arnulpho de Renti Milite, Domino Simone de Caleſio Milite, Goſſelino dicto Vinck, Anſelmo de Hoyâ, & Gyſelberto Ballivo de Merq, & aliis permultis, vendidit bene & legitimè de conſenſu Johannæ uxoris ſuæ, necnon Balduini fratris, Abbati & Conventui Beatæ Mariæ de Capellâ viginti ſex menſuras mariſci ſitas intra mariſcum prædictorum Abbatis & Conventûs, cum omni dominio ac libertate, quas ipſe Henricus & anteceſſores ſui in prædicto mariſco habuerunt liberas, & ab omni exactione & ſervitute erga nobilem virum Comitem ſancti Pauli.

Anno Domini M. C. C. IX. Actum menſe Maii.

CAPUT XI.

ADELISA & ODO, *Peronæ ac Warneſtoni Domini, benefaciunt circa ann.* 1126. *Prioratui Sti. Medardi de Capy, Monachorum Ordinis Cluniacenſis in Diœceſi Noviomenſi, eiſdem largiendo LX. ſolidos in Warneſtono.*

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſulis.

GEnctæ Dei Eccleſiæ de Warneton honorabili Decano, cæteriſque ejuſdem Eccleſiæ Fratribus, necnon Equeſtri dignitati: tum Burgenſibus tum devotis Fratrum Beati Petri Cluniacenſis & Sancti Martini de Campis ſuſcipiendis (quod maximum eſt) orationibus, A. Peronenſis Domina, quantum humana fragilitas poteſt impertiri, ſalutem.

Diplom. Belg T I. f. 379. Odo Frater Attelidis Peronenſium & Garneſtonenſium Dominæ.

Scitis, & veſtra pridem ſentit communis agnitio poſtpoſitâ omni ambiguitate, Eccleſiam Beati Medardi *de Capy* pro obitu fratris mei Odonis & anniverſario LX. ſolidos, quoquo anno denominatis terminis ſuſcipere. Et quia nefas eſt homini ſcire quid craſtina proferat aura, incerta de morte ſeu de vitæ longitudine, vero videlicet tam Clericorum quam laycorum nobis adhibito Teſtimonio, accuratiſſimè hoc factum debitum exopto ſigillare, ac deinceps Deo ſubveniente corroborare; quatinus à modo in Nativitate Beati Johannis Baptiſtæ XXX. ſolidi, atque alii XXX. ſolidi in Beati Remigii feſtivitate ab illo qui poſſeſſor reddituum Caſtri eo tempore extiterit, ſine dilato Capiacenſi legato ſubminiſtrari cum bona ſollicitudine valeant.

S. Gherardi Decani.
S. Sigeri,
S. Bernardi ſancti Johannis Sacerdotis,
S. Willelmi Sacerdotis,
S. Reneiri Sacerdotis.
S. Adelardi Militis,
S. Willelmi filii Norberti,
S. Willelmi filii Hovine,
S. Walteri filii Walteri,
S. Formentini,
S. Werenbaldi,
S. Gomberti,
S. Gonteri: & aliorum multorum.

IN nomine Sanctæ Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, amen.

Ego Robertus Flandriæ Comes, ſanctæ Religionis cultoribus, ſalutem.

Noverint ex præſentibus & futuris, quod Odo Peronenſis Monacis Cluniacenſibus, locoque eorum, ſancto videlicet Medardo *de Capy*, pro animæ ſuæ ſalute dedit apud Warneton, de redditu pontis uno-quoquo anno LX. ſolidos ad ſupplenda neceſſaria Monacorum inibi Deo ſervientium, concedente Adeliſſa Sorore mea ejuſdemque viro Roberto; qui etiam me rogaverunt, quatinus prædictam Eleëmoſynam pro animæ meæ ſalute concederem & confirmarem. Conſideratâ igitur Monachorum Cluniacenſium Religione, aſſentiente Comitiſſa Clementiâ, ſcilicet uxore mea, cònceſſi, & ut ratum & ad in perpetuum permaneat. . . . .

Clementia filia Guillielmi Comitis Burgundiæ.

CAPUT XII.

GUILIELMUS *Flandriæ Comes benefacit Abbatiæ* Affligemienſi *anno* 1127. *eique donat Domum Refugii in* Mechlinia, *à* Brugenſi *Capitulo S. Donatiani acquiſitam.*

Ex quodam Motivo Juris Ill. Domin. Van Suſteren, Epiſcop. Brugenſis &c. p. 11.

WIllelmus Dei gratiâ Comes Flandriæ, filius Roberti Comitis Normanniæ, Affligemienſi Eccleſiæ S. Petri, cui à Domino collata eſt ligandi ſolvendique poteſtas, diſpoſui aliquantulam eleëmoſynam de meis redditibus exhibere, perpetuò poſſidendam.

Et cum Domino Abbati & Fratribus dictæ Eccleſiæ, Curtis, quæ eſt in Malina ſibi competens, ad commoditates ſuas neceſſaria videbatur: ipſam Curtem requiſierunt à me. Ego verò ſatisfacere volens petitionibus & commoditati eorum, Brugenſem Eccleſiam S Donatiani, cujus Eccleſiæ prædicta Curtis liberum prædium fuit, adii: quæſivi D. Rodgerii Brugenſis Præpoſiti, Heliæ Decani, & totius Capituli conſenſum, & impetravi.

Et cum Brugenſem Eccleſiam, cujus ſubditorum Advocatus ſum, in nullo gravare, ſed magis promovere volui; ipſi Brugenſi Eccleſiæ pro Curte, quam poſſederat in Malina, de meo prædio terram ſingulis annis

annis XII. Marcas argenti valentem, perpetuò poſſidendam in concambium dedi: videlicet im Parochia de Liſſewega circa XC. menſuras terræ VIII. Marcas, in Ooſtkerka IV. Marc.... Teſtes, in quorum præſentia hæc facta ſunt, ſubſcribi feci. . . .

Actum Brugis anno Incarnationis Domini M. C. XXVII.

S. Willielmi Commitis Flandriæ.

S. Rogerii Brugenſis Præpoſiti ejuſdemque Comitis Flandriæ Cancellarii.

CAPUT XIII.

Concordatum inter Capitulum Stæ Gudilæ Bruxellis, & Abbatem Sti. Sepulchri Cameraci, ſuper nova Præpoſitura in Capella B. M. per GODEFRIDUM *Brabantiæ Ducem erectâ; anno* 1135.

Ex Annalibus Eccl. B. Gudilæ MS Bibliothecæ Cardin. Archiep. Mechlin.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Bauduinus Decanus, & Congregatio S. Michaelis atque S. Gudilæ, notum facimus tam futuris quam præſentibus, qualiter, & quo tenore per aſſenſum Domini noſtri Ducis Godefridi, Controverſia ſopita ſit, quam habebat noſtra Eccleſia adverſus Capellam S. Mariæ, ab eo Duce fundatam, atque Venerabili Abbati Parvino traditam. Ipſe Abbas Sacerdotem non Monachum in eadem Capella Parochianis deſerviturum eliget: qui electus in noſtro Capitulo fidelitatem Nobis, ſicut & aliarum Capellarum Sacerdotes, faciet.

Paſtor. non Monachus.

Sepultura nulli prorſus permiſſa eſt, exceptis Monachis & omnibus utriuſque ſexus manifeſtè ibi Converſis. Præterea nullum parochianorum noſtrorum ſi infirmatus fuerit, abſque permiſſu noſtro, ad Converſionem ſive ad ſepulturam, Abbati recipere licebit.

Ipſe etiam Abbas cum ſuis Fratribus in noſtra Dedicatione, in Nativitate Domini, in Purificatione B. Mariæ, in Palmis, in Paſcha, in Aſcenſione, in Pentecoſte, in feſto omnium Sanctorum, Proceſſionibus & etiam Capitulis noſtris intererit: & exequias Fratrum noſtrorum, ſicut & nos eorum, nobiſcum obſervabit.

Decimas omnium quæ poſſident nobis reſervamus. Ipſa autem Capella pro recognitione dignitatis & primatûs Eccleſiæ noſtræ, quotannis duos ſolidos in Paſcha nobis perſolvet.

Si vero aliquo eventu à divinis nos ceſſare contingeret, Parochialis Sacerdos ibi ceſſabit: qui etiam nobis de omnibus ſibi objectis in Capitulo noſtro reſpondebit.

Ut autem hæc rata & inconvulſa permaneant, Teſtimonio, ſubſcriptione & Sigillo S. Michaelis atque prædicti Ducis confirmavimus.

✠ Signum Bauduini Decani.
✠ Raſonis Præpoſiti.
✠ Waltheri Magiſtri.
✠ Alvezonis Parochi.
✠ Gerardi, Arnoldi, Theodorici, Henrici, Gerardi, Franconis, Egberti, Aſſelmanni, Militum.
✠ Bauduini, Erluini, Everardi, Warneri, Scabinorum & Synodalium.
✠ Franconis Abbatis,
✠ Georgii, Franconis, Euſtachii.

Actum Bruxellæ anno Incarnationis Domini milleſimo centeſimo trigeſimo quinto, Indictione XIII. concurrente I. Epactâ IV. ſub Innocentio II. anno ejus V.

CAPUT XIV.

Abbas Epternacenſis *Ordinis S. Benedicti in Ducatu Luxemburgenſi, cedit* THEODORICO *IX. Hollandiæ Comiti Jus Patronatûs in XXIV. Eccleſias in Hollandia ſitas (inter quas* Egmunda, Rynsburg, Alcmaria, Vlaerdinga *&c.) pro centum viginti menſuris terræ, anno* 1156.

Extat in Annalibus Egmondan. Ant. Matthæi p. 30. Vide Miræi Dipl. pag 73. Tomo I.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritûs Sancti. Ad notitiam tam præſentium quam futurorum pervenire volumus, quod Ego Gerardus Epternacenſis Eccleſiæ quamvis indignus vocatus Abba, & univerſi ejuſdem Eccleſiæ Fratres per manum Advocati noſtri Henrici, quicquid juris habuimus in Eccleſiis & earum appendentiis, quarum hæc nomina ſunt:

Flerdinge, Kerckwerve, Velſerburch, Heyligelo, Putam, Hariche, Schi, Rinesburgh, Warmunde, Leythemuthe, Rinſatwalt, Aſſeterwalt, Agathenkerka,

Ymazankerka, Aſcamannaſdelft, Sparnereſwalt, Sloten, Egmunde, Alckmere, Schirmere, Miſnem, Wegnem, Alterndorpe, Vroule:

Honorabili viro Theodorico Hollandenſium Comiti, & conjugi ſuæ Sophiæ nobili Comitiſſæ, eorumque Succeſſoribus, omni querimonia proinde ſopita perpetualiter liberè dedimus. Ipſe vero Comes & Comitiſſa, unà cum filio eorum Florentio pro ſalute animarum ſuarum omniumque parentum ſuorum Epternacenſi Eccleſiæ, ad uſus Fratrum inibi Deo ſervientium centum viginti menſuras terræ in Inſula quæ vocatur Schaden, eodem jure & libertate, quâ Comes illas obtinuit, contulerunt.

Sunt autem hi termini ejus: in orientali & aquilonari parte omnis terra proxima, ad meridiem verſus Florentii de Vorrau: in latere occidentali eſt aqua, quæ dicitur Hildchereſche, ubi etiam & exitus ejus.

Ut autem hæc noſtra Conventio in poſterum rata permaneat, in Capitulo noſtro, aſſenſu Fratrum Banno confirmavimus, & præſentem Paginam ſigillo ſancti Willebrordi & noſtro ſignavimus. Si quis autem eam infringere præſumpſerit, iram omnipotentis Dei & S. Willebrordi omniumque ſimul Sanctorum incurrat: & quoad reſipiſcat, à corpore & ſanguine Domini alienus fiat: quodque tentaverat, nunquam perficiat.

Hi ſunt Teſtes: de Fratribus,
Theofridus Decanus, Athalbertus,
Walſteynus, Reynboldus,
Wilbrandus, Conradus,
Walterus, Otto, Lambertus.
De liberis, Elias de Vienna,
Theodoricus de Elle,
Volckmannus de Arendroch.
De Clericis, Hartmannus de Monte S. Petri,
Godefridus de Momithorum, Humbertus.
De Miniſterialibus, Cono de Bollantdorp,
Winterus de Bollantdorp, Winricus,
Wernerus Exactor de Epternaco,
Garſilius de Elre, Marcwardus de Oſwithre.
Winterus de Sura.

Acta anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo quinquageſimo ſexto, Indictione quartâ, regnante Frederico Impeperatore, anno Ordinationis ejus quinto, Imperii vero ſecundo.

Actum eſt Epternaci, præſente Domino Waltero Hæcmundenſis Eccleſiæ Abbate, & tunc temporis ad hoc confirmandum Theodorici, Hollandenſium Comitis Legato, unà cum ejuſdem Comitis Capellano Theoboldo, in Dei nomine feliciter. Amen.

CAPUT XV.

GILBERTUS *Dominus de* RECKHEIM, *fundat in Oppido ſuo juxta Tungros, in Diœceſi Leodienſi, Xenodochium pauperum, cum Monaſterio Sororum Præmonſtratenſium, ſub regimine Abbatis Cornelii-Montis ejuſdem Ordinis juxta Leodium, anno* 1140.

Ex Archivis Abbatiæ Cornelii-Montis.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Remedium peccatorum, & etiam patrocinium ad fugiendam venturam iram, in eleëmoſyna. Unde inſtitutio Evangelica nos admonet, ut faciamus nobis amicos de mammona iniquitatis, qui nos recipiant in æterna tabernacula. Recipere autem nos poſſent pauperes ſpiritu.

Quorum gratiam dum mihi reconciliare vellem Ego GILLEBERTUS DE RADEKEIM, feci Hoſpitale in poſſeſſione mea quæ eſt in præfata villa, ad receptionem pauperum; & ad providendum neceſſitati eorum, partem prædiorum vel reddituum meorum donavi illic, quod hic annotabimus; dimidium Decimæ meæ quæ eſt in *Radekeim*, exceptâ redemptione fœtûs vaccarum & equorum, & excepta decimâ mellis. Cœterarum verò rerum Decimæ cedant in uſus Hoſpitalis, in tantum ut tota decima coriorum ſilveſtrium animalium quæ ſunt in parco meo, & decima cignorum illuc deferatur. Duo etiam bonaria cenſûs illuc ſolvant; tertium verò bonarium tradidi liberum, ut Hoſpitale propriâ carucâ ſuâ excolat illud. Duos manſos, alterum in *Bruchene*, alterum in villa *Arle*, quæ eſt * Diœceſis Orſcolh, eâ lege, ut de omni jure ſuo & debito illic reſpondeant.

* Id eſt, Parochiæ.

Hoc autem tantillum pretii, quo comparare volui regnum Dei, tam mihi ne perderem, diſpenſatorem hujus beneficii alium præfeci quàm me. Tradidi enim Domum illam Hoſpitalem cum omnibus appendiciis ſuis prętexatis Eccleſiæ Cornelii-Montis, quæ eſt in confinio civitatis Leodienſis, hac ratione, ut Abbas hujus loci, Domûs illius ſit Proviſor & ordinator atque poſſeſſor. Cui etiam donavi hortum, ad præparandum ha-

bitaculum Sororibus prædictæ Eccleſiæ.

Concedimus etiam, ut ſi Proviſori neceſſitati pauperum Hoſpitalis ſeu Sororum in loco prædicto Deo ſervientium aliquid abundaverit, liberam poteſtatem habeat Abbas, transferendi ad uſus Fratrum ſuorum. Si autem aliquid ipſis defuerit, hanc viciſſitudinem rependat, ut eis ſuppleat.

Hujus autem doni quod ego feci, retinui Advocatiam mihi & hæredibus meis. Cujus traditionis Teſtes ſunt Archidiaconi Eccleſiæ Leodienſis, ſcilicet,

Libertus, Reynerus,

Joannes de Louirvals,

Henricus Præpoſitus S. Mariæ de Trajecto,

Himbaldus Præpoſitus S. Joannis de Inſula.

De liberis hominibus, Theodoricus de Argenteal,

Gerardus de Baconvilhe,

Vado, Sebertus Miles.

De familia ſancti Lamberti, Conradus Cuſtos.

Et ut noſtra Donatio firma & inconvulſa maneat, fecimus hanc noſtræ pactionis Chartam fideliter muniri Sigillo Domini Alberonis II. Leodii Epiſcopi.

Facta autem eſt hæc Traditio anno ab Incarnatione Domini M. C. XL. Indictione III. regnante Conrado Rege Auguſto Romanorum, Alberone II. Leodienſi Epiſcopo.

Actum Leodii feliciter.

WILHELMUS *Dominus de* BRONCHORST & RECKHEIM, *donat anno* 1260. *Jus Patronatus Eccleſiæ de* Reckheim *Abbati S. Cornelii-Montis Ordinis Præmonſtratenſis, Leodii.*

IN nomine Domini, amen. Univerſis ad quos præſentes Litteras contigerit pervenire, WILHELMUS Vir Nobilis de BRONKORT & de REDEKEM, intelligere quæ Dei ſunt & ſapere veritatem cupientibus.

Præſentibus notum eſſe volumus ut poſt futuris, quod nos piâ miſeratione inducti, paupertati dominarum Clauſtri de *Redekem* Ordinis Præmonſtratenſis, Leodienſis Diœceſis ſummopere compaſſi, Jus Patronatûs Eccleſiæ Parochialis villæ noſtræ de Redekem, D. Joanni Abbati Cornelii Montis, ſuiſque ſucceſſoribus Abbatibus, & ipſam Eccleſiam, cum ſuis reditibus quos hactenus noſtri progenitores alienæ perſonæ conferre loco & tempore conſueverunt, de conniventia & voluntate noſtræ legitimæ conjugis Ermengardis, & de conſilio & conſenſu D. Gilberti Præpoſiti Eccleſiæ Emericenſis & Archidiaconi Trajectenſis Fratris noſtri, nec non & pia voluntate matris noſtræ Dominæ Cunegundis, in piam & perpetuam elëemoſynam contuli, ad uſus quotidianos Conventus Sororum Clauſtri de *Redekem*, deductis expenſis competentibus ſacerdotis idonei, loco & tempore in dicta Eccleſia ab Abbate conſtituendi, & quæ forſitan Epiſcopi Authoritate vel Archidiaconi, vel quocunque caſu emergente incumbunt memoratæ Eccleſiæ. Ita hæc providè & liberaliter Eccleſiæ facientes, quod D. Abbas prædictus & Conventus Eccleſiæ Montis Cornelii & dictus Convende Redekem, avo Wilhelmo & aviæ Gertrudi, Gilberto patri, Cunigundi matri noſtris, Gilberto Præpoſito fratri, nobiſque Willelmo & Ermengardi uxori noſtræ & liberis noſtris fraternitatem plenariam contulerunt, & omnium donorum ſpiritualium eorumdem Clauſtrorum perpetuam participationem, communiſque ſui Ordinis, procurabunt.

Conventui quoque de Redekem perpetuò Anniverſarium quintâ feriâ proximâ poſt feſtum S. Michaëlis, ſolemnes vigilias cum nota & novem lectionibus decantabunt, & feriâ ſubſequente, Miſſam pro defunctis, pro ſolemni commendatione animarum avi & aviæ noſtrarum, ac ſi corpora ipſorum eſſent in præſentialiter inhumata, facient & ſervabunt.

Similiter feriâ quintâ & ſextâ poſt feſtum omnium Sanctorum fiet in eodem Clauſtro pro patris Domini Gilberti, matriſque noſtræ D. Cunegundis animabus in æternum.

Pro nobis verò, D. Gilberto Præpoſito, Wilhelmo & Ermengarde noſtra uxore, liberiſque noſtris quoad-uſque vixerimus, ſextâ feriâ poſt Octavas Pentecoſtes decantabitur ſolemniter Miſſa de Spiritu Sancto in prædicto Clauſtro de Redekem, pro vitę noſtræ ſalute & bono fine; nobiſque mortuis, fiet feriâ quintâ & ſextâ poſt Octavas Pentecoſtes, ibidem perpetuò cum exequiis ſolemnibus, ſicut præſcriptum eſt de avo & avia, patre & matre, ac ſi defuncti præſentes eſſemus, tribuſque dictis terminis omnium Sanctorum, & poſt Octavas Pentecoſtes, qualibet videlicet ſextâ feriâ memoratis, à Magiſtro Clauſtri adminiſtrabitur Conventui de Redekem dimidia marca, in quibuſcumque uti voluerint de dictis proventibus Eccleſiæ pro conſolatione, treſque ſolidi pauperibus diſtribuentur ſingulis dictis terminis.

Quolibet videlicet memorato termino, ubi volucrit Domina de Redekem, ſive Ballivus, intra Clauſtrum vel extra; pro hujuſmodi prædictis D. Joannes Abbas & quilibet Abbas ſuus Succeſſor in Monte Cornelio (quia Proviſores ſunt Conventûs Sororum Clauſtri de Redekem) pro loco & tempore fidelitatem præſtabunt perpetuam Domino de Redekem, quod ſibi & ſuis familiaribus legitimis, aſſiſtent conſiliis & auxiliis pro poſſe & noſſe.

Sacerdos quem conſtituerit Abbas Eccleſiæ prædictę de Redekem ad regendum, ſi Domino non placuerit; ipſo amoto intra quadraginta dies, ad voluntatem Abbatis alter idoneus ſubſtituatur. Conventus quoque ſine aliqua diminutione, quæ eſt ſecundùm quod hactenus in aliis percipere conſuevit, de cætero & perpetuò percipiet dictæ ipſi collatæ elcëmoſynæ in eorumdem reddituum ſupplementum, nec occaſione hujus noſtræ collationis aliquem habebit defectum his ſupradictis.

Si defectus fuerit & non ſerventur, ſicut ſupra-dictum eſt, irritum erit & tunc dominium & jus Patronatûs ad Nos revertetur, ſi oſtendi valeat ex rationabili veritate.

Ut autem hæc rata maneant & in perpetuum inconvulſa, Sigillis noſtro & Ermengardis uxoris noſtræ,

D. Gilberti fratris noſtri, Præpoſiti Emericenſis, & Matris noſtræ Dominæ Cunegundis, præſens Scriptum fecimus communiri; præſentibus autem nobiſcum conſtitutis,

D. Joanne Abbate Cornelii-montis,

Fratre Rennoldo Magiſtro de Redekem,

& Fratre Cunrado, totoque Conventu Sororum Clauſtri de Redekem,

nec non de Hermanno Milite de Steyn,

Rogero & Arnoldo Laïcis, & aliis quoque pluribus.

Actum anno Domini M. CC. LX. in in craſtino Apoſtolorum Simonis & Judæ.

CAPUT XVI.

Abbatia S. AMANDI *Elnonenſis, Ordinis S. Benedicti, ad promovendam Abbatiam* Cambronenſem *Ordinis Ciſtercienſis juxta Athum in Hannonia recens inchoatam, donat ei Altaria de Wodecque & Lombize, anno* 1163.

Ex Hiſtoria Cambronenſi.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. HUGO per Dei miſericordiam humilis Miniſter Eccleſiæ Sti. Amandi, omnibus fidelibus, tam præſentibus quam futuris, in perpetuum. Sępius quæ à Prædeceſſoribus Statuta ſunt & ordinata, Succeſſorum incuriâ vel negligentiâ depravari videmus.

Quapropter notum facimus præſentis Cartæ teſtimonio, quod Ego & Fratres Eccleſiæ noſtræ, ad petitionem Venerabilis Abbatis *Gerardi de Camberon*, communi conſilio & aſſenſu, Fratribus de *Camberon*, in Ordine Ciſtercienſi Crucem Chriſti portantibus, contulimus Altare de *Voldeca*, cum ſuis redditibus &c. . . . .

Lombiæ, & Lombizoul, juxta Athum.

Item conceſſimus quidquid noſtri Juris erat apud *Lumbiſium* & apud *Lumbiſiolum*, in fundis, in terris & pratis, in ſilva, cum omnibus ad ea pertinentibus; ut ipſi ea in perpetuum habeant vel poſſideant, & ad ſui nutum ordinent vel diſponant, & fructum inde capiant.

Conceſſimus nihilominus Altare pertinens ad loca prædicta, cum omnibus Decimis & oblationibus & juſticiis ad ipſum Altare pertinentibus; eâ ratione, ut ipſi ſecundùm voluntatem ſuam Presbyterum divina celebraturum ibi conſtituant, & Præbendam ei provideant. Synodalia autem Epiſcopo Cameracenſi & ejus Miniſtris perſolvant.

Ad hæc adjicimus, quod ſi aliqua in poſterum Eccleſiaſtica vel ſœcularis perſona ſuper his, quæ Camberonenſi Eccleſiæ conceſſimus adverſari vel dampnum inferre temptaverit, pro poſſe noſtro, quantùm ratio popoſcerit (tamen abſque detrimento rerum noſtrarum) opem & patrocinium ferre curabimus.

Ut igitur hæc præſens Pagina nullo tempore, nullâ rerum mutatione ſive ratione poſſit à nobis vel ab illis minui vel immutari, Sigilli noſtri, Sigilli etiam Eccleſiæ de Camberon impreſſione munivimus, & cyrographo confirmamus; Teſtium quoque ſubſcriptione roboramus. Et hic eſt funiculus triplex, qui difficilè rumpitur.

Signum Gerardi, Prioris S. Amandi.

S. Ilfridi, Gualcheri, Hugonis & Johannis, Sacerdotum.

S. Geraldi & Nicolai, Diaconorum.

Dionyſii, Theodorici, Balduini, Subdiaconorum.

Joannis & Goſwini, Acolytorum.

Signum Roberti Prioris de Camberon.

S. Faſtradi, Cellerarii.

S. Gerardi, Subcellerarii.

S. Alexandri & Gregorii Diaconorum.

S. Lamberti, Accolyti.

Actum Elnone anno Domini M. C. LXIII.

Digitized by Google

CAPUT XVII.

Monachi Præpoſituræ S. Salvatoris de Berclau, *Ordinis S. Benedicti juxta Baſſeiam in Artheſia* * *Abbatiæ* S. Vedaſti *ſubjectæ, recognoſcunt anno* 1168. *Beneficia ſibi à Viris Nobilibus de* SPINETO *olim conceſſa, ac poſtmodum reſtituta.*

* In vico de Billy, ad Deulam fluvium.

ESPINOY hodie Principatus.

Ex Archivis Abbatiæ S. Vedaſti.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, amen. Sicut pravorum malitia naturaliter teſtimonium probitatis appetit abſcondere; ſic contrario proborum ſtudia bene geſta nituntur poſterorum notitiæ committere.

Ea-propter quod in Eccleſia *Bercloënſi* noſtris elaboratum eſt temporibus, poſterorum memoriæ veraci narratione tranſmittimus.

Notum ſit igitur omnibus hæc legentibus, quia *Alardus* ſenior *de Spineto* Miles, ſummæ ingenuitatis & nobilitatis, Eccleſiç Sti. Salvatoris, quæ ſita eſt in Inſula *Bercloënſi* pro remiſſione peccatorum ſuorum, & tam Prædeceſſorum quam Succeſſorum ſuorum ſalute, carrum unum lignis onuſtum, omni die de ſilva ſua adduci conceſſit, & quindecim diebus ante Natale Domini & ante Paſcha ſive Pentecoſten, ad uſus Fratrum id-ipſum geminari mandavit. Eo vero decedente, *Guilielmus* filius ejus, ut paternæ hereditatis ſit & nobilitatis heres, paterna ſtatuta inconvulſa tenuit; & patris eleëmoſynas Fratres ejuſdem Eccleſiæ liberè abſque calumpnia tenere permiſit.

Ipſo autem abeunte & in eadem Eccleſia ſepulto, *Alardus* filius ejus in hæreditatem ſucceſſit: & primò quod à Prædeceſſoribus ejus factum fuerat & ipſe conceſſit. Sed poſtea pœnitens, in ipſa ſilva deinceps onerari interdixit Fratribus.

Itaque contra hanc ejus calumpniam reclamantibus, cauſa ad audienciam Domini Remenſis Archiepiſcopi proceſſit. Sed idem Alardus injuſtitiam ſuam recognoſcens, Fratribus Eccleſiæ ante judicium reconciliari voluit. Ita ut pro onere Carri cotidiano Fratribus annuatim XXIV. mencaldas frumenti Duacenſi menſurâ daret. Et inſuper piſcator Fratrum omni hebdomadâ unâ die in aquis piſcatum iret, & captos piſces Fratribus præſentaret.

Fratres autem, etſi multa perdentes minus reciperent, quia & reluctari grave videbatur, conſilio multorum, aſſenſu Domini Abbatis Atrebatenſis, ad quem locus ipſe ſpectat, conſenſerunt: & Pactum hoc mutuæ Concordiæ ſubſcriptione Teſtium roborari voluerunt.

Signum Theoderici Comitis.
S. filii ejus Philippi Comitis.
S. Geraldi Tornacenſis Epiſcopi.
S. Godeſcalci Atrebatenſis Epiſcopi.
S. Martini Abbatis S. Vedaſti.
S. Hugonis Abbatis ſancti Amandi.
S. Fulconis Haſnonienſis Abbatis.
S. Clareboldi & Frumoldi Atrebatenſium Archidiaconorum.
S. Rogeri Dapiferi Flandriæ.
S. Hellini filii ejus.
S. Anſelmi de Heſdinio.
S. Guidonis de Marchinellis.
S. Anſelmi de Duvrinio.
S. ejuſdem Alardi de Spineto.
S. Euſtachii de Vimy, Fratris ejus.
S. Gilleni Procuratoris Sti. Vedaſti.
S. Guillielmi d'Eſtanfort.
S. Everardi Cellerarii.
S. Balduini ejuſdem Eccleſiæ Bercloenſis Præpoſiti.
S. Gerardi, & Fratris ipſius Alardi.

Hoc igitur Pactum, ut omni deinceps tempore firmius perſeveraret & ſtabilius, ipſo Alardo petente, tam Comitis quam Epiſcopi Sigillo roborari voluimus.

Actum Atrebati in Camera Abbatis, anno Incarnati Verbi milleſimo C. LXVIII.

Conſervantibus igitur hoc Pactum æterna ab æterno tempore tribuatur remuneratio; infringentibus autem æterna perveniat dampnatio.

CAPUT XVIII.

Præpoſitura de Lancquaden, *Monialium Ordinis, Præmonſtratenſis ſita in Ducatu Juliacenſi apud Grevenbroeck, à* CHRISTIANO DE WEVELINCHOVEN, *Viro Nobili, ejuſque filiis, fundatur ſub regimine Abbatis* Heiliſſ menſis *in Brabantia. Quod-ipſum, uti & hujus Præpoſituræ bona confirmat anno* 1172. PHILIPPUS *Archiepiſcopus Colonienſis.*

Ex Archivis Abbatiæ Heyliſſem.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego PHILIPPUS Dei gratiâ Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, omnibus fidelibus in perpetuum. Officii noſtri ratione commonemur, ea quæ à prudentibus viris ordinata ſunt, rata habere; & ne in poſterum mutari valeant, Auctoritate noſtrâ confirmare.

Notum ſit igitur omnibus fidelibus tam præſentibus quam futuris, quod temporibus Arnoldi, venerabilis Colonienſis Archiepiſcopi, quidam Nobilis, *Chriſtianus* nomine, & duo filii ejus *Chriſtianus* & *Albero*, in fundo ſuo Cœnobium quoddam conſtruxerunt, in loco qui dicitur *Langwaden*; & de prædio ſuo circiter tres manſos eidem contulerunt; habentes propoſitum illic Conventum Sororum inibi Deo famulantium ſic initiare: procedente vero tempore majoribus auxiliis eundem locum ſublevare.

Et ut prædictus Archiepiſcopus majori clementiâ locum amplecteretur, ipſum cum omni prædio Deo & B. Petro obtulerunt. Quo facto, Sorores quaſdam de Clauſtro, quod dicitur *Heileſibeim*, aſſumptas, & Priorem qui eis præeſſet, ab eodem Clauſtro vocatum, illic poſuerunt.

Nota, olim ibi fuiſſe etiam Moniales.

Accidit autem temporibus noſtris, ut Patroni ejuſdem Monaſterii *Chriſtianus* & *Albero* Abbatem in *Heileſibeim* in Synodo coram Nobis in cauſam ducerent: eo quod ad prædictum locum ſæpius veniendo, & (ut fama ferebat) aſportando ſi quæ à fidelibus oblata comperiſſet, novellum locum gravaret, & creſcere non ſineret.

Huic cauſæ prudentes viri ſeſe interponentes, conſilio rem terminaverunt: ſtatuentes, quod nullus ſit in Cœnobio illo Prior, niſi quem Archiepiſcopus ſimul & Abbas illic ſtatuerint. Statutus autem removeri non debeat, niſi per Archiepiſcopum ſimul & Abbatem, cognitâ cauſâ & & evidenti culpâ. Abbas etiam nec veniendo nec diripiendo aliquid locum gravabit: niſi forte hoſpitii recipiat commodum: ſi forte ad dandum conſilium advocatus fuerit.

Inter hæredes ille Patronatum ſuper locum obtineat, qui etiam ſuper *Wevelingboven* Dominium obtinuerit. Hac Compoſitione, prædicti Patroni illius loci lætificati, & aliam curtem ſuam in *Yffe* ſitam, continentem terræ circiter duos manſos, eidem Cœnobio contradiderunt. Jus Patronatûs.

Hanc ergo præcedentium virorum determinationem, Nos Auctoritate noſtrâ confirmamus; & ne à quoquam permutari valeat, Sigilli noſtri impreſſione communimus: præcipientes, ut nullus hominum contra hanc Paginam præſumat venire. Si quis vero attentaverit, niſi reſipiſcat, Omnipotentis indignationem ſe noverit incurſurum.

Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis M. C. LXXII. Indictione V. regnante Friderico, glorioſæ memoriæ Romanorum Imperatore, anno regni ejus XXII. Pontificatûs noſtri V. 1172.

Ego Bruno, Majoris Eccleſiæ Præpoſitus, cognovi & ſubſcripſi.

Ego Bruno, * Decanus, cognovi & ſubſcripſi. * Al. Hugo.

Ego Suffridus † Præpoſitus, cognovi & ſubſcripſi. † Præpoſ. Xanthenſis.

Ego Lotharius, Bonnenſis Præpoſitus, cognovi & ſubſcripſi.

Ego Simon, S. Gereonis Præpoſitus, cognovi & conſcripſi.

Ego Rudolphus, S. Cuniberti Præpoſitus, cognovi & ſubſcripſi.

Ego Wecelinus, S. Andreæ Præpoſitus, cognovi & ſubſcripſi.

Ego Theodoricus, SS. Apoſtolorum Præpoſitus, cognovi & ſubſcripſi.

Ego Hugo, S. Gereonis Decanus, cognovi & ſubſcripſi.

Ego Siffridus, S. Cuniberti Decanus, cognovi & ſubſcripſi.

Ego Engelbertus, S. Andreæ Decanus, cognovi, & ſubſcripſi.

Ego Gerardus, S. Mariæ Decanus, cognovi & ſubſcripſi.

Ego Peramus, Magiſter S. Gereonis, cognovi & ſubſcripſi.

Ego Arnoldus, Magiſter S. Severini, cognovi & ſubſcripſi.

Præſentes erant Abbates & Clerus, Nobiles & Beneficiati.

Digitized by Google

CAPUT XIX.

ROBERTUS DE BETHUNIA, *Advocatus Atrebatenſis, benefacit Abbatiæ de* Feversham *Benedictinorum in Anglia, anno* 1179.

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſulis.

NOtum ſit tam poſteris quam modernis, quod Ego Guericus Dei permiſſione Abbas de Feversham & ejuſdem loci Conventus recepimus à Domino Roberto de Bethunia Advocato Atrebati, aſſenſu & voluntate filiorum ſuorum Roberti, Balduini, Johannis, Cononis, totam terram ſuam de Miſſewella cum omnibus pertinentiis ſuis in boſco, in plano, in pratis, in terris, inaquis & omnibus rebus tenenda de ſe & heredibus ſuis ad Feudum firmum in perpetuum libere & quiete pro omni ſervitio, prout ſervitium Regale, pro decem libris ſterlinorum prædicto Roberto vel heredibus ſuis vel eorum nuntio annuatim reddendis apud Feversham in Nativitate ſancti Johannis Baptiſtæ ſine occaſione. *

* Puto Contradictione.

Ipſe vero Robertus & hæredes ſui prædictam terram debent nobis in perpetuum guarantizare contra omnes homines, præter ſolum Regem Angliæ & Miniſtros, pro prædicto cenſu decem librarum.

Nos autem pro conceſſione & confirmatione ab eodem & hæredibus ſuis & à Domino Henrico Rege nobis facta, dedimus præfato Roberto centum marcas Sterlinorum.

Præterea Domûs noſtræ Fraternitatem & omnium beneficiorum participationem ei & uxori ſuæ Adeliciæ, & Matri ſuæ Clementiæ & omnibus amicis ſuis tam vivis quam defunctis in Capitulo noſtro prout conceſſimus, præſentis Scripti Atteſtatione in perpetuum profuturam innovamus.

Hujus rei Teſtes ſunt: Ilbertus de Carentico,
Johannes de Foſſa,
Balduinus de Foſſa,
Robertus Præpoſitus, *
Johannes Clericus,
Johannes Baſſet, Willelmus filius ejus,
Magiſter Adam,
Richardus Peinforere,
Henricus de Herteia,
Johannes de Sezanna,
Guffridus Præpoſitus, & alii multi.

* Inſulenſis.

Titulus hic conceſſus eſt, ut puto, anno 1179. quo tempore Robertus quintus dictus Rufus viſitavit, cum Rege Franciæ Ludovico ſeptimo juniore ſepulchrum ſancti Thomæ Cantuarienſis. Hic filius Guilielmi I. Domini Bethuniæ & Clementiæ d'Oiſy filiç Hugonis Caſtellani Cameracenſis Dominæ de Choques uxorem habuit Adelaidim filiam Hugonis Comitis de ſancto Paulo. Vide Du-Cheſne in Hiſtoria Domûs Bethuniæ pag. 130. & in Probis pag. 44.

CAPUT XX.

PHILIPPUS ALSATIUS *Flandrorum Comes, in Abbatia B. Mariæ Magdalenæ* Strumenſis * *Monialium Nobilium Ordinis S. Benedicti juxta Atrebatum, fundat anno* 1181. *ſuum, & Conjugis* GERTRUDIS MAURITANENSIS * *Anniverſarium.*

* Vulgo Eſtrun.

* Vulgo Mortagne.

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſul.

EGo PHILIPPUS Flandriæ & Viromandiæ Comes, notum eſſe volo tam futuris quam præſentibus, quod ad inſtantiam precum Kariſſimæ Sororis meæ GHERTRUDIS quondam Morianenſis Comitiſſæ, piæ ipſius devocionis placide occurrens aſſenſu, pro animabus noſtris & anteceſſorum noſtrorum volui, dedi, approbavi eleëmoſynam, quam ex redditibus ſibi ad vivendum aſſignatis, Eccleſiæ Beatæ Mariæ Magdalenæ *Deſtruuns* aſſignavit: videlicet VII. libras & dimidium ex Officio Lambini Notarii, in Purificatione ſanctæ Mariæ Brugis annuatim perſolvendas. Conventus tamen pitantiam aliquam habeat in die utriuſque Anniverſarii, & in Kalendariis ſuis Anniverſario noſtro notato, ſicut Fratribus ſuis, ita nobis orationum ſuarum perpetuo impendant beneficium, non pretii ſed ſanctæ caritatis intuitu. Ut igitur hæc eleëmoſyna noſtra rata & inconcuſſa permaneat, Sigilli mei authoritate & Teſtium ſubſcriptione præſens Scriptum communire curavi.

S. Roberti Advocati,
S. Roberti filii ejus.
S. Hugonis de Oyſi,
S. Michaëlis Conſtabularii,
S. Walteri de Locris,
S. Walteri de Atrebato.

Digitized by Google

S. Gilleberti de Aria,
S. Theobaldi Militis Templi,
S. Gerardi de Mecinis Sigillarii Comitis,
S. Saſwalonis Huguedin.
Ego quoque Balduinus Comes Hannoniæ & Margareta uxor mea concedimus & approbamus, & Sigillorum noſtrorum Auctoritate eleëmoſynam confirmamus.

Actum eſt hoc, anno Domini M. C. LXXXI.

CAPUT XXI.

Cono Comes Montis-Acuti & Duratii, dotat Abbatiam Sti. Matthæi de Flona, Canonicorum Regularium Ordinis St. Auguſtini juxta Huum, anno 1182. tradens Eccleſiam de Harmale, & Capellam de Claromonte.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Quoniam rerum geſtarum memoria ſolet à facie mentis oblivionis objectione deleri, ſagaci ac providâ ſolicitudine cautum eſt, ut quod Auctoritate Pontificum, liberalitate Regum vel Principum, ſeu cœterorum devotione fidelium juſtè ac rationabiliter agitur, præſentium recordationi vel ſuccedentium memoriæ ſcripto mediante tranſmittatur.

Igitur notum ſit, tam modernis quam futuri temporis ſucceſſoribus, quod Ego Cono Comes Montis-acuti & de Duratz contuli Eccleſiæ Beati Matthæi de Flona, pro redemptione animæ meæ & Anteceſſorum meorum, quidquid erat mei juris in
Hermale Eccleſia Beati Martini in Harmala, cum omnibus appenditiis ſuis, de dono ſcilicet Perſonæ inveſtiendę, exceptâ meâ parte majoris Decimæ; ut ſicut Ego antea, ita in perpetuum Abbas Flonenſis & ejus Succeſſor, ſit auctor primi Doni vel poſſeſſor ſi voluerit.

Tradidi nihilhominus Capellam beati Ni-
Clermont. colai de Claro-monte, cum omnibus ſibi pertinentibus, quæ tota ad noſtram proprietatem ſpectabat, tam in dote quam in Decima novalium, ſine retractationis cavillatione; nec ad me vel ad Succeſſores meos donum tam Eccleſiæ quam Capellæ beato Matthæo legitimè traditum amodo revertetur.

Præterea dedi beato Evangeliſtæ medietatem Decimæ prati, quod ejus Eccleſia ſupra Moſam in Hottines poſſidet.

Tali autem conditione largitus ſum ſupraſcriptum Beneficium, quod ſingulis diebus in Flonenſi Eccleſia pro ſalute mea & amicorum meorum me vivente in honorem ſanctæ Marię celebrabitur Miſſa, & defuncto, in mortualem commutabitur.

Elegi autem ibidem locum Sepulturæ meę, annuente Dei gratiâ, quando dies ultima à præſenti labore me evocaverit, ubi & luminare non deficiet, ad honorem jam dicti Evangeliſtæ Matthæi & ſanctarum Reliquiarum inibi quieſcentium.

Et ne quis tam modernorum quam ſequentium Donum hoc & Pactum præſumat infringere, Sigilli mei & Domini Ægidii fratris mei impreſſione muniri feci præſentem Paginam; quatinus ſtabilis & illibata permaneat, votumque noſtrum & oblationem nullus calumpniator malo dolo permutare audeat. Quod ſi fecerit, in die judicii rationem reddat coram ſummo judice.

Hujus rei Teſtes ſunt: Liberi Homines,
Heinricus d'Harmala,
Gualtherus de Barro Advocatus, & filius ejus Julius de Eſmeville.
Godefridus frater ejus de Wahart.
Guinandus Doſen.
De Familia: Guarnerus de Comblen, & Johannes frater ejus de Hodier.
Arnulphus d'Hotines, & Robertus filius ejus.
Amelius Dramel,
Johannes Spirellus,
Gualterus Villicus,
Simon & Ægidius frater ejus.

Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarma- 1182.
tionis milleſimo centeſimo octuageſimo ſecundo, Indictione primâ, regnante Imperatore Frederico, Rodulfo Leodienſi Epiſcopo.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXII.

Capitulum Chimacenſe *in Hannonia benefacit Abbatiæ* Clari-fontis *Religioſorum Præmonſtratenſium, Diœceſis Laudunenſis, anno* 1182. *& mutua ſtabilitur inter utramque Eccleſiam Confraternitas.*

EGo Thomas, Cymacenſis Eccleſiæ Decanus, totuſque ejuſdem Eccleſiæ Conventus, omnibus tam præſentibus quam futuris, in perpetuum. Notum ſit univerſitati fidelium, quod Eccleſia de *Cymaco* conceſſit Eccleſiæ *Clari-fontis* omnes eſentias quæ ſunt de jure S. *Monegundis*, in ſilvis & pratis & aquis & paſcuis, ad uſus Curtis, quę *Bellus rivus* dicitur. Et ſi evenerit, quod in ſilvis præfatæ Eccleſiæ paſcua de glande fuerint, & alimenta ad uſus porcorum pertinentia, nullum pannagium ſolvet Curtis prædicta de porcis nutritis in ea. Et ſi emerit porcos de propria pecunia uſque ad centum, nullum etiam pannagium ſolvet.

Conceſſitque Eccleſia de Cymaco memoratæ Clari fontis Eccleſiæ continua paſcua in perpetuum, ad uſus eorum, qui in domo de *Merleſart* commorantur, quantum ad ſe pertinet. Si guerrâ ingruente, Clari-fontenſes animalia ſua de aliis domibus ſuis ſuper paſcua S. Monegundis adduxerint, quamdiu guerra duraverit, in domibus, in paſcuis noſtris liberè gradientur.

Pro hac itaque conceſſione, Clari-fontis Eccleſia annuatim circa feſtum S. Andreæ, prænominatæ Eccleſiæ Cymacenſi modium frumenti, & dimidium modium piſæ dabit, ad menſuram quæ tunc in curſu erat apud Cymacum, cum hoc ſcriptum factum fuit. Solvetur autem hic cenſus, quamdiu cum animalibus ſuis in curte *Belli rivi* manſerint. Et illuc Canonici pro cenſu mittere debent. Si vero curtis aliquo modo in jus alterius ceſſerit, vel tale quid acciderit, pro quo eam relinqui & animalia inde auferri oporteat, Eccleſia à cenſu emunis erit, quouſque cum animalibus ſuis ad locum ſic prius inhabitandum redirent.

Confraternitas. Præterea Dominus Anfridus Abbas, & Capitulum Clari-fontis, & Thomas Cymacenſis Eccleſiæ Decanus, & Capitulum ejuſdem Eccleſiæ, Fœdus inter ſe tale conſtituerunt, quod ſi Frater Clari fontis obierit, Canonicus videlicet, tantùm pro eo faciet Eccleſia Cymacenſis, quantùm pro uno Canonicorum ſuorum facit. Et ſi Canonicus Cymacenſis obierit, tantùm de eo fiet, quantùm de Canonico Clari-fontis.

Si quis hoc violenter, fraudulenter infringere vel contraire voluerit, Eccleſia de Cymaco quaſi Protectrix & adjutrix, ad ſuam expenſam ubicumque jus fiet; & ubicumque jus erit, ire non differet. Hoc ut ratum & inconcurſum ſine fine permaneat, chyrographo illud munivimus; partemque noſtram Sigillo Clari-fontis Eccleſiæ, & ipſius Eccleſiæ partem Sigillo ſanctæ Monegundis & Teſtium ſubſcriptorum adſtipulatione confirmavimus.

Signum Domini Anfridi Abbatis.
S. Auberti Prioris.
S. Fulcani Supprioris.
S. Jordani Cantoris.
S. Arnulphi Sacriſtæ.

Signa Balduini, Fulmeri, Serandi, Andreæ, Lamberti, Martini, Walteri, Vilelmi Cellarii, Petri, Joannis, Sacerdotum de Claro-fonte.

S. Thomæ, Decani.
S. Ingelrami, Archidiaconi.
S. Odonis, Decani de Roſeto.
S. Alardi, Gerardi, Radulphi, Sacerdotum de Cymaco.
S. Magiſtri Nicolai.
S. Vidonis.
S. Verici.
S. Ancelmi, Vilelmi, Canonicorum de Cymaco.
S. Balduini de Bulgoncamp.
S Roberti de Mumeignies, Laïcorum de Claro-fonte.

Actum anno Incarnati Verbi M. C. LXXXII.

De Chimacenſi Capitulo, & Abbatia Clari-fontis, vide Diplomata alia, & Notas noſtras Tomo III. à pag. 668. ad 673. Mirum ſane, Capitulum non ita opulentum dotem non exiguam olim contuliſſe duabus Abbatiis inſignioribus, Alnenſi & Clari-fontis.

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

Præpoſitus Decanus & Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ S. Pauli Leodii, donant Abbatiæ Flonenſi, Canonicorum Regularium (juxta Huum) Jus Patronatûs ac Decimas Eccleſiæ de Harmale, anno 1185.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

Ego Petrus, Eccleſiæ ſancti Pauli Præpoſitus, Ebaldus Decanus, totuſque ejuſdem Eccleſiæ Conventus, notum fieri volumus omnibus Chriſti fidelibus, tam futuris quam præſentibus, veritatem diligentibus: quia in hoc cum Theodorico Abbate Flonenſis Eccleſiæ, cum Thiebaldo Priore, & cum omnibus aliis Fratribus Flonenſis Eccleſiæ, communi conſilio utriuſque Eccleſiæ convenerimus, quod proprietariam poſſeſſionem noſtram in Eccleſia & in Villa de Harmala, cum omni integritate & plenitudine Decimarum quæ noſtri juris ſunt & ab antiquo fuerunt, & cum omnibus appendiciis cultis & incultis, in pactum, uſumfructum & in obedientiam hereditariam pro viginti-duobus ſolidis & ſex denariis annuatim ſolvendis in perpetuum, prædicto Theoderico Abbati Flonenſi ejuſque Succeſſoribus Abbatibus Flonenſis Eccleſiæ legitimè dederimus; & de medietate Presbyterii temporalium Inveſtituram, non tantum perſonaliter, ſed ſic Eccleſiæ Flonenſi perpetualiter, ut ſingulis Abbatibus in Eccleſia ſuccedentibus hæc Inveſtitura cum obedientia renovetur, conceſſerimus: his interpoſitis conditionibus.

Nota. Decedente Abbate Flonenſis Eccleſiæ, hic qui ſuccedet Abbas Capitulo S. Pauli ſe repræſentabit; & Præpoſitus Eccleſiæ ſancti Pauli liberè & abſque omni exactione in Capitulo Eccleſiæ S. Pauli in præſentia Fratrum, Donum Eccleſiæ & obedientiæ de Harmala dabit ei.

Et ad confirmationem ſui Doni, ipſe Abbas Flonenſis dabit Fratribus Eccleſiæ S. Pauli hamam ſolummodo vini; & ſic liberam poteſtatem habebit Sacerdotem conſtituendi, & omne commodum ſuum (ſalvo jure & poſſeſſione Eccleſiæ S Pauli) in prædicta obedientia facere, & ad utilitatem ſuam diſponere.

Sic tamen, ut de Pacto XXII. ſolidorum & VI. denariorum medietatem in Feſtivitate omnium SS. undecim ſcilicet ſolidos & III. denarios, & reliquam medietatem Dominicâ *Invocavit me* omni remotâ occaſione ſolvat: & ſic obedientiam ſuam liberè & quietè poſſideat. Sed nos & Succeſſores noſtri Canonici erga Abbatem & Succeſſores ejus (ſi tempeſtas vel cauſa legitima interciderit, quod abſit) eâ lege utemur, quâ utimur in ſimili diſcrimine erga alios obedientiarios noſtros.

Ut igitur quod rationabiliter factum eſt, ratum & ſtabile in perpetuum maneat, præſentem Paginam tam noſtræ Eccleſiæ Sigillo quam Flonenſis Eccleſiæ communivimus, & adverſus omnem calumpniam, atteſtationes Archidiaconorum, Abbatum, & probabilium perſonarum adhibuimus.

De Archidiaconis Teſtes ſunt,
Albertus, Archidiaconus & Cuſtos.
Everardus, Archidiaconus.

De Abbatibus Teſtes & fidejuſſores ſunt,
Everelmus Abbas Eccleſiæ S. Laurentii.
Bruno Abbas S Ægidii.
Gerardus Abbas Eccleſiæ Cornelii-Montis.

De Fratribus Eccleſiæ S. Pauli, Teſtes ſunt
Arnulphus, Heinricus, Azo, Fredericus, Jonas Magiſter & Cuſtos, Rodulphus, Joannes, Petrus Camerarius,
Ottho Cellerarius.

De Fratribus Flonenſis Eccleſiæ,
Thiebaldus Prior, Airulphus, Thomas, Fulbertus, Lambertus, Heinricus, Renerus.

De Fratribus Concilii, Teſtes ſunt,
Franco de Mandaule, Weſſelinus de Boſſon, Johannes de Verſeaz;

Facta ſunt autem hæc anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo octogeſimo quinto, Indictione tertiâ, Papante Lucio, Frederico Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, & Rodulpho Leodienſium Epiſcopo. 1185.

HERMALIA, Inſignis pagus ad Moſam fluvium in Condruſio, Leodium inter & Huum. Patria inſignium Doctorum Theologorum Lovanienſium Jacobi Pontani & Guilielmi Renardi.

CAPUT XXIV.

HENRICUS DE SCHOTEN, *Vir Nobilis, Terram de Crabbendic (olim Prioratum) in Zelandia donat anno* 1187. *Abbatiæ* Thoſanæ *Monachorum Ciſtercienſium juxta Brugas, modo dirutæ, & unitæ Abbatiæ Dunenſi.*

Doſſ.

Ex antiquo Cartulario Zelandico.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen. Quod hîc manentem non habemus civitatem, ex eorum qui nos præceſſerunt deceſſu, etiam ceſſante Doctorum eloquio ... poſſumus. Ut ergo futuræ quam debemus inquirere nobis aditum præparemus, expedit ut eos, quod ad eam credimus ſpecialiter pertinere, nobis interim faciamus amicos.

Vide etiam ſupra de Engelb. à Scoten Tomo II. pag. 971.

Hinc eſt, quod Ego HENRICUS DE SCOTEN, & uxor mea Chriſtina, & filii mei Godefridus, Henricus, Jacobus & Ingelbertus, quidquid proprietatis & poſſeſſionis, quidquid juris & dominii in tota Terra *Crabbendyc* habebamus, Eccleſiæ S. Mariæ de *Thoſan*, pro meis ac meorum reatibus diluendis, ſolempni Donacione perpetuò contulimus obtinendum, eidem juri coram viris illuſtribus penitus renunciantes, & illud in præfatam Eccleſiam ex integro transferentes.

CRABBENDYC vicus Zelandiæ in Inſula Goeſana.

Præterea jam dictæ Eccleſiæ Fratres cum rebus ſuis in noſtræ protectionis tutelam ſuſcipimus: ut ſi quis eos vel res eorum perturbare præſumpſerit, non minus ſe noverit noſtram offenſam incurrere, quam ſi injuriam eis illatam nobis-met-ipſis intuliſſet.

Ut etiam ſinceræ dilectionis erga eos oſtendamus affectum, ab omni eorum exactione & conſuetudine quæ ab aliis ſolemus accipere, ſcilicet conductus & theloncі in omni terra & aqua noſtræ poteſtati ſubjecta, eis concedimus libertatem. Prohibentes, ne aliquis ab eis quidquam præſumat exigere. Si enim ab aliquo fuerint moleſtati, quidquid pro juſtitia acquirenda ipſi expenderint, ille qui eos moleſtaverit, id ſine dubio totum ſolvere compelletur.

Verum ut hæc omnia perpetuò inconvulſa permaneant, Litteris ea fecimus commendari, & noſtri Sigilli munimine roborari.

Teſtes, Philippus Comes Flandriæ.
Waltherus, Abbas de Dunis.
Gerardus, Abbas de Villari.
Theodericus Storm.
Alardus de Oſſendrecht.
Henricus filius ejus.
Everbout de Aggara.
Gillebertus de Can.
Arnulphus frater ejus.
Theodericus de Endonck. Gerardus de Ocle. Franco Merbout. Wilhelmus Dobbebalch. Gerardus Bitter. Gillebertus de Aſcebroc. Gerardus de Wildrecht.

Actum anno Domini M.C.LXXXVII. 1187.

CAPUT XXV.

ALBERTUS *Eccleſiæ Leodienſis Præpoſitus donat Abbatiæ Præmonſtratenſium, olim in Cornelio-Monte ſitæ, poſtmodum dictæ Belli-reditus, juxta Leodium, Altare de Louverval, anno* 1187.

Ex Archivis Abbatiæ.

IN nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. Ego ALBERTUS Dei gratiâ Leodienſis Eccleſiæ Major Præpoſitus & Archidiaconus, tàm futuris, quam præſentibus in perpetuum. Juſtis petentium deſideriis facilem decet nos præbere aſſenſum, & vota, quæ à rationis tramite non diſcordant, effectu proſequenti complere.

Quapropter ad charitatem, & humilitatem Eccleſiæ, quæ in honorem Apoſtolorum in Cornelio-Monte ſita eſt, reſpicientes, & piam inibi famulantium Deo devotionem attendentes, eorumdem Religioſo deſiderio nequaquam obniti oportere judicavimus. Unde neceſſitati ipſorum, quibus dignè ſubveniendum erat, obtemperantes, ad petitionem ſuam, præfatam Eccleſiam in Cornelio-Monte ſitam, duobus Altaribus de Loveralz, quæ ſunt in noſtro Archidiaconatu, quod quidem noſtræ poteſtatis erat, perpetuò impenſonamus.

Quod ut ratum & inconvulſum omnibus œvis permaneat, Sigilli noſtri impreſſione, & Teſtium annotatione eandem præfatæ Eccleſiæ factam Inveſtituram corroboravimus.

Actum eſt publicè in Concilio noſtro Flo-

Digitized by Google

rinenſi anno Dominicæ Incarnationis 1187. Hujus rei Teſtes ſunt,

Magiſter Evrardus Abbas Cellenſis;
Petrus Canonicus de S. Petro;
Magiſter Gerardus Scladinienſis Eccleſiæ Canonicus.
De Concilio Florinenſi, Walacrus Decanus;
Nicolaus Foſſenſis;
Magiſter Joannes Call.
Warnerus de Bermereis;
Joannes de Erchanines;
Thomas Florinenſis.

CAPUT XXVI.

Cono *Comes* Montis-Acuti & Duras, *Decimam de Hottines donat anno* 1187. *Abbatiæ* Flonenſi *Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini apud Huum, Diœceſis Leodienſis.*

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Sancti Patres me docuerunt, Eccleſiæ videlicet Miniſtri ac Dei Sacerdotes, quia *ſicut aqua extinguit ignem, ita eleëmoſyna delet peccatum*

Ea-propter Ego Cono Dei gratiâ Comes de Duratz præſenti Scripto tam futuris quam preſentibus notum facio, medietatem Decimæ, quæ ad me ſpectat agrorum ad Curtem de *Hottime*, quæ Flonenſis Eccleſiæ eſt, pertinentium, aſtipulante Domino Egidio Fratre meo, in eleëmoſynam B. Matthæo me tradidiſſe.

Iſtam inquam eleëmoſynam jam dictæ Eccleſiæ legitimè tradidi, tradendoque ad Altare B. Matthæi propriâ manu detuli, ob ſalutem animarum patris mei ac matris, & omnium Anteceſſorum meorum, ob remiſſionem peccatorum noſtrorum, fratrum videlicet meorum ac ſororum.

Fateor inſuper, eam medietatem Decimæ prædictæ Curtis, quæ mei juris erat, & prati & animalium in curte commorantium, jam dictæ Eccleſiæ me dudum dediſſe. Tandem totius terræ, cultæ vel incultæ, quę ad Curtem de *Hottines* attinet, medietatem Decimæ Flonenſi Eccleſiæ poſſidendam tradidi, & Sigilli mei impreſſione confirmavi.

Si quis autem ſuper hac eleëmoſyna deinceps ſæpe-fatam Eccleſiam molestaverit, contradicenſve aliquam calumpniam ei intulerit, Paradiſi nequaquum recipiat gaudium, ſed cum traditore Juda ignem patiatur æternum, qui ſibi commiſſas eleëmoſynas furabatur fidelium.

Acta ſunt autem hæc anno milleſimo centeſimo, octuageſimo ſeptimo, Indictione quintâ, concurrente tertio, Papante Domino Urbano, Imperante Domino Frederico, Preſidente Eccleſiæ Leodienſi Domino Raulpho. 1187.

Hujus rei Teſtes ſunt,
Petrus, Frater Comitis,
Heinricus de Hermala,
Lambertus de Nandren,
Simon de Evoy,
Arnulphus de Hoſtines, & Robertus filius ejus,
Thomas de Rocheſort, & Heinricus frater ejus.

Hottine Parochia Ducatûs Luxemburgenſis ſub Comitatu de Monte-acuto. Ratione terrarum, decimarum, ſilvarum &c. quæ illic poſſidet Abbas Flonenſis, uti & in ejus vicinia (nempe Oppida de Hauxhoux & Neuville) Vaſallus eſt atque unus è Paribus dicti Comitatus Montis-acuti; atque eatenus quilibet novus Abbas tenetur ad homagium præſtandum Comiti Montis-acuti (qui modo eſt Princeps de Leuweſteyn, Comes Rupefortis &c.) & ſolvere tenetur Annatam ſuarum terrarum, aut pro his componere. Hæc poſtmodum denegata fuerunt, atque deſuper fuit lis, anno 1735. deciſa in Concilio Mechlinienſi.

Porrò hæc Documenta fideliter exſcripta fuerunt ex Actis dictæ Litis.

CAPUT XXVII.

GERARDUS *Abbas Prumienſis Ordinis S. Benedicti in ſilva Arduenna, condit in loco vicino, dicto* Nider-Pruim, (*id eſt, Prumia inferior*) *Monaſterium Monialium Benedictinarum, attributâ Ædiculâ SS. Gordiani & Epimachi Martt. anno* 1189. *adjuvante Sorore ſua Aleyde Comitiſſa Mulbacenſi.*

Ex Vita S. Yolanthæ Auth. P. Wilhemio, S. J.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Gerardus, divinâ favente gratiâ & miſericordiâ, Sanctæ Prumienſis Eccleſiæ humilis Miniſter, univerſis Chriſti fidelibus, tam futuris, quam præſentibus, ſalutem quæ eſt in Chriſto Jeſu.

Quod ad honorem Dei, & ad utilitatem Deo ſervientium piè à nobis & rationabiliter factum eſt, memoriæ Litterarum commendare dignum duximus; quatenus per hoc & res geſta neceſſariæ ſibi firmitatis robur in præſenti obtineat, & omnis calumniandi occaſio in futuro conquieſcat. Cùm enim certum ſit, brevem eſſe & momentaneum præſentis vitæ ſtatum, quandoquidem non habemus hîc manentem Civitatem, competit nobis, operibus bonis vigilanter inſudare, ut ad cœleſtem patriam & civitatem æternaliter manentem, pervenire valeamus.

Placuit itaque noſtræ diſcretioni, Deo ſervientes, cujuſcunque ſint Ordinis, in caritate non fictâ diligere, & in neceſſitate rerum temporalium, in quantùm poſſumus, Domino auxiliante ſuſtentare. Inde eſt, quod quondam Nobilem Mulierem, lineâ conſanguinitatis nobis proximam, habitu, voto, & converſatione honeſtam Monialem, Sophiam nomine, Abbatiſſam dictam & conſecratam, in partes noſtras cum paucis Sororibus eidem ſubditis venientem, benignè ſuſcepimus. Quæ relictis cognatis & amicis, terraque nationis ſuæ, in terra ſibi ſuiſque aliquantum aliena, in pace & quiete omnibus diebus vitæ ſuæ, Deo ſervire devotiſſimè deſiderans, noſtræ noſtrumque amicorum providentiæ, tuitioni, conſilio atque auxilio humiliter ſe ſuppoſuit. Nos verò tam devotum mentis ejus conſiderantes deſiderium, & immutabile in ſexu fragili propoſitum admirantes, ſitum voluntati ejus ſatis congruum juxta Capellam cujuſdam Curiæ, quæ *Inferior Prumia* nuncupatur, & eandem Capellam noſtram cum appendiciis ex integro, & beneficium atque allodium cujuſdam Hominis noſtri, ab hæredibus legitimis in manus noſtras voluntariè reſignatum, conſilio fidelium noſtrorum, ei perpetualiter donavimus.

Ipſa verò tres Virgines valdè parvas, jam dicti beneficii & allodii hæredes, ſolitâ pietate ſibi adjunxit, quas maternæ dilectionis affectu ſub regulari diſciplinâ ſui Ordinis, ad ſerviendum Deo erudire ſtudioſè curavit. Capellam quoque, in quotidiano Dei ſervitio diu negleƈtam, venerabiliter reformavit.

Nos igitur bonis ejuſdem Ancillæ Chriſti principiis congaudentes, cum prædicto loco duas Matres Eccleſias, videlicet Merriche & Rumersheim, cum filialibus earum, præfatę Abbatiſſæ & his quæ poſt ipſam futuræ ſunt, perpetuo jure poſſidendas tradidimus; ſalvo per omnia & intaƈto jure, quod ad Præbendam Prumienſium Monachorum ex antiquâ Conſtitutione pertinere cognoſcitur, ſimulque ſervitio, quod Abbati de utraque Eccleſia debetur.

De cetero Abbatiſſa, quidquid ad commoditatem ſuam inde ordinare potuerit, ſuis & Cœnobii ſui uſibus accreſcet. Nihilominùs, arbuſta, quæ ſunt in colle qui dicitur Camervorſt, ei conceſſimus, ita ut ſex denarios indè annuatim ſolvat.

Locum quoque molendino conſtruendo idoneum ei donavimus, quod cum ædificatum fuerit, quinque maldros ſiliginis exindè per annos ſingulos Abbati reddat.

De cetero Soror mea Adheleidis Comitiſſa de Mulbach venerabilis Vidua, de allodio, quod à proavo, avo, & patre legitimè poſſederat, partem unam, videlicet villulam quæ Hoverode appellatur, cum omnibus appendiciis, mancipiis, agris, pratis & ſilvis, exceptis inbeneficiatis, pro ſalute animæ ſuę ſuique mariti & natorum, omniumque Succeſſorum ſuorum, ad ſerviendum Deo glorioſæque Virgini Mariæ & Sanctis Martyribus Gordiano & Epimacho, in perpetuum devotiſſimè loco eidem donavit, & me Succeſſoreſque meos ſanctę Prumienſis Eccleſiæ Abbates, Advocatos & defenſores, Auctoritate & gratiâ omnipotentis Dei ſolemniter inſtituit.

Præterea de Decimâ in Nunkirchen quatuor modios tritici, ſex modios ſiliginis, viginti modios avenæ, Monialibus in eadem Capella Domino ſervientibus, ſingulis annis antè diem Natalis Domini Jeſu Chriſti, ſine omni impedimento perſolvi, firmiter & multum devotè inſtituit. Nos igitur cum prædictâ Comitiſſâ & pluribus honeſtis viris antè Altare ſupradictorum Martyrum venientes, ſub ſtolâ anathematis confirmavimus, quod nulli unquam hominum hæc

immutare vel infringere liceat, ſed rata & inconcuſſa in perpetuum permaneant.

Si quis autem hanc noſtræ Inſtitutionis Confirmationem violare, mutare, ſeu infringere præſumpſerit vel attentaverit, perpetuò anathema ſit, iramque & indignationem Beatiſſimæ Virginis Mariæ incurrat, & inevitabiliter filii ejus Domini noſtri Jeſu Chriſti vindictam æternaliter ſentiat, niſi humiliter & tempeſtivè reſipiſcat.

Ex multis aſſiſtentibus, quorundam nomina in teſtimonium conſcribi fecimus.

Gerardus Eccleſiæ S. Salvatoris Decanus,
Theodoricus Scholaſticus,
Bertramus Cuſtos, & plures Eccleſiæ Miniſteriales.

Hæc acta ſunt & Sigillo S. Salvatoris, noſtro quoque, & Comitiſſæ, inſignita, anno Dominicæ Incarnationis M. C. LXX XIX. Indictione ſeptimâ, Epactâ duodecimâ, regnante Domino Henrico glorioſi Imperatoris Frederici filio feliciter.

PRUMIA, vulgo *Pruym*, antiqua & celebris eſt Abbatia Benedictinorum S. Salvatori ſacra, in Sylvis Arduennæ ſita, ultra Ducatum Luxemburgenſem, ſub Archiepiſcopatu Trevirenſi, cui unita fuit Authoritate Apoſtolicâ anno 1576. ſuppreſſo Abbatis titulo, remanente tamen Menſâ Conventuali. Fundata fuit ab anno 760. per Pipinum Francorum Regem, ejuſque Conjugem Bertradam.

Ab hac Abbatia receperunt ſua incrementa, imprimis Abbatia Sufterenſis, hodie Canonicarum Nobilium Collegium, Abbatia Prumiæ inferioris (de qua hoc Diplomate) item Capitulum Canonicorum de Munſter-Eyſſel.

De his omnibus vide Diplomata Tomo III. hujus Collectionis pag. 3. 9. 290. & 291.

CAPUT XXVIII.

CHRISTIANA *Domina de* Ravensberghe, *fundat in loco de Outhof (hodie ſub Diœceſi Audomarenſi) Abbatiam* Ravensbergenſem, *Monialium Ordinis Ciſtercienſis, circa annum* 1190.

CHriſtiana Dei permiſſione Domina de Ravensberga, univerſis hanc Paginam inſpecturis in perpetuum. Notum ſit tam præſentibus quam futuris, quod ego habens quandam manſionem quæ dicitur Outhof, ſitam in Parochia de Markinggehem, pro remedio animæ meæ, & Anteceſſorum meorum, bonâ voluntate & prompto animo, dedi eam in perpetuam eleëmoſynam Sanctimonialibus Deo & B. Mariæ in prædicta manſione ſervientibus, & ſerviturис ſub habitu Ciſterſienſis Ordinis, cum terra quæ dicitur Outhofland eidem manſioni contigua, cum ſubſidibus in eadem terra manentibus;

Et tres menſuras terræ Allodii prædictæ terræ contiguas, & molendinum, & triginta menſuratas terræ, quas emi à Riquardo juniore de Furnis, & marcham ſupra quinque menſuras terræ ita dictas, Metmed, Durmed, in Fliſſingem, Weſtdilf, Scleda in Houthawa.

Ad hæc piſam butiri ſupra quinque menſuras terræ in Parochia de Aldenberg, quæ jacet ex orientali parte viæ quæ vocatur Silinga: necnon & octo menſuras mori, ad fodiendas turbas, qui vocatur Vienecornemec, ad conſtruendum Monaſterium, in quo Sanctimoniales prædictæ commorabuntur.

Et ad hæc contuli ad uſus Capellani ibidem ſerviturі centum ſolidos de redditibus meis in Sclipes, quos Agatha vidua Erlebaldi de Willekini-Capella, & heredes ſui annuatim ſolvere tenentur.

Ut autem hæc Dotatio vel eleëmoſyna firma & inconvulſa in perpetuum habeatur, præſentem ſcribi feci Paginam, & eam Sigilli mei appenſione corroboravi, inſuper Domni Willelmi Rhemenſis Archiepiſcopi & Domni L. Morinenſis Epiſcopi, auctenticorum ſuorum auctoritate confirmari feci, & plegiare: ita ut ſi aliquando quod abſit, aliquo ſiniſtro utens conſilio jam dictam eleëmoſynam perturbare, aut infringere temerè præſumerem, tam Perſonam meam excommunicationi, quam terram meam interdicto indilatè ſupponerent.

Hæc autem omnia coram Perſonis religioſis Clericis & Laïcis conceſſit W. Librohons filius meus & heres, & Scripto ſuo auctentico confirmavit.

Audomarenſis Diœceſis quinque Ciſtercienſis Ordinis Abbatias complectitur: nempe *Clarum-Miriſcum*, celebre Religioſorum Cœnobium, & quæ Monialium ſunt, *Blendeckam*, *Ravensbergam*, *Woſtinam*, & *Bellum-pratum*, ad Liſam fluvium.

Lege item ſupra Tomo III. horum Diplom. pag. 390. & 585. duas alias inſignes pro Ravensbergenſi Abbatiâ Dotationes.

Digitized by Google

CAPUT XXIX.

JOANNES *Cameracenſis Epiſcopus, novam Parochiam (dictam* S. Joannis de Cauffours *) olim juxta nunc intra Tornacum, ſub Diœceſi tamen Cameracenſi, erigit anno* 1192.

Ex Archivis Abbatiæ S. Amandi.

JOANNES Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus. Univerſis ad quos Litteræ præſentes pervenerint, ſalutem in Domino. Ne lites ſemel extinctæ reviviſcant in poſterum, Nos oportet ex debito Paſtoralis officii providere, & de ſacris Eccleſiis ſuccreſcentium quotidiè materiam præcidere jurgiorum.

Noverit univerſitas veſtra, quod cum Abbas & Fratres Sancti Amandi infra terminos Parochiæ ſuæ de Alain novam Eccleſiam pro neceſſitate plebis & commodo conſtruxiſſent, Capitulum Cameracenſis Eccleſiæ indemnitati ſuæ Eccleſiæ de *Sancto Brictio* proſpicere volens, oppoſuit prædictam ſuperabundare Eccleſiam: quam conſtrui nulla neceſſitas ſuaderet, maximè ſi non accederet Epiſcopi Cameracenſis aſſenſus.

S. Brixii, S. Joannis & Nicolai Parochiæ Diœceſis Camerac.

Cum autem pars adverſa aſſenſum Prædeceſſoris noſtri proponeret affuiſſe, Teſtes ſuper hoc productos & juratos ſecundum formam Canonicam diligentius examinavimus, Aſſertionem Eccleſiæ Sancti Amandi veritate niti plenè ex eorum Teſtimonio cognoſcentes.

Prædeceſſoris igitur noſtri bonę memoriæ ROGERI tunc Cameracenſis Epiſcopi, veſtigiis inhærere, piumque & neceſſarium opus non ſolum non impedire, ſed ſine gravamine alterius promovere volentes, ſtructuram ipſius Eccleſiæ ab ipſo probatam, Epiſcopali auctoritate approbamus, & præſentis Scripti Patrocinio communimus; indulgentes ut in ea deinceps divina officia celebrentur: ſalvo jure vicinæ Eccleſiæ Sancti Brictii.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc Paginam noſtræ Confirmationis & diffinitionis infringere vel ei temerè obviare: ſalva Auctoritate Apoſtolicæ Sedis & Metropolitanæ.

Datum Aquincinti anno Incarnationis Dominicæ M. C. XCIII. pridiè Kal. Septembris.

CAPUT XXX.

Toparchæ vici de Wierde *in Namurceſio, Perſonatum ac Decimas ejuſdem loci donant Monaſterio de* Geronſart *Canonicorum Regularium juxta Namurcum, anno* 1194. *aſſentiente Capitulo Cathedrali Leodienſi.*

Ex Archivis Abbatiæ Gerondiſarti.

IN nomine Sanctæ & individuę Trinitatis. Totus Leodienſis Eccleſiæ Majoris Conventus omnibus Chriſti fidelibus in perpetuum. Noverint omnes tam futuri quam præſentes, quod Reinerus & Mainerus Canonici noſtri, Philippus quoque, & Godefridus & Jacobus fratres ſui, volentes imitari eos, qui terrena patrimonia in cœleſtes theſauros contulerunt, Eccleſię B. Mariæ ſanctique Auguſtini, quæ eſt in Sarto, & Fratribus in Regulari habitu inſibi deſervientibus Perſonatum majoris Altaris Eccleſiæ de Wierda, quod in honorem Stæ. Mariæ dedicatum eſt, cum integra dote, & decimâ quę pertinet ad ipſum Altare, pro ſe ſuiſque Succeſſoribus in eleëmoſynam perpetuo jure poſſidendum, voto pari, aſſenſu communi tradiderunt.

Patronatum quoque Altaris Sti. Nicolai, quod in eadem continetur, contulerunt eiſdem Fratribus perpetuâ poſſeſſione tenendum.

Ut autem omnis controverſiæ calumnia & reclamationis occaſio excludatur, & quod in præſentia Capituli noſtri ſolemniter factum eſt, ratum & illibatum habeatur, Sigilli noſtri atteſtatione firmatum eſt, & de iis qui præſentes fuerunt Teſtes idonei adhibiti ſunt: quorum nomina ſunt hæc.

Simon Decanus,
Thomas Archidiaconus,
Helias de Bullenc,
Godefridus Cuſtos.
Thomas de Hemricourt,
Arnulphus, Radulphus, Godefridus Dorcimont, Canonici Sti. Lamberti.

Joannes de Cornelio-monte, Theodoricus de Walcuria, Willelmus de Alteraripa: per cujus manum hæc eleëmoſyna ſuper Altare legitimè fuit affectata.

Philippus Frater ejus, Godefridus Main-

Digitized by Google

neri Filius, Curinus Doizain, Nobiles viri.

De Familia ſupradictorum Dominorum, Philippus, & Godefridus interfuerunt, Bernardus Macons, Joannes de le Rue, Joannes Kanap.

De Canonicis etiam Stę. Mariæ de Namurco affuerunt. Warnerus Decanus, Godefridus Cellarius, Nicolaus Cantor, Ægidius.

Hoc autem actum eſt anno Verbi Incarnati M. C. XCIV. imperante Henrico, anno electionis Domini Simonis primo.

Confirmatio HUGONIS DE PETRAPONTE, *Leodienſis Epiſcopi, anno* 1215.

HUgo Dei gratiâ Leodienſis Epiſcopus, notum facimus univerſis hanc Paginam lecturis, quod Vir Nobilis Philippus de Wierde & conparticipes ſui, quidquid juris habuerunt in Eccleſia de Wierde cum omni integritate & Patronatu ejus per manum noſtram ad opus Fratrum apud Geronſart deſervientium reportaverunt, & in perpetuum exfeſtucaverunt.

Et ne de cœtero in poſterum poſſet inde controverſia ſuſcitari, præſenti Paginæ Sigillum noſtrum fecimus apponi, ſub anathematis interminatione diſtrictius inhibentes, ne quis in perpetuum auſu temerario contra factum tam celebre & ſolemne venire, & inde perturbare præſumat.

Actum anno Verbi Incarnati M. C. C. XV. Indictione III.

CAPUT XXXI.

Controverſia inter STEPHANUM *Tornacenſem Epiſcopum, & Abbatem* S. Bertini, *anno* 1198. *pro Altari de* Lichtervelde (*hodie Diœceſis Brugenſis*) *determinatur Arbitrio* PETRI *Atrebatenſis Epiſcopi, ejuſque Archidiaconi.*

Modus antiquus lites componendi.

PEtrus divinâ patientiâ Atrebatenſis Eccleſiæ Miniſter & Radulphus Oſtrevandenſis Archidiaconus. Omnibus ad quos Litteræ iſtæ pervenerint ſalutem in Domino.

Omnia quæ bonâ fide inter contrahentes aguntur, maximè quæ Sententiâ diffinitivâ vel Tranſactione * ultimum finem accipiunt, perpetuò debent inviolabiliter obſervari.

* Legitimum.

Ea-propter tam futuris quam præſentibus per præſentem Paginam notum eſſe volumus, quia cum contentio eſſet inter Dominum Stephanum Tornacenſem Epiſcopum, & Joannem Abbatem ac Monaſterium Sancti Bertini ſuper Altari de * Liſtrevelde, quod idem Abbas dicebat ſe de manu Laïcâ redemiſſe, Epiſcopus autem aſſerebat ad Menſam ſuam ſpecialiter pertinere, elegerunt nos Arbitros in hac contentione: ut quidquid per diffinitivam Sententiam ſive Tranſactionem aut Compoſitionem ſtatueremus, utraque pars firmiter obſervaret; adjectâ pœnâ centum Marcharum, quam ſolvere tenetur pars illa, quæ arbitrio noſtro non parêret.

* Lichtervelde. Diœceſis Brugenſis Parochia.

Poſt multas autem contentiones, & altercationes, utrâque Parte conſentiente, & volente in hanc pacis & Concordiæ formam tam Epiſcopus quam Abbas & ſuus Conventus nobis mediantibus convenerunt.

Monaſterium Sancti Bertini prædictum Altare cum appendentiis ſuis tenebit, & liberè habebit de Epiſcopo Tornacenſi perpetuò, ſalvo Jure Epiſcopali & Archidiaconali, ſcilicet ſommatis Synodis & aliis juſticiis ſeu conſuetudinibus Chriſtianitatis, ad cenſum VII. librarum Flandrenſis monetæ, quas ſingulis annis idem Monaſterium ſolvet Tornaci eidem Epiſcopo intrà viginti dies poſt Nativitatem Domini.

Verum quia prædictus Abbas & Conventus quadam ſolutione penſionis annuæ Gerardo Militi, & Aelidi uxori ejus, de quorum manu Altare redemerant, tenebantur, ad levamen hujus gravaminis ſtatutum eſt, ut quandiu idem Gerardus & Aelidis uxor ſua viverent, de prædictis ſeptem libris centum ſolidos ſingulis annis tantum reddent Epiſcopo, præſtituto termino. Altero autem vel de medio ſublato, vel ad Religionem converſo ſex libras reddent. Utroque vero vel mortuo vel converſo totas ſeptem libras ſicut prædictum eſt prædicto Epiſcopo annuatim perſolvent.

Hanc Compoſitionem & pacem, tam Epiſcopus & Archidiaconus, & quidam Canonici Tornacenſes, qui ex parte Capituli ſui ibi venerant, quia ſine eorum conſenſu negotium non poterat terminari, quam Abbas, & quidam Monachi ſui, qui ſimiliter ex parte Conventûs ſancti Bertini ibi erant, ſeſe bona fide obſervaturos firmiter promiſerunt. Et ad firmamentum ejuſdem rei Litteras ſuas Compoſitionis hujus continentiam habentes conſcripſerunt, prædicto Epiſcopo Litteras Sigillis Abbatis

Digitized by Google

tis & Conventus Sancti Bertini consignatas accipiente, & eodem suas Sigillis tam suo quam Capituli Tornacensis confirmatas Abbati & Monachis assignante. Quod ut firmum & stabile permaneat, & ne super his quæ bonâ fide sanoque consilio tractata sunt & terminata, de cœtero jurgium oriatur, præsenti Paginâ conscribi & Sigillis nostris fecimus confirmari: eorum qui interfuerunt signa & nomina subnotantes.

Signum Domini Hugonis Cameracensis Electi.

Signum Joannis Abbatis de Falempin.

Signum Manerii Abbatis de Hasnonio.

Signum Magistri Radulphi Archidiaconi Atrebatensis.

Signum Gossuini & Theodorici Archidiaconorum Tornacensium.

Signum Stephani, & Waltheri Canonicorum Tornacensium.

Signum Magistri Hugonis Ambianensis.

Signum Bartholomei & Martini Canonicorum Atrebatensium.

Signum Marcelli, Capellani Episcopi Tornacensis.

Signum Garneri socii ejusdem Episcopi Tornacensis.

Signum Walteri Presbyteri & socii prædicti G. Archidiaconi.

Signum Fulcardi & Waltheri Monachorum Sancti Bertini.

Signum Arnulphi Decani Christianitatis Brugensis.

Signum Eremboldi Presbyteri de Ruzelada.

Actum Duaci anno Incarnati Verbi millesimo centesimo nonagesimo octavo, quarto Idus Martii.

CAPUT XXXII.

Begginagium Thenense *fundatur anno* 1202. *per* GERARDUM A PORTA, *Civem; & confirmatur anno* 1250. *per Litteras* HENRICI *Leodiensis Episcopi, & aliorum.*

Ex Historia S. Beggæ per Abbatem à Ryckel.

UNiversis præsentes Litteras aspecturis, Wilhelmus de Kersbeca, Joannes dictus Guetwerck, Walterus dictus Vughenada, & Waltherus dictus de Winde, Scabini Thenenses, salutem, & noscere veritatem.

Noveritis, quod in nostra præsentia constitutus GERARDUS dictus DE PORTA domum suam & curtem sitam apud Thenas in platea Begginarum Thenensium censualiter ad Dominum Ducem Brabantiæ spectantem, per monitionem Walteri dicti, & per sententiam Mansionariorum eorumdem, videlicet nostrorum Scabinorum, in manus Receptoris cum effestuatione supportavit: ac etiam de dicta domo & curte ad opus Curiæ Begginarum totaliter, & in perpetuum exhæredavit.

Dictus quoque Receptor investivit ac hæreditavit per antegressum judicium Godefridum dictum Cruwel Clericum, ad opus dictæ Curiæ in dicta domo, & clam cum solemnitatibus debitis & consuetis.

In cujus rei testimonium nos Scabini prædicti, Sigilla nostra tanquam Scabini præsentibus duximus appendenda.

Datum anno Domini M. C. C. II. feriâ VI. post Martini hyemalis.

HENRICUS Dei gratiâ Electus Leodiensis, universis præsentes Litteras inspecturis in Domino salutem.

Ad memoriam singulorum volumus pervenire, quod nos Litteras Wilhelmi Investiti de Hakendovere vidimus, subjectam seriem continentes. Universis Christi fidelibus, quibus præsens Scriptum videre contigerit, Wilhelmus Investitus Ecclesiæ de Hakendovere salutem in Domino sempiternam.

Cum dilectæ in Christo Begginæ Thenensis Curiæ domum unam & curtem, quæ fuit Oliverii de Castel & fratris ipsius H. bonæ memoriæ, infra limites Parochiæ de Hakendovere, propè suam Curiam sibi ad commanendum in ipsa domo comparaverint, & bonarium terræ, quod est ipsius Oliverii de Castel, quod prædictæ Curti adjacet, ad ædificandum in ipso domus, in quibus morentur, adhuc intendant comparare; quia in dictis locis morantibus difficile nimis esset, propter nimiam locorum distantiam pro Sacramentis Ecclesiasticis ad dictam Ecclesiam de Hakendovere convenire;

Nos earum commodo & saluti animarum providentes, eisdem Begginis, quæ in ante specificatis locis morantur, seu morabuntur, concedimus, ut à prædictæ Curiæ Capellano in perpetuum recipiant Ecclesiastica Sacramenta, & sepulturam; & harum curam gerat idem Capellanus.

Ita tamen, quod pro Jure Parochiali Ecclesiæ nostræ, Nobis & nostris Successoribus quinque denarios Lovanienses eædem Begginæ infra limites nostræ Parochiæ morantes, de domo jam acquisita, in qua mo-

rantur, & totidem de ſingulis domibus, cum eas acquiſierint & in eis manſerint, ſingulis annis in perpetuum conferant & perſolvant, duos ſcilicet in Natali Domini, duos in Paſchate, & unum in Pentecoſte: & ſic à Jure reliquo Parochialis Eccleſiæ noſtræ ipſæ maneant abſolutæ, & nos ab earum ſollicitudine.

In cujus rei teſtimonium præſentes Litteras Sigillis noſtris, & dicti Capellani, in ſignum, quod prædictis omnibus conſentiat, fecimus ſigillari: ſupplicantes quatenus dictus Leodienſis Electus factum noſtrum tam pium dignetur confirmare.

Datum feriâ tertiâ poſt feſtum B. Dionyſii, anno Domini M. C. C. L.

Nos igitur præfixam Ordinationem piè ac providè factam benigno favore proſequuti, ratam habentes, Auctoritate præſentium confirmamus, declarantes, quod Inveſtiti, qui ſucceſſuri ſunt, pro tempore in Eccleſia de Hakendovere hac Ordinatione contenti, nihil aliud vel amplius petere poterunt in poſterum à prædictis Begginabus, vel earum Capellano, quam ſuperius eſt expreſſum.

Datum Leodii, Anno Domini M.C.C.L.

UNiverſis Chriſti fidelibus, quibus præſens Scriptum videri contigerit, Godefridus Villicus in Thienen, Henricus Dominus de Zettrud, Henricus ejus primogenitus, Joannes de Lede, Milites, & Henricus Beruvoz, Homines Domini Ducis.

Arnoldus Miles de de Houthem, Henricus Pamen, Reinerus de Oorbeeck, Arnoldus Libe, & Rixe de Avendoren, Scabini Thenenſes, ſalutem cum notitia veritatis.

Noverint univerſi, quod Gerardus de Gingelem Allodii ſui dimidium bonarium, & dimidium jurnale terræ in una pertica, nunc cum annona hyemali jacentis inter Nederwinde & Rachoven quinque ſolidos uno denario minus, ſex cap. & tritici ſextaria avenæ menſuræ Lecuwenſis annui cenſus, ſui ſimiliter Allodii, & Manſionarios ſolventes ipſum cenſum apud Winde & circum, reſignavit ad opus pauperum Curiæ Thenenſis Begginarum, in manus noſtras Villici prædicti, & per Sententiam noſtrorum Hominum Allodiorum prædictorum, & Nos Villicus contulimus, &c.

Anno Domini M. C. C. LIX.

CAPUT XXXIII.

Emo Plebanus de Huſdinghe, *&* Emo de Romerswerf *Laicus, inchoant anno* 1209. *Abbatiam* Horti Floridi (*vulgo* Witte-Werum) *Religioſorum Præmonſtratenſium juxta* Groningam, *Urbem olim Epiſcopalem apud Batavos; probante Otthone I. Monaſterienſi Epiſcopo, tunc hujus loci Ordinario.*

OTTHO, Dei gratiâ Monaſterienſis Eccleſiæ Epiſcopus, tam præſentibus quam futuris hoc Scriptum inſpecturis, ſalutem in vero ſalutari.

Acceſſit ad nos Magiſter Emo, quondam in Huſdinge Plebanus, & ſuâ nobis inſinuatione monſtravit, quod Laïcus quidam *Emo de Romerſwerf* religioſè vivere cupiens, in poſſeſſione ſua Capellulam fundavit, ac habitum Religionis à B. Benedicti in *Fildwerth* Abbate recepit nullâ factâ profeſſione: & poſtea reverſus in poſſeſſione ſua liberè eſt verſatus.

Poſtmodum vero idem Magiſter Emo in eodem loco Converſus, ſecundum Regulam B. Auguſtini & Ordinem Præmonſtratenſem, ibidem vivere & Deo ſervire cœpit; cui & Fundator illius loci Emo tanquam majori ceſſit, & in eadem Regula quaſi majori & liberiori ſimiliter verſari conſenſit.

Nos autem factum utrorumque commendantes, eidem Magiſtro Emoni in eodem loco ſecundum Ordinem prædictum Deo ſerviendi, Fratres inſuper & Sorores colligendi, præſente Fundatore conſentiente, plenam conceſſimus autoritatem.

Et ne res geſta poſteris in dubium venire queat, Scripto & Sigillo noſtro confirmavimus.

Acta ſunt hæc, anno Dominicæ Incarnationis M. C C. IX. pridie Kalendas Aprilis, feriâ Paſchalis Ebdomadæ, Indictione XII. Epacta XII. concurrente III.

Anno 1211. collata fuit novello Monaſterio Eccleſia in *Werum*: unde vulgatum ei adhæſit nomen *Witte-Werum*. Paulò poſt illud adoptavit Gervaſius Abbas Generalis Præmonſtratenſis: cujus Diploma legitur in Hiſtoria Groningenſis Epiſcopatûs apud Heuſſenium, pag. 51. & ſequentibus. Ultimus Abbas hujus loci *Hermannus Cornelii* aſſumptus fuit ad novum Capitulum Cathedrale Groningenſe, uti latiùs ſupra dictum pag. 131. horum Diplomatum.

Digitized by Google

De B. *Emone* primo Abbate Werumenſi, ejuſque Succeſſore B. *Mencone*, eorumque Chronicis, præter Analecta Ant. Matthæi (in quibus edita leguntur hæc Chronica) lege etiam novam Bibliothecam Scriptorum Belgii, pag. 261. & 887.

CAPUT XXXIV.

Cono de Mucei, *Vir Nobilis, donat Abbatiæ* Sti. Huberti *in Arduenna, Ordinis Sti. Benedicti, Decimam loci de* Ruth, *anno* 1209.

Ex Archivis Abbatiæ S. Huberti.

EGo Cono de Mucei Vir Nobilis, notum facio præſentibus & futuris, hæredibus Hominibus cognatis meis & amicis, quod Jacobus Miles de Fallei Decimam ſuam de *Ruth*, quam de manu mea in beneficium Feodi poſſidebat, Eccleſiæ Sanctorum Petri atque Huberti de Ardenna in eleëmoſynam eſt largitus. Unde ne aliqua procedente tempore inter eandem Eccleſiam & hæredes meos, vel etiam Jacobi hæredes, pro ipſa Decima oriatur contentio ſive diſcordia, rogante Wilhelmo Abbate prædicti Monaſterii, Ego & Pontia uxor mea & filii mei, ſed & uxor Jacobi & filii eorum eleëmoſinam approbantes, manum appoſuimus, & omnes unanimiter factæ Donationi præbuimus aſſenſum.

Abbas autem prædictam Decimam pecuniâ ſexaginta librarum Cathalaunenſis redemit ab his, qui eam in pignus detinebant. Et inſuper prædicto Jacobo contulit quadraginta libras ejuſdem monetæ, ne accepti beneficii videretur eſſe ingratus.

Ut ergo hujus Eleëmoſynæ largitio, & conſenſus mei approbatio, nullâ oblivione deleantur, placuit mihi præſenti Scripto & Sigilli mei appenſione prædictam Decimam jam dicto Monaſterio confirmare, quatenus apud Fratres ejuſdem loci memoria mea habeatur in bonum.

Hujus rei Teſtes ſunt, Vir Nobilis Ægidius de Cons, qui etiam Sigillum ſuum huic Scripto in teſtimonium appoſuit.

Walterus filius ejus.
Drogo Miles, avunculus ejuſdem Jacobi.
Wilelmus de Muro,
Johannes de Mucei,
Johannes Abuinus,
Theodoricus, Milites.

Teſtis eſt etiam Decanus de Longuion, Nicolaus, qui ſimiliter præſenti Cartulæ Sigillum ſuum in teſtimonium curavit apponere.

Actum anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo nono, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, amen.

CAPUT XXXV.

Walterus & Ægidius de Berthout, *Fratres, donant Abbatiæ* Grimbergenſi *Ordinis Præmonſtratenſis, Decimas Parochiæ de* Keerberghe, *in Diſtrictu Mechlinienſi, anno* 1211.

Ex Archivo Parochiæ.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, amen.

Ego Walterus Berthout, & Egidius Berthout Frater meus, omnibus inſpecturis. Quia caliginante hominum memoriâ, plerumque emergit ſpinoſæ contentionis materia, dignum eſt. Scripto mediante confirmemus ea quæ piâ devotione facere decrevimus.

Inde eſt, quod tam præſentibus quam futuris notum facimus, & hoc Sigillorum noſtrorum munimine confirmamus, quod duas garbas Decimæ de tota Parochia in Keerberge tam de terra culta quam in perpetuum colenda, pro noſtris & parentum noſtrorum animabus, Eccleſiæ *B. Petri in Grimbergen* liberè in eleëmoſinam contulimus.

Præterea Manſionarium prædictæ Eccleſiæ Sacellanum nullo jure ſervitii Nobis teneri recognovimus, excepto quod Domino noſtro tamquam Advocato debitè ſubjaceret. De cætero Ego *Walterus Berthout* quinque ſolidos quos apud Overhem ſingulis annis ſumere de quadam menſura ſolebam, eidem Eccleſiæ in eleëmoſynam contuli: tali conditione, ut ſingulis hebdomadis in honorem Dei & B. Joannis Evangeliſtæ Miſſa ibidem celebretur, & per hoc mei memoria in perpetuum habeatur.

Teſtes Canonici Mechlinienſes,
Waltherus Bert. . . . .

Digitized by Google

Wilhelmus de Eppegem,
Willelmus Bruuincx,
Henricus Notarius.
Milites: Gacellinus de Eppeghem.
Waltherus de Rutſam,
Hugo de Hanſwick.
Actum anno Dominicæ Incarnationis M. C. C. XI.

Idem Donum confirmat anno 1302. Ludovicus de Berthout *Dominus Keerbergæ.*

UNiverſis præſentes Litteras inſpecturis & audituris, Loduicus dictus Berthout, Miles, Dominus de Keerberga ſalutem cum notitiâ veritatis.

Noverit univerſitas veſtra, quod Religioſi Viri, noſtri amici, *Walterus* permiſſione divinâ Abbas Monaſterii *Grimbergenſis*, & Conventus ejuſdem loci, à nobis de noſtra voluntate & aſſenſu acquiſierint duas partes Decimarum Novalium in Villa noſtra de Keerberga, de omnibus fructibus qui ſeminantur in terris, cujuſcumque generis hoc exiſtat, & de fœno in omni modo, ſicut Curatus dictæ Villæ etiam partem dictarum Decimarum in eadem Villa recipit, & recipere tenetur, eaſdem duas partes levabunt dicti Abbas & Conventus nomine ſuo.

Et eaſdem capiendas & levandas eiſdem concedimus bonâ fide & eorum Succeſſoribus nunc & in perpetuum temporibus profuturis. Proteſtantes tenore præſentium Litterarum, nobis ſuper præmiſſis omnibus à prænominatis Abbatæ & Conventu fore plenarie ſatisfactum.

Et licet eandem Decimam hactenus nomine noſtro & ad opus noſtrum colligi fecimus & levari, volumus tamen, & veraciter proteſtantes acceptamus & concedimus dictis Abbati & Conventui ex nunc in antea, & eorum Succeſſoribus perpetuis temporibus nomine eorum & ad opus dicti Monaſterii Grimbergenſis eandem Decimam percipiendam levandam & habendam, ac in uſus Monaſterii utiliter convertendam, cum omni augmentatione & melioratione earumdem, ſi eaſdem modo quocumque meliorari vel augmentari contigerit temporibus affuturis, & ipſis Decimis gaudere debebunt perpetuò, ſine vexatione, pacificè & quietè.

Si quid autem nobis Juris competit in præſenti in dicta Decima, vel etiam nobis ſeu noſtris hæredibus ſive Succeſſoribus quibuſcumque fortaſſis poſſit competere in futuro, illud memoratis Abbati & Conventui Grimbergenſi eorumque Succeſſoribus ac eorum Monaſterio, in puram eleëmoſynam recompenſationemque Curialitatum ab eiſdem Nobis ſæpius impenſarum, liberè remittimus & donamus, etiam nobis aut noſtris hæredibus ſive quibuſcumque Succeſſoribus in perceptione dictæ Decimæ nihil juris reſervantes.

Sed & ſi in aliquo ad præmiſſa firmanda ex parte noſtra prædictis Abbati & Conventui ſive Succeſſoribus, & eorum Monaſterio minus ſufficienter & minus debitè eſſet factum, hoc eis perficere promittimus dum ab ipſis ſuper hoc fuerimus requiſiti, prout ipſis ac Monaſterio eorum ad majorem firmitatem habendam poterit proficere & valere.

Et ad hoc Nos, noſtros hæredes & Succeſſores quorum futuris temporibus intereſſe poterit, per præſentes Litteras obligamus & Nos decernimus obligatos; bonâ fide firmantes, quod contra omnia præmiſſa ſeu præmiſſorum aliqua per Nos aut per alium ſeu alios occaſione quacumque non veniemus in futurum, ſed eadem warandizabimus in futurum de conſuetudine, pacificè contra omnes, Abbati & Conventui antedictis.

In cujus rei Teſtimonium & munimen, ut hæc omnia perpetuam habeant firmitate, Sigillum noſtrum Litteris præſentibus duximus apponendum.

Et ad majorem certitudinem obtinendam, rogamus Dominum Joannem noſtrum Cognatum dilectum, de Berlaer Militem, & noſtros Scabinos de Keerberga, ut etiam ſua Sigilla apponant.

Et Nos Joannes de Berlaer Miles, & nos Scabini de Keerberga prædicti, ad preces & inſtantiam proteſtamur, quod coram nobis Scabinis omnia ſupradicta contracta ſint & ordinata per noſtrum Jus & Conſuetudinem noſtram. Ideo Sigilla noſtra, unâ cum Sigillo Domini Loduici prædicti appoſuimus in Teſtimonium præmiſſorum, ut perpetuam habeant firmitatam.

Datum anno Domini M. C. C. C. II. Dominicâ quâ cantatur Lætare.

Digitized by Google

CAPUT XXXVI.

Abbas Generalis Præmonſtratenſis commendat Patriarchæ Jeroſolymitano HELLINUM *Abbatem Floreffienſis Monaſterii Ordinis Præmonſtratenſis in Namurceſio, circa annum* 1215; *qui ad expeditionem Terræ Sanctæ profectus, duo illic Monaſteria Religioſorum ejuſdem Ordinis (videlicet* S. Samuelis & S. Abacuc) *inſtauravit, gubernavit ac* Floreffienſi *Abbatiæ ſubjecit.*

Extat eadem Epiſtola apud Miræum in Chronico Præmonſtrat. edita pag. 162.

REverendo in Chriſto Patri & dilecto Domino C. Dei gratiâ ſanctæ Reſurrectionis Venerabili Patriarchæ Frater Gervaſius (1) Fratrum Præmonſtratenſium Servus humillimus, ſalutem & cum orationum inſtantia devotam ad obſequia voluntatem.

Licet ſollicitudo omnium Eccleſiarum, tam ipſius Præmonſtratenſis, cui ſpecialiter præſidemus, quam totius Ordinis, cui inſufficienter præficimur, animum noſtrum detinuerit multipliciter occupatum: interno tamen affectu ſemper de Terræ Sanctæ deſtitutione doluimus: & ut viderent oculi noſtri diem, quo eam audiremus Chriſtiano cultui reſtitutam, ſtudioſè pro-ut permiſerunt negotia noſtra, quæ nec differri poterant nec omitti, interpoſuimus partes noſtras.

Videlicet aut perſonaliter diſſeminando in populis verbum Dei, aut injungendo hoc ipſum Fratribus Ordinis noſtri, quos ad hoc credebamus & ſuperiores vitâ, & clariores.

Sane cum Dominus Papa ſcripſerit Venerabili & dilecto Fratri Hellino (2) Abbati Floreffiæ latori præſentium pro ſuſcipiendo ad petitionem Domini (3) Acconenſis Epiſcopi peregrinationis onere Tranſmarinæ: & idem Abbas laborioſâ peregrinatione ſuſceptâ ad præſentiam veſtræ Paternitatis accedat:

Veſtræ pro eo præeminentiæ ſupplicamus, quatenus ipſum habeatis in Domino commendatum; utpote Virum vitâ commendabilem, & qui multos labores in terra ſua ſuſtinuit, ut ad liberandam hereditatem Domini fidelium mentes & exemplo moveret, & verbo.

Specialiter ſiquidem Vos rogamus, ut cum ſegratiatus populo ſuo Dominus funiculum hereditatis ſuæ reddiderit adoratoribus Crucis ſuæ, poſſeſſiones Eccleſiarum Ordinis noſtri (videlicet ſancti Samuelis, (4) & ſancti Abacuc (5) quarum prima eſt Præmonſtrati, ſecunda Floreffiæ Filia ſpecialis) eidem Abbati reſtitui jubeatis: ut, cum fidelis populus gaudebit Gentium incredulitatem confuſam, & terram debito cultui reſtitutam, Nos quoque eo plenius poſſimus congaudere gaudentibus, pro prædictis Poſſeſſionibus reverſis ad Ordinem; nihil noſtro deeſſe gaudio ſentiemus.

Conceſſimus autem memorato Abbati tam in reconciliandis fugitivis, cum opus fuerit, quam in aliis operationibus, quæ ad Ordinem pertinere noſcuntur, noſtræ plenitudinem poteſtatis. . . .

(1) GERVASIUS, natione Anglus, è Monacho & Abbate S. Juſti Beluacenſis, fit anno 1209 Abbas Generalis Præmonſtratenſis, dein anno 1219 Epiſcopus Sagienſis in Gallia. Scripſit Volumen Epiſtolarum, quarum quædam extabant olim MS. in Bibliotheca Abbatiæ Viconienſis, quas evulgavit anno 1663 Norbertus Caillieu, S. T. D. Pariſienſis, nec non Archi-monaſterii Præmonſtratenſis Prior 4. Valencenis apud Joannem Boucher. Aliæ ejuſdem Epiſtolæ 250 extant hactenus MSS. in Abbatia Steinfeldenſi ſecus Coloniam.

(2) B. HELLINUS, Abbas Floreffienſis, unà cum Cardinale Joanne de Vitriaco Epiſcopo Acconenſi in Syria, peregrinationem Jeroſolymitanam Cruce ſignatus, ſuſcepit: ibique rexit Monaſteria S. Samuelis & S. Abacuc. Inde vero adverſariorum perfidiâ ejectus, vitam ſanctè finivit anno 1218 in Monaſterio Stæ. Epiſcopiæ, Ordinis Præmonſtratenſis Diœceſis Nicoſienſis in Inſula Cypri. Colitur die 21 Auguſti. Vide Fiſen Flores Eccleſiæ Leodienſis pag. 382.

(3) JACOBUS DE VITRIACO, S. R. E. Cardinalis, prius fuerat Canonicus Regularis in Monaſterio Oigniacenſi (hodie Diœceſis Namurcenſis) poſtea Acconenſis in Syria Epiſcopus, denique Tuſculanus. Obiit anno 1244. inter Beatos relatus. De Scriptis ejus conſule Bibliothecam Belg. Tomo I. pag. 542.

(4) S. SAMUELIS Monaſterium, Filia ſpecialis Præmonſtrati, cujus Religioſi reſidebant apud Accaron.

(5) S. ABACUC Monaſterium, filia ſpecialis Abbatiæ Floreffienſis in Namurceſio.

CAPUT XXXVII.

Abbas Generalis Præmonſtratenſis rogat HENRICUM *Brabantiæ Ducem, circa annum* 1215, *ut Moniales ſui Ordinis, quæ fuerant hactenus in* Poſtella *(quæ hodie eſt Abbatia Religioſorum in Diœceſi Silvæducenſi) ad alium locum transferri permittat.*

ILluſtri Domino & in Chriſto chariſſimo, H. Marchioni Romani Imperii ac Duci Brabantiæ, Frater Gervaſius, dictus Præmonſtratenſis Abbas, ſalutem, & cum orationibus ſinceram ad obſequia voluntatem.

Cum ad petitiones noſtras (quas videbatis ratione niti & fulciri honeſtate) multoties invenerimus Vos paratos, & deſiderare quandoque, ut aliqua corrigerentur in Ordine, quæ ſecundum zelum veſtrum limâ videbantur correctionis indigêre: concepimus fiduciam, ut veſtrum non tantùm aſſenſum, ſed & auxilium poſtularemus, ad Ordinis honeſtatem in aliquâ parte promovendam.

Sane cum Venerabilis Frater N. Abbas Floreffiæ, piâ (ut credimus) intentione ductus, intendat Sorores, quæ nunc apud (1) Poſtellam commorantur, ad alium locum transferre, ubi earum & honeſtas & fama meliùs conſervetur; Strenuitatem Veſtram affectuoſè rogamus, quatenùs eidem velitis Abbati aſſiſtere in hoc facto; non tantùm annuentes, ut expleat quod proponit, verùm etiam compeſcentes ſæculares quoſlibet veſtræ Juriſdictioni ſubmiſſos, qui pro arbitrii ſui motu Ordinationibus Eccleſiarum Ordinis noſtri ſe immiſcent.

Credimus etiam, quod ſi dictus Abbas perfecerit quod intendit, de Sororibus transferendis, honeſtas inde Ordinis, & ſalus proveniet animarum.

Data non adjungitur.

(1) POSTELLA, hodie Abbatia Religioſorum Pręmonſtratenſium, in Diœceſi Silvæducenſi, quę ante annum 1621. tantùm erat Prępoſitura fundata anno 1173, ac dependens ab Abbatia Floreffienſi in Diœceſi Namurcenſi.

Porro e Diplomate jam relato conſtat, illic olim fuiſſe etiam Moniales prędicti Ordinis; quod tamen negavit Baro le Roy in Notitia Marchionatûs S. R. I. pag. 435, dicens fuiſſe Begginas Hoſpitali deſervientes.

De quibus plura vide in Hiſtoria Eccleſiaſt. Epiſcopatûs Sylvæducenſis pag. 230.

CAPUT XXXVIII.

ADAM *Dominus* DE WALLINCOURT, *Caſtellanus Iprenſis ac Balliolanus, ejuſque uxor* ISABELLA *fundant ac dotant Capitulum VI. Canonicorum cum Decano, in vico de* Wallincourt, *juxta Cameracum anno* 1218.

Ex Archivis Capituli Metropol. Camerac.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti, amen. Quoniam qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam; idcircò Ego ADAM Dominus DE WALLINCOURT, Caſtellanus Yprenſis & Ballioli, & ISABELLA uxor mea, notum facimus univerſis præſentibus & futuris, quod Nos pro remedio animarum noſtrarum & Anteceſſorum noſtrorum dedimus & guerpivimus per ramum & ceſpitem Eccleſiæ Beati Petri de *Wallincourt*, ad opus Canonicorum qui perpetuò in eadem deſervient, univerſas Decimas noſtras, ſimiliter Decimam noſtram *de Wallincourt* & *de Malincourt*, *de Senaucourt*, *de Salvigny*, *de Rambaucourt*, *de Ypra*, quam ſub annuo cenſu tenemus ab Eccleſia beati Donatiani Brugenſis, & Decimam de la *Coute*, & omnes alias ad nos ſpectantes tam poſſeſſas quam poſſidendas.

Numerus Canonicorum.

Providimus autem, ut ad præſens ſex Canonici inſtituantur in Eccleſia memorata: ad quos omnia ſupra-dicta pleno jure ſpectabunt. Qui jurabunt, ſecundum quod fieri conſuevit in aliis Eccleſiis Conventualibus, quod libertates & bona Eccleſiæ bonâ fide ſervabunt, & procurabunt fideliter, ut Inſtitutiones Eccleſiæ & conſuetudines approbatæ, tam à ſe quam ab aliis firmiter obſerventur.

Hi quidem Canonici unum de Canonicis

Decanus. ſuis, ſibi eligent in Decanum: qui niſi in tempore ſuæ Electionis ſit Presbyter, ordinabitur Presbyter infra annum. Ad quem pertinebit corrigere, cum conſilio Capituli, leviores exceſſus; ut-pote inordinatas tonſuras, raſuras, veſtes, geſtus incompoſitos, contumelias à Canonicis ſibi invicem illatas, abtque violenta manuum injectione; majoribus tamen exceſſibus ad majorum referendis examen. Qui ut ſtatim fuerit inſtitutus, preſentabitur Epiſcopo, fidelitatem ei facturus de his quæ ſpectabunt ad Epiſcopum.

Præpoſitus. Præpoſitum quoque, non perpetuum, ſed annuum Canonici ſibi eligent, unum de Canonicis, qui præter Juramentum generaliter ab aliis omnibus factum, jurabit ſpecialiter, quod bona Canonicorum ſuorum bonâ fide cuſtodiet, & diſtribuet unicuique ſuam fideliter portionem.

Decanus vero in initio promotionis ſuæ jurabit perpetuam reſidentiam in Eccleſia ſe facturum: niſi peregrinationis cauſâ vel ſtudii exeat de licentia Capituli ſui. Qui præ ceteris Canonicis tres modios Bladi percipiet, duas partes frumenti, tertiam vero avenæ.

Præpoſitus verò pro labore ſuo duos modios, medietatem frumenti & medietatem avenæ ſimiliter percipiet annuatim.

Canonici. Statutum eſt etiam, & expreſſim firmatum à Nobis, ut omnes Canonici ſint in Eccleſia reſidentes. Quod ſi forte aliquis forancus extiterit, non plus de Præbenda ſua quam viginti ſolidos Pariſienſes percipiet; reſiduum vero Præbendæ diſtribuetur inter Canonicos reſidentes. Qui etiam, ne Eccleſia defraudetur ſuo ſervitio, de parte illius reſidui unum Vicarium tenebunt, ſecundum quod utilitati Eccleſiæ viderint expedire.

Reſidentes vero reputamus, qui domicilium ac familiam habebunt in Villa; qui ſi quidem bene poſſunt exire pro ſuis negotiis vel alienis, dum tamen non ultra quindenam, niſi per licentiam Capituli, commorentur. Capitulum autem licentiam alicui dare non poterit, niſi priùs reſidentiam per annum fecerit in Eccleſia memorata; & tunc ſolummodo cauſa peregrinationis vel ſtudii, ut ſupra dictum eſt de Decano.

Volumus autem, ut in novitate iſta ſex Canonici qui à nobis ſunt inſtituti, quia eorum ope & conſilio ad conſummationem tam pii operis indigemus, ſinguli poſſint ſuas Præbendas integre percipere, & per ſingulos Vicarios deſervire; ita tamen quod Magiſter Guillelmus, noſter Clericus, qui noſtris eſt negotiis impeditus, ad habendum Vicarium, niſi voluerit, quamdiu erit in noſtro ſervitio, minimè teneatur.

Inſtituendi quicumque fuerint ad perſonalem reſidentiam omnimodis teneantur; vel viginti tantùm ſolidis Pariſienſibus pro Præbendis ſuis, ut ſupra dictum eſt, ſint contenti.

Hoc autem ſpecialiter duximus advertendum, Canonici qui modo inſtituti ſunt, & qui inſtituentur de cætero, ſub Sacramento quod Eccleſiæ præſtiterint, teneantur, ne ultra triginta libras Cameracenſes de Præbendis ſuis percipiant, nec pro ſe nec pro Vicariis ſuis: ſed quicquid ſummam excreverit prætaxatam, bonâ fide reſervabitur per communem conſenſum Capituli, & collocabitur in reditibus, ad opus Præbendarum; quarum Donationem nobis & noſtris Succeſſoribus in perpetuum reſervamus. Collatio Præbendarum.

Iſta omnia ordinamus, ſalvo Jure & reverentiâ Domini Cameracenſis Epiſcopi, & Eccleſiæ de Honnecourt, ad quam pertinet Perſonatus Eccleſiæ ſupradictæ.

Sciendum, quod corporaliter præſtitimus Juramentum, quod Inſtitutiones ſcriptas, & Libertates & bona Eccleſiæ fideliter curabimus obſervari, & omnia bona ejus ſub protectione & tutela noſtra ſuſcepimus. Volumus, ut omnes Succeſſores noſtri ad hoc ipſum faciendum ſub ſacramento corporaliter præſtito ſimiliter teneantur.

Ut autem omnia iſta rata & inconcuſſa permaneant, præſentem Paginam Sigillorum noſtrorum munimine fecimus roborari.

Actum anno gratiæ milleſimo ducenteſimo octavo decimo, ſecundo Idus Julii. 1218.

Diploma hoc, & alia plura Cameracenſia, benignè communicavit anno 1740. Rev. adm. D. le Maire, Duacenas, Eccleſiæ Metropol. Canonicus ac tunc Magnus Miniſter, J. C. inſignis.

In vico de Wallincourt duæ ſunt Eccleſiæ, una Collegiata, ſub invocatione B. M. V. (de qua hoc Diplomate.) Altera Parochialis dicti S. Petri.

Jus Patronatûs utriuſque olim ad Abbatem Honnecurtenſem Ord. S. Bened. pertinuiſſe, hoc Diplomate aſſeritur. De qua Abbatia ad fines Galliæ ſitâ, conſule Diplomata Tomo II. pag. 927.

Digitized by Google

CAPUT XXXIX.

Monaſterium de Milen *(nunc Abbatia Monialium Ordinis S. Benedicti) apud Trudonopolim, in Diœceſi Leodienſi, fundatur anno* 1219 *.per* GOBERTUM DE ORBAIS, *& per alios ejuſdem Familiæ ampliùs dotatur.*

I. GOTBERTUS DE ORBAYS, *Vir Nobilis, Monaſterio de* Milen *inſtaurando fundum ac dotem largitur, anno* 1219.

GOTBERTUS Vir Nobilis DE ORBAIS, præſentibus & futuris in perpetuum. Univerſorum exigit providentia, ut quod rationabiliter agitur, ne labente tempore labatur, Scripto perpetuo confirmetur.

Ea propter notum facio præſentibus & futuris, quod Curtim *Milen*, quam in feodo à Comite Lonenſi *Arnoldo* poſſidebam, in manus ejus reſignatam, ſicut in Litteris ipſius plenius exprimitur, de aſſenſu ejuſdem, cum omni integritate Juſtitiæ in in Placitis, in molendino, in agris, in ſylvis, in pratis, cum omnibus omnino attinentiis, Eccleſiæ Sanctę Catherinæ, pro quingentis libris alborum, & viginti quinque vendidi; aſſenſum præbente *Jolenda* Domina de *Yrgis*, cujus filiam in uxorem habui, & annuentibus cunctis hæredibus meis.

Præterea intuitu Dei & Beatæ Virginis & Martyris Catharinæ, Patronatum Eccleſiæ de Milen contuli abſolutè Eccleſiæ prænominatæ, ut Sorores Regulariter converſantes in ea, meum, cum non fuero, Anniverſarium, ſed & uxoris meæ *Evæ*, & fratris ſui *Ægidii*, *Jolandæ* etiam de *Yrges*, perpetuis orationibus obſervent: ſed & Domini *Hugonis de Florinis*.

Quæ omnia ut firma & perpetuo rata permaneant, cum filii mei & hæredes omnes legitimè renunciaverint, Sigillo meo communivi, & Teſtes idoneos ſubter-notavi.

Hujus rei Teſtes ſunt,
Clarebaldus de Alta-ripa,
Philippus de Tungernels,
Bernardus Miles, & quam-plures alii.

1219. Actum anno gratiæ M. C. C. XIX. Leodii præſidente Hugone Venerabili Epiſcopo.

II. ÆGIDIUS DE ORBAYS *Donationes Patris ſui Monaſterio* Milenſi *confirmat, anno* 1232.

ÆGIDIUS, Vir Nobilis, filius GOTBERTI Nobilis, præſentibus & futuris præſens Scriptum inſpecturis in perpetuum.

Notum facio tam præſentibus quam futuris, quod venditionem, quam pater meus Dominus *Gotbertus*, Vir Nobilis de *Brul*, cum Prioriſſa & Conventu Monialium ſanctæ Catharinæ ſuper Curti de Milen, & omnibus appenditiis ſuis fecit (ſicut in ejuſdem Litteris continetur) & eleëmoſynam, quam eidem Eccleſiæ fideliter largitus eſt, pro ſua, ſuorumque ſalute, ratam habeo & gratam. Et proteſtor, quod ſpontaneo concurro aſſenſu, & in veram eleëmoſynam prædictæ Eccleſiæ conferendo, omni in perpetuum renuntio querelæ & actioni; ita quod nulla perſona nomine meo memoratam Eccleſiam de cætero poſſit perturbare.

Quia vero Sigillum non habeo, præſentem veritatem Sigillo patris mei Domini Gotberti feci communiri.

Teſtes vero interfuerunt iſti,
Simon,
Dominus Cuno de Adelinchen,
Reynerus de Rolinchen Advocatu de Milen,
& Chriſtianus Advocatus S. Trudonis,
Wilhelmus Caſtellanus de Montenaken,
Nicolaus de Curtis,
Henricus de Aelſt,
Reynerus de Montenaken,
Arnoldus de Gengeleym,
Kulinus de Milen,
Damianus, Godſcalcus de Dyſte, Milites,
Scabini de Sancto Trudone, & Scabini de Milen, & Homines patris mei.
Henricus de Muſen, Jordanus filius Tegnonis, Reynerus Mercator, Robinus de Lewys.

Datum in vigilia B. Thomæ Apoſtoli, anno Domini M. C. C. XXXII. 1232.
Peto etiam, Sigillis Principum præſens Scriptum perpetuò roborari.

III. ARNOLDUS *Comes Loſſenſis, Donationes à Goberto d'Orbays & de Brul, & ab Ægidio ejus filio factas Prioratui de Milen, confirmat anno* 1232.

ARNOLDUS COMES DE LOS, præſentibus & futuris in perpetuum. Inſpectis Litteris Viri Nobilis ÆGIDII, ſuper venditione quadam, quam pater ejuſdem GOTBERTUS, Vir Nobilis de *Brul*, cum Prioriſſa

rissa & Conventu Monialium Sanctæ Katarinæ super Curti de *Milen* & omnibus appenditiis suis fecit, & super eleëmosynâ, quam dictus *Gotbertus* Nobilis præfato Monasterio pro suâ suorumque largitus est salute, sicut in ipsius liquet Litteris; cum idem *Ægidius* filius factum patris gratum & ratum approbaverit, grato concurrimus assensu.

Et ut perpetuò habeant robur, quæ in utriusque Litteris, Patris videlicet & filii sunt declarata, scilicet de Curte de Milen & omnibus appenditiis suis, & largitione eleëmosynæ; & præsentem Paginam Sigilli nostri impressione fecimus communiri. Et quicumque contra præmissa temerè attentaverit, nostram sciet se offensam incursurum.

Datum secundo Kalendas Februarii apud sanctum Trudonem, anno Domini M.C.C. 1232. XXXII.

IV. Joannes de Appia, *Leodiensis Episcopus, Fundationes præcedentes Monialibus de Milen confirmat, anno* 1232.

Joannes, Dei gratiâ Leodiensis Episcopus, præsentibus & futuris, has Litteras inspecturis, in Domino salutem.

Dilectæ filiæ Moniales sanctæ Catharinæ in Milen, Litteras Viri Nobilis *Ægidii* nobis exhibuerunt; continentes, quod idem Vir Nobilis venditionem, quam Pater ejusdem *Gotbertus*, Vir Nobilis de *Brul*, cum Priorissa & Conventu sanctæ Catharinæ fecerat super Curti de Milen, & omnibus appendiciis suis in eleëmosyna collatis, gratam & ratam haberet, renuncians omni de cœtero perturbationi.

Nos igitur memoratam Curtim, locum scilicet, in quo prædictæ Sorores divinis mancipatæ sunt obsequiis, & omnia à viro Nobili *Gotberto* de *Brul* prædicto Monasterio collata, sicut in ipsius liquet Litteris, præsenti Scripto duximus confirmanda, districtè inhibentes, ne quis hominum prædicta de cœtero perturbare præsumat, sed omnia usibus Ancillarum Christi profutura illibata conserventur.

Datum apud S. Trudonem, secundo Kalendas Februarii anno Domini M. C. C. 1232. XXXII.

V. Godefridus a Lovanio, *Dominus de Perweys, Grimbergæ, &c. è Ducum Brabantiæ Stemmate oriundus, fundationes* Gotberti *Avunculi sui &c. confirmat, anno* 1242.

Ego Godefridus, (1) Dominus de Parweys, notum esse volo omnibus hoc Scriptum inspecturis, quod Ego contuli in eleëmosynam Priorissæ & Conventui beatæ Catharinæ de Milen, Ordinis sancti Benedicti, omnia bona illa, quæ acquisivi & habui per commutationem aliorum bonorum, coram Comite de Los, qui fuit Dominus eorumdem bonorum, & per sententiam Hominum ipsius Comitis, ab avunculo meo, Domino *Gotberto de Brul*, & à Domino Ægidio filio suo, *de Herge*, in perpetuum pacificè possidenda, tam in agris cultis, quam in pratis & silvis, molendino, telonio, censu in humidis & siccis, cum omnibus juribus & consuetudinibus, quibus hactenus prædictus Conventus tenuit eadem bona, ex quo adeptus ea primò; quæ bona jacent apud *Milen*, in quibus eædem Dominæ morantur.

Ego autem confirmo omnes collationes & Litteras collatas prædictis Dominabus, sive à Comite de Los, sivè ab avunculo meo & filio suo prædictis, per has Litteras meas præsentes.

Huic Collationi interfuerunt, Venerabilis Pater (2) B. Episcopus quondam Lausanensis, qui hæc bona recepit cum Domino Ch. Abbate sancti Trudonis, pro Priorissa & Conventu de *Milen*, ad opus earumdem Dominarum, apud Milen in cœmiterio;

Et Dominus Cono de Here, Advocatus de sancto Trudone.

D. Gonterus de Berle,
D. Libertus de Seline,
D. Fastrardus de Berle,
D. Lambertus de Aelst,
D. Hermannus de Sassenbrouch,
D. Philippus de Herck Castellanus de Montengeys, & frater suus D. Eustacius.
D. Eustacius de Bouchout Castellanus de Duras.
D. Libertus Langheduech,
D. Recionus de Gengelem,
D. Simon de Geldonia,
D. Nicolaus de Cortis,
D. Henricus de Sassenbrouch,

& Scabini mei de Musen, & alii quam plures mei Homines.

Hac Collatione factâ coram omnibus prædictis, petivi coram eisdem Venerabilem Patrem Episcopum prædictum, ut excommunicaret omnes illos, quicumque de cetero contrairent isti meæ Collationi. Quod & fecit coram me, & omnibus prædictis.

Præterea ut hæc mea Collatio robur perpetuum obtineat, rogavi prædictos Episcopum & Abbatem, & Dominum Arnoldum Comitem de Los, quod apponderent sua Sigilla præsenti Paginæ, cum meo Sigillo.

Actum & datum in Vigilia beati Joannis Baptistæ, anno gratiæ M. C. C. quadragesimo secundo. 1242.

(1) Godefridus de Perweys, dictus etiam à Lovanio, fuit Dominus Grimbergæ, Perueti, Ninoviæ, Rumeltæ, &c. Hic Patrem habuit Guilielmum à Lovanio; Matrem Aleydem d'Orbais, Sororem Gotberti Domini d'Orbais & Brul, de quo in hoc Diplomate, fundatorem præcipuum Prioratus (nunc Abbatię) Monialium de Milen Ord. S. Benedicti juxta Trudonopolim. Pater autem Guilielmi, Godefridi avus, erat Godefridus III. Brabantię ac Lotharingiæ Dux. Ita Butkens libro VIII. Trophæorum.

(2) Bonifacius quondam Lauſanenſis in Helvetia Epiſcopus, Bruxellâ oriundus, anno 1138. Epiſcopatum ſuum Romæ in manus Gregorii IX. Pont. dimiſit. Deinceps vitam egit privatam in Abbatia Camerę Ordinis Ciſtercienſis juxta Bruxellam, ibique pié obiit anno 1261. Faſtis Sanctorum adſcriptus ad diem XIX. Februarii.

Porrò hęc quinque Diplomata Abbatiæ Milenienſis deſcripta ſunt ex Actis SS. Menſis Julii Tomo V. pag. 647. ubi Hagiographi S. J. ad diem 24. Julii egerunt de Vita *Chriſtinæ Mirabilis* Virg. in prædicto Milenienſi Monaſterio requieſcentis. Erat & VI. Diploma Arnoldi Comitis Loſſenſis datum anno 1219. in favorem prędictarum Donationum: ſed extabat iſtud jam editum Tomo II. Diplom. Belg. pag. 847.

CAPUT XL.

Origo Abbatiæ Belli-prati, Monialium Ordinis Ciſtercienſis (quæ olim Foſſa dicebatur) ad Liſam fluvium, anno 1220. hodie que ſubeſt Diœceſi Audomarenſi.

Ex Archivis ejuſdem Abbatiæ.

EGo Maria Prioriſſa de Foſſa (1) & ejuſdem loci Conventus humilis, notum facimus univerſis præſentibus & futuris, quod niſi noſtrum Cœnobium apud Gorgam (2) conſtruxerimus, quidquid habemus de dono Domini Advocati ibidem, videlicet Perſonatum Eccleſiæ ejuſdem Villæ, tres mencaldatæ, item tres quarterii prati & quatuor mencaldatæ terræ arabilis, ad ipſum Advocatum liberè revertentur, nec impedire, quin ita fiat, debebimus vel poterimus ullo modo.

In Teſtimonium autem hujus rei, Litteras noſtras patentes dicto contulimus Advocato.

Actum anno Domini milleſimo ducenteſimo vigeſimo, menſe Januario.

EGo Marchus Dominus de Bettonſart. Notum facio tam præſentibus quam futuris, quod Ego duas partes Decimæ de terra mea quam teneo à Domino de Albiniaco in Parochia ſancti Martini de Tilloi, de aſſenſu & voluntate Nicolai primo-geniti & hæredis mei & Hugonis fratris mei qui in ea aſſignamentum habebat, præſente & annuente Robaco de Tenques Baillivo jam dicti Domini de Albiniaco, Monialibus de Bello-prato in perpetuam ac liberam eleëmoſynam aſſignavi: aſtantibus & ad hoc vocatis in teſtimonium,

Domino Hugone de Bettencourt,
Domino Nicolao de Tenques, Militibus.
Johanne de Manſo, & multis aliis.

In cujus Donationis meæ memoriam, ſtabilemque in poſterum firmitatem, præſentem Paginulam inde ſcriptam Sigilli mei munimine roboravi.

Actum anno Domini Incarnationis milleſimo ducenteſimo viceſimo ſeptimo, menſe Junio.

Vide alia Diplomata Fundationis ejuſdem Monaſterii, item Notas Tomo III. Diplom. Belgic. pag. 379. ubi & alia quædam ejuſdem nominis Monaſteria adnotavimus.

(1) Foſſa, antiquam eſt hujus Abbatiæ nomen; quia inchoata fuit ad foſſam, quæ ducit ad Liſam vel Legiam fluvium.

(2) Gorga vulgo Gorgue, Oppidulum, ad Liſam fluvium, in Terra dictâ *La Leuve*, verſus Artheſiam. Jus Præſentationis uſque hodie ibi poſſidet Abbatiſſa de Bello-prato.

Digitized by Google

CAPUT XLI.

Concordia inter Abbatiſſam & Conventum de Porceto, *Monialium Ordinis Ciſtercienſis juxta Aquiſgranum, ex una parte, &* Gerardum *Advocatum Porcetenſem, ex altera, ſuper Juribus ejuſdem Advocatiæ; anno* 1226.

Ex Archivis hujus Abbatiæ.

SYBODO Præpoſitus Sti. Adelberti, Sybodo B. Mariæ Decanus, Wilhelmus Advocatus, Wilhelmus Puls, omnibus imperpetuum. Noverint univerſi, quod Nos Commiſſionem Domini noſtri Henrici Romanorum Regis, & Domini Engelberti Colonienſis Archiepiſcopi, Tutoris ipſius, quam ſub fidelitate Imperio facta recepimus, ſuper diſcordia quæ fuit inter Abbatiſſam & Conventum de Porceto ex una parte, & Gerardum Advocatum ejuſdem loci ex altera, ex dictis teſtium, quos juratos audivimus, invenimus & dicimus, quod Homines de Porceto in prædio S Johannis manentes fidelitatem debent facere Abbatiſſæ. Et ipſa Abbatiſſa Villicum habere debet qui Placita faciat & conficiat; & de Placitis Advocatus vel ejus Nuncius tertiam partem recipiet, quia violentias emendabit.

Præter hoc, tria generalia Placita in anno Advocatus habebit; ſicut eſt conſuetudo generalis. Idem Advocatus nomine petitionis ab Hominibus Eccleſiæ ultra tres marchas nichil petet vel accipiet: quia pater ejus nunquam plus accepit, ſed ſæpuis minus.

Et ſi homines de bona voluntate in curribus præſtandis vel feno colligendo, vel in quibuſdam aliis minutis ipſi aliquid facere voluerint, unde non conquerantur; hoc ipſe poterit accipere.

Abbatiſſa & Conventus ad ædificia & alios uſus Eccleſiæ & curiarum infra prædium Porcetenſe, quantum extenditur Advocatia, ligna liberè incidant & accipiant, Advocato non requiſito, ſine datione vel venditione.

Advocatus quoque infra eumdem terminum ad uſus ſuos neceſſarios ligna poterit accipere, ſine datione aut venditione: niſi datio ipſa vel venditio fiat per ipſius Abbatiſſę & Advocati conſenſum.

De ſilva quæ Camvorſt dicitur, Abbatiſſa & Conventus liberè diſponant ad ſuam voluntatem, abſque Advocato.

De panagio Advocatus habebit dimidiam marcam, & centum porcos mittere poterit ad paſturam, de quibus panagium non ſolvet.

*Camba, vernaculè Xam locus ubi cerevisia braxatur.

De quæſtione Cambę, * dicimus, quod Abbatiſſa habeat quot vult Cambas. Sed Advocatus non habebit niſi unam; & de ea in recognitionem juris Abbatiſſæ, braxator Advocati in eadem Camba laborans annuatim ſolvet Abbatiſſæ duodecim denarios in die Sti. Stephani.

Abbatiſſa & Conventus in propriis bonis, qualia volunt poſſint facere ædificia ad ſuos uſus & utilitates: ſed in communitate nichil ædificare debent, niſi de conſenſu communi, Advocati videlicet & Hominum Eccleſiæ.

Et quia de aſſertione juratorum teſtium non invenimus, locum illum fuiſſe communem, ubi antiquitus molendinum fuit, & Conventus de novo aliud conſtruxit, dicimus, quod in molendino eodem prædictum Conventum nullus impedire debet.

Item ex dictis teſtium dicimus, quod Conventus debet habere canalem competentem, qualis eſt canalis quo recipitur aqua in dolio balnei, qui die noctuque deferat aquam in clauſtrum & ad officinas, ad utilitatem Eccleſiæ.

Pręterea habebit canalem magnum, qui à veſpera feſti diei ferat aquam in vivarium Eccleſiæ, uſque ad aliam veſperam, quando licitum erit molendinis molere.

Abbatiſſa foramen calcis ad ædificia Eccleſiæ & curiarum liberè faciat. Sed ſi calcem vendere diſpoſuerit, & Advocatus tertiam partem expenſæ fecerit, ipſe percipiet inde tertiam partem emolumenti.

Abbatiſſa & Conventus conductum de privata clauſtri habere poterit, ſicut ex antiquo fuit de neceſſario juxta portam: ita quod ille exitus aquam communem non offendat.

Item Abbatiſſa & Conventus bona quę ſunt infra Advocatiam non deſtruent vel deponent: ita quod Advocatus in jure ſuo dampnum aliquod percipiat. Et ipſe Advocatus Abbatiſſæ & Conventui in bonis infra Advocatiam non debet dampnum aliquod facere, unde in jure ſuo impediantur, vel dampnum ſuſtineant.

Ut autem hæc, ſicut præſcripta ſunt, inviolabiliter obſerventur, Cherardus Prior de Porcęto, pro ſe & Abbatiſſa ac Conventu, tactis ſacro-ſanctis Evangeliis, juramentum præſtitit.

Idem fecit Cherardus Advocatus, tactis Reliquiis, pro ſe & ſuis heredibus. Et ſi heredes ſui contra fecerint, hoc erit in pe-

Digitized by Google

riculum ipſorum, & hoc emendabunt.

Huic facto interfuerunt Teſtes,

Gervaſius, Cantor.

Heribertus, Henricus de Foreſto, Henricus Sacerdos.

Fridericus, Alexander, Simon,

Arnoldus, Tiricus, Garſilius, Canonici Aquenſes.

Henricus, Reymarus, frater Advocati.

Franco de Notheim.

Arnoldus de Lenneche.

Henricus Palma, Gervaſius, Scabini.

Faringus Rufus, Godeſchalcus, Miles.

Godefridus de Suſteren.

Godefridus Kockerel.

Conradus Pas; & alii quam-plures.

Nos autem, ad hujus rei robur & teſtimonium, præſentem Cartam exinde conſcriptam, Sigillis noſtris & Eccleſiæ Beatæ Mariæ & Burgenſium Aquenſium petivimus communiri.

Actum anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſexto.

WALERAMUS *Dux Limburgenſis, anno* 1252. *confirmat præcedens Concordatum.*

WALRAMUS Dux Limburgenſis, Notum facimus univerſis præſentibus & futuris, quod Nos Compoſitionem, quæ ſuper juribus Advocati Porchetenſis, qui ejuſdem loci Advocatiam à nobis tenet in feodo, ex commiſſione Domini Henrici tunc Romanorum Regis Auguſti, ac Domini Engelberti Colonienſis Archiepiſcopi, tunc Tutoris ipſius, facta fuit per Viros ydoneos Sybodonem Præpoſitum Sti. Adalberti, Salbodonem Decanum Aquenſem, & Wilhelmum dictum Puls, Milites, inter Abbatiſſam & Conventum Porcetenſem, Ciſtercienſis Ordinis, ex una parte, & Gerardum Militem, tunc Advocatum ejuſdem loci, ex alterâ, ſicut in Privilegio ſuper hoc conſcripto pleniùs exprimitur, approbamus, ratamque gerimus per omnia, & acceptamus, ac in eam pro nobis & noſtris Succeſſoribus conſentimus;

Volentes eam ab Arnoldo, nunc Advocato, fidele noſtro, filio ſcilicet prædicti Gerardi, ſuiſque Succeſſoribus perpetuo obſervari.

Et hoc à Nobis conſcribi prædictus Arnoldus cum Jutta uxore ſua & eorum hæredibus humiliter ſupplicarunt.

In cujus rei teſtimonium, Sigillum noſtrum appendi fecimus huic Scripto. 1226.

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo.

CAPUT XLII.

HENRICUS *Romanorum Rex, Privilegia per Imperatores ac* Rogerium *Epiſcopum Urbi Cameracenſi olim conceſſa, revocat anno* 1226, *& campanile, quod* Belfridum *vocant, deſtrui mandat, propter injurias* Godefrido *Epiſcopo ejuſque Eccleſiæ illatas.*

HENRICUS, divinâ favente clementiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus &c.

Ex ſententia Principum noſtrorum & aliorum Nobilium Imperii definiendo dicimus, Privilegia ſive Scripta omnia, quæ à Nobis vel Anteceſſoribus noſtris Regibus vel Imperatoribus Romanis, tam divæ memoriæ Proavo noſtro FREDERICO Romanorum Imperatore quam ab aliis, à dictis Civibus obtenta, caſſa de cætero & inania reputari.

Privilegiis ſive Scriptis memorati Epiſcopi & Eccleſiæ ſuæ in ſuo robore perpetuò duraturis: ſicut in aliis ſolemnibus Curiis, tam Sereniſſimi Genitoris noſtri, quam aliorum Romanorum Regum ſive Imperatorum aliàs extitit judicatum & ſæpius declaratum.

Hoc addito, quod dicti Cives omnia Privilegia ſua ſive Scripta reddere teneantur dicto Epiſcopo. Et ſi quæ forte alia Scripta quæ non ſunt reddita, ſeu per negligentiam, ſeu per oblivionem, inveniantur, ea penitus caſſa & inania reputari, per Principum noſtrorum ſententiam adjudicavimus.

Similiter definiendo, quod campana ſeu campanæ, & campanile, quod *Bierfrois* dicitur, & Communia, quam *Pacem* nominant, vel quocumque alio nomine pallietur, in eadem Civitate tollantur & deſtruantur; nullâ omnino Juriſdictione prædictis Civibus penitus reſervatâ: ſicut in aliis Privilegiis ejuſdem Epiſcopi pleniùs & apertiùs dignoſcitur contineri. Statuentes & firmiter Authoritate Regiâ præcipientes, ut nulla omnino perſona &c. Aliàs Belfroy.

Sifridus Maguntinenſis,

Theo-

Teſtes. Theodoricus Trevirenſis,
Henricus Colonienſis, Archiepiſcopi.
Hermanus Herbipolenſis,
Henricus Eiſtedenſis,
Sifridus Auguſtenſis,
Bartholdus Argentinenſis,
Henricus Baſileenſis,
Henricus Wormatienſis, Epiſcopi &c.
Ludovicus Dux Bavariæ,
Ludovicus Lantgravius Thuringiæ,
Hermanus Marchio de Baden &c,
Michael, de Hannonia,
Wilhelmus, in Antverpia, Archidiaconi.
Rogerius, Decanus.
Magiſter Wertens, *puto Wernerus*,
Henricus de Colonia,
Ellebaldus, Presbyteri.
Joannes de Roya,
Petrus, Theſaurarius S. Crucis;
Brictius, Levitæ,
Jacobus de Bethunia, Sublevita B. Mariæ, Canonici Cameracenſes.

Signum Henrici, Dei gratiâ invictiſſimi Romanorum Regis ſemper Auguſti, anno Regni ejus ſexto.

Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis M. C. C. XXVI. Menſis Novembris die VII. Indictione XV. &c.

Datum apud Herbipolim, per manum Henrici, Imperialis Aulæ Protonotarii, anno menſe & Indictione prædictis, feliciter. Amen. 1226.

Sententia hæc executioni demandata fuit, campanæ amotæ, Belfridum deſtructum, Leges & Conſuetudines abrogatæ, & nova Lex per dictum Epiſcopum, qui fuit *Godefridus de Fontanis*, conſtituta: quâ etiamnum utitur Civitas Cameracenſis, & appellatur communiter *Lex Boni Epiſcopi*.

Hanc habes ſuperiùs pag. 391. hujus Tomi IV. Sunt autem hæc Verba Diplomatis ex antiquo Regiſtro Epiſcopatûs Cameracenſis excerpta, uti & quę ſequuntur.

Anno duodecimo Imperatoris Frederici (tenente Sedem Cameracenſem Petro de Corbeil) pro oppreſſione factâ & reiteratâ per incolas Cameracenſes contra Eccleſiam, timentes Eccleſiaſtici furorem populi, ad evitandum malum quod poterat ſequi, diſceſſerunt Cameraco & iverunt Valencenas. Pro qua diſſenſione, facta eſt Pax & firmata, hoc modo. Quod ſub pœna centum Marcharum argenti, quinquaginta perſonæ Cameracenſes, certo die Dominico ſequenti, in quinque Eccleſiis Cathedralibus, ſc licet Remenſi, Lugdunenſi, Noviodunenſi, Atrebatenſi & Tornacenſi, in unaquaque illarum decem perſonæ tenerentur ſe ſiſtere, in ſolo induſio, nudis pedibus; & ibidem ſe offerre ad recipiendam diſciplinam virgis quas manu ferebant. Et revertentes, coram Capituſo, tenerentur Jurati ejuſdem Civitatis, & 140. viri ejuſdem Civitatis, ire ſine caputio extra urbem, uſque ad certam arborem, habentes ſinguli virgam albam in manu, proceſſionaliter deducentes Capitulum uſque ad portam; & inde ſe extiere ad induſium, & ſic præcedere illos de quibus ſupra, uſque ad Eccleſiam Cameracenſem.

Compoſitio hæc facta fuit per Milonem Bellovacenſem, Gerardum Noviomenſem, & Waltherum Tornacenſem, anno 1225. & abſoluti fuerunt Jurati ab excommunicatione quam incurrerunt apprehendendo quoſdam Clericos in ædibus Canonici, eoſque in exilium pellendo ad ſonum majoris campanæ in Belfrido, & alia faciendo contra Immunitatem Eccleſiæ. Et tunc Interdictum levatum fuit.

Hæc verba ſunt Regiſtri ac Chronici MS. Cameracenſis.

CAPUT XLIII.

JOANNES SERSANDERS *& uxor ejus* ELISABETH RYM, *Gandavenſes, largiuntur fundum anno* 1227. *pro Erectione Majoris Begginagii* Gandavenſis, *quod in honorem S. Eliſabethæ*, JOANNA *Flandriæ Comitiſſa principalius paulò poſt dotavit.*

Universis præſentes Litteras inſpecturis, Joannes filius Alexandri ſalutem & noſcere veritatem. Noſcant univerſi tam præſentes, quam futuri, quod Ego de communi conſenſu & voluntate Joannis & Jordani filiorum meorum, & meo, quamdam foſſam jacentem ab oriente Curiæ Begginarum S. Elizabethæ juxta Gandavum inter terram meam, & terram earumdem protenſam à ponte portæ dictæ Curiæ verſus boream juxta aggerem ſive dycum, & eidem aggeri ſive dyco in longitudine coæquatam, dictis Begginis in puram eleëmoſynam pro remiſſione peccatorum meorum, & Anteceſſorum meorum, contuli in perpetuum jure hæreditario poſſidendam.

Renuncians omni juri, quod in dicta foſſa tenui, habui, & poſſedi; & quod ego, vel Succeſſores mei in poſterum eſſent habituri: & remotis omni dolo & fraude, promiſi bona fide, quod dictę collationi per me, vel alium, ſeu per alios minimè

Digitized by Google

contrairem.

Qua-propter Domicella Elizabeth magna Magiſtra Curiæ, & Begginæ ejuſdem loci ſupradicti, in bona fide promiſerunt, quod Anniverſarium Elizabeth in perpetuum celebrari facerent.

Quælibet verò Domicella ſive Begina dicti loci dicet pro anima uxoris meæ, filiæ quondam Jordani de Rym, pariter atque anima mea, Pſalterium B. Mariæ Virginis, eodem die, quo dicta Anniverſaria contigerit celebrari.

Cujus rei Teſtes fuerunt, Joannes & Jordanus filii mei: & diſcreti viri Prior Ordinis Fratrum Prædicatorum Gandenſium
F. Zigerus dictus de Zotteghem,
F. Laurentius,
F. Zigerus de Aelſt,
Theodoricus dictus Uutten-Ramen.
D. Ægidius,
& D. Joannes Capellani Curiæ ſupradictæ.

In quorum omnium teſtimonium, robur, & munimen, Sigillum meum unà cum Sigillo Prioris Prædicatorum Gandenſ. præſentibus duximus apponendum.

Datum anno Domini M. C. C. XXVII. menſe Julii.

CAPUT XLIV.

*Robertus Teneramundæ ac Bethuniæ Dominus, confirmat beneficia quædam conceſſa Abbatiæ de Braella, ſive Alnetenſi, * Monialium Ordinis Ciſtercienſis in Artheſia, anno* 1231.

* Vide etiam T I. Diplom. pag. 557.

Ego Robertus Attrebatenſis Advocatus, Bethuniæ ac Teneremondæ Dominus; Notum facio univerſis tam præſentibus quam futuris, quod Hugo Dominus d'Antoing & d'Eſpinoy, Miles, Homo meus, & Domina Philippa uxor ejus filia quondam bonæ memoriæ Viri Nobilis Domini Michaelis de Harnis Militis, XI. bonaria terræ & dimidiam manqualdatam ad dictam Philippam jure hæreditario devolutæ, jacentis in territorio de Woeſtina, quæ Terra de me in feodum tenebatur, me præſente, & tanquam Domino concedente, Eccleſiæ Monialium de Braella Ciſtercienſis Ordinis vendiderunt, & per manum meam benè ac legitimè guerpiverunt, &c. Quod ut perpetuam obtineat firmitatem, præſentem Cartulam indè factam Sigilli mei munimine roboravi.

Actum apud Inſulam anno Domini M.C. C. XXXI. menſe Decembri.

CAPUT XLV.

Abbas S. Maximini Ordinis S. Benedicti, juxta Treviros, anno 1231. *vendit* Theodorico de Mariſch *Dapifero Luxemburgenſi fundum, ac ædificandum Monaſterium* Mariæ-Vallis, *juxta Luxemburgum, pro Monialibus Ordinis S. Dominici.*

Plura vide T III. Diplom pag. 401. & 423.

Enricus Dei gratiâ Abbas, totuſque Conventus ſancti Maximini Trevirorum, omnibus præſens Scriptum inſpecturis; Notum facimus, quod cum *Theodoricus* Dapifer Comitiſſæ de Lucemburg quamdam partem nemoris noſtri in Banno Villæ de Merſch ſiti, ſuper montem videlicet ipſi villæ adjacentem ſibi & nobis proſpicere cupiens ad culturam redigere voluiſſet, dummodo ſuper hoc noſtrum habuiſſet aſſenſum;

Nos per Fredericum Cantorem Eccleſiæ noſtræ, & per Magiſtrum Conradum Canonicum ſancti Simeonis Trevirenſis, quos propter hoc ad locum ipſum deſtinavimus, nec non & per Scabinos dictæ villæ, ipſi Theodorico quidquid eſt infra ſemitam illam, quæ de Seindelee verſus villam Schoneberch ducit uſque ad pontem Colenbach, exceptâ ſilvâ, quæ vulgariter dicitur Sowalt, fecimus aſſignari: ſuper his pactionibus, videlicet quod tam ipſe Theodericus quam hæredes ſui de eâdem Terrâ annuatim nobis & Eccleſiæ noſtræ in perpetuum ſolvant in feſto S. Martini decem ſolidos Trevirenſes nomine cenſûs.

Item Terram inter Seindelee & Morſch ſitam, quam nuper ad pratum redegit, & foſſato ſuo circumvallavit, pro cenſu X. denarios; nec non & pratum croadæ noſtræ

retro turrim ſuam ſitæ, ſuper quam horreum ædificaverat, pro cenſu octo denariorum eidem Theoderico & hæredibus ſuis in perpetuum conceſſimus poſſidenda, ſingulis annis ſimiliter in feſto S. Martini ſolvendo.

Ut autem hæc rata permaneant, præſens Scriptum inde confectum tradidimus ſupradicto Theoderico, ſimile nobis retinentes.

Et quia Nos Conventus Sigillum proprium non habuimus, Sigillum venerabilis Patris noſtri Th. Trevirorum Archiepiſcopi pro nobis apponi rogavimus eidem Scripto.

Actum anno Domini M. C. C. XXXI. 1231.
menſe Martio.

CAPUT XLVI.

Ordinatio Ottonis *Præpoſiti Eccleſiæ Collegiatæ* Sti. Servatii Moſæ-Trajectenſis, *de Juribus ſuæ Præpoſituræ, anno* 1232.

(1) Dei gratiâ Præpoſitus Aquenſis & Trajectenſis, omnibus ad quos præſens Scriptum pervenerit, ſalutem in ſalutis authore.

Notum Vobis facimus, quod Nos, pro nobis & noſtris Succeſſoribus Præpoſitis, de conſenſu & voluntate Sereniſſimorum Dominorum F. (2) Dei gratiâ Romanorum Imperatoris Regis Siciliæ & Jeroſolymitani & ſemper Auguſti, & K (3) eâdem gratiâ Romanorum Regis ejus filii, adminiſtrationem omnium Curiarum Eccleſiæ noſtræ, videlicet ſancti Servatii, ad Præpoſituram pertinentium, cum omni jure ceſſimus Capitulo liberè & abſolutè;

Ita tamen, quod duas Curias, ſcilicet *Ubenbergen* & *Megbelen*, & decem Marcas quas Capitulum adminiſtrabit de ſuo, Nos & noſtri Succeſſores ratione Præpoſituræ, im-perpetuum pleno jure poſſidebimus, & omnium Curiarum à Nobis prædicto Capitulo ceſſarum medietatem Placitorum & Juriſdictionis habebimus. *Ubenbergen. Megbelen.*

Ita tamen, quod unum Canonicum de Capitulo, reſidentem loco noſtri, Trajecti conſtituere teneamur, qui ad mandatum Capituli, cum illo qui deſtinatur à Capitulo in Curias placitum ire, & jus hominibus Eccleſiæ dare teneatur. Qui ſi ire noluerit vel non potuerit, deſtinatus à Capitulo ſolus eundi & omnia expediendi liberam habeat facultatem.

De Præbenda autem ſecundi anni defuncti, Capitulum duas partes percipiat ad Curiarum ſuarum reſtaurationem. Tertiam partem Nos & noſtri Succeſſores percipiemus.

Si qui vero Feodatarii noſtri vel donare, vel legare, vel aliquo alio titulo alienationis in Capitulum Feodum transferre voluerint, Capitulum recipiendi & Feodatarii transferendi liberam habeant poteſtatem.

Non obſtante autem Ordinatione prænotata, nec ceſſione Curiarum ſuperiùs expreſſarum, Collationes Præbendarum ac Altarium, inſtitutioque Campanariorum in dicta Eccleſia ſancti Servatii, ac Jura Patronatus omnium Eccleſiarum, quæ hactenus ad Nos ac noſtros Prædeceſſores Præpoſitos Trajectenſes ratione dictæ Præpoſituræ pertinebant, Nobis noſtriſque ſucceſſoribus Trajectenſibus Præpoſitis libera remanebunt, ad conferendum ea ſicut hactenus conferre conſuevimus. Nec ratione prænotatæ Ordinationis, ſæpius prænominatum Capitulum, vel aliquis de Capitulo, aliquid juris circa præmiſſas Collationes vel Jura Patronatus ſibi poterit vendicare. *Collatio Præbendarum &c.*

Teſtes autem hujus facti ſunt,

Godefridus Xanctenſis Præpoſitus,

Sibodo Decanus, & Theodoricus dictus Puls Canonicus Aquenſis, & multi alii.

Et ne præſens factum proceſſu temporis evaneſcat & pereat, præſentem Cartam conſcribi, & Sigilli noſtri munimine fecimus roborari.

Datum anno Domini M. C. C. triceſimo ſecundo. 1232.

(1) Ottho Præpoſitus B. M. Aquenſis ac S. Servatii Trajectenſis, nec non Majoris Eccleſiæ Leodienſis Canonicus, anno 1238. contentioſè in Epiſcopum Leodienſem electus fuit, & quidem à Frederico Imperatore ſibi favente inthronizatus. Prævaluit tamen Guilielmus à Sabaudia, Thomæ Flandrorum Comitis Frater, Eccleſiæ Valentinæ in Delphinatu Electus Epiſcopus.

(2) F. Fredericus II. Imperator & Rex Siciliæ, per diuturna diſſidia contra Rom. Pontifices famoſus, obiit anno 1250.

(3) K. Conrardus IV. Rom. Rex, Friderici II. filius, de Imperio contendit, & mortuus eſt anno 1254.

Digitized by Google

CAPUT XLVII.

THEODERICUS *Dominus Walcuriæ unà cum Uxore* GERTRUDE *fundat ac dotat anno* 1232. *Abbatiam* Jardineti *prope Walcuriam, primò quidem Monialium Ordinis Ciſtercienſis,* * *aſt poſtmodum (A.* 1430.*) Religioſorum, in Diœceſi Namurana.*

* Vide T. III. horum Diplom. pag. 174.

Ex Archivis hujus Abbatiæ.

EGo THEODORICUS Dominus de Walcuriâ, notum facio, tam præſentibus, quam futuris, quod * Cœnobium de Gardino Beatæ Mariæ Virginis juxta Wallecuriam ſitum, Uxore meâ Dominâ *Gertrude* conſentiente, ſuper Altare prædicti loci in manus Magiſtri Joannis de Ogniaco ad opus Monialium Ciſtercienſis Ordinis reſignavi, in præſentiâ multorum guerpivi, nihil juris vel dominii mihi retinens in bonis, vel poſſeſſionibus, ſive perſonis prædicti loci: ſed ſi requiſitus fuero, conſilium & auxilium meum adhibebo.

* Prima Abbatiſſa *Ada*, priùs Fontanellæ apud Valencenas Abbatiſſa anno 1232.

Inſuper contuli dicto Cœnobio de Gardino Beatæ Mariæ Virginis hortos Colini Maton, & Jolendis, Wilbaldi, Radulphi Kaka, Stephani Bevillion Terneal, Eilberti de Cimay, Iſembardi de Mertines, Henrici le Molinet, Joannis Balhet, Hermandi Buizoiſlet, & Henrici le Cambier.

Contuli etiam eidem Cœnobio pratum Roberti de Chaſtret, pratum, quod fuit Prioris de Ognies, & ejus portionariorum, Terram Chevalier de Neufville, pratum & terram, quæ fuit quondam Philippi, & terram Lamberti le Torre. Contuli ſiquidem jam dicto Cœnobio piſcaturam, & paſturagia per totam meam terram, & ſpecialiter piſcaturam à Gardino, quod fuit quondam Michaëlis Decani, uſque ad villam de Perier, & etiam partem meam, quam habeo in boſco de Fayal, liberè, & abſolutè ſæpe-dicto Cœnobio in eleëmoſynam contuli.

Dedi etiam ipſi Cœnobio omnem terram, quam poſſidebam in territorio de Bai et uſque ad prata, ubi vulgariter dicitur en Naviaux. Contuli etiam eis uſuarium in meis molendinis: ut poſſint molere ad opus totius Cœnobii, ad mea molendina de Wallecourt abſque ullâ multurâ.

Ut autem hæc prædicta ſuum robur obtineant, præſentem Chartam Sigilli mei appenſione roboravi.

Actum publicè anno Domini milleſimo ducenteſimo triceſimo ſecundo, menſe Decembri, in Capellâ prædicti Cœnobii. 1232.

CAPUT XLVIII.

MARGARETA DE TENERAMUNDA, *benefacit Abbatiæ Sanctimonialium de* Swybeecke, *Ordinis Ciſtercienſis juxta Teneramundam: aſſentiente nepote* ROBERTO DE BETHUNIA, *Advocato Atrebatenſi, anno* 1232.

EGo ROBERTUS Atrebatenſis Advocatus, Bethuniæ & Teneramundæ Dominus. Notum facio univerſis præſens Scriptum inſpecturis, quod MARGARETA Domicella *de Teneramunda* matertera mea omnia mobilia ſua, & omnia quæ propriis denariis comparavit in Parochia de *Aſpels* in palude J. Odulphi, & in Parochia de *Opwick* tam in decimis quàm in terris, & terram ſitam in Greffemugen, quæ vocatur Slangenvelt, & tres manſiones ſitas juxta *Sanctum Ægidium*, & Decimam ſitam in Parochia de *Bella*, & Decimam ſitam in *Swyveke*, & terram quandam ſitam in Parochia de *Meſpelaere*, in ſuorum & Anteceſſorum ſuorum remiſſionem peccaminum Monialibus, B. Mariæ de *Teneremunda* Ciſtercienſi Ordinis, de conſenſu meo in eleëmoſynam libere contulit & abſolute.

Appels

Opwyck.

S. Gilis. Denderbelle.

In cujus rei teſtimonium præſens Scriptum Sigilli mei munimine confirmavi.

Actum anno Dom. M. C. C. XXXII.

CAPUT XLIX.

JACOBUS *Dominus de* Claro-monte, *Decimam hujus Dominii ſui largitur anno* 1232. *Abbatiæ* Flonenſi *Canonicorum Regularium, juxta Huum; id-ipſum probante* JOANNE DE APPIA, *Leodienſium Epiſcopo. Accedunt Donationes ejuſdem* Jacobi, *item* Theoderici D. de Rupeforti.

Ex Archivis Abbatiæ.

IN nomine Domini. Amen. Ego JACOBUS dictus Dominus de Claromonte notum facio omnibus præſens Scriptum intuentibus, quod Ego totam Decimam quam teneo, pertinentem ad Dominium Caſtri de Claro-monte, jacentem inter Engeih villam, quæ villa ſita eſt ſupra littus Moſæ verſus Caſtrum dictum, uſque montem de Umbray verſus Pontyres, & eam quam habeo ultra Moſam & Maleve, uſque ad aliam villam quæ vocatur Engeih, in montibus & vallis, magnam & minutam, citra Moſam, ut prædictum eſt, tam in propriis meis agriculturis, pratis, vineis, novalibus ſi qua ſunt vel fient, & omnibus aliis, de quibus Decimæ de jure dantur, quam in aliorum hominum infra ipſam Decimationem manentium culturis & cœteris poſſeſſionibus, de quibus Decima datur; pro quadraginta Marcis Leodienſis Monetæ, Abbati Flonenſi & ipſius Eccleſiæ obligavi.

Ita quod omnes fructus dictæ Decimæ pro remedio animæ meæ & Anteceſſorum meorum ipſa Eccleſia percipiet, quandiu durabit obligatio memorata.

Iſtud autem non prætermittendum, Decimam quam teneo ultra ſilvam ab hoc Contractu eſſe exceptam.

Nec poterit Eccleſia Flonenſis occaſione iſtius obligationis, ultra ſilvam, quæ inter Avihuet & Clarum-Montem quicquam exigere, niſi poſtmodum acquiſierit, vel ea à quibus ante obligationem factam jus ſuum dignoſcitur habuiſſe.

Contractus autem prælibatus ita ordinatus eſt, quod ſi prædicta Decima ad Feſtum B. Remigii competenter redempta non fuerit, non poterit diredimi, uſque ad aliud Feſtum S. Remigii ſequens: ſed fructus ejuſdem Decimæ eodem anno Eccleſia recipiet abſolutè.

Ego autem ad opus Abbatis & Eccleſiæ Flonenſis in manu Nobilis Viri & Militis, Cognati mei, Domini de Rochefort, ſæpedictam Decimam reportavi.

Deinde ipſe & Ego, conſenſu pari ad opus dictorum Abbatis & Eccleſiæ, in manu Venerabilis Johannis Leodienſis Epiſcopi ſub forma prædicta reportavimus.

Ipſe vero Dominus Epiſcopus Domino Frederico Abbati Flonenſi, ad opus Eccleſiæ ſuæ reddidit, Nobis præſentibus, ſub forma memoratâ.

Præſentibus etiam,
A. Abbate S. Ægidii Leodienſis,
Abbate Walſidorenſi,
Priore Sti. Severini,
Decano S. Pauli,
Cuſtode S. Dionyſii Leodienſis,
Johanne de Masboge,
Walthero de Ongneies,
Capellano Domini Epiſcopi,
Magiſtro Lieberto,
& Conrado Canonico Amanienſi.
Michaële Milite de Trou,
Wilelmo & Robino de Hemmericuert,
Guerrico de Rocuert,
Wilelmo & Gualthero Militibus de Cipelhey.

Ne igitur huic facto poſſit obviari, præſens Scriptum Sigilli noſtri munimine ſtuduimus conſignare.

Actum eſt hoc apud Leodium, Dominicâ primâ poſt Feſtum S. Lamberti, in Eccleſia Sti. Franciſci, in Conſecratione ejuſdem Eccleſiæ, anno Domini milleſimo ducenteſimo, trigeſimo ſecundo. 1232.

II. *Idem* Jacobus de Claro-monte *donat partem ſilvarum anno* 1252.

UNiverſis præſentem Cartam viſuris, Jacobus, Miles, Dominus Clarimontis, Leodienſis Diœceſis, ſalutem & cognoſcere veritatem.

Univerſitati veſtræ notum facimus, quod cum olim temporibus Prædeceſſorum noſtrorum & noſtro, Abbas & Conventus Flonenſis Eccleſiæ inciſuram & uſum ad opus ignis, tam in Monaſterio Flonenſi, in domibus & officinis ipſius Flonenſis Monaſterii, quam in Curte eorum de Hotines, in ſilva noſtra de Claromonte, haberent ex conceſſione Godefridi de Claromonte Comitis quondam de Duraths, & prius ejuſdem Comitis, pacificè poſſiderent, & hactenus poſſediſſent;

Nos & ipſi ad invicem in hoc convenimus utroque conſenſu, quod nos quadraginta bonaria ejuſdem ſilvæ in latere verſus *Hotine* & *Ombray* eiſdem Abbati & Conventui Flonenſibus aſſignavimus, appro-

priavimus & quitavimus, ad uſum ſupradictum ſeu voluntatem eorum faciendam; retentâ Nobis in dictis XL. bonariis & noſtris hæredibus in perpetuum juſtitiâ ſeculari. Hoc ſalvo, quod in reſiduo dictæ ſilvæ noſtræ nihil juris eis remanebit: ſed totaliter Nobis & noſtris hæredibus in perpetuum quitaverunt.

In cujus rei teſtimonium, præſentes Litteras, tam Sigillo Majoris Eccleſiæ Leodienſis, quam noſtro, fecimus communiri.

Actum anno gratiæ milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo, Menſe Maio. 1252.

III. Theodoricus D. de Rupeforti, *prædictam Donationem XL. bonariorum ſilvæ, confirmat anno* 1252.

THEODORICUS Domicellus & Dominus de Rupeforti, omnibus Paginam viſuris præſentem, agnoſcere veritatem.

Quæ geruntur in tempore, ne labantur cum fluxu temporis, Litterarum debent teſtimonio communiri.

Inde eſt, quod Nos univerſis notum eſſe volumus, quod Conventiones habitas inter Viros honeſtos & Religioſos Abbatem & Conventum Flonenſis Eccleſiæ Ordinis B. Auguſtini, ex una parte, & Nobilem Virum Jacobum Militem Dominum de Claromonte Conſanguineum noſtrum, Leodienſis Diœceſis, ex altera, ſuper aſſignatione & Donatione XL. bonariorum ſilvæ, quam fecit dictus Jacobus, ipſi Abbati & Conventui verſus *Umbracium* & *Hoſtines*, in nemoribus & ſilvis, quas tenet à Nobis in Feodum in Dominio Caſtri Clarimontis, pro uſu & inciſura quam habebant in nemoribus prædicti Nobilis, Abbas & Conventus Eccleſiæ prænotatæ, ratas habemus & approbamus, retentâ ipſi Nobis & hæredibus ſuis per ipſum in dictis XL. bonariis Juſtitiâ ſæculari.

In cujus rei teſtimonium, præſentem Paginam Sigilli noſtri munimine duximus roborandam.

Actum & datum anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo, menſe Maio. 1252.

CAPUT L.

FF. Minores Ordinis Sti. Franciſci admittuntur Mechliniæ *anno* 1233, *ſub certis conditionibus à Capitulo D. Rumoldi præſcriptis, ac mutuâ inter hos & ipſos Fraternitate.*

Ex Archivis Capituli Metropol.

IN nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti. Ego Frater (1) Bernardus de Ordine FF. Prædicatorum, Domini Papæ Pœnitentiarius, inter Capitulum Mechlinienſium Canonicorum ex una parte, & Conventum FF. Minorum ex altera, de conſenſu & voluntate partis utriuſque electus arbiter, fide hinc-inde interjectâ, de rata habenda mea Ordinatione, ſuper bono pacis inter ipſos conformando, ſic ſtatuendum duxi.

Quod Fratres Minores humiliter ſupplicabunt Canonicos Sti. Rumoldi, ut ſi quid gravis animi habent adverſus ipſos, propter Deum & rationes ipſorum, corde & ore remittant ex animi liberalitate.

Et Fratres Minores de cetero ſtudebunt eos honeſtare, & famam ipſorum apud laycos reformare, reformatamque conſervare.

Item ad conſervandam pacis unitatem & vinculum fraternæ in Chriſto charitatis, quotiens de cœtero continget aliquem Canonicorum Sti. Rumoldi de hoc ſæculo migrare, Fratres Minores tamquam Chriſti Fratres in domo defuncti ipſius exequias celebrabunt. Ita quod cum profeſſione veniant, ad dicendas in ſero vigilias coram funere, & in mane Miſſam pro defunctis intra Eccleſiam Sti Rumoldi. Canonici idem facient Fratribus Minoribus viceverſâ; & ſic conjuncti manebunt perpetuâ ad invicem & indiſſolubili Societate.

Si qua partium deinceps reliquam ignoranter ac negligentiùs ſcandalizaverit (quod Deus avertat bonitatis) venient duo ſeniores de Eccleſia vel de Conventu Fratrum, & ſcandalum obortum in manſuetudine ſpiritûs modeſtè ſopient, ut ſic conquieſcat, nec layci ad hujuſmodi convocentur: ne mortalia ſervorum Dei in eſcam volatilibus cœli, aut terræ beſtiis exponantur.

Item ſtatuo, quod ſi fideli & diligenti ſcrutinio fuerit compertum, aream Fratrum Minorum cenſualem eſſe Eccleſiæ Sti. Rumoldi, Fratres procurent eis congruam reſtitutionem. Et ſic habeant ipſorum Canonicorum conniventiam habendi cimiterium conſecratum cum finibus ſuis, ſecundum morem Ordinis ſui, & Oratorium cum Altari conſecrando. Ad quod Canonici coöperabuntur eis bonâ fide, quandocumque Fratres poterunt habere copiam Epiſcopi, qui eis cimiterium conſecret & cetera quæ fuerint conſecranda. Nec aliqui abſentium Canonicorum, contra hanc pacis formam

Digitized by Google

in occulto nec in aperto penitus ſtudebunt venire ; & Fratres inducent laycos, qui debitum honorem & reverentiam, cenſus & jura conſueta Eccleſiæ conſervent illibata. Excommunicatos etiam ipſorum, quandocumque & quotieſcumque fuerint eis à Capitulo Canonicorum denunciati, omninò vitabunt, donec abſolvantur.

Actum anno Domini M. C. C. trigeſimo tertio, pridie Converſionis Sti. Pauli. 1233.

(1) BERNARDUS. Arbiter in hac Admiſſione FF. Minorum, laudatur quam-plurimùm in Opere P. Echard, de Scriptoribus Ordinis FF. Prædicat. Tomo I. pag. 155. Dicitur illic *Bernardus Thenio*, Pœnitentiarius Honorii III. Papæ vel Gregorii IX. Scripſit quædam, in eodem Libro P. Echardi memorata.

Fundator hujus Monaſterii dicitur Waltherus II. de Berthaut Mechiniæ Dominus, unà cum conjuge ſua Margareta Comitis Britanniæ nimoris filiâ ; qui anno 1243. morieus, in templo FF. Minorum Mechlinienſium condi voluit.

Stemma ejus vide apud Miræum Tomo I. pag. 771.

CAPUT LI.

Abbatia Aquirienſis *Monialium Ciſtercienſium in Gallo-Brabancia, acquirit Decimas in vico de Houtain, anno* 1235.

Communicavit D. Vice Comes de Wynants, Brabant. Conſiliarius.

IOANNES Dei gratiâ Leodienſis Epiſcopus, univerſis præſentes Litteras inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam.

Noverit univerſitas veſtra, quod bonæ memoriæ Walterus & Goſſuinus filius ejus Milites de *Houtain*, liberaliter contulerunt in eleëmoſynam Monaſterio Monialium de Aquiria Ciſtercienſis Ordinis, noſtrę Dioceſis, integraliter Decimam quam habebant in Parochiâ Eccleſiæ de Houtain, exceptâ portione, quæ aſſignata eſt Capellaniæ eorum in eadem Eccleſia, ac Decimam quam habebant in villa de Pontaille ; quam Collationem ratam habemus, & eis Pontificali Authoritate confirmamus.

Datum Foſſis, ſabbatho in diviſione Apoſtolorum anno Domini M. C. C. XXXV.

Donatio altera, anno 1248. *pro iiſdem* Monialibus *Aquirienſibus.*

UNiverſis Chriſti fidelibus quibus præſentes Litteras videre contigerit, RENERUS Miles de Lemal ſalutem, & cognoſcere veritatem.

Ad notitiam omnium volumus pervenire, quod Dominus Henricus Miles de Querceſo dictus Bauvechies, vivente Eliſabeth uxore ſua in preſentia noſtra conſtitutus, ſub teſtimonio Hominum noſtrorum & per eorum . . . . . totam Decimam tam majorem quam minutam, quam ipſe à Nobis tenebat in feudum apud Houtain, & infra terminos Parochiæ de Houtain, ad opus Religioſarum Dominarum Abbatiſſę & Conventûs de Aquiria Ordinis Ciſtercienſis, Leodienſis Diœceſis ſua ſponte in manus noſtras reportaverit, & eam ſub teſtimonio dictorum Hominum noſtrorum, & per judicium eorumdem guerpienda effectuavit & acquitavit, nihil proprietatis ſeu juris ſibi retinens in eadem.

Nos vero totam dictam Decimam in manus noſtras modo prædicto reportatam ob ſalutem animæ noſtrę libere contulimus in puram eleëmoſynam prædictis Aquiriæ perpetuo poſſidendam & habendam : nec proprietatem nec Jus nobis in eadem retinentes.

Homines vero per quorum Judicium ſe exheredavit dictus Henricus de dictâ Decimâ, ſunt hi,

Dominus Renerus dictus Aves,
Henricus de Herogoſa,
Thomas, Wilhelmus de Benſaupont,
Matheus, Henricus, Libertus,
Johannes Liſæ filius, de Genappia.
Eypo & Wilelmus de Literous.

Teſtes vero qui omnibus ſupradictis interfuerunt, ſunt hy,

Dominus Segerus Prior de Oignies,
Dominus Ægidius Inveſtitus de Wais,
Dominus Franco Curatus de Plancenoto,
Dominus Godefridus Capellanus de Aquiria.
Johannes Clericus de Nerhain.
Sorores : Iſabella de Leodio,
Soror Oda de Geneffia,
Soror Oda de Brena,
& Soror Alloſa, Moniales Aquirienſes.

His & interfuerunt : Frater Soſelmus, Frater Godeſcalcus, Frater Franco, Frater Gerardus, Converſi Aquirienſes, & multi alii fide digni.

Et ne prædictæ Aquirienſes ſuper Collatione dictæ Decimæ à Nobis ſibi facta ab aliquo inpoſterum, quod abſit, valerent moleſtari, præſentes Litteras Sigillo noſtro ſigillatas tam in Teſtimonium prædictæ Collationis à me ſibi factæ, quam aliorum prædictorum, ſæpe dictis Aquirienſibus tradidimus conſervandas.

Datum anno Domini M. D. C. C. XXXVIII. menſe Novembri.

Duo ſunt vici Gallo-Brabantiæ ac Diœceſis Namurcenſis, *Houtain-le-Mont*, & *Houtain-le-Val*. (de quibus vide Gallo-Brabantiam le Roy pag. 90. & 91.) In priore Decimam obtinet Abbatia ſeu Capitulum Canonicarum Nivellenſium: in poſteriore Aquirienſis. Jus Patronatûs utrobique eſt penes Toparchas.

Nota, fuiſſe hîc etiam antiquitus FF. Converſos.

CAPUT LII.

* Diœceſis Mechlin. *Commendator de Juncis (vulgo* Alden-Bieſen*) Ordinis Theutonici, abdicat anno* 1238 *omne Jus, quod habebat in Hoſpitali B. M. V.* * *Vilvordiæ, quod olim illi Ordini fuerat ſubjectum.*

UNiverſis præſentem Pagi-nam inſpecturis. Magiſter Henricus Domûs Theutonicæ Sanctæ Mariæ de Juncis & Partium inferiorum, ſalutem, in eo qui eſt ſalus vera. Notum eſſe volumus, quod Nos reſignavimus omne jus, quod habuimus in Hoſpitali pauperum quod ſitum eſt in Oppido Filvordienſi; & profitemur, quod nihil juris habemus, & quia Succeſſores noſtri ſimiliter nihil juris habebunt in Hoſpitali jam dicto, & in omnibus quæ aliquo jure ſpectant ad ipſum. Et ne impoſterum ſuper hoc aliqua ſuboriatur calumnia, præſens Scriptum Sigilli noſtri eſt munimine roboratum.

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo octavo.

Vidi ipſum Originale in Hoſpitali Vilvordienſi, eſtque antiquiſſimum Diploma quod habent.

Origo Teutonici Ordinis deſcripta legitur Tomo II. horum Diplomatum Belgic. pag. 988. Ibique pariter exhibetur Fundatio Domûs Veteris-Junci, vernaculè *Alde-Bieſen*, haud procul à Trajecto Moſæ, confirmata anno 1220. per Hugonem de Petra-ponte Leodienſem Epiſcopum. Adduntur nomina XII Præfecturarum, vernaculè *Commanderyen*, quæ ſupremo Præfecto, (vulgò *Landt-Commandeur*) ſubjiciuntur. Is hodie eſt Baro de Sickinghen, Cardinalis Schonbornii ſucceſſor.

CAPUT LIII.

Sigerus de Maldeghem, *Decimam ſuam in Parochia de Auweghem (ſub Decanatu Aldenardenſi ac Diœceſi Gandavenſi) vendit anno* 1239. *Abbatiæ Sti. Petri Blandinienſi, juxta Gandavum.*

EGo Sigerus de Maldeghem Miles, notum facio univerſis quibus præſens Scriptum audire vel videre contigerit, quod Ego omnes Decimas quas habui in Parochia de *Audeghem*, in Perſonatu Eccleſiæ beati Petri Gandenſis, eidem Eccleſiæ integraliter vendidi, & ad opus ejuſdem Eccleſiæ guerpivi, per conſenſum Domini Arnoldi de Audenarde, de quo fundum earundem Decimarum in Feudum tenui; recognoſcens me vel meos Succeſſores in dictis Decimis nihil juris habere.

Ut autem iſta venditio rata & firma in poſterum permaneat, præſens Scriptum Sigillo meo in teſtimonium roboravi.

Actum anno Domini M. C C. XXX. nono, in vigiliâ omnium Sanctorum.

Nota, hanc eſſe Parochiam Dominii Familię de Trieſt, diſtinctam ab alia de Auweghem, quæ eſt Diœceſis Mechlinienſis, ſub Decanatu Aloſtano.

CAPUT LIV.

THEODORICUS DE HOORN, *Dominus de Altena, in loco dicto Vreholt, inſtituit anno* 1240. *Monaſterium Vallis Stæ.* Eliſabethę, *primis Religioſis è* Valle Caulium *ſub Regula Ciſtercienſi in Burgundia evocatis; qui dein anno* 1434. *Congregationi Windeſemenſi ſub Regula* S. *Auguſtini incorporati fuerunt; hodieque floret Prioratus in partibus Gelriæ, ſub Diœceſi Leodienſi.*

Tranſmiſſum ab Amplißimo Domino Piſaert Priore loci.

EGo Theodoricus Dominus de Althena, notum facio præſentibus & futuris, quod intuitu divinæ remunerationis & honore Beatæ Mariæ & Stæ. Eliſabeth Fratribus de Ordine (1) Vallis Caulium Deo ſervientibus, & ſervituris in perpetuum in Domo quæ dicitur (2) Vallis Stæ. Elizabeth ſita in Allodio meo, dedi & conceſſi in liberam ac perpetuam eleëmoſynam tertiam partem totius Decimæ de Brede, liberè & pacificè in perpetuum poſſidendam; cum Jure Patronatus Eccleſiæ ejuſdem villæ ad me pertinente, quod eiſdem Fratribus dedi in perpetuum & conceſſi.

Patronatus Eccleſiæ de Brèe.

Præterea dictis Fratribus dedi in perpetuum decem & ſeptem bonaria terræ de Allodio meo apud Werde, quæ emi à Domino Watghero de Werde: donec pro prædicta terra eis aſſignaverim, ſi voluero, alium redditum triginta & quatuor maldra ſiliginis ſufficienter valentem. Et tunc dicta terra ad me liberè revertetur.

Weert.

Dedi ſimiliter in perpetuum prædictis Fratribus duodecim maldra frumenti ſufficientis in Curia mea in Werde, reddenda ſingulis annis in perpetuum ab his qui ibidem coluerint vel tenuerint terras meas Curiæ prædictæ: donec alium redditum qui gratus ſit Fratribus eis aſſignavero competentem in permutationem ejuſdem frumenti.

Dedi inſuper ſæpe-dictis Fratribus in perpetuum pro veſtibus eorum annuis tres marcas, ſcilicet triginta ſolidos Colonienſes reddendos ſingulis annis ab his qui tenent vel tenebunt in perpetuum Terram meam de Hedel, quæ vocatur de Bremetè, quam emi à Domino Florentio de Horſt.

Et dimidiam marcam percipiendam ſingulis annis in minuta Decima de Brede. Pro vino etiam emendo aſſignavi ſupradictis Fratribus triginta ſolidos Colonienſes percipiendos ſingulis annis in perpetuum in Piſcaria mea de Waltreche.

Aſſignavi ſimiliter in perpetuum eiſdem Fratribus duo millia alleciorum reddenda ſingulis annis in Waltreche in Feſto Sti. Lucæ Evangeliſtæ.

Ad equos autem prædictæ Domûs ſuſtentandos, dedi in perpetuum eiſdem Fratribus unum Bonarium prati ſitum apud Keſſenic.

Dedi etiam jam dictis Fratribus quidquid pertinebat ad me de Jure Patronatus Eccleſiæ de Waltfucht & Eccleſiæ de Bruneſrode.

Locum vero prænominatum Vallis Stæ. Eliſabeth, cum omnibus appenditiis, & cum omnibus auſiamentis fluminis ſubjacentis, dedi in perpetuum Fratribus ſupradictis: & totum boſcum quod cum fundo terræ emi à Willelmo de Undorthens de conſenſu uxoris ſuæ, prædictæ Domui proximum. Conceſſi etiam eiſdem perpetuum uſuarium in Boſco qui dicitur Rogelabroo & Geſtele, & in toto communi uſuario de Buchnem, Nuhenem, & Roggele & Halen.

In hujus rei teſtimonium & confirmationem perpetuam, præſentem Cartam feci & Sigilli mei munimine roboravi, Anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo, menſe Octobri, in Feſto S. Dionifii.

(1) VALLIS CAULIUM, Prioratus in Burgundia ad Sequanam fluvium, Diœceſis Lingonenſis, Caput eſt Ordinis ſingularis, ſub Regula S. Benedicti & Conſtitutionibus Ciſtercii, quibus multa ex Carthuſianorum Inſtituto petita acceſſerunt. Fundator fuit Viardus, vir Religioſus, circa ann. 1188. Innocentius III. Pont. Inſtitutum confirmavit: cui aliquando ſubjecti fuere Prioratus triginta.

(2) VALLIS STÆ. ELISABETH, Prioratus Canonicorum Regularium in Comitatu Hornano, Diœceſi Ruremundenſi contiguus, & olim ſubjiciendus: de quo vide Hiſtoriam Eccleſiaſticam Ducatus Gelrię pag. 77. D. Henricus Piſaert, Tungrenſis, hujus Monaſterii Prior, pietate eruditione ac ſcriptis clarus, deceſſit 16. Martii 1739. ætatis anno 78.

CAPUT LV.

Inſtitutio Paſtoratus tertiæ Portionis in Eccleſia Collegiata B. M. V. Brugis, anno 1243.

EGo W. Maghinus & Avezota uxor mea notum facimus tam præſentibus quam futuris, quod nos de mera voluntate noſtra ad honorem Dei genitricis Mariç viginti libras redditûs ad novum Parochialem Presbyterum inſtituendum Eccleſiæ B. Mariæ in Brugis ſecundum Ordinationem Præpoſiti & Capituli ejuſdem Eccleſiæ, in eleëmoſynam contulimus.

Poſt vitam noſtrorum aſſignantes eidem dictos redditus ſuper XV. menſuris terræ præter unam linam parum plus vel minus. Quos redditus volumus quod libere & abſolute percipiat dicta Eccleſia poſt vitam noſtrorum, de dictis terris quas ipſi contulimus de communi conſenſu noſtro in Parochiis de Dudzeele & de Goelkercke jacentes, quarum III. linæ jacent apud Riecele antè oſtium Woubag uxoris Weitini Maders, II... & XVII. virgæ quæ vocantur Pitre, unâ menſurâ quæ vocatur Boudſtic jacente apud Avingzele &c.

Item enumerantur adhuc variæ terræ & redditus in uſum prædictum; & in fine:

Præſens Scriptum ſigillorum noſtrorum munimine roboravimus. Et ego Agata uxor dicti W. quia proprium Sigillum non habeo, contenta ſum Sigillo Domini Mariti mei.

Actum anno Domini M. C. C. XL. tertii.

CAPUT LVI.

Theodericus & Henricus *DD. Hoffalizie in Ducatu Luxemburgenſi, Hoſpitale B. Catharinæ in Hoffalizia, convertunt in Prioratum Inſtituti Vallis Scholarium, primis Religioſis Leodio evocatis.*

Theodoricus, & Henricus filius ſuus, Domini de Huffalize, omnibus præſentem Cartulam inſpecturis cognoſcere veritatem..... Nos igitur prædicti Theodericus & Henricus Domini de Huffalize notum facimus univerſis præſentibus & futuris, quod cum nos Fratribus de Inſulâ B. Mariæ in Leodio, de Ordine Vallis Scholarium, ad ædificandum in terrâ de Huffalize Domum quamdam Conventualem ſui Ordinis, in eleëmoſynam perpetuam dediſſemus locum quemdam ſitum juxta Huffalize, qui dicitur Hoſpitale Beatæ Catharinæ, cum omnibus ad locum ipſum pertinentibus, videlicet cum terrâ arabili circa locum ipſum adjacente, cum nemore quod eſt juxta, & Decimis Dominiorum noſtrorum, videlicet de Tavernois, de Fontenelle, de Sendrogne, de Sommering, de Rattigny, de Banno de Chereing, de Ourthe, de Delfial: Item cum Allodio & Jure Patronatûs de Couvan, qui fuerunt Henrici de Ham & filiarum Lamberti de l'Emplon, & ſuorum comparticipum (quod quidem Allodium & Jus Patronatûs de Couvan à dictis Henrico & comparticipibus ſuis in eleëmoſynam collata fuerunt ad conſtruendum ibidem quoddam Hoſpitale) quæ omnia dedimus, ut dictum eſt, Fratribus ſupra dictis: retento tamen nobis, quod Nos ſimus Advocati manentium ſuper idem allodium.

Prius erat Hoſpitale S. Cathar.

Tandem poſt multum temporis intervallum, cum Fratribus Ordinis ſupradicti, in loco ſupradicto manentibus, viſum eſſet locum ipſum & ſitum eis fore minus idoneum ad Domum Conventualem ibidem conſtruendam, Nos ad eorum requiſitionem & inſtantiam, & conſenſum Reverendi Patris ac Domini Roberti Dei gratiâ Leodienſis Epiſcopi, de loco ſibi, ſicut primâ facie videbatur, magis idoneo, in prato noſtro ſubtus Huffalize, in loco qui dicitur *Angulus*, providendum duximus, in hunc modum.

Quod in permutationem grangiæ, quam habebant in loco ſupra dicto, qui dicitur Hoſpitale B. Catharinæ, ortorum, etiam terrarum, & nemoris eidem grangiæ adjacentium, dedimus eis grangiam noſtram ſitam ultra pontem Ourtho verſus Tavernois, cum ortis, aquis, prato & nemore eidem adjacentibus, prout certis metis & terminis inter nos & ipſos poſitis dividuntur. Sed ſciendum, quod dictis Fratribus Capella retenta eſt cum cœmeterio.

Jura Patronatûs.

Dedimus etiam eisdem Jus Patronatûs Ecclesiarum de Tavernois, de Fontenelle, de Dalfal, cum grangiâ nostrâ de Mormont, terris, pratis eidem adjacentibus, & nemoribus, sicut metæ dividunt inter Ourtham & ipsum grangium. Dantes eis nihilominus viginti octo modios annonæ annui reditûs, videlicet quatuordecim siliginis, & totidem avenæ. De quibus eis decem assignavimus in decimâ *Nouler*, quatuor in Decimâ de Villerent, quatuor in Decimâ de Gouich, duos in Decimâ de Chering, item duos siliginis in Terragio de Tavernois, duos avenæ in Decimâ ejusdem villæ ad census de Couvan.

Item dedimus eis quadraginta solidos Metenses annui reditûs in assisia de Huffalize, viginti videlicet solidos in festo B. Remigii, & viginti solidos in Maio. Item dedimus eis piscationes in aquis nostris universis, exceptis vivariis & stagnis molendinorum, & aquæ quæ est inter vadum de *Nobiampré*, usque ad metas aquæ suæ, & à Guerrichampe similiter, usque ad terminum aquæ eorumdem.

Item dedimus eis pascua in terris & nemoribus nostris ad pascendos porcos suos, quos de suis nutrimentis habuerint, & pecudes & animalia sua quæcumque. Item dedimus eis usagium in nemoribus de Sendrogne & de Mortmont ad ædificandum. Ad alios autem usus suos usagium eis in eisdem nemoribus concessimus, quale mansionarii nostri ibi habent. Item dedimus Hominibus nostris liberum potestatem conferendi eisdem Fratribus in eleemosynam, tam in vitâ, quàm in morte, tam mobilia sua, quam terras. Ita tamen, quod dictas terras hæredibus conferentium, vel aliis infra annum, vel duos ad plus à tempore collationis vendere tenebuntur, si ad æstimationem valoris debiti eas emere voluerint. Hoc salvo, quod in mobilibus servorum nostrorum capitale quod maluerimus & prælegerimus habebimus.

Item concessimus eisdem Fratribus, quod in molendinis nostris bladum suum molere valeant, præter quod super molendinum invenerint positum: ita tamen quod nos molere poterimus ante ipsos. Et sciendum, quod Nos in præmissis locis omnibus jus istud nobis duximus retinendum, quod nos super homines universos, qui in eis morantur & morabuntur, Jus Advocationis in perpetuum habeamus; nec ipsi Fratres ad Advocatiam sui Monasterii poterunt alium advocare: sed & si dictos Fratres à terrâ nostrâ ad manendum in aliam voluntate propriâ divertere contigerit, omnia præmissa nobis libere remanebunt, ipsis ibi nihil in perpetuum de cætero, nisi de nostrâ voluntate percepturis.

Ut autem hæc omnia firma & inconcussa permaneant, præsentes Litteras Sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari.

Actum anno Domini M. C. C. XLIII. mense Martii.

CAPUT LVII.

Fundatio, sive Translatio Conventûs FF. Minorum Brugis, authoritate Magistratûs, item Tornacensis Episcopi firmatur, anno 1245.

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. Amen. Nos Scabini Brugenses universis præsens Scriptum inspecturis notum facimus, quod cum varia Christi pauperum Fratrum Minorum nobiscum degentium incommoda super loci sui distantia & corruptione, nec non & difficultate accedendi nos ad ipsos, & è converso, nobis fuerint pluries proposita pariter & ostensa, tandem habito consilio cum Juratis & aliis probis viris Communitatis nostræ, de communi consilio simul & assensu providimus eis de loco competenti, videlicet in prato qui dicitur *Bramberg*, quod pratum cum ambitu suo pertinet ad jurisdictionem Villæ nostræ.

Locus vero, quem ad utilitatem eorum contulimus jacet juxta mantum Domini G. dicti *Tobin*, Militis, ad australem partem continens IV. mensuras & quartam partem vel circiter; & hoc facto cambio dicti loci ad totalem locum priorem infra clausuram dictorum Fratrum, jacentem juxta pomerium Dominæ de domo, ubi hactenus morabantur; qui locus cum cœmiterio consecrato continet IV. mensuras & dimidiam vel circiter in clausura.

Cum igitur prætactum cambium loci ad locum divina inspiratione factum, authoritate Domini Tornacensis, ad quem spectabat donatio prioris loci Fratrum, ratione collationis eleemosynariæ, & per assensum Dominæ * M. Illustris Comitissæ, tanquam per Dominam superiorem confirmatum sit, volumus id ipsum cambium ratum esse in perpetuum & inconvulsum, dictam terram in *Bramberg* jacentem ad usum prædictorum Fratrum tenore præsentium confirmantes.

* Margaretæ.

Super hoc contestamur, etiam nos à prædictis Fratribus recepisse Litteras confirmationis super Donatione prioris loci,

Digitized by Google

patentes & ſigillatas Sigillis piæ memoriæ * F. quondam Comitis, & J. † quondam Comitiſſæ Flandriæ & Hannoniæ uxoris ſuæ.

* Ferrandi. † Joannę.

Inſuper Litteras M. Comitiſſæ Flandriæ & Hannoniæ ſuper Confirmatione Donationis prætactæ & cambii memorati: & præter hæc Litteras D. Tornacenſis, idipſum ſimiliter confirmantis.

Ut autem hæc rata ſint omnia in perpetuum & ſtabilia, præſentes Litteras Sigilli noſtri munimine duximus roborandas.

Actum Brugæ anno Domini M. C. C. XLV. menſe Martii.

W. divinâ miſeratione Tornacenſis Epiſcopus, dilectis in Chriſto Scabinis & Communitati Villæ Brugæ, ſalutem in Domino ſempiternam.

Cum piæ memoriæ *Henricus* dictus *Rem*, quondam oppidanus veſter, ob remedium animæ ſuæ Fratribus Minoribus terram juxta pomerium Dominæ de domo, in qua nunc manent, in eleëmoſynam contulerit, & eiſdem Fratribus propter diverſa incommoda prædicti loci, de alio loco propinquiori & utiliori, facto cambio loci ad locum, divinitus provideritis, quamvis idem locus per felicis recordationis Comitem F. & J. quondam Comitiſſam uxorem ſuam tanquam per Dominos ſuperiores ab omni jure & ſervicio feudali fuerit abſolutus, eo quod legitimè fuerit ad manus eorum reportatus, (ſicut ex Litteris ipſorum, quas inſpeximus, declaratur) Quia tamen in eleëmoſynam, datus ratione Collationis eleëmoſynæ ad nos tanquam ad Ordinarium dignoſcitur pertinere, dictum cambium inſpirante Domino factum ratum habentes, tenore præſentium confirmamus. Hoc ſalvo, quod ea quæ in dicto loco priori ſunt conſecrata, in uſus ſæculares vel profanos minimè convertantur. De tam pio autem ſubſidio per vos dictis Fratribus exhibito, gratias vobis referimus in Domino copioſas.

Datum Tornaci, anno Domini M.C.C. XLV. menſe Martio.

Hæc omnia iiſdem Fratribus confirmavit, ſuæque Bullæ Apoſtolicæ inſeruit anno M. C. C. XLVII. Cœleſtinus IV. Pont. Extat in Regiſtro Vatic. Epiſt. 54.

CAPUT LVIII.

Litteræ Magiſtratus Atrebatenſis, agnoſcentis dependentiam ſuam ab Abbatia S. Vedaſti *Ordinis S. Benedicti ibidem, anno* 1245.

NOs Major & Scabini totaque univerſitas Civitatis Atrebatenſis, notum facimus univerſis præſentes inſpecturis, tam præſentibus quam futuris quod Frater Martinus Abbas ſancti Vedaſti Atrebatenſis totuſque ejuſdem loci Conventus, omnes Burgenſes Atrebatenſes tam viros quam mulieres præſentes pariter & futuros, intra Civitatem & Banni-leuigam manentes qui ad ſolutionem cenſus Monaſterii Sancti Vedaſti Atrebatenſis poſſent teneri, quitaverunt & liberaverunt in perpetuum à ſolutione cenſus ejuſdem, mediantibus viginti tribus libris Pariſienſibus annuatim & perpetuo tribus terminis dicto Monaſterio, videlicet ſeptem libras tredecim ſolidos & quatuor denarios Pariſienſes in Feſto omnium Sanctorum, & totidem in Feſto Purificationis beatæ Virginis proximo ſubſequenti, & tandumdem in Feſto Aſcenſionis Domini proximo ſubſequenti, à nobis perſolvendis.

Sciendum eſt etiam, quod ſi nos in ſolutione dictæ pecuniæ dicto Monaſterio faciendâ, ut dictum eſt, in aliquo dictorum terminorum defecerimus, Nos pro qualibet die quâ eſſemus in defectu dictę ſolutionis perficiendę, dicto Monaſterio duos ſolidos Pariſienſes pro pœna ſolvere teneremur.

Dictas vero viginti-tres libras dicto Monaſterio quolibet anno ſolvere promittimus terminis ſupradictis, & etiam dictos duos ſolidos pro pœna, qualibet die quâ nos eſſe contingeret in defectu ſolutionis dictæ faciendæ. Hæc autem omnia prout ſunt ſubſcripta promittimus Nosipſis Abbati & Conventui quidquid contingat, perpetuo & inviolabiliter ſervaturos & facturos; ad hoc etiam Nos, & noſtros Succeſſores, bona noſtra mobilia & immobilia præſentia & futura in perpetuum obligantes.

Renunciantes quo ad præmiſſa reſtitutionis in integrum beneficio, omni privilegio & omni Juris auxilio, tam Canonici quam Civilis. In cujus rei teſtimonium præſentes Litteras fieri fecimus, & Sigilli noſtræ Comunitatis munimine roborari.

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quinto, menſe Julio.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LIX.

Fundatio Capellaniæ de Anderſtat, Patronatûs Capituli Lirani, anno 1247.

UNiverſis præſentes Litteras viſuris, Decanus & Capitulum & Plebanus Lyrenſis Eccleſiæ in Domino ſalutem. Noveritis, quod nos Eccleſiæ noſtræ utilitate penſatâ, de prudentum conſilio, Domino Gerardo de Yſche Militi Dapifero Illuſtris D. Ducis Lotaringiæ & Brabantię, & uxori ejuſdem Idæ, & poſteris eorumdem, quantum in nobis erat, licentiam, & noſtrum præbuimus aſſenſum, quod ipſe & eorum Succeſſores in perpetuum Capellam deinceps habere poterunt ſpecialem in Curia ſua apud (1) Anderſtat, infra Parochiam noſtram Lyrenſem, & Capellanum habere proprium qui ibidem divina celebret pro voluntate ipſorum. Ita quidem, quod dicti G. & J. & eorum poſteri nobis ſolvent annuatim in feſto omnium Sanctorum quinque ſolidos Lovanienſium in recompenſationem totius noſtri Juris.

In cujus rei teſtimonium Sigilla noſtra cum Sigillo dictorum G. & J. præſentibus ſunt appenſa.

Datum anno Domini M. C. C. XLVII. feriâ quintâ infra Octavas Reſurrectionis Domini noſtri.

(1) *Anderſtadt*, vetus eſt Caſtellum juxta Liram, in ſiniſtra ripa Nethæ ſitum. Vide le Roy Notitiam Marchionatûs S. R. I. pag. 152. item de antiquis Dominis de Anderſtadt novam Editionem horum Diplomatum T. I. pag. 766.

Porro fragmentum ſuperioris Diplomatis extabat apud Miræum in veteri Editione Notitiæ Eccleſiarum Belgii pag. 638. quod in nova editione per oblivionem omiſſum fuerat.

CAPUT LX.

Carta Abbatiſſæ de Marketta, Ciſtercienſis Ordinis juxta Inſulas anno 1248. ſuper variis bonis à Joanna Flandrorum Domina ad novum Hoſpitale ſuum Inſulenſe (vulgo Comitiſſæ) tranſlatis, aliiſque vicißim Markettæ acquiſitis.

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſulis.

UNiverſis præſentes Litteras inſpecturis, Soror Maria Abbatiſſa de Reclinatorio Beatæ Virginis juxta Inſulam, Ordinis Cyſtercienſis totuſque ejuſdem loci Conventus, ſalutem in Domino.

Noverit univerſitas veſtra, quod in ducentis libris annui redditus perpetui quem Illuſtris Domina Johanna claræ memoriæ quondam Flandriæ Comitiſſa una cum illuſtri Domino Fernando bonæ memoriæ quondam ejus marito, noſtræ quondam Domui aſſignarunt, ad conſtruendum & ſuſtentandum infra ambitum noſtrum de Markete quoddam pauperum Hoſpitale, nullum jus habemus nec habere ſeu clamare poſſumus in futurum;

Origo Hoſpitalis Comitiſſæ Inſulis.

Quia tranſlatum eſt ipſum Hoſpitale cum redditu memorato, ad Inſulam juxta Aulam Comitis, de noſtra & noſtri Ordinis petitione, voluntate pariter & aſſenſu, unà cum omnibus Litteris ſeu Inſtrumentis, ſi qua habemus quæ de prædicto Hoſpitali & prædicto redditu ducentarum librarum faciant mentionem. Quantum ad hoc renuntiamus expreſſè, volentes quod quantum ad hoc nullam habeant firmitatem. Recognoſcimus etiam quod de undecim bonariis mori ad fontem, de quibus fit mentio in Kartâ Illuſtriſſimi Domini Ludovici Francorum Regis, nec non & in Litteris prædictæ Dominæ Johannæ quondam Comitiſſæ, & prædicti Domini Fernandi quondam Comitis, & Illuſtris Dominæ Margaretæ tunc Dominæ de Dampetra nunc Flandriæ & Hanoniæ Comitiſſa, nobis ad plenum ſatis factum eſt, in hunc modum.

Prædicta ſiquidem Domina Johanna Comitiſſa, unà cum Domino Thoma quondam marito ipſius, de aſſenſu prædictæ Dominæ Margaretæ nunc Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſæ, nobis aſſignarunt quinquaginta bonaria mori Domui noſtræ de Scote propinquiora & magis convenientia, ab Eccleſia noſtra in perpetuum quietè & pacificè poſſidenda: ſicut in Karta eorum ſuper hoc edita plenius continetur. Vide Tom. III. Diplomat p 394. & ſequent.

Et nos omni juri quod habebamus aut poteramus habere, in prædictis undecim

Digitized by Google

bonariis mori ad fontem, renuntiamus expreſſè. Ita quod illa Inſtrumenta, vel . . . ejuſdem mori, vel alia quæcumque non poſſint quantum ad hoc nobis valere aut præjudicium aliquod Dominis Flandriæ & eorum Succeſſoribus in aliquo valeant generare. Redditum etiam unius modii frumenti quod nobis contulit Dominus Laurentius de Iſpania Miles, nunc Monachus de Laude, Ordinis noſtri, de quo fit mentio in quibuſdam Inſtrumentis noſtris, recompenſatum habemus in alias utilitates Domûs noſtræ. Et ideo in ipſo redditu de cetero jus aliquod clamare non poſſumus aut debemus.

Item Donationem quæ nobis facta fuit de Waſtina magna, quæ poſtea vendita eſt ab illuſtribus Domino Thoma, de Sabaudia & Domina Johanna ejuſdem uxore ſepedictis Eccleſiæ ſancti Bavonis de Gandavo quittam clamamus, omnino recognoſcentes nos in ipſa Waſtina nullum jus habere, & nobis per ipſam recompenſationem in Niepa ſufficientem factam eſſe.

Prædicta autem omnia fecimus pro utilitate & commodo Domûs noſtræ. Promiſimus inſuper, quod in memoriam prædictorum, Tranſcriptum iſtarum Litterarum conſcribi faciemus & conſervabimus inter tranſcripta Privilegia Domûs noſtræ. In predictorum etiam Teſtimonium & munimen, præſentes Litteras Sigillo noſtro fecimus roborari.

Nos igitur Stephanus Abbas Clarevallenſis predicta omnia volumus, approbamus, & confirmamus, & Sigilli noſtri appenſione munimus.

Datum anno Domini M. C. C. XLVIII. menſe Januario.

CAPUT LXI.

Carta Prioris S. Anaſtaſii de Houplines, prope Inſulas, ab Abbatia Sti. Baſoli (vulgo Saint Baſle*) Benedictini Ordinis juxta Remenſem Metropolim, dependentis; data anno* 1248.

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſulis.

Niverſis præſentes Litteras inſpecturis, G. Prior de Houpelines ſalutem in Domino. Noveritis quod Nos generalem adminiſtrationem habentes apud Houpelines & in locis vicinis, de ſpeciali licentia Viri Religioſi Abbatis Monaſterii Sancti *Baſoli* conceſſimus licentiam Reverendo Patri Epiſcopo Tornacenſi impignorandi quamdam partem cujuſdam Decimæ jacentis in Parochia de Houpelines quam habebat Wilhelmus de Harlebeka & ejus uxor in eadem, & quam iidem Wilelmus & ejus uxor eidem Epiſcopo pignori obligaverunt. Et omne jus quod nobis comperebat in dicta Decima eidem Epiſcopo conceſſimus quantum ad præmiſſa. In cujus rei teſtimonium præſentes Litteras eidem Epiſcopo ſigno noſtro contulimus roboratas.

Datum anno Domini M. C. C. XLVIII. feriâ ſextâ poſt Magdalenæ.

Exigui quidem momenti eſt Charta hæc: ſed unica, quam de hoc Prioratu (qui Sti. Anaſtaſii dicitur) obtinuimus. Prior nominat ad Curam Paſtoralem de Houplines, Diœceſis Tornacenſis. Abbatia S. Baſoli, tertio ab urbe Remenſi lapide, hodie unita eſt Congregationi S. Mauri.

CAPUT LXII.

Henricus & Margareta *Comites* Viandæ *in Ducatu Luxemburgenſi, fundant ibidem Monaſterium pro Fratribus Ordinis SS. Trinitatis, anno* 1248.

Enricus & Margarita Comitiſſa Viennenſis, univerſis præſentes Litteras viſuris, cognoſcere veritatem. ..... ne labantur cum tempore, debent ſcripturæ munimine roborari.

Hinc eſt quod univerſitati veſtræ dignum duximus ſignificandum, quod nos divinitatis intuitu, in noſtrorum remiſſionem peccatorum, dedimus & conceſſimus Viris Religioſis, Fratribus Ordinis Sanctæ Trinitatis & captivorum, Hoſpitale, quod ædificavimus in Viennâ. Et pro ipſorum Fratrum ibidem commorantium & pauperum ſuſtentatione, dedimus & conceſſimus eidem Hoſpitali Eccleſias de Mettendorf & de Daleiden, quarum præſentatio ad nos pertinere dignoſcitur pleno jure, quando eas vacare contigerit, pacificè, ſicut In-

veſtiti eas hactenus habuerunt, poſſidendas.

Et per hoc tenebuntur dicti Fratres Capellæ Caſtri noſtri Viennenſis in divinis per unum Fratrem Presbyterum deſervire, prout nobis & noſtris hæredibus competet expedire. Quia vero Fratres prædicti in ſubſidium captivorum pro fide Chriſtianâ à Paganis detentorum bona ſua tertiare tenentur, ſtatuimus & volumus, quod dictarum Eccleſiarum redditus & proventus à tempore earum vacationis, & dictorum Fratrum perceptionis, integrè, antè quinquennium nullatenus tertientur; ut earum pars tertia in uſus Fratrum & pauperum prædictorum, & maximè ad prædicti Hoſpitalis ædificia convertatur.

Si vero, quod abſit, contingeret prænominatos Fratres in Hoſpitali ſæpe-dicto non velle commorari, Eccleſiæ ſępe dictæ memorato Hoſpitali, ſi ibidem de noſtro vel hæredum noſtrorum conſenſu vigeret Religio, remanerent, ſimiliter ad nos & noſtrorum pręſentationem reverterentur pleno jure. Hæc autem ex certis ſcientiis, de proborum & diſcretorum conſilio, Philippi noſtri primogeniti, & aliorum hæredum noſtrorum aſſenſu plenario, duximus ſtatuenda.

Volumus autem, ut Fratres prælibati anniverſaria noſtra & filiorum noſtrorum, ſcilicet Friderici & Philippi, in Eccleſiâ dicti Hoſpitalis in perpetuum tenebuntur celebrare, & pro nobis, & cunctis hæredibus noſtris....

Datum anno Domini M.C.C. XLVIII. menſe Junio.

Iidem Comites Fundationem Monaſterii Viandenſis confirmant & augent anno 1252.

HENRICUS Comes, M. Comitiſſa, & PH. eorum filius Vien. univerſis pręſentem Paginam viſuris, ſalutem in Domino ſempiternam.

Ad veſtræ volumus univerſitatis notitiam pervenire, quod nos divinæ pietatis intuitu, de communi noſtro aſſenſu & voluntate, contulimus in eleëmoſynam Domui & Fratribus Hoſpitalis Vien. Ordinis S. Trinitatis & Captivorum, omnia jura clibanorum Vien. Vineam, quæ eſt intra viam, quæ ducit apud Rode, quæ Padem vocatur, & aquam inferiùs fluentem, quæ vocatur Owre, & terram, quæ vocatur Berlynſeit, quam à Marſilio emimus, perpetuo eo jure & eiſdem uſibus, quibus hæc omnia prædicta hactenus poſſedimus, tenendam & poſſidendam.

Præterea contulimus eiſdem Fratribus viginti ſolidos Trevirenſes de cenſu noſtro Viennenſi, in die B. Thomæ Apoſtoli perpetuò percipiendos annuatim. Statuimus etiam, quod dicti Fratres ex illis viginti ſolidis adminiſtrare tenebuntur oleum duabus lampadibus, quarum una erit in Capellâ Vienn. Caſtri, cujus Altare in Beatæ Mariæ Virginis honore conſecratur, & altera in Hoſpitali prænominato.

Quia verò Fratres prædicti Ordinis, in Redemptionem Captivorum pro fide Chriſtianâ à Paganis detentorum tertiam partem bonorum ſuorum mittere tenentur, ſtatuimus & voluimus, quod clibanorum & aliarum rerum prænominatarum reditus & proventus, nullatenus tertientur, ſed ſemper in uſus Fratrum, Hoſpitum, lampadum, & ad ædificia dictæ Domûs convertantur.

In cujus rei teſtimonium noſtra Sigilla præſentibus duximus opponenda.

Actum & datum Viennæ anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo, menſe Julio, præſentibus

Roberto de Exe,
Domino Joffrido de Welx,
Henrico de Hoxleden,
Gerardo de Herpeldengen, Militibus,
& multis aliis & Eccleſiaſticis & Laïcis, ad hæc ſpecialiter convocatis.

Iidem HENRICUS Comes Viandę & MARGARETA de Courtenay, qui & Comitum Namurcenſium titulum geſſére, fundarunt anno 1231. Abbatiam Grandis-prati (vulgo *Grandpré*) Religioſorum Ciſtercienſium in Comitatu Namurcenſi. Quæ & ulterius dotata fuit ex bonis Abbatiæ Villarienſis ſitis apud Dionantum. Diploma edidit Miræus Tomo I. Diplom. Belgic. pag. 306. & 307. ubi & Comitum Viandenſium Stemma genealogicum exhibetur.

Adde, quod ibi prætermiſſum: Henricus ex Margareta genuit, Fridericum, improlem: Philippum Succeſſorem, Henricum Epiſcopum Ultrajectinum; Petrum Præpoſitum Colonienſem, dein Religioſum Ordinis FF. Prædicat. & B. Yolandam Prioriſſam nobilis Monaſterii Mariæ-Vallis, Ordinis Prædicatorum in Ducatu Luxemburgenſi, in opinione ſanctitatis defunctam. Vitam ejus ſcripſit P. Alexander Wiltheim, S. J. unà cum accuratiore Genealogia Comitum Viandenſium. Ex hoc libello prędicta duo Diplomata excerpſimus.

Philippus, Henrici filius, Dominus de Daſbergh, uxorem habuit Mariam ſororem Henrici Domini Aſſchæ ac Grimbergæ; de quibus videndus Butkens.

Digitized by Google

CAPUT LXIII.

GUIDO DE CASTILLON, *Comes S. Pauli, Capitulum Canonicorum è caſtro* S. Pauli *transfert anno* 1251. *in ipſum Oppidum ac locum ubi hodie conſiſtit.*

UNiverſis præſentes Litteras inſpecturis GUIDO DE CASTILLIONE, Comes Sancti Pauli, ſalutem in Domino.

Veſtra noverit univerſitas, quod quum bonę memoriæ Hugo de Caſtillione Comes Sancti Pauli quondam pater meus cariſſimus à ſanctis Patribus ſacro-ſanctę Romanæ Eccleſiæ Adam & Petro quondam Morinenſibus Epiſcopis, pluribus extiterat requiſitus, ut ſuper Tranſlatione Eccleſiæ ſancti Salvatoris in Sancto Paulo ſitæ infrà munitionem Caſtri mei (cujus Eccleſiæ magna pars pacificis temporibus prędicti quondam patris mei diruta fuerat in dictam munitionem Caſtri, & acceſſui & regreſſui Canonicorum & Clericorum ejuſdem Eccleſiæ impedimentum inferentem, erat eadem Eccleſia ſicut hodiè adhuc eſt, debitis officiis defraudata) conſilium & auxilium apponeret opportunum.

Ego pro ſalute & remedio ſæpedicti quondam patris mei, progenitorum etiam meorum & meo, dedi & conceſſi Canonicis præfatæ Eccleſiæ plateam unam apud Sanctum Paulum, in Vico de *Waſconia* liberam penitùs & immunem, ſicut ſita eſt & ſicut includi & ſignari faciam ab ipſis Canonicis, pro Eccleſiâ Sancti Salvatoris ibidem conſtruendâ; & pro aſſinamentis eorumdem quietè, liberè & pacificè in perpetuum poſſidendam. Quam teneor eiſdem contra omnes, ſicut ſita erit & incluſa garandire, volens & concedens, quod dicta Eccleſia & ejuſdem Canonici & Clerici quantùm in me eſt, eiſdem gaudeant libertatibus, privilegiis & conſuetudinibus & juribus, poſtquàm tranſlata fuerit, quibus & antè Tranſlationem gaudebant.

Et cum prædicti Canonici oblationes omnes Eccleſiæ ſuę, ſitæ infrà munitionem caſtri mei, huc uſque habuerint, volo & concedo (quantum in me eſt) quod oblationes quæ fient in Capellâ infra munitionem Caſtri mei ſita, ſint Canonicorum prædictorum in futurum, ſicut fuerunt uſque modo.

In cujus rei teſtimonium & munimen, Ego Guido de Caſtillone Comes Sancti Pauli prædictus, præſentes Litteras dictis Canonicis tradidi, Sigilli mei munimine roboratas.

Actum anno Domini M.C.C.LI. circa medium menſis Maii.

CAPUT LXIV.

Ordinatio ac Reformatio Capituli VI. Canonicorum cum Præpoſito, in Eccleſia S. Mononis Naſſonienſis *in Arduenna, Ditionis ac Diœceſis Leodienſis, anno* 1253. *per Deputatos DD. Hugonis Cardinalis S. Sabinæ Legati Apoſtolici, & Henrici Epiſcopi Leodienſis.*

Vulgo Naſſogne.

Ex Archivis Abbatiæ S. Huberti, ad nos tranſſum.

IN nomine Domini, amen. Nos Magiſter Godefridus de Trajecto, Dei gratiâ Leodienſis Archidiaconus, Procurator in ſpiritualibus venerabilis Patris Henrici Dei gratiâ Leodienſis Electi, & Magiſter Renerus Canonicus Tungrenſis, exercentes Viſitationis & Reformationis officium per Leodienſem Diœceſim, Authoritate venerabilis Patris Fratris Hugonis miſeratione divinâ tituli S. Sabinæ Presbyteri Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legati accedente, & Autoritate prædicti Domini noſtri Leodienſis Electi.

Notum eſſe volumus univerſis & ſingulis præſentia viſuris, quod die ad hoc aſſignatâ in Viſitatione Eccleſię Naſſonienſis, invenimus prædictam Eccleſiam præ cœteris Eccleſiis Conventualibus Leodienſis Diœceſis debito ſervitio miſerabiliter deſtitutam.

Cujus defectus à longo tempore ab iniquâ radice proceſſit, videlicet quod ſex Præbendæ, quæ ſunt in prædictâ Eccleſiâ, non veniebant ad manum communem: ſed diviſæ erant per loca, nec erant æquales, & erat in poteſtate cujuſlibet Canonici ſtatim meſſe collectâ fructus congregatos in horrea recipere, & deinceps negligere debitum ſervitium in Eccleſiâ antedicta. Verum contingebat, quod Præpoſitus ejuſdem Eccleſię idemque Decanus Canonicorum, per ſubſtractionem beneficii temporalis, eos non poterat cohercere ad reſidentiam faciendam.

Igitur ad reformandum ſtatum prædictæ Eccleſię

Ecclesiæ, die solemniter apud Leodium assignatâ, videlicet feriâ secundâ post Octavas Assumptionis beatæ Virginis, continuata ad dies sequentes, habito prudentum & peritorum consilio, statuimus & ordinamus;

Ut à festo instanti B. Joannis Baptistæ in antea, prædictæ Præbendæ Nassonienses sint æquales omnino, nec aliquis Canonicorum magis possit sibi jus dicere in uno loco quam in alio. Et regantur Canonici per Præpositum eundemque Decanum & Capitulum, sicut reguntur in aliis Conventualibus Ecclesiis Leodiensis Diœcesis.

Bona quoque omnia ad Ecclesiam pertinentia veniant ad manum communis Portionarii, & distribuantur secundum Ordinationem quam super hoc eis tradimus in scriptis, infra prædictum festum beati Johannis.

Præpositus. Item statuimus & ordinamus de cætero, quod prædicta Ecclesia Præpositum habeat eundemque Decanum Ecclesiæ, qui vacânte Præpositurâ à Capitulo eligatur, & curam gerat tam Canonicorum quam totius Parochiæ, sicut alii Præpositi in similibus Ecclesiis.

Et quia vagi & quasi incerti erant redditus Præpositi ejusdemque Decani, statuimus & ordinamus, ut de cætero quicumque erit Præpositus pro tempore, habeat singulis annis de communibus & promptioribus bonis Capituli viginti modios ad mensuram Nassoniensem, quindecim avenæ, & quinque siliginis, medietatem in Natali Domini, aliam medietatem in Pascha. Insuper habebit Justiciam suam, & commodum Justiciæ in Requisitionibus, Relevationibus & emendis, & aliis: sicut observatur in aliis similibus Ecclesiis. Cætera autem omnia tam in silvis quam decimis, ad commune Capituli pertinebunt.

Ordinamus etiam & volumus, ut Magister Henricus qui nunc est Præpositus, maneat Præpositus & Decanus, quamdiu ei placebit.

Scholasticus Item statuimus & volumus, ut Abbas sancti Huberti qui est Patronus Ecclesiæ Nassonensis, conferat Scholastriam Nassoniensem cum suis proventibus personæ idoneæ non Canonico, quæ per se vel per alium sufficientem regat Scholas & chorum frequentet. Ideo autem nolumus eam conferri Canonico, ut numerus in Ecclesiâ servientium augeatur. Quod si Scholasticus non faceret, Præpositus de proventibus ipsius Scholastriæ suppleat defectum ipsius.

Custos. Ordinamus etiam & statuimus, ut Ægidius de Rupe nunc Canonicus & Custos Nassonensis qui antea recipiebat decem modios de fructibus Scholastriæ, de cætero recipiat eos in augmentum Custodiæ de manu Portionarii de communibus bonis Ecclesiæ, tertiam partem in siligine, & duas partes in avenâ, ut competentiùs possit facere debitum luminare. Et Matricularium idoneum ibi ponat, sicut cæteri Custodes. Quæ si non faceret, Præpositus de bonis Custodiæ suppleat defectum ipsius.

Si quid autem amplius pro bono Ecclesiæ circa statum ipsius crediderimus statuendum, vel etiam ordinandum, aut circa ea quæ statuimus vel ordinamus aliquid declarandum, super his omnibus Nobis reservamus potestatem.

Acta sunt hæc feriâ sextâ post festum beati Bartholomei Apostoli, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio.

Statuta Ecclesiæ Collegiatæ Nassoniensis, ordinata prædicto anno 1253.

UNiversis præsentes Litteras visuris Magistri Godefridus Dei gratiâ Leodiensis Archidiaconus, Procurator Venerabilis Patris Henrici Dei gratiâ Leodiensis Electi in spiritualibus, & Renerus Canonicus Tungrensis, salutem in Domino.

Auctoritate venerabilis Patris Fratris Hugonis Ordinis Prædicatorum Tituli sanctæ Sabinæ Presbyteri Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legati, cujus vices gerimus in hac parte, & ex speciali mandato Venerabilis Patris Henrici Dei gratiâ Leodiensis Electi, Ecclesiam Nassoniensem à multis retroactis temporibus divino servitio defraudatam, taliter ordinamus, quod à proximo venturo festo sancti Johannis in antea, Canonicus qui interierit Matutinis per manum Portionarii recipiet unum denarium Leodiensem, & in magna Missa, obolum & in Vesperis obolum. Ad primam in quadragesima obolum. Ita quod si Canonicus non fuerit in Choro ad dictas horas, priusquam secundus Psalmus inchoetur, & in magna Missa antequam Epistola lecta fuerit, nihil percipiat.

Et in Anniversariis qui non intraverit chorum antequam Magnificat totum cantatum fuerit in vigiliis, & Epistola lecta in Missa, nihil percipiat. Licebit autem Canonico residenti pro suis agendis abesse per duos menses sive continuos sive interpolatos, in quibus nihil perdet, & per alium mensem in quo non perdet nisi denarios cotidianos. Sed si per tres menses prædictos absens fuerit, qualibet die absentiæ suæ in qua per totum diem absens fuerit præter pœnam prædictam reddet dimidium modium similis bladi, medium speltæ, medium avenæ. Et si per totam septimanam absens fuerit, reddet distributori unum dosinum bladi ad mensuram loci, nisi missus sit ad negotia Ecclesiæ. Et donec distributori de pœnâ prædictâ satisfecerit, semper habebitur pro absente, nec chorum intrare poterit.

Verum quia per frequentem absentiam Canonico posset contigere quod ipse neque

per ſe deſerviret, neque Vicarium haberet, ſit in diſpoſitione Præpoſiti qualiter puniatur, & Eccleſia ſuo ſervitio non fraudetur.

Ordinamus etiam, quod quilibet Canonicus foraneus habeat in Eccleſia ſuum Vicarium: & pertineat ad diſpoſitionem Præpoſiti & Canonicorum reſidentium inſtitutio Vicariorum, & qualiter & ubi deſerviant tam in majori Eccleſia quam in appendiciis.

Et ſi aliqua Miſſarum celebranda remanſerit propter negligentiam vel abſentiam alicujus Canonici vel Vicarii in Eccleſia Naſſonienſi, reddat dimidium modium ſimilis Bladi, cujus medietas cedet reſidentibus, alia Fabricæ Eccleſiç. Et ſi Canonicus vel Vicarius habuerit manifeſtè focariam ſive ſuſpectam perſonam in domo ſua, quamdiu eam habuerit nihil percipiat de Beneficio ſuo.

Fructus Beneficii ſui pro illo tempore cedant in uſus reſidentium, Diſtributio autem Præbendæ per tempora fiat tam foraneis quam reſidentibus Canonicis, ac & Vicariis ſecundum diſpoſitionem Præpoſiti & Capituli: taliter quod Eccleſia debito ſervitio non fraudetur.

Quolibet anno intra medium Maii Canonicus qui voluerit eſſe reſidens anno ſequenti, qui incipiet conſequenter in feſto ſancti Johannis, per ſe vel per certum nuntium ſignificet publicè in Eccleſiâ Naſſonienſi Præpoſito & Canonicis ſeu Vicariis ibi præſentibus ſe velle reſidere in Præbenda ſua illo anno. Et ſic pro reſidenti habebitur, alioquin non, ſed pro foraneo: quia à medio Maio uſque ad feſtum ſancti Johannis quærendi erunt Vicarii illorum, qui futuri reſidentes non erunt.

Is autem qui proteſtatus fuerit ſe velle eſſe foraneum toto illo anno, reſidens eſſe non po erit, itaque non habeat Præbendam Reſidentis. Et ſi proteſtatus fuerit ſe velle eſſe reſidentem, non poterit voluntatem ſuam mutare, ſcilicet ut pro foraneo habeatur illo anno, & ideo neque reſidentis neque foranei Præbendam accipiet. Foraneus Canonicus tantum percipiet de manu Portionarii duodecim modios bladi ad menſuram loci illius, medium ſpeltæ & medium avenæ & duodecim ſolidos Leodienſes, & nihil amplius, quamdiu erit foraneus, excepto illo Canonico qui erit Canonicus in majori quam ſit Naſſonienſis Eccleſiâ. Illi enim licebit conſtituere Vicarium qui ſuppleat vices ejus & ſic libere percipere reſiduum Præbendæ ſuæ, quia de tota univerſitate bonorum pertinebat ad ipſum, & in omnibus proventibus & paſcuis & aliis quæ ſolent habere Canonici.

Item Capitulum de cœtero non recipiat aliquem in Canonicum, niſi præter aliàs ſolemnitates conſuetas, juraverit ſe obſervaturum Conſtitutionem prædictam, & aliam quam fecimus de Æqualitate Præbendarum, prout in aliis noſtris Litteris continetur. Illi autem qui contra has noſtras Ordinationes propriâ voluntate venerint, poſſint Autoritate prædicta à Præpoſito per Cenſuram Eccleſiaſticam coerceri.

Retinemus autem poteſtatem in hac noſtra Ordinatione, quam pro bono Eccleſiæ Naſſonienſis fecimus, addendi, detrahendi mutandi & declarandi ſecundum quod res exegerit, quia rerum eventus declarare poterit in quotidianis actibus ſecundum antiqui ſtatus mutationem, quid ad utilitatem Eccleſiæ Naſſonienſis fuerit obſervandum.

Actum & datum Feriâ quartâ poſt Dominicam quâ cantatur *Invocabit me*, anno Domini mill eſimo ducenteſimo quinquageſimo ter tio.

CAPUT LXV.

Admiſſio Domûs de Pitzembourg Ordinis Theutonici intra Mechliniam anno 1253, ſub cenſu annuo XXVI. ſolidorum, aliiſque conditionibus Capitulo D. Rumoldi Mechliniæ præſtandis.

UNiverſis Chriſti Fidelibus præſentes Litteras inſpecturis, Frater *Gerardus* Prior FF. Prædicatorum in Lovanio, & Frater Wilhelmus Gardianus FF. Minorum in Mechlinia, ſalutem & noſcere veritatem.

Cum controverſia verteretur inter Capitulum S. Rumoldi in Machlinia ex parte una, & Fratres Domûs Theutonicorum ex altera: Nos pacis conformatores hinc-inde electi ſuper eadem controverſia, votiſque conſentientibus ordinamus, in hunc modum.

Quod Fratres Domus Theutonicorum in quinque Feſtis præcipuis, Paſcha ſcilicet, Pentecoſtes, Feſto omnium Sanctorum, Nativitate Domini, & Feſto Purificationis B. Virginis ſubditos Parochiæ S. Rumoldi ad oblationes non recipient; & ſi recipiant, tunc quæcumque obtulerint, Canonicis & Plebano reſtituent bonâ fide.

Præterea omne jus Parochiæ prædictis Canonicis & Plebano, in nupciis ſcilicet & mortuorum exequiis, in integrum conſignabunt.

Et ſic prædictis Fratribus liberè licebit

Digitized by Google

Fratres morientes ſepelire, & illos recipere, qui apud ipſos elegerint ſepulturam.

Pro gratuitis ac cotidianis vero oblationibus, quamvis modicis, ante Compoſitionem receptis, nec non & expenſis in lite hinc-inde habitis, in ſignum recognitionis Juris Parochialis, & ut omnis diſcordiæ materia in cordibus cujuſlibet ſit ſopita, viginti ſolidos Plebano in Ramis Palmarum perſolvent annuatim, ſi ſæpe-dicti Fratres Parochiam Machlinienſem voluerint inhabitare.

Si vero prædictis Fratribus prædictam Parochiam inhabitare non placuerit, tunc à dicta penſione fient penitus abſoluti. Et ſi in poſterum Fratribus, ſive eorum Prælatis expedire videbitur, poterunt hanc penſionem in aliquo certo loco & cenſu annuo ab eis comparato prædictis Canonicis & Plebano aſſignare.

Et ut iſta rata permaneant & inconvulſa, Sigillis ſæpedicti Capituli & Monaſteriorum, nec non Præceptoris dictæ Domûs Theutonicæ munimine fecimus roborari.

Datum & actum anno Domini milleſimo ducenteſimo, quinquageſimo tertio, in craſtino beatorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi.

Ex hoc Diplomate patet, plures olim Fratres Theutonici Ordinis hîc ſimul conventualiter reſedisſe.

Dein anno 1270. facta eſt alia Conventio inter Capitulum & prædictos Fratres Theutonicos, quod pro perceptione omnium obiationum generatim, & jure adminiſtrandi ibidem Sacramenta darent Capitulo & Plebano annuatim 30. ſolidos.

Fuit hæc Conventio ſubſignata & acceptata per *Fratrem Wilhelmum de Confluentia*, tunc Præceptorem Domûs Theutonicæ in Mechlinia; qui tamen in ſerie Commendatorum de Pitzemburg non nominatur.

Item anno 1234. Dominus *Ægidius de Berthaut* Frater & Procurator Domûs Theutonicorum in Brabantia, memoratur in quodam Diplomate.

Fr. Gerardus Prior Prædicatorum in Lovanio, fuit Vir magni nominis; in Teſtamento Henrici III. Brabantiæ Ducis (apud Miræum Tomo I. pag. 170.) nominatus Fr. Gerardus de Huldenberghe, illiuſque Executor.

CAPUT LXVI.

Caſtrum Rupelmundanum in Waſia anno 1254. munitur, de venia Regis Galliæ, ex teſtimonio Margaretæ Comitiſſæ Flandriæ.

Ex Miſcel. Baluzii, Tom. VII.

Universis preſentes Litteras inſpecturis M. Comitiſſa Flandriæ ſalutem. Notum facimus, quod cùm per conventiones habitas inter excellentiſſimum Dominum noſtrum Ludovicum Dei gratiâ Franciæ Regem illuſtrem & claræ memoriæ. . . . ſororem noſtram quondam Flandriæ Comitiſſam, non poſſimus facere fortericias novas, nec veteres interciare in Flandria citra fluvium qui dicitur Eſcauz, & præfatus Dominus Rex propter neceſſitatem noſtram nobis firmare conceſſerit Caſtrum noſtrum de Ruplemonde, quod eſt de terra Waſiæ, quod etiam eſt citra fluvium prædictum qui dicitur Eſcauz; & quod nos tenemus & advocamus de ipſo Rege, volumus, ut prædictæ Conventiones in hoc & in aliis nihilominus in ſua maneant firmitate.

Datum Pariſius anno Domini M. C. C. quinquageſimo quarto, menſe Februario.

CAPUT LXVII.

*De eodem v. de T. III. Diplom. pag. 414

ARNOLDUS DE ZELLAER, * *Canonicus & Scholaſticus Machlinienſis, Abbatiæ* Loci S. Bernardi ad Schaldim, *uti & plurium aliorum Monaſteriorum munificus Benefactor, donat huic ſuam Decimam in Ekeren, anno* 1257.

Ex Archivis Epiſcop. Antverp. ad quem hodie ſpectat Decima de Eckeren.

Universis Chriſti fidelibus præſentes Litteras inſpecturis, Ego ARNOLDUS DE ZELLAER Scholaſticus Mechlinienſis, ſalutem & cognoſcere veritatem.

Præſentium atteſtatione Litterarum notum facio univerſis tam præſentibus quam futuris, quod Ego ſanæ mentis & mei compos, paupertati Monaſterii Loci S. Bernardi Ordinis Cyſtercienſis de novo fundati, piè propter Deum compatiens, Viris Religioſis Abbati & Conventui ejuſdem Monaſterii in puram & perpetuam eleëmoſynam duas Rias Decimarum, ſic

vulgariter nominatas, quas intra limites Villæ de Ekerna poſſideo, & jam diu poſſedi, ob remedium animæ meæ donatione inter vivos do, confero, & aſſigno, ab Abbate & Conventu prædicti Monaſterii in perpetuum pacificè & quietè poſſidendas.

In cujus rei Teſtimonium & munimen perpetuum, Ego Sigillo meo proprio, unà cum Sigillis Reverendi Patris Domini * B. Epiſcopi quondam Lauſanenſis, & Domini Abbatis Villarienſis, præſentem Paginam prædictis Abbati & Conventui contuli roboratam.

* Is eſt S. Bonifacius Epiſcopus, cujus corpus quieſcit in Abbatia Cameræ.

Datum anno Domini M. C. C. quinquageſimo ſeptimo, menſe Mayo.

UNiverſis Chriſti fidelibus preſens ſcriptum viſuris, Magiſter Balduinus de Echove Decanus Eccleſiæ Machlinienſis, & Inveſtitus Eccleſiæ de Ekerne ſalutem in Domino.

Noveritis, quod nos acquiſitioni Decimæ jacentis in Parochia noſtra de Ekerne, quam Viri Religioſi Abbas & Conventus Monaſterii Loci S Bernardi Ciſtercienſis Ordinis per emptionem & venditionem acquiſiverunt à Nobili Viro Henrico Domino de Breda, conſenſum præbemus & aſſenſum.

Datum anno Domini M. C. C. LX. ſeptimo, menſe Julio. 1267.

CAPUT LXVIII.

Monaſterium Monialium Ord. S. Claræ, vulgo Urbaniſtarum Ipris (olim in Parochia vicina de Langhe-marcke *fundatum) ab Alexandro IV. Pontifice ſubjicitur anno* 1258. *regimini Fratrum Minorum.*

Ex Regiſtro Vaticano ſub Alex. IV. Epiſt. 250.

ALexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiabus Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii Sanctæ Mariæ de Longa-Marcha, Ordinis Sancti Damiani, Morinenſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cum, ſicut ex parte veſtra fuit propoſitum coram Nobis, Vos incluſæ corpore in caſtris clauſtralibus, mente tamen liberâ devotè Domino famulantes, Generali Ordinis, & Provinciali Fratrum Minorum Miniſtro illius Provinciæ deſideretis pro veſtra ſalute committi; Nos pium veſtrum propoſitum in Domino commendantes, devotionis veſtræ precibus inclinati, vos & Monaſterium veſtrum auctoritate præſentium Generali & Provinciali Miniſtris committimus ſupraſcriptis.

Eadem Auctoritate nihilominus ſtatuentes, ut ſub magiſterio & doctrina Miniſtrorum Generalis & Provincialis Fratrum Minorum, Provinicæ prætactæ, qui pro tempore fuerit de æterno maneatis. Illis gaudentes Privilegiis, quæ Ordini prætacto Fratrum ipſorum ab Apoſtolica Sede conceſſa ſunt, vel in poſterum concedentur.

Ipſique Generalis & Provincialis Miniſtri animarum veſtrarum ſolicitudinem gerentes, & curam eidem Monaſterio per ſe vel alios Fratres ſui Ordinis, quos ad hoc viderint idoneos, quotiens expedierit, officium viſitationis impendant, corrigendo & reformando ibidem, tam in capite quam in membris, quæ correctionis ſeu reformationis officio noverint indigere. Et nihilominus inſtituant & deſtituant, mutent & ordinent, prout ſecundum Deum viderint expedire.

Electio tamen Abbatiſſæ liberè pertineat ad Conventum. Confeſſiones autem veſtras audiant, & miniſtrent vobis Eccleſiaſtica Sacramenta.

Et ne pro eo, quod in Monaſterio veſtro ipſius Ordinis Fratres reſidere continuè non tenentur, pro defectu Sacerdotis poſſit periculum imminere, prætacti Generalis & Provincialis Miniſtri ad confeſſiones in neceſſitatis articulo audiendas & miniſtranda Sacramenta prætacta, nec non divina officia celebranda, vobis deputent aliquos diſcretos & providos Capellanos.

Ad hæc liceat vobis redditus & poſſeſſiones recipere, ac eas liberè retinere; non obſtante conſuetudine, vel Statuto veſtri Ordinis, confirmatione Sedis Apoſtolicæ aut quacumque aliâ firmitate roboratis. Nulli ergo &c. noſtræ Conceſſionis & Conſtitutionis &c.

Datum Viterbii, X. Kal. Maii, Pontificatûs noſtri anno IV.

(1) Longa-Marcha, vernaculè *Langhe-Marcke*, inſignis Parochia Diœceſis Iprenſis, olim Morinenſis, diſtat Ipris altero milliari. Hîc primò fundatum fuit Monaſterium Sororum, quæ circa annum 1258. Ordinem Sti. Franciſci ſunt amplexatæ, juxta Inſtitutum ſanctę Claræ. Poſtmodum anno 1584. tranſierunt Ipras, acquiſitâ Domo quondam FF. Tertiariorum. Plura deſcribit Sanderus Tomo II. Flandrię Illuſtratæ pag. 351.

CA-

CAPUT LXIX.

Capitulum Majus Cathedrale Ultrajectenſe Decimas quas ſub penſione tenebat Joannes de Praet *Miles in Parochiis* B. Mariæ *Brugis*, Sti. Ægidii, Zyſſeele, Oedelem, *&* Coolkercke, *mediante eadem recognitione tranſfert in Præpoſitum & Capitulum B. Mariæ Brugenſis anno* 1258.

In Archivis Capituli B. M. Brug.



Niverſis præſentes Litteras inſpecturis & audituris, Decanus & Capitulum Majoris Eccleſiæ Sti. Martini Trajectenſis ſalutem.

Notum ſit omnibus, quod cum Nobilis Vir *Joannes de Praet* nobis tenetur in annua penſione undecim marcharum Colonienſium, duodecim ſolidos pro marcha numerandis, occaſione Decimarum jacentium in Parochiis Stæ. Mariæ in Brugis, *Sti. Ægidii*, *Zieſcele*, *de Oudelem*, & *de Coelkercke*, quas à nobis tenebat ſub penſione prædicta, & ipſe *Johannes* ſæpiùs in ſolutione dictæ penſionis deficeret & ceſſaret: propter quæ dampna gravia & expenſas ſuſtinuimus & fecimus, quâ etiam occaſione ipſum in cauſam traximus & trahi fecimus coram Viro Religioſo Abbate Sti. Laurentii de Oeſtbroke, Judice Delegato à Domino Papa.

B. Gilis. Zizeele. Oelem. Coolkercke.

Idem Johannes ipſam moleſtationem ſive vexationem non valens ſuſtinere, humiliter ſupplicavit & à nobis requiſivit, ut tranſlationi faciendæ de dictis Decimis ab ipſo in Eccleſiam Beatæ Mariæ Brugenſis pium præberemus conſenſum pariter & aſſenſum: ita ut ipſa Eccleſia dictas decimas teneret & poſſideret, & nobis in dicta penſione annua reſponderet.

Nos itaque, precibus ipſius Johannis inclinati, demera ſpontanea voluntate, neceſſaria procurando, & faciendo meliorem conditionem & utiliorem Eccleſiæ noſtrę prędictæ, quitamus & quitam clamamus Eccleſiam B. Mariæ prædictæ, & eam nunc & in perpetuum pacificâ poſſeſſione gaudêre volumus, concedimus & permittimus de dictis Decimis, cum omni & pleno jure, in quibus nullum jus reclamamus nec unquam reclamabimus. Hoc excepto, quod Præpoſitus & Capitulum B. Mariæ antedictæ nobis dictam penſionem annuatim in die B. Remigii ſolvere tenebuntur & ſine aliqua difficultate perſolvent.

Johannem vero prædictum ſuper dictis Decimis abſolvimus & quitamus, & dictos Præpoſitum & Capitulum loco ipſius Johannis ſuſcepimus ſolutores & pagatores. Qui Johannes & Katharina ejus uxor pro ſe & hæredibus ſuis omne jus quod habent & habere potuerunt in dictis Decimis nunc & in futurum dictis Præpoſito & Capitulo ad opus ſuæ Eccleſiæ conceſſerunt, & in ipſos nobis præſentibus & conſentientibus tranſtulerunt.

Promittimus autem Nos Decanus & Capitulum prædicti fide & juramento à nobis cordialiter præſtitis, quod dictos Præpoſitum & Capitulum vel eorum Eccleſiam numquam impetemus, inquietabimus vel moleſtabimus ſuper præmiſſis vel aliquo præmiſſorum: niſi à ſolutione dictæ penſionis (quod abſit;) deficerent & ceſſarent.

Quod ſi nos Decanus & Capitulum prædicti nuntium noſtrum in Brugis deſtinaverimus pro ſæpedicta penſione, & ipſum pro ipſa habenda moram aliquam facere contigerit præterito die Bti. Remigii, expenſas quas poſtea faciet pro retardatione ſolutionis prædictæ, & penſionem à dictis Præpoſito & Capitulo requiſierit, promiſerunt ſæpe dicti Præpoſitus & Capitulum dicto nuntio de expenſis ſatisfacere & providêre, donec ſolutio ab eis fuerit facta.

Solvitur uſque hodie Canonicis Acatholicis Ultrajectenſibus.

Et per hoc renunciavimus omni auxilio Juris Canonici & Civilis, exceptione fori, mali doli, Conſtitutioni de duabus diêtis, & omnibus aliis exceptionibus nobis competentibus ſeu competitis.

In cujus rei Teſtimonium & in poſtremam firmitatem ſæpedictis Præpoſito & Capitulo B. Mariæ Brugenſis præſentes Litteras Sigillo noſtro dedimus ſigillatas, in Teſtimonium veritatis.

Actum & datum anno Domini M.C.C. LVIII. Dominicâ poſt Feſtum omnium Sanctorum.

CAPUT LXX.

JOANNA DE ESPINOY, *Uxor* HENRICI *D.* de Aſſcha, *benefacit anno* 1261 *Abbatiæ* Parci-Dominarum *Ordinis Ciſtercienſis juxta Lovanium.*

NOtum &c. quod Nobilis Mulier JOANNA, Domina de Spineto, de conſenſu & voluntate, in præſentia Nobilis Viri Domini HENRICI DE ASCA mariti ſui, legavit Monaſterio de Parcho Dominarum triginta ſolidos Flandrenſes ſingulis annis, in perpetuum in Anniverſario ſuo, Conventui ad pitantiam diſtribuendos.

Ita tamen, quod Margareta & Ida de Morſeke Sorores, & dictæ Domûs Moniales, dictos XXX. ſolidos temporibus vitæ ſuæ, in uſus ſuos proprios, de licentia Abbatiſſæ convertent. Ambabus autem de medio ſublatis, dicti denarii, ut dictum eſt, ad pitantiam converterentur.

Teſtes: Balduinus dictus Paxa.

Arnoldus, Dapifer Dominæ ſupradictæ, & alii quam plures.

Actum apud Morſeke, coram nobis, in manſione Dominæ memoratæ, anno Domini M. C. C. LXI. 1261.

In cujus rei Teſtimonium, Sigillum noſtrum præſentibus duximus apponendum.

SYBILLA *Vidua* HENRICI D. DE GRIMBERGIS *benefacit anno* 1309. *eidem Abbatiæ* Parci-Dominarum, *intuitu trium de Familia ſua ibidem Sanctimonialium.*

UNiverſis Chriſti fidelibus, præſentes Litteras inſpecturis, Nos SIBILLA, relicta bonæ memoriæ quondam Viri Nobilis, Domini HENRICI DE GRIMBERGIS, Domini de Morska, & Henricus eorumdem primogenitus, annos habens diſcretionis & ætatem legitimam, ſalutem, & rei geſtæ plenam cognoſcere veritatem.

Cum præfatus Vir Nobilis, Dominus Henricus de Grimbergis, quondam Dominus de Morska, pater mei prædicti Henrici, nuper defunctus, in extrema ſua infirmitate, in qua & deceſſit, recognovit ſe legitimè teneri obligatum perſonis Religioſis, Abbatiſſæ & Conventui de Parcho Dominarum, in quinquaginta ſolidos Flandrenſes annui & perpetui cenſûs ſeu redditûs, quos piæ memoriæ Dominus Walterus quondam Dominus de Morska, avus ejuſdem Domini Henrici ſupradicti, intuitu trium filiarum ſuarum ibidem Monialium in eleëmoſynam contulit &c. . . .

Inſuper Ego Henricus prædictorum Domini Henrici & Sibillæ filius primo-genitus, omnes fratres meos & ſorores warandare promitto, &c.

In quorum omnium Teſtimonium roburque firmitatis perpetuę, Nos Sibilla & Henricus recognoſcimus, nos Sigilla noſtra præſentibus Litteris appendiſſe.

Datum anno Domini M. C. C. C. IX. in Converſione B. Pauli Apoſtoli. 1309.

CAPUT LXXI.

BALDUINUS *Caſtellanus Atrebatenſis, tranſigit ſuper Juribus ſuis cum Abbate S. Vedaſti ibidem, Ordinis S. Benedicti, anno* 1263.

EGo Balduinus Miles, Caſtellanus Atrebatenſis, Homo-ligius Monaſterii Sancti Vedaſti Atrebatenſis,

Notum facio univerſis tam præſentibus quam futuris, quod cum Prædeceſſores mei in jocundo primo adventu Domini Abbatis Monaſterii ſancti Vedaſti qui pro tempore fuerat, ibidem petiiſſent, & ad jus ſuum trahere voluiſſent vaſa & utenſilia omnia, quibus & in quibus coram Domino Abbate dicti Monaſterii prima die ſui adventus, in refectorio ſancti Vedaſti ſerviebatur, & Ego ſimiliter præmiſſa omnia in adventu primo Domini mei S. nunc Abbatis ejuſdem Monaſterii petiiſſem;

Ego Balduinus prædictus veritate à me ſuper hoc diligenter inquiſitâ, & per bonos intellectâ, recognoſco me in præmiſſis ſeu aliquo promiſſorum jus aliquod non habere, nec unquam Prædeceſſores meos habuiſſe. Et ſi jus aliquod in eis habebam, vel habere poteram quoquo modo, Ego vel hæredes ſeu Succeſſores mei, illud totum jus quitto & remitto, & in puram & perpetuam eleë-

Digitized by Google

moſynam do & concedo Monaſterio memorato, & Abbati cuicumque qui pro tempore dicto Monaſterio prætuerit in futurum.

Bonâ fide promittens, quod contra præſens Inſtrumentum vel factum ſeu aliquid in eodem Inſtrumento contentum, per me vel per alium de cætero non veniam ullo modo, nec ipſum Monaſterium ſuper præmiſſis, nec Abbatem ipſius Monaſterii aliquatenus moleſtabo, neque procurabo moleſtari; me, hæredes & ſucceſſores meos ac hæc, tenore præſentium ſpecialiter obligando. Hæc autem omnia feci & firmiter tenere... promiſi, coram Paribus meis Hominibus dicti Abbatis ad hoc evocatis.

In cujus rei Teſtimonium, præſentes Litteras Abbati & Conventui dicti Monaſterii tradidi, Sigilli mei munimine roboratas.

Actum & datum anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo tertio, menſe Aprili.

CAPUT LXXII.

FF. Auguſtiniani intra Mechliniam ſtabiliuntur anno 1263. ſub conditionibus à Capitulo D. Rumoldi præſcriptis.

UNiverſis præſentes Litteras viſuris, Frater Guido Provincialis FF. Heremitarum Ordinis S. Auguſtini per Allemanniam, ſalutem in eo qui eſt omnium ſalvator. Deus author pacis & amator, cum his qui pacem diligunt & tenent, eſt, & in perpetuum permanebit: atteſtante Jeſu-Chriſto.

Univerſa negotia, quæ modernis geruntur temporibus, ex quibus penes poſteros poteſt materia jurgii generari vel ſuboriri, debent ſcripturarum Teſtimonio commendari, ... in ſcripturam ſtabilem in ſtatu ſtabili, quod non erat ſine Litteris valiturum.

Innoteſcat igitur univerſis, præſentibus pariter & futuris, quod cum controverſia verteretur inter Viros Venerabiles Decanum & Capitulum Machlinienſe ex una parte, & Fratrem Priorem item Fratres Ordinis prædicti ex altera, in Oppido Machlinienſis commorantes; Nos pacis reformatores exiſtentes, ſuper eadem Controverſia, partibus conſentientibus, ordinamus in hunc modum.

* Aliàs *de Echove.*

Magiſter B. de Echerne * Decanus, & Capitulum Machlinienſe unanimiter dant licentiam & aſſenſum dictis Priori & Fratribus, Oratorium ſive Eccleſiam conſtruendi, & in eiſdem Miſſarum ſolemnia & alia divina officia celebrandi.

Nota bene.

Ita tamen, quod jam dicti Fratres in quinque Feſtivis præcipuis, Paſcha ſcilicet & Pentecoſte, Feſto omnium Sanctorum & Natalis Domini, ac in Purificatione B. Virginis, Parochianos Sti. Rumoldi Machlinienſis, Plebano & Capitulo ſubditos ad oblationes non recipient, & ſi eos receperint & quidquid obtulerint ex integro reſtituent bonâ fide, ſub Ordinis Regula promittenda.

Præterea omne Jus Parochiæ prædictis Decano & Capitulo, Plebano in nupciis & mortuorum exequiis in integrum conſervabunt. Et ſic ſæpedictis Fratribus licebit mortuos ſuos ſepelire: & illos recipere, qui ex devotione apud ipſos elegerint ſepulturam: Jure Cuſtodis in omnibus & per omnia ſemper ſalvo.

Nota.

Pro quotidianis vero & gratuitis oblationibus, quas fideles ex devotione annuunt, canonem ſexaginta ſolidorum Lovanienſium legalium Capitulo & Plebano ſingulis annis, Dominicâ ante Lucæ medietatem, & Dominicâ ante Ramos Palmarum reſiduum integraliter perſolvent, & ſolvere tenebuntur in futurum.

Promiſerunt inſuper tam Decanus & Capitulum, tam Prior & Fratres prædicti, de noſtro conſenſu, quod quidquid Decanus & Plebanus dictæ Eccleſiæ, de ſtatu jurium Eccleſiæ præter præmiſſa juſſerint ordinandum, inviolabiliter in perpetuum obſervabunt.

Volumus etiam, & ordinamus ad conſervandam pacis unitatem & vinculum fraternæ caritatis in Chriſto, quociens de cætero contigerit aliquem Canonicum dicti Capituli à ſæculo migrare, Fratres prædicti, tamquam ipſi Fratres, in domo defuncti ipſius exequias celebrabunt. Ita quod ad proceſſionem venient, ad dicendum in ſero vigilias circa funus, & in mane Miſſam pro defunctis intra Eccleſiam B. Rumoldi celebrare tenebuntur: ac ſic conjuncti ad invicem in perpetuum remanebunt.

Obligatio erga defunctos Canonicos D. Rumoldi.

Ut autem præmiſſa firmitatem perpetuam obtineant, & inconcuſſa permaneant, & ne inter dictas partes ſuboriri valeat in poſterum materia quæſtionis, Nos Frater G. Prior Provincialis, unà cum Sigillo Prioris & Conventûs Fratris prædictorum: & Nos Magiſter B. de Echove Decanus Ma-

verdonck & alibi.

Quam terram ſub ſuis coſtibus propriis, infra triennium inſtans arabilem procurare promiſerunt : ipſumque ſimul cum prato & nemore ſub ſuis propriis expenſis claudere promiſerunt & ſepire. Cenſus verò prædictorum terræ, prati & nemoris, ſuper ſuas proprias hæreditates redegerunt, & dictam dotem liberam effecerunt.

Nos verò deſiderantes augmentationem & promotionem divini ſervitii, hanc Dotationem factam, firmam & ratam habemus, & præſentibus confirmamus.

In cujus rei Teſtimonium præſentem Literam Sigilli noſtri municulo duximus roborandam.

Datum & actum in Woudâ, anno Domini M. C. C. LXVIII. feriâ ſecundâ poſt Huberti.

CAPUT LXXV.

Admiſsio Fratrum B. M. de Monte Carmelo *intra Oppidum Bruxellenſe anno* 1268. *ſub certis conditionibus à Capitulo D. Gudilæ præſcriptis.*

UNiverſis Chriſti fidelibus præſentes Litteras inſpecturis, H. Prior (licet indignus) Domûs FF. Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, totuſque Conventus Ordinis antedicti in Bruxella commorantis, ſuarum plenam in Domino Jeſu-Chriſto participationem orationum.

Noverit univerſitas veſtra, quod Venerabiles Viri ac diſcreti Domini J. Decanus, Magiſter A. Cantor, Magiſter S. Phyſicus Theſaurarius, totum Capitulum & Plebanus Eccleſiæ B. Gudilæ Bruxellenſis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Nos Priorem & Fratres Ordinis antedicti ad commorandum in Oppido Bruxellenſi infra limites Parochiæ B. Gudilæ receperunt : ſub hac formâ.

Nos Prior & Fratres prædicti ſolvemus Capitulo prædicto ſingulis annis perpetuò centum ſolidos Bruxellenſes annuæ penſionis, videlicet 50. in Feſto B. Martini hyemalis, in Nativitate Domini 25. ſolidos, & in Paſcha 25. ſolidos.

Item Nos dicti Prior & FF. noſtros Fratres & familiares habitum noſtræ Domûs portantes, Eccleſiaſticæ poſſumus tradere Sepulturæ, & non alios, niſi de prædicti Capituli licentiâ petitâ & obtentâ. Nec poſſumus in noſtro Oratorio anniverſaria, tricenaria & ſeptenaria, præter Capituli prædicti conſenſum, quomodolibet celebrare, ſeu locum noſtrum mutare.

Item Nos dicti FF. in quatuor anni ſolemnitatibus Dominicâ proximâ ante quamlibet ſolemnitatem, indicabimus in facie Eccleſiæ noſtræ populo, quod omnes in dictis Solemnitatibus ſuas oblationes ad Eccleſiam Parochialem deferant, & quod ad hoc teneantur.

Et omnes oblationes & proventus ad Altare noſtrum provenientes in dictis IV. anni Solemnitatibus, ſimiliter in Purificatione B. M. & Commemoratione animarum cedent integraliter Capitulo memorato.

Item nos dicti Fratres Dominicis diebus & feſtivis prædicare non poſſumus extra Capellam noſtram infra Oppidum Bruxellenſe ante nonam : niſi à Presbyteris Parochiarum fuerimus vocati.

Item nos dicti Fratres Teſtamentis infirmorum oppidi Bruxellenſis intereſſe non poſſumus, ſine licentia Presbyterorum, in quorum Parochiis infirmi languent. Et ſi licentiati fuerimus, tunc tertia pars dictorum Teſtamentorum cedet Presbyteris : duæ autem partes dictis Fratribus.

Hanc autem Ordinationem à Dominis dicti Capituli & à Nobis approbatam, Sigillis Reverendi Patris N. Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopi, & Illuſtris Principis Ducis Brabantiæ, Capituli prædicti, Prioris Provinciæ Allemanicæ, & Prioris noſtræ Domûs Bruxellenſis, Ordinis antedicti, in teſtimonium fecimus roborari.

Actum anno Domini M. C. C. LXVIII. menſe Januario.

Ordinem FF. B. M. de Monte Carmelo introduxit in Franciam S. Ludovicus Rex Franciæ, quando ex Terra Sancta rediit. Intrarunt autem Oppidum Bruxellenſe anno 1249, ſub Duce Henrico III. uti habuit vetuſta Inſcriptio, quæ olim erat in ambitu Conventûs Bruxellenſis, ſupra oſtium ingreſſûs in chorum.

Porro recognitio 100. ſolidorum (de quâ hoc Diplomate) anno 1275. conſenſu Capituli S. Gudilæ mutata fuit in redditum 5. florenorum annuè. Quoad ſepulturas etiam Laïcorum inita fuit nova conventio cum Capitulo anno 1324. Deinde ſuper his omnibus aliæ introductæ ſunt conſuetudines.

De controverſa Antiquitate hujus Ordinis vide Bullam Innocentii XII. Papæ, Tomo III. pag. 275.

Digitized by Google

CAPUT LXXVI.

FELICITAS *Domina de Hoboken, donat Monaſterio de* Auderghem, *Monialium Ordinis Sti. Dominici juxta Bruxellam, Jus Patronatûs Eccleſiæ de* Eckeren *juxta Antverpiam, anno* 1270.

Ex Archivis Epiſcopat. Antverp.

UNiverſis Chriſti fidelibus, præſentes Litteras inſpecturis.

FELICITAS Domina de Hoebuec & HENRICUS natus ejus, ſalutem & cognoſcere veritatem.

Attendentes, quoniam ſola miſericordia comes eſt defunctorum, Jus Patronatûs quod in Eccleſia de Ekerne, Leodienſis Dyoceſis, obtinemus in ſolidum, ob remedium Animæ claræ memoriæ G. Domini quondam de Perweis & Grimbergis, tunc mariti noſtri ejuſdem Felicitatis, Patris quoque noſtri dicti H. nec non aliorum progenitorum noſtrorum, in noſtrarum etiam ſubſidium animarum, kariſſimis in Chriſto ..... Prioriſſæ & Conventui Sororum ſecundùm Inſtituta Fratrum Ordinis Prædicatorum viventium Monaſterii Vallis Duciſſæ conferimus jure perpetuo poſſidendum.

Nolentes quod ab aliquo heredum noſtrorum hęc noſtra Donatio debeat revocari, vel quomodolibet impugnari. Unde & Nos HENRICUS, tactis ſacroſanctis Reliquiis, juramento promiſimus coram Johanne Illuſtri Duce Brabantiæ, ac nobilibus Viris Domino Henrico de Lovanio, Domino Bertholdo de Machlinia, & Domino Henrico de Bautersheim, nec non Religioſis Viris Fratre Ægidio Priore Lovanienſi, & Nicholao Lectore Trajectenſi Ordinis ſupradicti, quod hanc Donationem noſtram tam Nos quam heredes noſtri debeamus inviolabiliter obſervare.

In cujus rei certitudinem & teſtimonium, Nos Felicitas Sigillum noſtrum, Noſque Henricus, quia Sigillum proprium non habemus, Sigillum ipſius Illuſtris Ducis Brabantiæ, qui etiam huic Donationi conſentit, apponi fecimus ad præſentes.

Actum & datum in Caſtro Lovanii, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo, feriâ tertiâ poſt Octavas omnium Sanctorum.

URBANUS IV. *Pontifex liberam diſpoſitionem de illis Decimis concedit dictæ Dominæ Felicitati, circa annum* 1263.

URBANUS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectæ in Chriſto filiæ Nobili mulieri Felicitati de Triangulo Dominæ de Perweis & de Caſtro-portuenſi, Remenſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Supplicaſti nobis, ut cum in fenagio & Dominio de Eckre Leodienſis Dioceſis, ac aliis locis Leodienſis & Cameracenſis Dioceſis quaſdam terras, quæ Waſtinę vulgariter nuncupantur, ad culturam de novo redactas hæreditario jure habeas & poſſideas, de quibus aliqua perſona Eccleſiaſtica Decimas hactenus non percepit, convertendi decimas ipſas in pios uſus pro animæ tuæ remedio, vel conſtruendi in prædictis locis Eccleſiam, quam Decimis ipſis dotare intendis; non obſtantibus aliquibus Litteris à Sede Apoſtolica impetratis vel etiam impetrandis, niſi hujuſmodi Litteræ impetrandæ plenam & expreſſam, & de verbo ad verbum de præſentibus fecerint mentionem, licentiam tibi concedere miſericorditer curaremus. Lege Literarum.

Nos itaque tuis ſupplicationibus inclinati, faciendi prædicta ſine juris præjudicio alieni, dum modo ad id Diœceſani loci Epiſcopi, Archidiaconi, & Rectoris concurrat aſſenſus, plenam tibi Auctoritate præſentium concedimus facultatem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ Conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire.

Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum apud Urbem-veterem II. Nonas Junii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Stemma Dynaſtarum Perueti exhibuit Miræus Tomo I. Diplom. Belg. pag. 775. in quæ hæc emendanda videntur.

FELICITAS de Treſnel vidua Godefridi Dynaſtæ de Chaſteau-porcien in Diœceſi Remenſi, nupſit Godefrido Domino de Peruez & Hoboken. Hinc nata Aleydis quæ celebs obiit: vide Trophęa Brabantiæ Butkenii libro VIII. cap. 3. Felicitas vendidit Dominium Puerſenſe in Brabantia Abbatiæ S. Bernardi ad Scaldim Ordinis Ciſtercienſis. (uti habet Miræus Tomo III. Diplom. pag. 690.) & Monialibus Dominicanis in Auderghem inſigniter benefecit, donando eis Jus Patronatûs ac Decimas loci de Eckeren inter Antverpiam ac Bergizomam, hoc Diplomate. Quod ipſum confirmavit Aley-

dictis Brabantiæ Ducibus eodem anno 1290. Literæ eius exhibentur apud Aimoum pag. 1001.

Idem denique confirmavit anno 1296 Alexdis de Perewez, Felicitate filia, per Diplomatum memorandum: quorum omnium Fragmenta ad. qua dictis Burkenus in Trophæis Brabantiæ ad librum VII. cap. III.

CAPUT LXXVII.

ALEYDIS *Domina de Hoboken confirmat Donationes matris suæ de Decimis in Eckeren & Hoboken, in favorem Monasterii Ordinis Sti. Dominici in Andorpem anno* 1290.

ALEYDIS, dicta de Perweis, Domina de Hoboken. Universis præsentes Literas inspecturis, veritatis notitiam cum salute.

Cum karissima mater nostra beatæ memoriæ Domina Perweis de Triangulo dicta, Domina de Perweis & de Caltro portuensi, concessu filii postmodum in Sede Apostolica Decimas novalium quarumlam terrarum suarum, quæ vulgariter *Wyfstue* nuncupantur, de novo ad culturam redactarum, quæ quidem terræ jure hæreditario possidebat & habebat, & de quibus aliqua Peribus Ecclesiasticis Decimas non perceperat, convertendi in pios usus pro animæ suæ remedio, vel contulerat & in locis prædictis Ecclesiarum, quam ipsis Decimis dotare intendebat, Decimas prædictas novalium terrarum suarum, scilicet in Parochia de *Hoekere* Leodiensis, & *Hoboken* Comarcanensis Diœcesis, de quibus aliqua per dictas Ecclesiastica Decimas non perceperat, personis Religiosis... Prioribus & Conventui Valli Dueiffæ apud Hoboken Andegthen, secundum Regulam beati Dominici viventium, divinas partatis intuitu in Elemosinam puræ & absolutæ contulit, dicens quod Prioritis & Conventus ex Donatione seu collatione prædicta fuerunt in possessione & perceptione dictarum Decimarum a tempore Fundationis Monasterii suprædicti.

Nos tam pio dictæ Matris nostræ proposito, fed & facto consentium nostrum benevolum adhibemus & affectum, Donationem seu Collationem hujusmodi, & omnes alias Donationes seu Collationes ab eadem quarumcumque rerum, quorumcumque bonorum factas Monasterio suprædicto, laudamus, approbamus & confirmamus. Et defectum, si qui fuerit in præmissis, benigne prout possumus supplentes, bona præsidia universis confirmius seu dominus in elemosinam irrevocabiliter Monasterio suprædicto.

In quarum rerum testimonium, Illustris Viri Domini J. Ducis de Brabantiæ Lotaringiæ & Lemburgeniæ Domini nobis Literis præsentibus Sigillum, una cum Sigillo nostro pendentibus & fecimus apponi.

Et Nos Dux Brabantiæ ad petitionem karissimæ conjunctionem nostræ Domicellæ Aleydis prædictæ, nostrum cum Sigillo fus apposuimus Sigillum.

Datum anno Domini M. C. C. nonagesimo, Dominica qui cantatur Jubilate.

CAPUT LXXVIII.

Decanus & Capitulum Ecclesiæ Beati Rumoldi Mechliniæ, per Translationem nitum cum Monialibus de Anderghem, Ordinis S. Dominici juxta Bruxellas, & ab Aleide Brabantiæ Ducissa confirmatam, cedunt eidem Monialibus Jus Patronatûs Ecclesiæ de Eckeren, *juxta Antverpiam, anno* 1271.

Ex Archivo Episcop. Antverp.

LEUDIS Lotharingiæ & Brabantiæ Ducissa, universis præsentes Literas inspecturis salutem & noscere veritatem. Noverit universitas vestra, quod cum inter Viros venerabiles Decanum & Capitulum Ecclesiæ Machlinensis ex parte una, & personas Religiosas Prioris sum & Conventum Vallis Ducissæ Ordinis Fratrum Prædicatorum ex altera, super Jure Patronatûs Ecclesiæ seu Capellæ de Eckerne Leodiensis Diœcesis quæstio & causa verteretur, & inter Prædictatos ab eisdem, ex parte scilicet Capituli Machliniensis Virum venerabilem Domi-

Digitized by Google

Dominum Jacobum van Berthaut Archidiaconum Tornacenſem in Brugenſi, ex parte vero dictarum Prioriſſæ & Conventûs Dominum Ægidium dictum Haec Presbyterum, ad Eccleſiam ſeu Capellam prædictam orta eſſet materia quæſtionis;

Et ſuper præmiſſis inter dictas Partes, tam ſuper Jure Patronatus prædicti quam ſupra Eccleſiam ſeu Capellam prædictam coram Arbitris ſuper hiis à Partibus electis diutius eſſet litigatum: prout in Inſtrumentis ſuper hoc confectis plenius continetur: tandem Nobis & aliis perſonis honeſtis & religioſis mediantibus ſuper præmiſſis & aliis dictum negotium tangentibus, Ordinationis, Compoſitionis & Pacis forma talis intervênit.

Dicti etenim Decanus & Capitulum, dictæ Prioriſſa & Conventus, & Præſentati ab eiſdem ad Eccleſiam ſeu Capellam prædictam ſuperius nominati, cauſam quam movet contra eos pro ſupradicta Eccleſia Capella Rumoldus dictus de Attencort Canonicus beati Servatii Trajectenſis, proſequi tenentur & defendere ſine fraude per ſe vel per ſuos Procuratores ydoneos & fideles, & alter alteri aſſiſtere conſilio, patrocinio, probationibus tam per Inſtrumenta quàm per teſtes cum rationibus & defenſionibus legitimis; ad hoc ut ſi dictus Rumoldus ſuccumbebat in cauſa prædicta, in expenſam tamen dictarum Prioriſſæ & Conventus totaliter...

Cum verò Eccleſia ſeu Capella dicto R. abjudicata fuit, vel eidem ſuper Jure quod prætendit ſilentium impoſitum quovis modo, dicti Decanus & Capitulum mediante recompenſatione ipſis facienda pro laboribus & expenſis factis in proſequutione cauſæ ſupra tactæ, promiſerunt renunciare, & expreſſè renunciarunt omni Juri ſi quod habent in Patronatu Eccleſiæ ſeu Capellæ prædictæ, & illud quitare debent Prioriſſæ & Conventui ante dictis; & ſi quid Juris habent in eodem, illud in Eccleſiam conferre eiſdem.

Renunciatio Juris Patronatûs.

Et Dominus Archidiaconus renunciare omni juri ex preſentatione dictorum Decani & Capituli ſibi acquiſito in Eccleſia ſeu Capella prædicta. Cum vero præſentatus à Prioriſſa & Conventu prædictis ad Eccleſiam ſeu Capellam prædictam fuit admiſſus & inductus in poſſeſſione ejuſdem, tenentur ipſe, Prioriſſa & Conventus, ex Ordinatione ſeu Compoſitione prædicta dare & ſolvere annis ſingulis in perpetuum propter præmiſſa & ratione præmiſſorum quindecim libras alborum argenti in penſione, Decano & Capitulo antedictis, annis ſingulis in Feſto Nativitatis Beati Johannis Baptiſtæ perſolvendum ſine fraude; maximè ne vèxentur ſeu inquietentur diutiùs litigando.

Dicti quidem Decanus & Capitulum indigentiæ dictarum Religioſarum compatientes, eiſdem facientes in hoc gratiam ſpecialem, conceſſerunt quod dictam penſionem eædem Religioſæ poterunt redimere cum voluerint, mediantibus centum & quinquaginta libris Monetæ prædictæ, ipſis Decano, & Capitulo perſolvendis. Et in augmentum majoris gratiæ conceſſerunt iidem Decanus & Capitulum, quod jam dictæ Religioſæ quinquaginta libras præfatæ monetæ ſolvendo detrahent centum ſolidos & alleviabuntur in centum ſolidis de penſione antedicta.

Et pro minori ſumma quam pro quinquaginta libris, nihil redimere vel diminuere poterunt de dicta penſione Religioſæ ſepefatæ.

Eſt etiam condictum & ſpecialiter actum inter Partes prædictas, quod Collatio ſive Jus preſentandi Capellanum ad Capellaniam inſtitutam à Domino Arn. de Zellar quondam Scholaſtico Machliniæ in dicta Eccleſia de Ekerne, quam nunc obtinet Dominus Amelius ipſius Eccleſiæ Capellanus, imperpetuum ad Decanum & Capitulum Machlinienſe pertinebit. Capellania in Eckeren.

Ad quorum omnium & ſingulorum obſervationem obligaverunt ſe Partes prædictæ, altera contra alteram, fide mediâ per perſonas interpoſitas, & ſub pœna ſexaginta librarum loco parti obſervanti, à parte non obſervante ſolvendarum.

Nobilis etiam Matrona Domina Felicitas dicta Domina de Paruweis & Henricus natus ejus & heres ad ſatisfaciendum dictis Decano & Capitulo de dicta penſione prout dictum eſt ſe obligaverunt & ſolvere eam promiſerunt, ſi dictæ Religioſæ aliquo caſu eſſent in defectu.

In quarum rerum teſtimonium, Sigilla Decani, & Capituli Machlinienſis, dictarum Prioriſſæ & Conventus, dictæ Dominæ de Paruweis pro ſe & ejus nato, Archidiaconi prædicti, & dicti Presbyteri, cum noſtro præſentibus ſunt appenſa.

Datum anno Domini M. C. C. ſeptuageſimo primo, feriâ quartâ poſt feſtum Beati Nicolai.

CAPUT LXXIX.

ARNOLDUS DE LOVANIO *Bredæ ac Bergarum Dominus, donat Abbatiæ S. Bernardi ad Scaldim Ordinis Ciſtercienſi Jus Patronatûs Eccleſiæ de* Gaſtel, *haud procul ab Oppido Bergizomenſi, anno* 1276.

Ex Archivis Caſtri Bergiæ.

UNiverſis Chriſti fidelibus præſens Scriptum viſuris, ARNOLDUS DE LOVANIO Dominus de Breda, & ELISABETH ejus uxor ejuſdem Terræ Domina ſalutem & cognoſcere veritatem.

Notum vobis facimus tenore præſentium Litterarum noſtrarum, quod Nos divinæ remunerationis intuitu, & purè propter Deum, conferimus Viris Religioſis Abbati & Conventui Loci ſancti Bernardi Ciſtercienſis Ordinis, Jus Patronatûs Eccleſiæ *de Geſtele*, quæ ſita eſt in Terra Dominii noſtri de Breda, pleno jure, ſicut Nobis competebat, im-perpetuum liberè & quietè poſſidendum & habendum; ut in eodem Monaſterio & prædicto Conventu de Nobis & noſtris Anteceſſoribus & Succeſſoribus tam viventibus quam defunctis perhenniter memoria habebatur.

Huic autem Collationi interfuerunt Viri Nobiles,

Dominus Henricus de Lovanio, Dominus de Harſtallo.

Dominus Waltherus Berthout, Dominus de Mechlinia.

Johannes dictus Mulaert,

& Goeſwinus dictus Bock, Milites, & alii quam plures.

In cujus rei teſtimonium & memoriam ſempiternam, prælatis Abbati & Conventui præſentes Litteras contulimus, Sigillorum noſtrorum munimine reſeratas.

Actum & datum apud Hekernam, anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto, in die Sancto Paſchæ.

CAPUT LXXX.

ARNOLDUS A LOVANIO *Bredæ Dominus, ejuſque conjux* ELISABETH *Bredæ Domina fundant ac dotant anno* 1277. *Prioratum Guilielmitarum in Huyberghen Diœceſis ac Marchionatûs Antverpienſis, verſus Bergizomium.*

Ex Archivis Caſtri Bergiſomenſis.

VIris Religioſis, Priori Provinciali, aliiſque Prioribus & Fratribus Ordinis S Guilielmi, ARNOLDUS DE LOVANIO Dominus de Breda, & ELISABETH uxor ipſius, Domina de Breda, ſalutem in Domino.

Ad honorem Dei & Virginis glorioſæ, damus, & in puram conferimus eleëmoſynam, Vobis, & per vos Ordini veſtro fundum in noſtro Allodio ſitum, qui *Huberghen* dicitur, & Oratorium in eodem conſtructum, cum ſuis omnibus decimis, oblationibus, juribus, & pertinenciis, pleno jure perpetualiter poſſidendum.

Simili modo vobis conferimus tredecim manſos uſuales, ubicumque eos circa dictum Oratorium duxeritis eligendos: dummodo in loco prædicto Domum veſtri Ordinis faciatis: ibidem ad minus ſex Presbyteros ſtatuentes: niſi de noſtro conſilio & aſſenſu, ad tempus habere duxeritis pauciores.

Sanè ſuper hiis omnibus noſtris Donationibus & promiſſis univerſis, quæſtiones, quæ vobis occaſione talium poterunt ſuſcitari, per viam amicitiæ vel juſtitiæ deponemus.

Huic facto intererant Teſtes ad hoc ſpecialiter vocati & rogati, quorum nomina ſunt hæc.

Fr. Gerardus, Provincialis Ordinis ſupradicti.

Joannes de Oorſchot, Frater ejuſdem Ordinis, Sacerdotes.

Dominus Waltherus de Cruyninghen,

Dominus de Oeſſelen, Milites.

Waernerus, & Gratianus, Capellani noſtri, Sacerdotes: & alii quam plures inſpectores & auditores fide digni.

In quorum omnium perpetuam firmitatem, fecimus præſentem Paginam ſigillorum noſtrorum patrocinio communiri.

Actum & datum in Vluenhout, anno ab Incarnatione Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, ſexto Idus Februarii.

Aliæ ejuſdem Fundatoris Litteræ.

VIris Religioſis, Priori Provinciali, aliiſque Prioribus & Fratribus Ordinis S. Guilielmi, (1) ARNOLDUS DE LOVANIO, Dominus Terræ de Breda, & ejus uxor ELISABETH ejuſdem Terræ Domina, ſalutem in Domino.

Pietatis opus agi conſpicitur, ſi Religioſis perſonis facultas famulandi Domino miniſtretur. Hinc eſt, quod Nos pro noſtris ac noſtrorum charorum peccaminibus diluendis præmiiſque perennibus comparandis, ad honorem Dei & ejus ſanctiſſimæ Genitricis Mariæ Virginis perpetuæ, damus & in puram conferimus ſalutem & eleëmoſynam Vobis, & per vos Ordini veſtro, Eccleſiam ſive Oratorium *Huberghen* (2) Leodienſis Diœceſis, in noſtro Allodio ſitam, & ad noſtram Collationem pleno Jure Patronatûs ſpectantem, cum fundo ſuo, conſtruendis Clauſtro & Clauſtralibus officinis ſufficienter ſpacioſo & apto;

Nec non & cum omnibus ſuis Decimis, oblationibus, redditibus, cenſibus, eleëmoſynis, teſtamentis & legatis, aliiſque juribus, quæ ad dictum Oratorium in præſentiarum pertinent, aut pertinere poterunt in futurum, pleno jure perpetualiter liberè poſſidendis: dummodo in fundo prædicto Domum veſtri Ordinis faciatis.

Sex dumtaxat Presbyteros ſtatuentes; & ſic procedente tempore, ſecundum veſtrarum excreſcentiam facultatum, ſervientium Deo numerum augeatis, quouſque duodecim Fratres Presbyteri de ipſis veſtris facultatibus ſeu redditibus probabiliter poterunt ſuſtentari.

Qui Presbyteri pro nobis ac noſtræ Terræ ſtatu pacifico jugiter Dominum exorabunt; & conſcriptos dies obitûs noſtri annuos cum ſolemnitate debita celebrabunt.

Tenebunturque ſinguli in ſingulis Miſſis ſuis noſtri coram Deo habere memoriam, tam in vita jugiter, quam in morte: erimuſque Nos plenè participes bonorum omnium, quæ tam per alios Fratres Ordinis, quam per ipſos Presbyteros Deus dignabitur operari.

Ad hæc quoque Vobis ſimili firmitate conferimus tredecim Hoevas ſeu Manſos terræ novæ, ubicumque eos vel eas circa dictum Oratorium de noſtro Allodio & ad jus noſtrum ſpectante duxeritis eligendos.

Ita ſanè, quod dicta terra vel manſi prædicti vobis ac veſtris manſionariis & colonis ab omni præſtatione Decimarum, cenſuum, exactionum, angariatûs & prœangariatûs liberi & quieti permaneant in futurum: nullo nobis aut noſtris heredibus in ſæpe-dictis terris vel hoevis jure deinceps remanente, niſi Juriſdictione Juſtitiæ ſœcularis.

Salvo etiam in omnibus ſupradictis, perſonis Eccleſiaſticis, quorum intereſſe conſtiterit in ſpiritualibus, jure ſuo.

Præterea vos, veſtroſque mercenarios homines & colonos, cum omnibus bonis veſtris, mobilibus & immobilibus, habitis & habendis, in noſtram ac noſtrorum heredum perpetuam ſuſcepimus Protectionem; defenturi vos & veſtra (ut prædicitur) quantum ſine juris offenſa poſſumus & debemus; habeatiſque in communibus terræ noſtrœ viis, aquis & paſcuis, ſicut indigueritis, plenariam poteſtatem.

Sane ſuper omnibus Donationibus hiis & promiſſis, univerſam calumpniam vel querelas vobis motas vel movendas, aut per viam juſticiæ vel amicitiæ deponemus; ut per hoc ſublato litigiorum ſtrepitu, liberis Domino mentibus ſerviatis.

In cujus rei vel facti perpetuam firmitatem, duximus præſentem Paginam Sigillorum noſtrorum Patrocinio muniendam.

Actum & datum in Berghen ſupra Zoom, anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, quarto Idus Martii, in præſentia Teſtium, ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum, quorum nomina ſubſcripta, & Sigilla præſentibus ſunt appenſa.

Nos itaque Theodericus, Decanus Concilii Bekenſis,

Marcellus Inveſtitus de Geſtele,

Wilhelmus Inveſtitus de Berghen, Sacerdotes,

Petrus de Schoenhove, Judex in Berghen ſupra Zomam,

Marcellus de Geſtele,

Gobo filius Helewigis,

Nicolaus, dictus Faber, Scabini ejuſdem Oppidi, Teſtes ſpecialiter vocati & rogati, hæc audientes & intelligentes, Sigilla noſtra propria his apponi fecimus, in fortius robur & teſtimonium.

Datum ut ſupra, loco & die prædictis.

(1) ARNOLDUS A LOVANIO, Bredæ Dominus, Joannis I. Brabantiæ Ducis cognatus, obiit anno 1287. nullis relictis liberis ex conjuge ſua *Eliſabetha*, Bredę Domina, quę præviè anno 1281. deceſſerat. Fuerunt autem hi piiſſimi Conjuges fundatores ac benefactores plurimorum Monaſteriorum, atque imprimis Hubergani pro Guilielmitis, Stæ. Catharinæ in Woude (nunc in Oiſterhaut) pro Monialibus Præmonſtratenſibus; item Abbatiarum S. Bernardi ad Schaldim, Tongerloenſis, Villarienſis, Cortembergenſis, Thorenſis &c.

Porro poſt obitum dicti Arnoldi, Joannes I. Brabantiæ Dux Terram Bredanam diviſit bifariam inter *Raſonem de Liedekercke & Gaveram* filium Sophiæ de Breda (cui ceſſit Oppidum Bredanum) & inter *Gerardum de Weſemalia*, filium Beatricis de Breda, præfatæ Sophiæ Sororis. Poſteriori ceſſit Bergi-zoma, quam ipſe in Oppidum erexit, vallo muroque cinxit &c.

Digitized by Google

Tabulas hujus Partitionis ex Butkenii Trophæis recenſet Baro le Roy in Notitia Marchionatûs S. R. I. pag. 478.

Porro HUYBERGHENSIS Prioratus ſitus eſt ad limites partium Acatholicarum, altero milliari à Bergizomio. Abbates Tungerloenſes (apud Wichmans in Brabantia Mariana pag. 882. & ſequentibus) memorantur ut Fundatores ſecundarii. Item anno 1300. petierunt Hubergenſes Tungerloenſi Cœnobio incorporari.

CAPUT LXXXI.

Concordatum inter Capitulum S. Rumoldi & Begginas majoris Begginagii Mechlinienſis, per DD. MARIAM DE BERTHAUT *&* SOPHIAM DE BREDA *recenter fundati, initum anno* 1286.

UNiverſis præſentes Litteras viſuris, Jo. dictus Canis, Decanus Eccleſiæ Machlinienſis, & cum eo etiam ejuſdem loci Capitulum, ſalutem in eo qui eſt omnium ſalus & Salvator.

Prudentium virorum ſanxit auctoritas, res geſtas Litteris debere inſeri, ut per eas poſteris de re geſta (ſi opus fuerit) fides fiat. Cum dies fuiſſet aſſignata à Nobis Decano Eccleſiæ Machlinienſis prædictæ, ad craſtinum Octavæ B. Martini hiemalis, Canonicis præſentibus & abſentibus, ut dictâ die ibidem comparerent, unà nobiſcum tractaturi ſuper diverſis Eccleſiæ noſtræ negotiis, cum denunciatione debita & conſueta, & percipue de negotiis Beguinarum in Curte Machlinienſi commorantium, & quę in poſterum manêre deberent; ex parte Magiſtrarum Begginarum commorantium in eadem, dictâ die fuimus requiſiti, ut oblationes & obventiones quæ nobis competent ratione prædicti Patronatûs in Eccleſia dictæ Curtis, ipſis ad firmam perpetuam concedere curaremus.

Olim extra portam Antverpienſem, juxta muros urbis.

Noſque deliberatione habitâ diligenti, oblationes & obventiones quæ Nobis competunt, tam in quatuor feſtivitatibus præcipuis, quam in aliis diebus feſtivis, feriatis & non feriatis, item etiam oblationes quæ fient in funeribus Begginarum in dicta Curte, & infra clauſuram dictæ Curtis commorantium; ſic quod metæ dictæ Curtis ulterius ſe non extendant, quam murus Nobilis Domicellæ *Sophiæ* ſe extendit, & uſque ad curſum rivi qui nunc *Dilia* appellatur, & ex alia parte uſque ad foſſatum Villæ Machlinienſis; cum ſeptenariis, tricenariis, & Anniverſariis, quæ fient in Eccleſia prædicta, undecumque proveniant;

Ipſis penſatâ utilitate Eccleſię noſtræ Machlinienſis, ad cenſum ſeu firmam perpetuam concedimus & conceſſimus, ſub *penſione annua undecim librarum Lovanienſis Monetæ* pagabilis & curſibilis tempore ſolutionis, Nobis ſingulis annis in perpetuum faciendæ, videlicet mediatim in Natali Domini J. C. & mediatim in Natali B. Joannis proximi, temporibus, ut dictum eſt, ab ipſis nobis facienda.

Oblationes.

Et ad ſolucionem dictæ penſionis, præfatæ Begginę dictam Curtem & ædificia conſtructa in eadem obligabunt; ita tamen, quod dictæ Begginæ tenebuntur oblationes, quæ offeruntur in die Animarum in dicta Curte dare & deliberare diſtributori Machlinienſis Eccleſiæ ſingulis annis, ut eas Vicariis conferat & diſtribuat, prout hactenus eſt obſervatum.

Candela.

Tenebuntur etiam dictæ Begginę candelas, quæ ponuntur ante Curtim, cum corpora defunctorum in dicta Eccleſia vel cœmiterio ſepelienda ſunt, ſive ſint funera quæ moram traxerunt vel trahent intra Curiam vel extra, reſtituere & dare Nobis prædictis Decano & Capitulo Eccleſię Machlinienſis & noſtris Succeſſoribus quotiens ponuntur ibidem.

Si vero aliquis vel aliquæ ibidem ſuam elegerint ſepulturam extra Curtim prædictam moram trahentes, in oblationibus quæ fient, cum corpora defunctorum prædictorum deferuntur ibidem tumulanda, Capitulum etiam partem recipiet omnium oblationum quæ tunc fient: Curtis vero aliam partem.

Curatus vero etiam partem, ſeu Sacerdos ſuperior earundem; Magiſtro *Waltbero* Plebano Eccleſiæ Machlinienſis, qui nunc eſt, viam univerſæ carnis ingreſſo. Et ſic mediantibus antedictis, dictæ Begginę à Jure quo nobis Capitulo tenebantur in obligationibus adſtrictæ, exemptæ erunt, & penitus liberatæ; Jure Cuſtodis qui eſt, & qui pro tempore erit, & Magiſtri Waltheri Plebani qui nunc eſt, jure ſalvo: cui pro parte ſibi debitâ quoad vixerit, ſatisfacere tenebuntur.

Curatus Begginarum ab eis eligendus ac præſentandus Capitulo.

Item ad refrenandos diſcurſus dictarum Begginarum, & pericula quæ evenire poſſent ex diſcurſibus earumdem, paci & tranquillitati earum cavere volentes, ipſis ex gratiâ concedimus ſpeciali, quod cedente vel decedente Domino *Thoma*, qui nunc eſt in dicta

dicta Begginarum Eccleſia Capellanus, ut ad ipſam Cappellaniam eligere & Nobis præſentare poſſint Presbyterum ydoneum competenter Beneficiatum, qui Curam dictarum Begginarum gerere debeat. Et nos eundem, vel ipſum Thomam, ſi velint, & competenter fuerit Beneficiatus, diviſione tamen prius per Dominum Epiſcopum Cameracenſem factâ, & conſenſu ipſius in præmiſſis omnibus obtento, ad Curam Domino tenebimur Epiſcopo præſentare.

Ita tamen, quod in omnibus & per omnia adſtrictus maneat Nobis Decano, & Succeſſoribus noſtris, ſicut ante ſuſceptionem fuerat Curæ prælibatæ, & Nobis reſpondere tamquam ſuo Curato.

Collatio Capellaniarum.

Reſervantes inſuper Collationes Capellaniarum, quibus nunc deſerviunt Dominus Waltherus de Riviris, & Dominus Henricus dictus Ewerlinck, nec non & Capellaniarum ibidem ſtatuendarum impoſterum, ut quociens eas vacare contigerit, perſonis ydoneis conferre poſſimus.

Et ne ſuper præmiſſis impoſterum dubitare contingat: Nos Decanus & Capitulum Eccleſiæ Machlinienſis Sigillum noſtri Capituli prælibatis Litteris appoſuimus.

Et Nos Magiſtræ & Begghinæ, in ſignum obligationis Decano & Capitulo factæ, Sigillum Curtis noſtræ, unà cum Sigillis Virorum Nobilium, Domini *Waltheri Berthaut* Domini Machlinienſis, Domini *W. Berthaut* ejus primogeniti, & Domicellæ *Sophiæ* dicti Domini filiæ; nec non & Nicolai de Lapide, Henrici de Valle, & Matthiæ de Eecle Scabinorum Machlinienſium eiſdem Litteris duximus appendendum.

Et Nos Waltherus Berthaut Dominus Machlinienſis, Waltherus Berthaut ejus primogenitus, Sophia dicti Domini filia, Nicholaus de Lapide, Henricus de Valle, & Mathias de Eecle, ad petitionem & inſtantiam prædictorum, Sigilla noſtra præſentibus appoſuimus, in rei geſtæ teſtimonium & munimen.

Datum & actum anno Domini M. C. C. octuageſimo ſexto, menſe Novembris. 1286.

In antiqua Eccleſia majoris Begginagii Mechlinienſis lectum aliquando fuit ſequens Epitaphium, ex quo præcipuos Fundatores colliges.

„ In medio hujus chori ſepultæ ſunt Nobiles „ & Religioſiſſimæ Dominæ hujus Begginaſii „ Fundatrices, D. Maria Vidua D. Waltheri „ de Berthaut, Domini Machlinienſis, quæ „ obiit XIX. Maii M. C. C. LXXX. & Dom. „ Sophia de Breda ejus filia, vidua D. Henrici „ Domini de Breda & de Bergis, quæ obiit anno M. C. C. XCIX. Febr. XXV.

CAPUT LXXXII.

WILHEMUS DE ALTENA, *Vir illuſtris, Dominus Hornanus, donat Monialibus Præmonſtratenſibus loco de* Keyſersboſch, *ad limites Leodienſis ac Ruræmundanæ Diœceſion, ſub cura Abbatis Averbodienſis, Jus Patronatûs Eccleſiarum de* Leend *&* Heeze, *anno* 1285.

Ex Archivis Averbod. Abb.

UNiverſis præſentes Litteras inſpecturis, WILLELMUS Dominus de HORNE & ALTHENA ſalutem, cum notitia veritatis. Quoniam curſus temporis labilis, & hominum memoria fragilis eſt, cautum eſt, ea quæ geruntur in tempore, ne labantur memoriæ, commendare ſcripturis.

Noveritis igitur univerſi, quod Nos ob noſtræ & animarum parentum noſtrorum remedium & ſalutem, Jus Patronatûs Eccleſiarum de *Leende* & *Heeze* cum ſuis pertinentiis, Religioſis perſonis Prioriſſæ & Conventui de *Keyſersboſch* Ordinis Præmonſtratenſis, conferimus, præſente & conſentiente WILLELMO primogenito noſtro; & totaliter Jus prædictum transferimus in eaſdem, ab ipſis perpetuò poſſidendum. Humiliter ſupplicantes Reverendiſſimo in Chriſto Patri ac Domino JOHANNI Dei gratiâ Leodienſi Epiſcopo, quatenus in prædictam tranſlationem conſentiens, ipſam velit Auctoritate Ordinariâ confirmare.

In præmiſſorum teſtimonium, Sigillum noſtrum præſentibus duximus Litteris apponendum. Præmiſſis interfuerunt ad hoc vocati & rogati Viri Nobiles,

Joannes Dominus de Kuke,
Dominus Ottho de Malbery,
Dominus Walmannus, Capellanus noſter,
Vaſtradus de Siſſen,
Henricus de Bapen, Milites.
Arnoldus de Steyne,
& Daniel de Tore, & alii quam-plures in Monaſterio ſupra-dicto.

Datum anno M. C. C. LXXXV.

Digitized by Google

CAPUT LXXXIII.

JOANNES DE FLANDRIA *Leodienſis Epiſcopus exponit Statum Eccleſiæ* Monaſterienſis ad Sabim, *Canonicarum Nobilium (hodie Diœceſis Namurcenſis) iiſdemque Statuta præſcribit, anno* 1288.

Ex Archivis hujus Capituli. communicavit R. D Poſſon.

JOANNES Dei gratiâ Leodienſis Epiſcopus, chariſſimis in Chriſto filiabus, Abbatiſſæ totique Capitulo Eccleſiæ Monaſterienſis, ſupra Sambriam, noſtræ Diœceſis, ſalutem & firmam veramque fiduciam in Domino obtinere.

Ut loca Eccleſiaſtica, quæ licet ſumus immeriti, noſtro regimini ſunt ſubjecta, cum perſonis eorumdem ſtudio noſtro proficiant, & perditionis periculun non incurrant, tanto affectuoſius appetimus, quanto magis earum depreſſionem ad culpam forte noſtram fieri timeremus.

Ea-propter, cum nuper ex relatione quorumdam ad noſtram audientiam perveniſſet, quod ſecundum SS. Patrum Inſtitutionem minimè viveretis, & veſtra Eccleſia in ſpiritualibus præcipue reformatione indigeret, de ſtatu ipſius Eccleſiæ tam in capite quam in membris inquiri fecimus veritatem.

Cumque dictam inquiſitionem habuiſſemus publicatam, comperimus in eadem, quod in veſtra Eccleſia eſt & fuit ab antiquo quędam Superior, quæ Abbatiſſa nominatur & fuerat communiter nominata; quæ licet à Capitulo prædicto eligi debuit & debet : tamen benedici & conſecrari in Abbatiſſam Ordinis Sti Benedicti noſtræ Diœceſis facere conſueverunt.

Et quod in eadem Eccleſia ſunt, & fuerunt ab antiquo decem Præbendæ, & totidem Canonici Seculares earumdem, qui deſuper alba deferunt ſuperpellicia in ipſa Eccleſia, & vocem habent in Capitulo, cum electio Abbatiſſę inibi imminet facienda Et viginti quinque Præbendæ Domicellarum, quæ communiter appellantur Domicellæ clauſtrales ſeu Canonicæ ſeculares, & totidem Domicellæ clauſtrales ſeu Canonicæ ſeculares earumdem.

Quæ quidem Domicellæ clauſtrales nullam faciunt nec hactenus facere conſueverunt in dicta Eccleſia Profeſſionem Regularem; in Domibus ſuis clauſtralibus circa dictum Eccleſiam ſitis, commorantes, carnibus & aliis cibariis ad libitum utentes, veſtes ſœculares extra dictam Eccleſiam prout Canonici & Canonicæ ſœculares illius loci facere conſueverunt, deferentes, peculium habentes & acquirentes, de quo diſponere conſueverunt, pro ſuo libero voluntatis.

Et cum Præbendas ſuas etiam per multa tempora tenuerint, ipſis dimiſſis aliquæ earumdem à prædicta Eccleſia receſſerunt, & nupſerunt matrimonialiter; quarum etiam filii eiſdem in bonis maternis & paternis ſucceſſerunt, & legitimi ſunt communiter ab omnibus reputati.

Et licet in uno dormitorio dormire conſueverunt, & divinum Officium laudabiliter exercere, tamen deſuper & exterius nigrum ſuperpellicium & ſuper caput quaſi velum ad inſtar Monialium Ordinis Sancti Benedicti deferunt, & hactenus detulerunt. Cujus tamen Ordinis modum vivendi, & Regulares obſervantias minimè habuerunt, neque tenent : ex quibus etiam habitus à modo vivendi diſcrepat, & in populo ſcandalum non modicum generatur.

Et cum Vos... Abbatiſſam & Domicellas veſtras prædictas precibus & ſalutaribus monitis frequentius incitaſſemus, ac etiam ſalubriter monuiſſemus, ut ſecundùm Regularem Obſervantiam Ordinis Sancti Benedicti, vel alterius approbati ulterius viveretis, habitum ejuſdem Auctoritate noſtrâ aſſumendo, precibus & monitis noſtris contradictis aſſeruiſtis, Vos eſſe & fuiſſe à prima Inſtitutione Canonicas ſœculares, ſicut in noſtra & Colonienſi noſtra Metropoli Diœceſibus & Regno Allemaniæ plures in diverſis Eccleſiis reperiuntur. Quod etiam dixiſtis poſſe perpendi à modo vivendi veſtro, à tempore à quo non extat memoria obſervato.

Et ex eo etiam quod veſtræ Eccleſiæ Canonici ſunt & fuerunt à prima Inſtitutione ſœculares. Qui non fuiſſent primitus in dicta Eccleſia ſœculares inſtituti (quamvis in alio loco dictæ Eccleſiæ quam vos, ſuum Officium exequantur) ſi Inſtitutio veſtra Regularis extitiſſet : cum ſecundum Canonicas Sanctiones homines diverſæ profeſſionis in una Eccleſia non debent pariter ſociari.

Quare (ut dixiſtis) veſtram Inſtitutionem & antiquam obſervationem noluiſtis aliquatenus immutari. Supplicantes humiliter, ut habitum veſtrum conformem veſtræ Inſtitutioni & modo vivendi, faceremus Authoritate noſtrâ conformari.

Ne igitur in bove & aſino arare videamini, cum habitus de jure modo vivendi debeat conformari, Vobis præcipimus, ut habi-

Digitized by Google

tum veterum Inſtitutioni & modo vivendi veſtro.... de conſilio Juris-peritorum & fide dignorum, & præcipue chariſſimi conſanguinei noſtri Guidonis de Hannonia Cuſtodis,& Magiſtri Jacobi de Caſtanea Archidiaconorum, & Magiſtrorum Balduini de Altera-Eccleſia Scolaſtici, Henrici dicti Bate Cantoris, & Willelmi de Attrebato, & Willelmi de Rochelar Canonicorum noſtræ Leodienſis Eccleſię prædictæ, ac Officialis noſtri Leodienſis. Et ad veſtrum conſenſum & petitionem ſtatuentes & ordinantes ſub pœna excommunicationis obſervari præcipiemus, quod Domicellæ clauſtrales in dicta Eccleſia & alibi infra ambitum ejuſdem ulterius alba ſuperpellicia,& deſuper clamidem ſeu mantillum nigrum deferant, & in dictis locis alio habitu deſuper non utantur.

Canonici Leodienſes, Arbitri.

Et quod in cantando legendo & in divino Officio exercendo, Ordinarium Eccleſię noſtrę Leodienſis, Matricis Eccleſiæ totius noſtræ Diœceſis, teneant; & quâlibet die in Eccleſia ſua cantare Horas B. Virginis,præterquam in feſtis ſolemnibus cum novem habuerint lectiones,& quælibet Domicella ſeu Canonica quolibet anno ſex Pſalteria David dicere teneantur.

In cujus rei teſtimonium, præſentibus Litteris ad perpetuam rei memoriam Sigillum noſtrum, unà cum ſigillis prædictorum Archidiaconorum & Canonicorum duximus apponendum. Et nos prædicti Archidiaconi & Canonici Sigilla noſtra appoſuimus præſentibus, in teſtimonium præmiſſorum.

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo octavo, die mercurii poſt Ramos Palmarum.

CAPUT LXXXIV.

Raso de Gavera, *Bredæ Dominus, Præpoſituram Monialium Vallis Stæ. Catharinæ, Ordinis Præmonſtratenſis, paulò ante fundatam in Parochia de Woude, transfert anno* 1295. *intra Oppidum Bredanum, eique annectit Hoſpitale.*

Ex Archivis Familiæ de Gavre.

NOs Raso de Gavre, Dominus de Liedekercke & de Breda, univerſis Chriſti fidelibus præſentem Litteram viſuris & audituris, ſalutem cum notitia veritatis.

Notum eſſe volumus univerſis & ſingulis, quod Nos in unum concordavimus & ordinavimus Clauſtrum & Conventum Monialium Vallis Stæ. Catharinæ juxta Woude, & Hoſpitale noſtrum de Breda, & hoc de conſilio Domini Abbatis Ordinis Præmonſtratenſis, & de conſilio ibidem Capituli generalis & noſtro, & prædicti loci Scabinorum, Conſiliariorum & Oppidanorum de Breda, de bonis omnibus ſuis, tam redditibus quam mobilibus, ubicumque bona eorum ſita fuerint, tam prædicti Conventûs quam Hoſpitalis, pariter perpetualiter habendis, tenendis & fruendis.

Per iſtam Ordinationem & Conditionem prædictum Clauſtrum & Conventus veniet ad manendum, & ibidem in præfato loco de Breda remanendum perpetualiter; & prædictum Clauſtrum tenebit domum unam ad opus infirmorum & pauperum, & illos recipient & tenebunt, & neceſſaria miniſtrabunt, prout hactenus moris & conſuetudinis ibidem fuit, ſecundùm facultates ſuas. Si vero aliquis deſideret prædictum locum Hoſpitalis ad manendum, hoc erit de conſilio noſtro, & Fratris Michaëlis Præpoſiti & Conventûs, & Scabinorum noſtrorum de Breda.

Ut autem omnia præmiſſa rata & firma permaneant, in poſterum omnia bona prædicta, tam Clauſtri quam Hoſpitalis, erunt in manibus ante-dicti Conventûs & ſui Præpoſiti, ad ordinandum & faciendum, prout utilitati omnium viſum ſibi fuerit expedire. Ut omnium præmiſſa rata & firma impoſterum permaneant, fecimus præſentem Litteram Sigillo noſtro, Fratris Michaëlis Præpoſiti, & Conventûs Monialium, & Oppidanorum noſtrorum de Breda teſtimonio roborari.

Datum & actum anno Domini M. C. C. nonageſimo quinto, in Feſto omnium Sanctorum.

Hodie, ſub protectione Sereniſſ. Principis Auriaci Domini Terræ Bredanę, floret eadem Præpoſitura; poſt interceptam ab Hollandis Bredam, tranſlata in Municipium vicinum de Ooſterhout. Subeſt Prælato Parcenſi juxta Lovanium, tanquam Patri Abbati, de cujus Religioſis Prępoſitus aſſumitur.

Raſonis Sacer, Arnoldus de Gavera, erga eaſdem Moniales beneficus fuit anno 1277. Diploma extat Tomo II. pag. 869. horum Diplom. Stemma habetur ibidem pag. 775. & ſequenti.

CAPUT LXXXV.

PHILIPPUS IV. *cognomento* PULCHER, *Francorum Rex*, ROBERTUM *Arthesiæ Comitem, creat Parem Franciæ, anno* 1297.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex. Ad honorem cedit & gloriam regnantium & regnorum, si ad Regiæ potestatis dirigenda negotia, insignibus viri conspicui præficiantur officiis, & inclitis personæ præclaræ dignitatibus præficiantur; ut & ipsi sua gaudeant nomina honoribus intitulata magnificis, & cura regiminis talibus decorata lateribus à sollicitudinibus relevetur, pacisque ac justiciæ robora, quæ regnorum omnium fundamenta constituunt, conservari commodius valeant & efficacius ministrari.

Et per hoc etiam gratiam credimus extolli regnantium, & vigorem crescere fidei & devotionis in subditis, si viri preclari virtutibus & nitore conspicui meritorum congruis efferantur honoribus, & fidelium obsequiosa devotio condignis præmiorum retributionibus prosequatur; ut & ipsi pro suæ meritis probitatis sibi honoris titulos accreviſſe congaudeant, & alii eorum exemplo ad similia ferventiùs animentur.

Notum igitur facimus universis tam præsentibus quàm futuris, quod nos attendentes devotionis fidei & fidelitatis probatæ constantiam, necnon prudentiam & providę circumspectionis industriam charissimi consanguinei & fidelis nostri Roberti Comitis Atrebatensis, grataque & accepta servitia quæ nobis in nostris & Regni nostri negotiis probatis effectibus impendit diutiùs, & exhibet incessanter, ac labores, etiam expensarum onera quæ ad nostrum & ipsius Regni honorem subiisse dignoscitur;

Considerantes insuper quod duodecim Parium qui in prædicto nostro Regno antiquitus esse solebant, est adeò numerus diminutus, quod antiquus ejusdem Regni status ex diminutione hujusmodi deformatus multipliciter videbatur; sicque volentes eundem Comitem hujusmodi suæ probitatis & præcellentium meritorum obtentu honoribus promovere præcipuis, & non minùs Regni solium veterum dignitatum ornatibus reformare, Comitem ipsum de gratiæ nostræ abundantiâ & plenitudine Regiæ potestatis præfati Regni Franciæ creamus & promovemus in Parem, & Paritatis hujusmodi dignitatem Atrebatensi Comitatui annexentes;

Præsentium tenore statuimus, ut tam ipse quam Successor ejusdem Comes Atrebatensis qui pro tempore fuerit, Par ejusdem Regni perpetuis temporibus habeatur, omnique Paritatis ejusdem, quemadmodum dilectus & fidelis noster Dux Burgundię Compar ejus, & jure & prærogativa lætetur.

Pro qua siquidem Paritate nobis homagium præstitit idem Comes, ac Successores sui Atrebatenses Comites nobis & Successoribus nostris Franciæ Regibus præstare perpetuò tenebuntur. Quod ut ratum & stabile perseveret, præsentibus Litteris nostrum fecimus apponi Sigillum.

Actum Curtraci anno Domini M. C. C. XCVII. mense Septembris.

CAPUT LXXXVI.

Magister Hospitalis & Conventus B. M. de Rebecque (hodie Diœcesis Mechlinienſis, sub Decanatu Leeuwenſi Sti. Petri) recognoscunt beneficia, à Fundatoribus suis MARIA *&* WALTHERO ANGHIÆ *Dominis percepta, suasque vicissim obligationes, anno* 1300.

Ex Archivis loci, item Archi-piscopatûs Mechl.

UNiversis præsentes Litteras inspecturis, Magister totusque Conventus Beatæ Mariæ in Rebecke, salutem in Domino sempiternam.

Cum secundum beati Gregorii sententiam, multiplicatio donorum, eorundem multiplicare faciat rationes, tantoque ad serviendum & recompensandum promptior quilibet esse debeat ex munere, quanto se obligatiorem conspicit in reddenda ratione;

Nosque à Nobili Domina MARIA quondam Domina de AYNGHIA Fundatrice & Dotatrice Hospitalis supradicti, beneficia plurima & consolationes spirituales & temporales receperimus & recipiamus quotidiè, nec non à Nobili Viro Domino Waltero quondam Domino de Aynghia ejus filio, qui plurima Beneficia, Dona, ac Legata ipsi Hospitali tam in amortuatione gratiosa bono-

bonorum ipſi Hoſpitali à dicta Nobili Domina collatorum, quam in ejus Teſtamento voluit elargiri; ne dictorum beneficiorum & conſolationum immemores (quod abſit) exiſtamus & ingrati, quia etiam ad hoc tenemur ex voluntate dictorum Nobilium & mandato, qui in dictorum beneficiorum largitione, tale nobis onus, quod ſequitur, injunxerunt; promittimus per præſentes, & ad hæc nos & Succeſſores noſtros, modo quo poſſumus fortiori, & per ſtipulationem ſolemnem obligamus, quod Nos de cætero duas Miſſas ſingulis diebus in perpetuum pro animabus dictorum matris & filii, ſuorumque Succeſſorum, immo tertiam Miſſam eo modo quo dictum eſt in perpetuum pro anima Joannis dicti Cottart, ad quam tenemur ratione bonorum ipſi Hoſpitali ab eodem collatorum, in dicto Hoſpitali faciemus celebrari.

Item eo modo quo dictum eſt, de bonis à dictis Nobilibus nobis collatis tenemur ſingulis annis, in diebus Anniverſariorum eorundem, Conventui & infirmis pitantiam facere, & pro quolibet expendere uſque ad ſummam viginti ſolidorum Turonenſium, & non minus.

Item eodem quoque die tenemur de noſtro proprio panem unius modii bladi pauperibus erogare, pro quolibet Anniverſariorum Nobilium prædictorum.

Item lampadem nocte dieque ardentem continuè habere in Hoſpitali antedicto, nec non candelas ad majus Altare & alia altaria omni tempore, prout conſuetum eſt & decebit, miniſtrare.

Inſuper tenemur ſuſtentare & habere in dicto Hoſpitali tredecim infirmos pauperes quolibet die & in perpetuum.

Si vero contingat ex aliqua cauſa minus habere, Præbendas deficientium, pauperibus Villæ de Rebecke tenebimur erogare.

Item habere tenemur continuè mulierem honeſtam ad ſerviendum infirmis Hoſpitalis prælibati, & vigilandum de nocte coram ipſis.

Et ut prædicta omnia & ſingula, illibata firmaque permaneant, ſupplicamus humiliter Reverendo in Chriſto Patri ac Domino noſtro, Domino P. Dei gratiâ Cameracenſi Epiſcopo, ut ipſe Sigillum ſuum, unà cum ſigillis noſtris quæ præſentibus appoſuimus, apponere dignetur in confirmationem & corroborationem præmiſſorum.

Et Nos P. Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus, ad ſupplicationem dictorum Magiſtri & Conventus, Sigillum noſtrum præſentibus fecimus apponi, unà cum Sigillis dictorum Magiſtri & Conventus in confirmationem præmiſſorum.

Datum anno Domini milleſimo trecenteſimo.

CAPUT LXXXVII.

Compromiſſum inter Præpoſitum & Capitulum St. Servatii Moſæ-Trajectinum, ſuper variis Juribus Præpoſituræ controverſis; ac lata deſuper Sententia Arbitralis anno 1301.

Ex Archivis Capituli S. Servatii, contulit D. Conſiliarius de Wyaants.

IN nomine Domini noſtri Jheſu-Chriſti. Amen. Anno à Nativitate ejuſdem M. C. C. C. primo, Indictione quintâ-decimâ, menſis Novembris die decimâ-nonâ, in præſentia mei Notarii & Teſtium ſubſcriptorum, ad hoc vocatorum & rogatorum, conſtitutis honorabilibus Viris & diſcretis, Capitulo Eccleſiæ S. Servatii Trajectenſis, Leodienſis Diœceſis, ex parte una, & diſcreto Viro Godefrido, dicto Monpalié, Diacono, Procuratore Venerabilis Viri *Wilhelmi de Juliaco* * Præpoſiti ejuſdem Eccleſiæ S. Servatii, habente ad infraſcripta Mandatum, per Litteras infraſcriptas, Sigillo dicti Domini Præpoſiti ſigillatas, prout primâ facie apparebat, nomine procuratorio, & pro ipſo Domino Præpoſito, ex altera.

* Hic etiam contendit pro Archiepiſcopatu Colon.

Dictæ Partes, proborum viſo conſilio ſuper Articulis infraſcriptis, & ſuper omnibus aliis controverſiis, quæ ex quacumque cauſa uſque in diem præſentem inter ipſas Partes, communiter vel diviſim, occaſione qualibet ſunt exortæ, in Viros honeſtos & diſcretos, videlicet dictum Capitulum in DD. Ludovicum de Monfort & Johannem de Awiria, & dictus Godefridus nomine Procuratorio prædicto, & pro ipſo Domino Præpoſito in DD. Petrum de Gandavo, Capellanum Domini Ducis Brabantiæ, & Magiſtrum Johannem dictum Beyart, Canonicos ſæpe-dictæ Eccleſiæ S. Servatii, tanquam in Arbitros compromiſerunt; ſub hac forma.

Quod dicti Arbitri, onere hujuſmodi Compromiſſi in ſe ſuſcepto, receptis auditis & examinatis Munimentis ipſarum Partium quibus ſe juvare voluerunt in præmiſſis, juris ordine ſervato, vel non ſervato, die feriato vel non feriato, Partibus præſentibus vel abſentibus, vocatis tamen, de plano procedent. Et quidquid dicti Arbitri ſecundum ea quæ invenerint, viderint & audierint, diſiniendo, ſeu etiam declarando

ſuper præmiſſis & infraſcriptis Articulis de jure ſtatuerint, vel pronunciaverint ſimul de omnibus unâ vice, vel per partes pluribus vicibus, prout viderint expedire, hoc dictæ Partes obſervabunt, & firmiter obſervare promiſerunt; fide ſuper hoc ab ipſis interpoſitâ corporali, in manibus mei Notarii infraſcripti, & ſub pœna centum Marquarum puri argenti, Parti Declarationem, Diffinitionem, ſeu Pronunciationem ipſorum Arbritrorum obſervanti, à Parte quæ illas non obſervaverit, perſolvendarum.

Ita quod pœnâ ſolutâ, nichilominus dictorum Arbitrorum ſuper præmiſſis diffinitio, declaratio ſeu pronunciatio plenam obtineat & obtinere debeat firmitatem; & debet hujuſmodi Arbitrium infra Feſtum Beati Andreæ proximum terminari.

Articuli vero, de quibus ſuperiùs fit mentio, ſequuntur in hæc verba; quorum primus talis eſt.

I. Dicit Præpoſitus dictæ Eccleſiæ S. Servatii, quod oblationes quæ in dicta Eccleſia à fidelibus offeruntur, ſint ipſius Præpoſiti & ſuorum Prædeceſſorum fuerunt, nec in ſeparatione inter dictum Præpoſitum & Capitulum olim facta ſit mentio, quod eædem oblationes ipſi Capitulo fuiſſent conceſſæ.

II. Quod dimidietas Placitorum & Juriſdictionis in omnibus Curiis dictæ Eccleſiæ S. Servatii, eſt ipſius Præpoſiti, ſecundum quod continetur in Separatione prædicta: & etiam ſuprema Juſtitia, ſecundum quod offert ſe probaturum.

III. Quod tertia pars fructuum & proventuum Præbendæ ſecundi anni defuncti, eſt ipſius Præpoſiti, prout etiam continetur in ſeparatione prædicta.

IV. Quod dimidietas proventuum pontis in Trajecto, eſt ipſius Præpoſiti: ſecundum quod continetur in quodam Privilegio, quod incipit ſic: *Conradus* &c.

Vide ſupra pag. 203.

V. Quod idem Præpoſitus multa damna ſuſtinuit ſuper eo quod Capitulum impedivit Juriſdictionem ſuam in domo ipſius Præpoſiti: per hoc quod non permiſit citationem fieri à Præpoſito ſecundum quod debuit, & inhibuit ne Scabini Præpoſiti aliquid judicarent ex parte Præpoſiti, vel etiam propter eum.

VI Quod etiam multa damna ſuſtinuit, eo quod Capitulum non dedit candelas Hominibus Præpoſiti, ſicut debuit & conſuevit.

VII. Quod ipſe Præpoſitus conqueritur, quod inhibitum fuit Capitulo Balivo & Scabinis eorum ex parte ipſius Præpoſiti, ne ſederent, nec judicium facerent, donec declaratum eſſet, quis deberet Scabinos citare in Domo Præpoſiti, & quod propter talem inhibitionem hoc non dimiſerunt.

VIII. Quod idem Præpoſitus conqueritur, quod dictum Capitulum recepit Decimas in terris Præpoſiti, quas modo Renerus ipſius Præpoſiti cliens tenet.

IX. Quod idem Præpoſitus conqueritur, quod per idem Capitulum fuerint deliberati tres homines à priſione ipſius Præpoſiti.

Tenor autem dicti Mandati eſt talis. Univerſis præſentes Literas inſpecturis, Wilmus de Juliaco Præpoſitus Eccleſiæ S. Servatii Trajectenſis, Leodienſis Diœceſis, ſalutem in Domino cum notitia veritatis.

Noveritis univerſi, quod Nos Godefridum, dictum Monpalié, Capellanum Capellæ S. Catharinæ in porticu dictæ Eccleſiæ S. Servatii, Procuratorem noſtrum conſtituimus contra Venerabiles Viros Capitulum Eccleſiæ prædictæ, dantes eidem poteſtatem & ſpeciale mandatum pro nobis & nomine noſtro in Arbitros compromittendi &c.

Datum anno Domini M. C. C. C primo, in vigilia B. Petri ad Vincula. Actum in ambitu clauſtri Eccleſiæ S. Servatii prædictæ prætentibus diſcretis Viris Dominis Magiſtro Henrico de Houthorne Cantore Eccleſiæ Stæ. Mariæ Trajectenſis, Joanne Inveſtito Eccleſiæ S. Petri juxta Trajectum, Henrico de Loſſ Capellano Capellæ S. Jacobi in Trajecto, Presbyteris Leodienſis Dioceſis, & Johanne clauſtrario ſæpe-dictæ Eccleſiæ S. Servatii, Clerico, ad præmiſſa vocatis teſtibus, & rogatis.

Ipſe autem Præpoſitus, ſeu ejus Procurator nomine procuratorio pro eodem, contra dictum Capitulum, loco petitionis præfatis Articulis utebatur, & ipſos eo nomine exhibuit coram Nobis.

Super quibus Articulis lite legitimè conteſtatâ, juramentis de calumnia ſeu de veritate dicendâ, factis hinc inde ab ipſis Partibus poſitionibus & reſponſionibus ad eaſdem, productis teſtibus juratis, eorum depoſitionibus in ſcriptis redactis, ritè publicatis, datâ Copiâ ipſarum depoſitionum ad dicendum in teſtes & eorum dicta, concluſoque in cauſa arbitrali prædicta de conſenſu ipſarum partium; die demum ad audiendum quid Juris, ſeu noſtram Pronunciationem ſuper Cauſa prædicta, ipſis præſentibus coram nobis aſſignatâ: videlicet ad Sabbatum ante Feſtum B. Andreæ Apoſtoli anno M. C. C. C. primo; quo die dictis Partibus per ſuos Procuratores coram Nobis comparentibus, & jus ſuper dicta Cauſâ à Nobis dici cum inſtantia poſtulantibus;

Sententia.

Nos, formâ dicti Compromiſſi diligenter ſervatâ, communicato Juris-peritorum conſilio, quia, ſecundum ea quæ vidimus & audivimus, invenimus dictum Capitulum eſſe & fuiſſe in poſſeſſione, vel quaſi, Juris percipiendi habendi & tenendi à tempore à quo non extat memoria, pacificè

& quietè Oblationes & Pontem ſupra-dictos cum omnibus ſuis pertinentiis (de quibus in primo & quarto Articulis fit mentio) Jus dicendo pronunciamus, & per noſtram Sententiam arbitralem declaramus, Oblationes & Pontem, cum omnibus ſuis pertinenciis ſupra-dictis, pleno jure ad dictum Capitulum pertinere.

Item quia invenimus, dictum Capitulum communiter cum dicto Præpoſito in omnibus dictæ Eccleſiæ Curiis (exceptis Villâ & Curiâ de Meghelen, & Curiâ de duobus Montibus, cum ſuis pertinentiis, quarum Juriſdictio alta & baſſa ad Præpoſitum ſolum pertinet) exercere & exercuiſſe;

Et de omnibus proventibus Emendarum & aliarum quarumcumque emergentiarum, occaſione & intuitu dictæ Juriſdictionis qualitercumque provenientium, dictum Præpoſitum pro parte ſua, & Capitulum pro parte ſua æquales habuiſſe & habere, percepiſſe & percipere porciones;

Nec non Officialem Capituli, qui dicitur *Equitaturæ Præpoſitus*, nec non Officialem Præpoſiti, qui duo Officiales debent eſſe Canonici in dicta Eccleſia S. Servatii, in ea perſonaliter reſidentes, in omnibus dictæ Juriſdictionis exercitiis, ſive in domo dicti Præpoſiti, ſive extra, in quibus Scabini dictarum Curiarum requirendi ſunt aut monendi, cauſâ jus dicendi, ferendi ſententias, ſeu aliud judiciale aliquid faciendi, ipſos Scabinos requiſiviſſe ſeu monuiſſe, ſub fidelitate, quâ tenentur dictis Prępoſito Decano & Capitulo, ut jus dicant, ſententiam ferant, aut aliquid ſimile faciant, quod ab eis judicialiter fuerit faciendum.

Et in poſſeſſione vel quaſi juris ſic habendi, exercendi, percipiendi, requirendi, monendi & faciendi ea, quæ, & prout ſupra de hoc Articulo dicta ſunt, fuiſſe & eſſe à tempore, à quo memoria non exiſtit; Jus dicendo pronunciamus, & per noſtram Sententiam Arbitralem declaramus præmiſſa, quæ & prout de hoc Articulo ſupra narrata ſunt, ad dictos Præpoſitum & Capitulum communiter pertinere.

Proeſt van's Ridder-ſchap. Et addimus de expreſſo conſenſu Partium, & ſtatuimus ordinantes, quod ſi Officialis ſeu *Præpoſitus Equitaturæ* Capituli, in exercendo & exequendo Juriſdictionem, ac in faciendo juſtitiam fuerit negligens vel remiſſus, Capitulum ex parte dicti Præpoſiti requiſitum, ſuum *Equitaturæ Præpoſitum* compellere atque talem habere tenebitur, ut in exequendo & exercendo Juriſdictionem ac faciendo Juſticiam, prout Sententia Scabinorum dictaverit, ſecundum jus ſeu ſecundum obſervatam Conſuetudinem Curiarum ſine injurioſa dilatione procedat. Alioquin alium Officialem magis diligentem Capitulum inſtituere teneatur.

Item quia invenimus de candelis, de quibus ſupra fit mentio, aliqualem dubitationem circa diſtributiones earum hactenus extitiſſe, de conſenſu & mandato Partium ſpeciali pronunciamus & ſtatuimus, ordinantes, quod de cetero & imperpetuum ſingulis annis in Octavis Epiphaniæ Domini vel infra octo dies ſequentes, dummodo ex parte Præpoſiti infra illos octo dies Capitulum ſufficienter fuerit requiſitum, Cellerarius ipſius Capituli Officiato Prępoſiti, qui erit pro tempore, ſeu illi quem ad hoc Præpoſitus voluerit deputare XXI. libras ceræ ad pondus uſitatum in oppido Trajectenſi dictę Dioceſis deliberabit & tradet, pro candelis faciendis, & diſtribuendis per ipſum Officialem Præpoſiti, ſeu ad hoc deputatum ab ipſo, in die Purificationis Beatæ Virginis ſubſequenti, inter Officiatos & Feodales ſeu Vaſallos dicti Præpoſiti.

Et per illud memoratum Capitulum à datione & diſtributione dictarum candelarum erit de cœtero & imperpetuum liberatum.

Immunitas à Decimis. Item quia invenimus, quod Terræ Domini Prępoſiti, de quibus fit mentio in octavo Articulo, à ſolutione Decimarum quoad dictum Capitulum fuerint liberæ & immunes, Jus dicendo pronunciamus & declaramus, quod eædem terræ in eiſdem immunitate & libertate non ſolvendi Capitulo Decimas, in quibus fuerant hactenus, de cœtero & in perpetuum debeant permanere.

Præmiſſa omnia & ſingula, Partibus utrimque, quæ & prout ea ad ipſas hinc inde diviſim aut conjunctim pertinent, pronunciamus & declaramus, adjudicamus per noſtram Sententiam arbitralem; ſuper omnibus aliis Articulis in Compromiſſo prædicto contentis expreſſè, ſeu inſertis, Capitulum abſolvimus, perpetuum ſilentium Præpoſito imponentes: ipſiſque injungimus, ſub pœnis in ipſo Compromiſſo expreſſis, ut Sententiam noſtram Arbitralem obſervent, nec contra eam veniant in futurum.

In cujus rei teſtimonium præmiſſa omnia & ſingula per ſupradictum Lambertum Notarium publicum ſcribi & publicari mandavimus, & noſtrorum ac dictorum Præpoſiti & Capituli Sigillorum majorum appenſionibus communiri.

Et Nos iidem Præpoſitus & Capitulum, laudantes & approbantes, ac ratas & firmas habentes dictas Additiones Ordinationes & Sententiam Arbitralem ſub pœnis prædictis, Sigilla noſtra prædicta præſenti Inſtrumento publico appoſuimus, in teſtimonium præmiſſorum.

Actum in ambitu clauſtri Eccleſiæ Sti. Servatii prædictæ ante ymaginem B. Virginis, anno à Nativitate Domini milleſimo C. C. C. primo, Indictione quintâ decimâ, menſis Novembris die vigeſimâ ſeptimâ, præſentibus Dominis Johanne Inveſtito Ec-

Digitized by Google

cleſiæ Sti. Petri juxta Trajectum, Petro de Ruremunde, Renero Cuſtode, Adam de Foro, Alexandro Gerardo, de novo opere, Presbyteris Capellanis in Eccleſia S. Servatii prædictâ, & multis aliis ad hoc vocatis teſtibus & rogatis.

CAPUT LXXXVIII.

MARIA *Domina* ANGIÆ *fundat Hoſpitale Fratrum & Sororum in* Rebecque* *anno* 1314, *ejuſque omnia bona recenſet. Accedunt* Ratihabitio WALTHERI *Domini* ANGIÆ, *Confirmatio D.* PETRI *Cameracenſis Epiſcopi, & Obligationes Fratrum ac Sororum dicti Hoſpitalis.*

* Flandr. Roosbeecke, Dict. Mechlin. apud Italia.

UNiverſis præſentes Literas inſpecturis, MARIA quondam Domini d'Aynghien, ſalutem & cognoſcere veritatem.

Cum Nos intuitu pietatis, & ob remedium animæ noſtræ, & dilecti fili noſtri Domini Walteri, quondam Domini d'Aynghien, de auctoritate & conſenſu Reverendi in Chriſto Patris Domini Philippi quondam Cameracenſis Epiſcopi, fundavimus in honore glorioſiſſimę Virginis Mariæ Hoſpitale unum, in Villa de Rebeke, Cameracenſis Diœceſis, in fundo noſtro; & dotavimus de bonis noſtris acquiſitis, prout in Literis dicti Patris Reverendi, & noſtris, ſuper hoc confectis plenius continetur.

Ne dictum Hoſpitale (quod abſit) in poſterum ſuper ipſis bonis per Nos ad opus ipſius acquiſitis, ab aliquibus controverſiam patiatur, ex abundanti, & ad majorem ſecuritatem, & cumulum firmitatis, dicta bona omnia & ſingula, prout in Literis & Chirographis, ſuper hoc confectis, plenius continetur: quarum Literarum una, Scabinorum de Aynghien Sigillo ſigillata, ſic incipit.

Nos Eſchevins d'Aynghien, faiſons ſçavoir à tous ceulx qui ces preſentes Letres verront & oront, que haulte Dame & Noble, no chere & amée Dame Madame Marie, jadis Dame d'Aynghien, à acquis dedans la Ville d'Aynghien, a Jehan Halline, &c., & ſic terminatur; *Données en l'an de grace mil troix cens & uitt, au mois de Fevrier.*

Item alia, eorumdem Scabinorum de Ainghien Sigillo ſigillata, ſic incipit.

Nos Eſchevins d'Aynghien faiſons ſçavoir à tous ceulx qui ces preſentes Letres verront & oront, que Haulte Dame & Noble, no chiere & amée Dame, Madame Marie jadis Dame d'Aynghien, a acquis à Jehan de Mons dedens la Ville d'Aynghien à ſon Hopital de Rebecque dix ſols blans heritablement, &c., & ſic terminatur, *Données en l'an de grace mil troiz cens & uitt, au mois de Janvier.*

Item alia, Scabinorum de Marcha Sigillo ſigillata, ſic incipit.

Nos Eſchevins de Marche, faiſons ſçavoir à tous ceulx, qui ces preſentes Letres verront & oront, que haulte Dame & Noble, no treſchere & amée Dame Madame Marie jadis Dame d'Aynghien, a acquis à Gerardt de Contenbruch à ſon Hoſpital, rès de Rebecque, dix livres Tournois par an heritablement &c, & ſic terminatur, *Données en l'an de grace mil troix cens & uitt, au mois de Mars.*

Item alia, prædictorum Scabinorum de Marcha Sigillo ſigillata, ſic incipit.

Nos Eſchevins de Marche faiſons ſçavoir à tous ceulx qui ces preſentes Letres verront & oront, que haulte Dame & Noble, no treſchiere & amée Dame Madame Marie, jadis Dame d'Aynghien, a acquis à Colin Bogart de Humbeque à ſon Hoſpital, rès de Rebecque, vingt livres Tournois par an heritablement &c., & ſic terminatur, *données en l'an de grace mil troix cens & uitt, au mois de Mars.*

Item alia, eorundem Scabinorum de Marcha Sigillo ſigillata, ſic incipit.

Nos Eſchevins de Marche, faiſons ſçavoir à tous ceulx qui ces preſentes Letres verront & oront, que Gilles de Liere Bourgeois d'Aynghien a acquis à Jehan le Fauconnier de Marche, dix livres de Tournois par an heredital ment, &c, & ſic terminatur; *données l'an de gra mil trois cens & dix, au mois d'Octembre.*

Item alia, præfatorum Scabinorum de Marcha Sigillo ſigillata, ſic incipit.

Nos Eſchevins Regnier de Borneval en la Ville de Marche, faiſons ſçavoir à tous ceulx qui ces preſentes Letres verront & oront, que haulte Dame & Noble, no treſchiere & amée Dame Madame Marie jadis Dame d'Aynghien, a acquis à Aynghien à Hennin de Hocheau à ſon Hoſpital, rès de Rebecque, quatre livres Tournois par an heritablement &c., & ſic terminatur; *qui fut faict & donné l'an de grace mil troix cens & uitt, au mois de Mars.*

Item alia Scabinorum de Aynghien Sigillo ſigillata, ſic incipit.

Nos Eſchevins d'Aynghien, faiſons ſçavoir à tous ceulx qui ces preſentes Letres verront & oront, que Gilles de le Cambe doibt heritablement par an à l'Hoſpital de Rebecque quatre livres

livres Tournois, monnoye courſable au cours des payemens, & deux cappons de rente &c., & ſic terminatur, *données en l'an de grace mil troix cens & onſe, au mois de Fenal.*

Item alia ſuper quittatione & emptione triginta ſex bonariorum & viginti virgarum nemoris ſive ſilvæ, conſiſtentium in Parochia de Ytrene, juxta ſilvam de *le Honſtiere*, quam ſilvam nos emimus ab Egidio dicto Don Perier, nomine & ad opus Hoſpitalis memorati, Sigillo Capituli Nivellenſis ſigillata, ſic incipit. *Ytre* Parochia.

A tous ceulx, qui ces preſentes Letres verront & oront, le Chapitles de l'Egliſe de Nivelle ſalut & cognoiſtre veriteit. Cogneulte cho ſe ſoit à tous, que nous quictons le bois con diſt d'Ytrene &c., & ſic terminatur; *qui furent faictes & données en l'an de grace mil troix cens & ſix, le premier jour du mois de Mars.*

Item viginti quatuor bonaria cum dimidio, tam terræ arabilis, quam prati, in Parochia de Sanctis jacentia, quæ nos emimus ac acquiſivimus ab Abbate & Conventu de Cambron; prout in Literis ſuper hoc confectis, Sigillis Abbatis de Cambron ſigillatis, plenius continetur, quarum una ſic incipit. *Sainctes.* Parochia.

Univerſis præſentes Litteras inſpecturis, Frater Jacobus dictus Abbas de Cambron, Cyſtercienſis Ordinis, Cameracenſis Diœceſis, totuſque ejuſdem loci Conventus, ſalutem in Domino ſempiternam. Litteræ Abbatis Cambronenſis.

Notum vobis facimus, quod Nos propter commodum & utilitatem noſtram evidentem &c., *& ſic terminatur*. Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſeptimo, menſe Januario.

Alia vero infixa huic Litteræ, ſic incipit.

Univerſis præſentes Litteras inſpecturis, Frater Johannes dictus Abbas Claræ vallis, Ciſtercienſis Ordinis, ſalutem in Domino ſempiternam.

Noverit veſtra univerſitas, quod Nos Litteras dilectorum in Chriſto filiorum Abbatis & Conventûs Monaſterii Cambronenſis, noſtri Ciſtertienſis Ordinis, Cameracenſis Diœceſis, noſtris præſentibus Litteris annexas, vidimus, in hæc verba.

Univerſis præſentes Litteras inſpecturis, Frater Jacobus dictus Abbas de Cambrone Ciſtercienſis Ordinis, Cameracenſis Diœceſis, totuſque ejuſdem loci Conventus, ſalutem in Domino ſempiternam &c., *& ſic terminatur*; In cujus rei teſtimonium, præſentibus Litteris Sigillum noſtrum duximus apponendum. Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſeptimo, menſe Januario. Litteræ aliæ Abbatis Cambronenſis.

Item alia, Walteri Domini de Aynghien, nec non quorumdam Hominum ſuorum feodalium Sigillis ſigillata, ſic incipit.

Nos Waultiers d'Aynghien faiſons ſçavoir, que le Mainbourg de l'Hoſpital de Rebecque ont acquis & achapté à ces dite Hoſpital à Monſeigneur Willaume de Bordes &c., & ſic terminatur, *leſqueles furent faictes & données l'an de grace mil troix cens & onze.*

Item viginti libratas terræ, acquiſitas in Parochia de Rebecque in pluribus locis à Waltero dicto de Merbes.

Item ſedecim bonaria, tam terræ arabilis quam prati cum uno journali, cum quadraginta virgis & quodam manſo, jacentia ad locum qui dicitur Pedebeke, in Parochia de Haltris pro parte, & pro parte in Parochia de Larbeke, prout in Litteris dicti Patris Reverendi, ſuper mortificatione & confirmatione luciùs continetur. *Leerbeck.* Parochia.

Item alia, ſuper emptione terræ ſeu annonæ, quam terram ſeu annonam Petrus, dictus Griſial, Priori & Conventui Fratrum Heremitarum Ordinis ſancti Auguſtini in Anghia, poſt deceſſum ſuum ac uxoris ſuæ perpetuò poſſidendam contulit & aſſignavit; quam nos emimus à Priore & Conventu antedictis, prout in Litteris ſuper hæc confectis, Sigillis Prioris & Conventûs ſæpedictorum ſigillatis pleniùs continetur, quæ ſic incipiunt.

Univerſis præſentes Literas inſpecturis & audituris, Prior & Conventus Fratrum Heremitarum Ordinis ſancti Auguſtini in Angia ſalutem in Domino, cum notitia veritatis. Litteræ Auguſtinian. Angienſium.

Univerſitati veſtræ tenore præſentium volumus eſſe notum: quod Nos dicti Prior & Conventus terram illam ſeu annonam, quam Petrus dictus Griſial de Rebecke nobis antedictis Priori & Conventui, poſt deceſſum ſuum ac uxoris ſuæ, perpetuò poſſidendum in puram eleëmoſinam contulit & aſſignavit &c., *& ſic terminatur*, & Nos Frater Henricus, Prior Provincialis, cum dicti Prior & Conventus denarios ſupradictos in uſum novi operis Eccleſiæ ſuæ converterint, dictam venditionem ſeu emptionem ratam & gratam habemus, & Sigilli noſtri munimine confirmamus.

Datum, ut ſupra.

Chirographorum autem unus ſic incipit.

Sachent tous, come qui ces Lettres verront & oront, que Madame la Grande d'Aynghien a achapté à Waultier fils Dame Flandrine dou Komme de Bruges quatre livres tournois heritablement &c., & ſic terminatur, *ce fut faict l'an de grace mil troix cens & oict, le Lundi devant ſainct Pol.*

Item alius ſic incipit.

Sachent tous ceulx, qui ceſte Eſcript verront ou oront, que haulte & Noble Dame Madame Marie, jadis Dame d'Aynghien a achapté pour l'Hoſpital de Rebesque à Dame Helewit de Hersberghe quarante ſols de Tournois petis &c., & ſic terminatur, *données l'an de grace mil troix cens & neuf, au mois de May.*

Item alius ſic incipit.

Sachent tous ceulx, qui ceſt eſcript verront ou

oront, que Noble Dame Madame Marie jadis Dame d'Aynghien a acquis & achapté à Wautier Conſart demy Bonnier de terre giſſant à Behault &c., & ſic terminatur; *ce fut faict l'an de grace mil trois cens & troix au mois de Giſſerechi.*

Item alius ſic incipit.

Sachent tous ceulx qui ceſt eſcript verront & oront, que la Noble Dame Madame Marie jadis Dame d'Aynghien, a acquis & achapté à Dame Liſebeth jadis femme Gilliart Dyſebeke, demis bonnier de terre, qui giſt en deſeulre la maiſon Jehan Gamon &c., & ſic terminatur, *ce fut faict l'an de grace mil troix cens & troix, au mois de Giſſerechi.*

Item alius incipit.

Sachent tous ceulx, qui ceſt eſcript verront ou oront, que Noble Dame Madame Marie jadis Dame d'Aynghien, a acquis & acheté à Dame Lyſebeth Dyſebeke & à ſes enfans ung bonnier de terre qui giſt à Chibrumont &c., & ſic terminatur, *& fut faict ce Recors l'an de grace mil troix cens & ſept, au mois de Febvrier.*

Item alius ſic incipit.

Sachent tous ceulx, qui ceſt preſent eſcript verront & oront, que comme ainſy ſoit, que treshaulte & Noble Dame Madame Marie jadis Dame d'Aynghien euſt achapté & acquis à ſon Hoſpital, à Jacquemin de Viller deux bonniers & demy de terre &c., & ſic terminatur, *ce fut fait l'an de grace mil troix cens & noef, au mois d'Apvril.*

Item alius ſic incipit.

Sachent tous ceulx qui ceſt eſcript verront ou oront, que la Noble Dame Madame Marie jadis Dame d'Aynghien, a acquis & achapté à Michel Fronquart quatre bonniers & onze verges de terre &c., & ſic terminatur, *ce fut faict l'an de grace mil troix cens & troix, au mois de Giſſerech.*

Item alius ſic incipit.

Sachent tous ceux qui ceſt eſcript verront & oront, que la Noble Dame Madame Marie jadis Dame d'Aynghien, a acquis & achapté à Monſeigneur Wion Preſtre, Curé de Rebecque, deux pieces de terre qui tiennent troix bonniers moins une verge &c., & ſic terminatur, *Ce fut faict l'an de grace mil troix cens & troix, au mois de Giſſerech.*

Item alius ſic incipit.

Sachent tous ceulx, qui ceſt eſcript verront & oront, que la Noble Dame Madame Marie jadis Dame d'Aynghien, a acquis & achapté à Wichon de Behault jadis fils Colart du Trianvil, troix bonniers ung journal dix & huict verges de terre &c. & ſic terminatur, *ce fut faict l'an de grace mil troix cens & troix, au mois de Giſſerech.*

Item alius ſic incipit.

Sachent tous ceulx, qui ceſt eſcript verrent ou oront, que la Noble Dame Madame Marie jadis Dame d'Aynghien a acquis & achapté bien à loy à Jacquemin de Villers vingt & quatre bonniers & troix verges & demie, que terre, que pret, que bois qu'auvoit, de vingt ſols de blan, & quatre chapons de rente &c., & ſic terminatur, *ce fut faict ce Recors l'an de grace mil troix cens & ſept, au mois de Febvrier.*

Item duodecim bonnaria terræ, paululo plus vel minus, jacentia in Parochia de parvo-Aynghien, quæ in Litteris dicti Patris Reverendi, ſuper mortificatione & confirmatione, pleniùs continentur.

Item viginti quinque livratas terræ annui & perpetui redditûs, quas acquiſivimus de Johanne dicto de Hoves, aſſignatas ſuper terras, prata, cenſus, proventus & redditus jacentes in Parochia de Marcha.

Item quinquaginta ſolidos annui & perpetui redditûs, quos acquiſivimus à Johanne dicto Gilliart, aſſignatos ſuper terras ſitas in Parochia de Steenkercke.

Item ſexaginta ſolidos monetæ Brabantiæ, acquiſitos ab Adam de Breenne in Parachia de Haynuier.

Item viginti octo bonnaria tam terræ quam prati, curtem ſive manerium & jardinum jacentia in loco, dicto Arrries, in Parochia de Rebecque, acquiſita ab Alardo dicto de Ham, de mandato Nobilis Viri Walteri quondam Domini de Aynghien, dilecti filii noſtri, per nos; quæ bona obligata ſunt ut dicitur, ſingulis annis in perpetuum Capellaniæ beatæ Catharinæ de Oſſembais, in quatuor libris alborum.

Item pro recompenſatione viginti librarum alborum, quas aſſignavimus dicto Hoſpitali, annuatim percipiendas ſuper Curtem ſancti Auberti juxta Herines, quas modo non recipit, utpote alibi aſſignatas, aſſignavimus dicto Hoſpitali bona ſic inferius annotata; prout in Litteris & Chirographis ſuper hoc confectis pleniùs continetur.

Littera autem Scabinorum de Aynghien ſic incipit.

Nos Eſchevins d'Aynghien faiſons ſçavoir à tous ceulx, qui ces preſentes Lettres verront & oront, que haulte Dame & Noble, no treſchiere & amée Dame Madame Marie jadis Dame d'Aynghien, a acquis à Lexis de Willebeke bourgeois d'Aynghien, quatre livres Tournois &c., & ſic terminatur, *qui furent faictes & données l'an de grace mil troix cens & noef, au mois de Mars.*

Chirographorum autem unus ſic incipit.

Sachent tous ceulx, qui ſont & qui avenir ſeront, & qui ceſt eſcript verront ou oront, que Pierres Saincte Avaine, Robeles de Laitre de Haynnuieres, & Colins de Henes, ont vendu à haulte Dame & Noble Madame Marie jadis Dame d'Aynghien, dix livres Tournois de rente heritablement &c., & ſic terminatur, *ce fut faict en l'an de grace mil troix cens & dix, au mois de Decembre.*

Alius ſic incipit.

Scachent tous ceulx qui ſont & qui avenir ſont,

Digitized by Google

& qui ceſt eſcript verront ou oront, que Waultiers de Witegat a vendu à haulte Dame & Noble Madame Marie jadis Dame d'Aynghien ſoixante ſols Tournois de rente en heritaige &c., & ſic terminatur, *par les quelles leſdit Convens fut faiz bien & à loy, en l'an de grace mil trois cens & dix, au mois de Feburier.*

Item quadraginta ſolidos Turonenſes, quos acquiſivimus ab Alardo dicto de Ham, ſuper hereditatem jacentem in loco qui dicitur Atries, in Parochia de Rebecke.

Item triginta ſeptem ſolidos Turonenſes, ſuper manerium jacens juxta Hoſpitale, quod acquiſivimus à Jacobo filio Jacobi dicti le Bloncq, & quidquid juris, actionis ac proprietatis habemus & habere poſſumus in eiſdem, quâcunque ratione ſeu cauſâ, donamus, cedimus conferimus & tranſtulimus ad opus ipſius Hoſpitalis Fratrum, Sororum, & pauperum in ipſo Hoſpitali degentium, Donatione inter vivos purè & liberè ipſi Hoſpitali.

Mandantes & volentes, quod ipſum Hoſpitale per ſuum Magiſtrum, aut Procuratorem de dictis bonis, omnibus juribus & proventibus univerſis, aut ipſe Magiſter vel Procurator, ad opus & nomine ipſius Hoſpitalis inveſtiatur, adheritetur, & in poſſeſſionem inducatur eorundem.

Supplicantes omnibus Juſtitiis & Curiis, à quibus ipſa bona deſcendunt & moventur, quod ipſum Hoſpitale inveſtiant & adheredent de eiſdem, prout ad eorum ſpectat officium. Nec non Reverendo Patri Domino Patri Domino Petro Dei gratiâ Cameracenſi Epiſcopo, & Nobili Viro Waltero Domino de Aynghien nepoti noſtro, ut Litteris preſentibus in Confirmationem, Approbationem præmiſſorum & munimen, Sigilla ſua unà cum Sigillo noſtro apponere dignentur.

Confirmatio Waltheri D. Angiæ.

Nos vero Walterus prædictus, Dominus de Aynghien, ad ſupplicationem dictæ Dominæ & aviæ noſtræ, ob remedium animæ noſtræ & prædeceſſorum noſtrorum, unà cum prædicto Domino Epiſcopo omnia & ſingula ſuperius enarrata, Donationes, Collationes, Conceſſiones, Confirmationes, & mortificationes, factas ipſi Hoſpitali à prædicta Nobili Domina Avia noſtra, ac Domino Patreque quondam noſtro, filio ſuo, prout & ſecundum quod in Litteris eorum ſuper hoc confectis plenius continetur; prudens & ſciens contenta in eiſdem;

Nec non etiam bona, quæ quondam fuerunt acquiſita per dictam Dominam aviam noſtram à Religioſis Viris, Abbate & Conventu de Cambron, quæ ſita ſunt in Parochia de Sanctis.

Item tres modios terræ, ſecundum Wegale illius loci, & ſex Witels apud Annoit quæ facta ſunt à dicto Patre noſtro, firma & grata habentes, amortizamus omnia bona prædicta, quæ per Patrem noſtrum prædictum aut per Nos non fuerunt alias amortizata; & ab omni ſervitio abſolvimus, eo modo quo dictus Pater noſter quondam ſuis Litteris eadem amortizavit.

Et ſupra dicta omnia & ſingula, laudamus, approbamus, confirmamus, donamus, conferimus ac cedimus, ex abundanti & ad cautelam, ipſi Hoſpitali, quantum in nobis eſt & poſſumus; ac omni Juri quod habemus & habere poſſumus in dictis bonis ratione Succeſſionis dictorum quondam Patris noſtri, cujus hæres ſumus, & Aviæ, vel quacunque aliâ cautâ, renunciamus purè ſimpliciter & expreſſè, & promittimus per fidem à nobis corporaliter præſtitam, quod contra præmiſſa vel ex eis aliqua per nos vel alium, palam vel occultè, directè vel indirectè, non veniemus in futurum.

In quorum omnium teſtimonium, corroborationem & munimen, præſentibus Litteris Sigillum noſtrum, unà cum Sigillo dictorum Domini Epiſcopi & Aviæ noſtræ, duximus apponendum; ſupplicantes Reverendo Patri noſtro Domino Petro Dei gratiâ Cameracenſi Epiſcopo prædicto, quod omnia & ſingula ſuperius enarrata velit approbare, laudare, ac Auctoritate Ordinariâ confirmare.

Confirmatio PETRI DE LEVY, *Cameracenſis Epiſcopi.*

ET Nos Petrus Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus, ad preces & inſtantiam dictæ Nobilis Dominæ & Walteri Domini de Aynghien prędictorum, prædicta omnia ſic piè & gratioſe conceſſa & donata, laudamus, approbamus, & Auctoritate Ordinariâ confirmamus, & noſtrum Sigillum præſentibus oppoſuimus, una cum Sigillo dictæ Nobilis Dominæ & Walteri Domini de Aynghien, in teſtimonium præmiſſorum.

Datum anno Domini milleſimo trecenteſimo quarto decimo, in feſto beati Gregorii Papæ, menſe Martio. 1314.

Sequuntur Obligationes reciprocæ per Magiſtrum & Conventum Hoſpitalis de Rebecka ſuſceptæ: de quibus ſuperiùs pag. 576.

Digitized by Google

CAPUT LXXXIX.

Concordatum, inter Præpoſitum Eccleſiæ Collegiatæ Sti. Servatii Moſætrajectenſis, & Magiſtrum Domus Hoſpitalis Sti. Antonii *ibidem (unicum quod ſupereſt in Belgio iſtius Ordinis Monaſterium) ſuper Jure Patronatus quorumdam Altarium, anno* 1306.

Exſcripſi è Libro MS. mihi communicato per D. Conſiliarium Wynants.

UNiverſis præſentes Litteras viſuris & audituris, JOHANNES DE SCHOENVOERST Præpoſitus Eccleſiæ S. Servatii Oppidi Trajectenſis, & Frater Jacobus de Sto. Andrea Magiſter ſeu Proviſor Domus Hoſpitalis Sti. Anthonii ejuſdem Oppidi, Leodienſis Diœceſis, ſalutem in Chriſto ſinceram, & plenam ſubſcriptorum agnoſcere veritatem.

Noveritis, quod inter nos ſuſcitatâ controverſionis materiâ occaſione Juris Patronatûs Altarium in Eccleſia ſeu Capella præfatæ Domus Sti. Anthonii ab olim Fundatorum, & in poſterum fundandorum, ac Juris præſentandi Rectores perpetuos ad eadem Nobis Præpoſito, ad nos ratione noſtræ Præpoſituræ, Nobis vero Fratre Jacobo, ad nos ratione noſtræ præfatæ Domûs Hoſpitalis ac Eccleſiæ ſeu Capellæ Jus Patronatus hujuſmodi pertinere diviſim prætendentibus & aſſerentibus, ad ultimum, poſt nonnullos tractatus ſuper hiis habitos, pro bono pacis & concordię, de noſtrorum amicorum conſilio, ſuper præmiſſis Compoſitionem & Concordiam inivimus & Inimus, quæ ſequitur.

Videlicet, quod Jus Patronatus omnium & ſingulorum Altarium de præſenti in dicta Eccleſia ſeu Capella B. Anthonii fundatorum, excepto Altari, quod in ipſa Capella in honore B. Eligii nunc fundatum & conſecratum eſt, ad nos præfatum Fratrem Jacobum & noſtros in dicta Domo ſeu Hoſpitali futuros Succeſſores, ſolum & in ſolidum pertinebit. Sic quod illis nunc actu aut etiam in poſterum vacaturis, nos ad ea ſic vacantia Rectores perpetuos præſentabimus vel præſentabunt ſuis temporibus noſtri prefati Succeſſores Proviſores ſeu Magiſtri dictæ Domus, ſeu Hoſpitalis, Venerabilibus Viris Decano & Capitulo ipſius Eccleſię B. Servatii, ipſos Dominos Decanum & Capitulum ad hujuſmodi Altaria ſic vacantia vel vacatura vigore Præſentationis per Nos vel noſtros hujuſmodi Succeſſores dumtaxat faciendarum vel jam factarum admittendos & in illis inſtituendos. Et ſi quam Præſentationem de aliquo ex eis in noviſſima vacatione fecimus, noſtra Præſentatio debitum ſortietur, effectum, admitteturque Præſentatus à Nobis Fratre Jacobo prædicto.

Nos vero Johannes Præpoſitus, & noſtri in dicta Præpoſitura ſucceſſores, ſcilicet in ſolidum, perpetuò erimus & erunt Patroni omnium Altarium in dicta Eccleſia ſeu Capella B. Anthonii ex nunc in antea fundandorum, & ad ea præſentabimus, ut præfertur.

De dicto vero Altari B. Eligii, ad quod ex noviſſima vacatione fuerant per nos diviſim duo Rectores in diſcordia præſentati, ordinavimus & ordinamus per hunc modum. Quod Jus Patronatus ejuſdem Altaris perpetuò ad nos & noſtros ſucceſſores Præpoſitos, & Proviſores ſeu Magiſtros pertineat & pertinebit.

Sed ad finem ut eidem Altari facilius provideatur in futurum, convenimus in hoc: quod ad dictum Altare B. Eligii, quotiens in poſterum vacare contigerit, viciſſim, ſeu alternis vicibus Nos Johannes Præpoſitus & Frater Jacobus Proviſor ſeu Magiſter, & noſtri in dictis Præpoſitura & Domo ſeu Hoſpitali ſucceſſores præſentabimus & præſentabunt dictis Venerabilibus Viris Decano & Capitulo perpetuos Rectores, ſicut prætangitur, in dicto Altari B. Eligii inſtituendos.

Fuit etiam, & eſt præmiſſis adjectum, quod pro primo loco & ordine hujuſmodi viciſſitudinis præſentatus pridem in noviſſima vacatione ad dictum Altare, per nos Fr. Jacobum, ad ipſum Altare admittetur vigore hujuſmodi noſtræ præſentationis jam de perſona Rutgeri Fabri ultimò factæ, & quod ipſa præſentatio debitum ſortietur effectum. Eodem autem Altari S. Eligii poſt hæc quovis modo vacante, Nos dictus Johannes & noſtri ſucceſſores Præpoſiti primò, deinde vero nos Frater Jacobus, & noſtri ſucceſſores Magiſtri ſeu Proviſores, & ſic deinceps perpetuo futuris temporibus præſentabimus & præſentabunt ad Altare prælibatum unum Sacerdotem ydoneum vel Clericum, qui infra annum à tempore ſibi commiſſi regiminis numerandum, ſe faciat ſtatutis à jure temporibus ad omnes Ordines promoveri, & perſonaliter teneatur reſidere in eodem.

Quas ſiquidem Compoſitiones, Concordias, Ordinationes, ac prędmiſſa omnia & ſingula tenere & inviolabiliter obſervare, & in nullo in futurum contravenire, bonâ fide pro nobis & noſtris perpetuo ſucceſſoribus

Digitized by Google

foribus promittimus.

Et in horum teſtimonium ac munimen, Sigilla noſtra præſentibus Litteris duximus apponenda, ſub anno à Nativitate Domini milleſimo, tricenteſimo-ſexto, menſis Decembris die decimo.

Caput Ordinis illius eſt *Abbas Generalis Sti. Antonii Viennenſis*, in Gallia

Fuit & quondam Domus ſeu Præceptoria Sti. Antonii juxta Balliolum in Flandria; quæ fuit incorporata ab anno 1568. Abbatiæ S. Joannis in Monte Ordinis S. Benedicti Ipris. Vide ſup. p. 309.

Vide etiam de hoc Ordine, *Origines Cœnobiorum Hannoniæ* per Braſſeur, à pag. 237. ad 241.

CAPUT XC.

Confraternitas celeberrima, in honorem S. ELIGII *Noviom. ac Tornac. Epiſcopi ab anno* 1188. *in Oppido* Bethunienſi *apud Artheſios, ſuaſore Rogone, Priore S. Præjecti* * *Ordinis Sti. Benedicti juxta Bethuniam, inchoata, novo Teſtimonio confirmatur anno* 1317.

* Vide Tom. II. horum Diplom. pag. 1213.

Item Chr. Locrii pag. 353.

1184. *O Un nom dou Pere, & dou Fil, & dou Saint Eſprit, amen. En l'an de graſce mille cent quatrevins vuit, fut une Karité eſtaulie & une Candelle en l'onneur Diu, & Monſigneur St. Eloy, le benoiſt Confés & amy Notre Seigneur, par le miracle dou tres benoit Confés Monſigneur St. Eloy. Si orres comment elle vint en avant, & comment elle fu eſtaulie.*

Che fu fait en l'an deſſus di au tan le Prieus Rogon Prieus de St. Pry de Bethune: & avint qu'il eut un Feure à Bœveri qui avoit à nom Germon, qui eſtoit moult preudome: qui li benois amis noſtre Sr. ama tan, qui li miſt eu l'cuer & en aviſion, par pluſieurs fois, en ſenlit que il alaſt parler au Feuré de St. Pry de Bethune, que on apiele Wautier;

Id eſt Faber Ferrarius.

Et li ſavoit en la viſion, que li benoiſt Confés St. Eloy li diſoit, eſtaure une Karité & une Candeille en meu nom; liquelle Candeille warira le malades, & les bieſtes mues qui en le maladie, don je garis par le graſce de noſtre Signeur, qui foy, & creance y aront.

Et tel aviſion qu'il avint à l'un, il avint à l'autre; & ne ſavoient li uns mot de autre: tant que li Feures de Bœvery mut, pour venir à Bethune, & li Feures de St. Pry de Bethune pour aler à Bœvery. Et avin, que il encontrerent li uns l'autres à une fontaine entre Bethune & Bœvery, que on diſt à le fontaine de Quinty, & ſaluerent li uns l'autre de Dieu & de le Mere Dieu, & de tous Sains; & demanderent li uns à l'autre où ils alloient, & Feures de Bœvery reſpondit, jou aloit à vous: ceti de St. Pry de Bethune diſt, & jou à vous.

Adon diſent illi un à l'autre leur aviſions, qui leur eſtoient avenus par pluiſſeurs fois. Que Meſſire Saint Eloy leur avoit mandé, & commandé, que il eſtauraſſent le Kareté & le Candeille devant dit. Quan li un di ſa viſion à l'autre, ſi commenchierent à plourer de pieté & de goie, & acolerent ſi fors li un l'autre qu'il peurent: & ne peurent parler en gran pieche, & de le graſce & le reverence que Meſſire St. Eloy lor avoit fait. Et quand il peurent parler ſi ſaiſſent li un de les l'autre, pour aviſer à qu'il s'appoieroint de conſeil & ſe poroint conſilier.

Et avint que li Feures de St Pry dit, que il avoit un moult Preudome qui eſtoit Prieu de St. Pry de Bethune, que on apeloit Rogon, & il nous conſeillera à ſen pooir: & li Feures de Bœvery repondi: ſi j'alons de par Diu.

A tant ſe mettent à voie, & vont criier mierchi au Prieus, pour Diu, que il les vauſiſt conſilier; & li Prieus leur reſpondi moult douchement, que ſi feroit il moult volontiers, s'il ſavoit de quoy; & li raconterent aviſion, & le commandement que Meſſire Saint Eloy leur avoit commandé. Et li Prieus commenchia moult fort à plourer, & leur diſt, que il feſiſſent faire une Candeille & une Karité, liquelle candeille ſoit fait de vierge chire, en l'honneur Diu & Monſigneur St. Eloy le vray Confés.

Adont vinrent ly doy Feure à le boine gent de Ville de Bethune. & fiſent tant, & pourtachierent que li Candeille & li Karité qui encore eſt, fut eſtaulie & alevée en le maniere que nous vous diront. Tout t'il & toutes celles qui le Karité Diu & le benoit Saint Monſigneur S. Eloy requierent, i podent & doient entrer par trois deniers & deux ſauls à le mort, ſe il ni voelent mieu faire. Et y doit en eſtaulir caſcun an un Provos & IV. Maibeurs, & li Provos, & li IV. Maibeurs eſtauliſſent XVI. hommes pour porter les cors au Mouſtier.

Et doient touts y eſtre au cors levet, li Provos ſour VII. *deniers, & li Maibeur caſcun ſour* IV. *deniers, & li XVI. hommes caſcuns ſour* II. *deniers, ſe il nous enſeigne loyale; & les peot li Provos conjurer caſcun ſour leur veu de payer leur defaut, s'il ſait que elles y ſoint, & enſi qu'il ſont tenu d'eſtre au cors, ſont il tenu d'eſtre as ſervices & ſour le paine qui devant eſt ditte, s'non le ſens requiert.*

Et doit le Karité livrer offrande au Provoſt,

as IV. Maiheurs & as XVI. Hommes qui y ſont eſtauli pour l'année, & doit on porter as tors & as ſerviche, les luminaires de le Karité, & ſi doit on porter as deus jours S. Eloy le Candeille dou benoiſt St. à le Meſſe à St. Pry; & y doient aler tout li Karitaule, le luminaire devant dit porter & le Croix.

Et doit caſcun & caſcune des Karitaules avoir foy & creanche el benoit Saint, & en el benoiſte Candeille: car Diu à le prier dou Benoit St. Monſigneur St. Eloy fait & a fait moult de fois par le benoite Candeille, moult des biaux Miracles ſour gens & ſour bieſtes mues; de quoy il a aſſez gens en ceſte ville & alieurs qui bien en ſevent parler des biaux miracles que ils on veu ſour gens & ſour les bieſtes mues.

Et pour le benoite Candeille & de le biele Karité otrierent li Prieux & li Moigne qui adon y demouroient, par le volonté de leur Souverain, une chimentiere qui fiet u gardin le Soucretain à tous les Karitaules qui le requeroiene: liquel Chimentiere un Archeveſques de Rains beney pour le bonté & biauté que il vit en le benoite Candeille & en le Karité. Et ſaichiez caſcuns, que ſe li karitaule Monſigneur St. Eloy requierent ledit chimentiere pour leur maiſnie, il le doivent avoir auſſi bien que pour eus meſmes; pour les offrandes que li Soucretain a as Meſſes doit il caſcun an a le Karité I. mencault de blé & odroierent le Prieus & li Moigne devant dit, que tout le karitaule Diu & Monſigneur St. Eloy euſſent part & compagnie à tous les Meſſes & à tous les biensfaits de l'Ordene de Cluigny.

Et pour chou que Ordonnanche de cette benoite Candeil & li karité St. Eloy le benoit Conſés & Eveſque ſoient plus ſeures, Jou Frere Pierre de Nogent humble Prieus de la Maiſon de St. Pry de Bethune, avec des Lettres des Religieux & diſcret Sire Dant Abbé de Cluigny & les Lettres des Religieux Frere Philippe humble Prieus de St. Pierre en Abbeville No Souverain: ay ces preſentes Lettres ſellées dou Saiel don nous uſons en le Priauté del Maiſon de St. Pry de Bethune.

Fez & donnez l'an de graſce mil trois cens & diſe-ſept, le Merquedy devant les Apoſtres Monſeigneur St. Simon & St. Judes.

CAPUT XCI.

Litteræ Confraternitatis & Unionis renovatæ anno 1320. inter XII. Capitula Cathedralia, quæ olim erant Provinciæ ſive Metropolis Remenſis : videlicet Remenſe, Cameracenſe, Tornacenſe, Atrebatenſe, Morinenſe, Sueſſionenſe, Laudunenſe, Noviomenſe, Bellovacenſe, Catalaunenſe, Silvanectenſe, & Ambianenſe.*

* Vide T. I. pag. 341. hujus Diplom.

Ex Archivis Morino-Bolonienſibus, per D. Luto Præbyterum.

UNiverſis præſentes Litteras inſpecturis, Rhemenſis, Sueſſionenſis, Laudunenſis, Noviomenſis, Belvacenſis, Cathalanenſis, Silvanectenſis, Ambianenſis, Cameracenſis, Tornacenſis, Atrebatenſis, Morinenſis, Cathedralium Eccleſiarum Rhemenſis Eccleſiæ Decani & Capitula, æternam in Chriſto ſalutem.

Cum ritus & mores feliciſſimę vetuſtatis, qui ex charitate, & (ut pareſt) tranquillitati Eccleſiarum provideatur, diſcretius ſint ſervandi, nec ſit novum, etſi aliquo tempore uſitatum non fuerit, urgentibus negotiis, & ut perverſorum compeſcatur temeritas, & malignari volentium nefariis auſibus præcludatur, remedium antiquum renovetur; ut in quiete permaneant Eccleſiæ, & viri Eccleſiaſtici ſuper ſtabile fundamentum; & ut ea quæ plurium authoritate firmabuntur, firmius obſerventur.

Attendentes igitur quod Anteceſſores noſtri volentes in ſuis Eccleſiis ſibi invicem fraternâ dilectione conſolari, ex charitate moti, prout in antiquis Litteris eorum Sigillis ſigillatis reperimus, pro ſuis & Eccleſiarum ſuarum cum majori & diſcretiori deliberatione negotiis peragendis concorditer ordinarunt, quod in Villâ S. Quintini in Veromandiâ, Noviomenſis Diœceſis, quolibet anno certâ die duo Canonici cujuſlibet Eccleſiarum Cathedralium Rhemenſis Provinciæ Procuratores, pro Capitulis ſuis ſufficienter fundati, ad tractandum & ordinandum de dictarum Eccleſiarum negotiis convenirent.

Nos autem conſiderantes hæc fuiſſe providè & laudabiliter ordinata, eorumdem prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, dictam ſalubrem & antiquam Ordinationem renovantes, & ad providendum Eccleſiis noſtris, quantum cum Dei adjutorio poſſumus, eandem reformantes, volumus, conſentimus ac etiam ordinamus concorditer, quod unumquodque Capitulum Eccleſiarum Cathedralium Rhemenſis Provinciæ, excepto Capitulo Silvanectenſis Eccleſiæ, deinceps ſingulis annis octavâ die Maii, horâ primâ, de ſuis Canonicis duos, Capitulum vero Silvanectenſe unum, viros providos & diſcretos Procuratores nomine Capitulorum ſuorum ſufficienter fundatos apud dictam villam S. Quintini mittere, & iidem Pro-

curatores comparere teneantur, ad tractandum & ordinandum communiter dictâ die & horâ cum diebus & horis ſequentibus in Domo Fratrum Prædicatorum, vel alibi ut duxerint ordinandum, de cauſis & negotiis ibidem exponendis, nos & Eccleſias & Capitula noſtra tangentibus communiter vel diviſim.

Statuimus inſuper & ordinamus, quod ſi contingat aliquod Capitulum vel aliqua Capitula non mittere, vel Procuratores aliarum Eccleſiarum in dicto Capitulo minime comparêre, ut præfertur, Acta & Ordinata per Procuratores aliarum Eccloſiarum prædictarum, rata & firma manebunt. Ipſaque ſic ordinata Eccleſiæ & Capitula etiam quæ non miſerunt, ſeu quarum Procuratores non comparuerunt, ſervare tenebuntur, & eis ligabuntur, per-inde ac ſi Procuratores aliarum Eccleſiarum non mittentium vel non comparentium conſenſiſſent cum aliis. Rataque & firma habebimus ea, quæ per eos concorditer fuerint ordinata: dum tamen ibidem omnes præſentes concordes fuerint. Aliàs tractata per eos, in quibus concordes non fuerint, nobis referre tenebuntur, pro aſſenſu noſtro, prout expediens nobis videbitur, apponendo, ſalvis tamen libertatibus, Conſuetudinibus, & Privilegiis ſingularum Eccleſiarum noſtrarum, quibus per hoc non intendiums derogare.

Et ſi contigerit aliquod de Capitulis noſtris duos ad minus de ſuis Canonicis, Silvanectenſe autem unum, non mittere, ſeu miſſos, aut ipſorum alterum non comparere dictis die & horâ & loco, impedimento ceſſante legitimo, Capitulum prædictum, excepto Silvanectenſi, decem librarum pœnam, Silvanectenſe autem centum ſolidorum pœnam, incurreret, infra menſem ſolvendam ad arbitrium præſentium, & in pios uſus convertendam. Proviſo, quod ſi aliquis mittendus fuerit in pluribus Eccleſiis Canonicus, non poterit niſi pro uno Capitulo, Procuratorem ſe fundare.

Et quod quæcumque tractata vel ordinata per Procuratores noſtros fuerint, ſecreta ſub juramenti vinculo tenebuntur, adeo quod non debebunt revelare niſi Capitulis & Conſiliariis nobis ſub juramento adſtrictis. Singuli etiam de noſtris Capitulis memoratis ea quæ per dictos Procuratores noſtros relata fuerint ſub ſecreto Capituli & in vi præſtitorum juramentorum Capitulis ſuis ſervare ſecreta tenebuntur.

In quorum omnium & ſingulorum teſtimonium, ut præmiſſa firma & inconcuſſa permaneant, præſentes Litteras fecimus ſigillorum noſtrorum principalium & perpetuorum munimine roborari.

Datum & actum apud dictam Villam S. Quintini, teriâ menſis Maii, anno 1310.

Conſimiles Litteræ ſervantur datæ anno 1395. menſe Octobris in eâdem Villâ S. Quintini, ſigillatæ duodecim Sigillis Capitulorum eorumdem. Louvet in Antiquitatibus Belvacenſibus cap. 8. de tali conventione harum Eccleſiarum mentionem facit, narratque Conventum fuiſſe generalem Capitulorum Cathedralium Provinciæ Remenſis in Monaſterio Fratrum Dominicanorum S. Quintini die 18. Maii anni 1397.

Hujuſmodi Confœderationes Capitulorum, pro Privilegiorum conſervatione, olim conſcribi ſolebant. Sic anno 1444. ſeptem Capitula Diœceſis Cameracenſis fœdus inierunt (Tomo II. horum Diplom. pag. 1263.)

A Remenſi Provincia poſtmodum anno 1560. exemptæ ſunt Cameracenſis, Tornacenſis & Atrebatenſis Eccleſiæ: ac prior quidem in Metropolitanam evecta: Morinenſis autem extincta.

CAPUT XCII.

Narratio Hiſtorica Fundationis utriuſque Carthuſiæ in Villa de Goſnay, *juxta Bethuniam in Artheſia, tam pro Religioſis quam Monialibus inchoatæ anno* 1320. *per* Theodericum Heriſſonium *Præpoſitum Aerienſem, deinde Atrebatenſem Epiſcopum; quam &* Machtildis, *Artheſiæ Comes, paulò poſt complevit.*

Raiſſius Belg. Chriſt. pag. 303. & Orig. Carthuſ. Belgii.

IN campeſtribus Arteſiæ, juxta Bethuniam Artheſiæ Opidum, arx quondam extitit, quam Theodoricus Heriſſonus patriâ Borbonius, tunc Aërienſis Præpoſitus, & poſtmodum Epiſcopus Atrebatenſis, anno Domini milleſimo trecenteſimo vigeſimo Machtildi Artheſiæ Comitiſſæ ac filiæ Roberti cognomine Illuſtris Artheſiæ ſecundi Comitis dono dedit. Hæc igitur in eadem arce domicilii ſedem dum aliquando fixiſſet, ut erat generoſa Princeps, & admodum pia, ſuam aulam iis conabatur inſtituere legibus & moribus, ut ad eam nulli diſſolutioni pateret acceſſus; ſatagens in primis ac ſingularem curam gerens, ut inter nobiles fœminas & aulicos ſuos omnimoda morum honeſtas & caſtitas inviolata ſervaretur, additis etiam graviſſimis pœnis & minis adverſus delinquentes.

Accidit autem, ut quædam è gynæceo dominarum, edictorum oblita, cum quo-

Digitized by Google

dam nobili per incontinentiam peccaret.

Quod ubi Macthildi innotuit, ea id ægerrime ferens, volenſque cæteris terrorem incutere, quo ſibi deinceps ab ſimili culpa melius caverent, permota zelo, ſeveritateque forte nimia, ſtatuit in aliorum exemplum id facinus ulciſci. Eos igitur qui hoc pacto fuiſſent in ſcelere, & vita conjuncti, nequaquam vel in morte ſeparandos eſſe judicans, effoſſa ſcrobe, in ipſius arcis viridario, jubet ambos in eam demitti, atque vivos ſimul humari.

Quod ut factum eſt, mox ibidem cœperunt ſpectra videri, quibus non ii tantum, qui in arce habitabant, verum etiam vicini omnes adeo terrebantur, ut nulla ratione in ipſo viridario ſubſiſtere auderent, aut obiter per illud tranſire: quam ob cauſſam, locum hunc vulgo *Vallem malorum Geniorum* appellitabant.

Inter hæc Comes Macthildis anxia, plurimumque ſollicita, quomodo poſſent hæc ſpectra diſpelli, auditis ſuper hac re variis tam ſæcularium quam Eccleſiaſticorum ſententiis, tandem ſuum etiam conſulens Cancellarium, quem ſupra diximus, Theodoricum Heriſſonum, audit ab eo nihil conſultius ad vendicandum locum ab infeſtationibus iſtis, quam ſi ibidem aliquod Monaſterium ædificaretur; commemorans fortaſſis id quod ante annos ſexaginta geſtum meminiſſe poterat in *Valle viridi*, ſuburbano Regum Franciæ palatio, ſed propter infeſtationem malorum ſpirituum ſimiliter deſerto, in quo, cum eò à S. Ludovico colonia Cartuſienſium Patrum fuiſſet introducta, ceſſaſſet omnis inquietatio.

Cum ergo propenſiori ſemper in Ordinem Cartuſianum animo fuiſſet, promiſit etiam, ſi ipſa præberet aſſenſum, ſe ſuis impenſis fundaturum atque conſtructurum inibi Cœnobium, quod mutato nomine, *Vallem Sancti Spiritus* nominaret. Quod cum placuiſſet Macthildi, brevi poſt tempore cœptum eſt Monaſterium ſumtibus ejuſdem Theodorici ædificari; qui volens inſuper eſſe proſpectum ne peregrinis & pauperibus excipiendis Monachi nimium gravarentur, curavit præterea Xenodochium non procul inde conſtrui, variiſque poſſeſſionibus dotavit, quod ſpatio trium quatuorve annorum perfecit.

Neque his contentus, Cœnobium quoque ejuſdem Ordinis Virginum in eodem vico conſtruere aggreſſus eſt (quod *Montem Beatæ Mariæ* voluit appellari) diſtans ab alia domo Monachorum uno teli jactu, ſeu ictu majuſculæ bombardæ: ſed morte præventus hoc ultimum perficere nequivit.

Interim notatu dignum fuit, quod ex eo tempore, quo cœpta eſt fundatio prædictæ Domus *Vallis Sancti Spiritus*, non fuerint deinceps illic viſi mali ſpiritus; cum tamen intra ſeptum majoris clauſtri viridarium ſit incluſum, ubi duorum iſtorum conſepultorum tumulus è marmore viſendus fuit, qui hoc ſuperiore ſæculo collapſus eſt, ſicut & arx ipſa, quam domeſtici Patres anno ſeſquimilleſimo decimo octavo ab Imperatore Carolo V. pretio emtam funditus everterunt, nullum ejus veſtigium relinquentes. 1518.

Cæterum Theodoricus utriuſque Cartuſiæ & Xenodochii triſmegiſtus Fundator, poſtea quam ad Atrebatenſem evectus eſt Epiſcopatum, & eundem ferè per annum rexiſſet, ex hac vita migravit anno M. C. C. C. XXVIII. die XX. Novembris atque in Goſnayenſis Cartuſia virili, uti teſtamento diſpoſuerat, ſepultus eſt in tumulo ante ſummam aram elevato.

Executricem verò Teſtamenti ſui conſtituerat Macthildem Comitiſſam, attributâ ei plenâ & abſolutâ poteſtate, non ſolum mutandi, minuendi, vel augendi quæcunque legaſſet, verum etiam diſponendi de reliquis bonis, prout ipſa judicaret expedire. Cujus Clauſulæ & auctoritatis vigore mox ipſa tam ex propriis quam & illius Cartuſiæ, atque inſuper Xenodochii dotem non parum auxit, juſſitque inchoatam ædificationem Partheniæ Carthuſiæ Virginum continuari.

Inter hæc & ipſa anno Domini M. C. C. C. XXIX. vivis excedens, opus reliquit imperfectum. *Sepulta Pontiſſariæ in Gallia. Teſtamentum lege ſupra pag.* 267.

Erravit Locrius in Chronico Belgico ad annum 1379. dicens à Margaretâ quondam Artheſiæ Comitiſſa fundatam: hæc enim non Fundatrix ſed benefactrix tantum fuit; nec Domûs hujus tantum, ſed & alterius quoque Cartuſiæ: Monialibus enim feudum *de Caumont* nec non *Ballin* in villa *d'Aubin*, aliaque beneficia ſumma liberalitate contulit.

Alteri verò Domui annuum lignorum proventum, & ſylvam cæduam, quę ad Sti. Amandi in centum quadraginta jugerum amplitudinem ſe extendit, eodem Locrio teſte.

Quibus & Iſabella Luſitana Ducissa Burgundiæ & Brabantiæ, Caroli, Audacis mater, multa adjecit beneficia, atque poſt obitum ſuum ibidem in odeio Eccleſiæ ſub inſigni cenotaphio primò ſepulta, ſed pauliò poſt Divionem tranſlata fuit, ut cum marito ſuo Philippo Bono commune haberet ſepulchrum.

Porro in toto Ordine Carthuniano non ſuperſunt hodie niſi quinque Monaſteria ſanctimonialium: quorum duo in Belgio, *Goſnayenſe*, Diœceſis Atrebatenſis, de quo hoc loco, & *Domus S. Annæ Brugis*, de quâ infra ad ann. 1348.

Tria reliqua Monaſteria ſunt in Gallia: *Prati-Mollis*, Diœc. Gratianop. *Melani*, Diœc. Gebenn. & *Saletta* ſive *Aula B. M.* Diœc. Vienn.

CAPUT XCIII.

Acta oſtenſionis & verificationis Corporis Beati Audomari anno 1324 in Eccleſia Collegiata ſub invocatione ejuſdem Sancti, per Decanum & Capitulum Audomarenſe. In quibus ſimul recenſentur duæ præcedentes Verificationes anno 1052. & 1269.

Ex Motivo Juris Capituli Cathed. Audom.

UNiverſis Chriſti fidelibus & devotis, Gilbertus de ſancta Aldegonde, Decanus, totumque Capitulum Eccleſiæ ſancti Audomari Morinenſis Diœceſis.

1324. Nuper dum.... anno Incarnationis Dominicæ milleſimo trecenteſimo viceſimo quarto, quinta-decima die menſis Septembris... ad noſtrum perveniſſet auditum, quod religioſus vir Dominus Henricus permiſſione divinâ Abbas ſancti Bertini... prædicabat, quod ipſe cum ſuis Monachis venerandum corpus ſancti Audomari in quodam dicti Monaſterii feretro invenerat, quodque corpus & oſſa.... intendebat Dominico die ſequenti velut verum ipſius Sancti corpus figmentis variis exquiſitis in deceptionem populi publicè & ſolemniter in Eccleſia ſancti Bertini prædicta cum proceſſione & aliis ſolemnitatibus pontificaliter quantum in ſe erat & poterat per ſe & alios, indebitè & de facto publice venerari, ad comprobationem tanti negotii unam dumtaxat nudam & privatam Cedulam abſque aliis indiciis pretendendo.

Nos... nolentes quod tantus error pullularet in populo, eodem die Dominico horâ Primę, cum Majoribus & Scabinis Villæ ſancti Audomari & aliis prudentibus Religioſis Viris, qui nobiſcum convenerant, & errorem hujuſmodi abhorrebant, communicato conſilio, ad Baſilicam in qua Corpus ipſum in noſtra Eccleſia in quodam magno & honorabili feretro requieſcit, acceſſimus, cum magna reverentia timore pariter & honore. Et ut obviaremus errori, quem dictus Abbas in populo ſeminaverat, ut ipſum populum retraheret ab antiqua & ſolita devotione, quam idem populus erga dictum Sanctum & Eccleſiam noſtram in cujus nomine ipſa Eccleſia conſecrata eſt, conſuevit habere;

Præfatum feretrum, quod ſanum & in præſentia infra-ſcriptorum Majorum & Scabinorum Villæ ſancti Audomari & multitudinis populi adſtantis ibidem cum infraſcriptis Eccleſiæ Concanonicis noſtris, Religioſis & Tabellionibus publicis quos tunc habere potuimus propter temporis brevitatem, protractis canticis noſtræ Eccleſiæ, & alta voce laudes ipſius Corporis ſancti cantantes, in Dei & ipſis Sancti nomine aperiri fecimus reverenter.

Et dum poſt aperturam hujuſmodi noſtrum intra dictum feretrum verteremus intuitum, reſpicientes unam Caſſam ibidem exiſtere in quodam panno ſerico viridi involutam, præcinctam geminâ ligaturâ ſigillatamque deſuper Sigillis magno & rotundo Villæ & Communitatis Villæ ſancti Audomari, quod Sigillum dicti Scabini publice cognoverunt, Dominique Adenulphi quondam noſtri Præpoſiti noſtriſque & Eccleſiæ noſtræ in hujuſmodi ligaturis....

Solutis hujuſmodi ligamentis cum integritate ſigillorum repertorum, ibidem alium album pannum invenimus conſeratum, & poſt ipſum, Caſſam ipſam circulis ferreis groſſis & fortibus adeo conclavatam, quæ ſine circulorum declavatione aperiri non poterat, nec intra videri. Propter quod de certis locis circulorum hujuſmodi, minus tamen quam potuimus, clavos evulſimus, & aperta Caſſâ prædictâ invenimus Corpus ipſum quodam nobili panno ſerico rubeo involutum & ad modum infaſciati pueri pluribus ſigillis autenticis, una cum Sigillo Communitatis Villæ ſancti Audomari in pluribus ligaturis fideliter ſigillatis, & duo paria Litterarum Autenticarum, quæ de præſentia ipſius Corporis ſanctiſſimi fidele Teſtimonium perhibebant: quarum tenores de verbo ad verbum inferius annotantur.

Quas etiam dicto populo legi & publicari fecimus, & eaſdem exponi in Idiomatibus Gallico & Flamingo, tam infra chorum dictæ Eccleſiæ quam ſuper doſſale: quæ omnia ſicut præmittitur fideliter ſigillata univerſo populo oſtendimus & oſtendi fecimus....

Ipſum ſanctiſſimum Corpus ad Altare majus cum veneratione reportavimus, & ipſum in dicta Caſſa reponentes eandem reclavavimus, dictis duobus pannis revolvimus, & impoſuimus feretro magno unde ablata fuerat.

Ipſumque Feretrum recluſimus, & ſuper ipſum Altare, ſigillatum Sigillis quatuor, videlicet Sigillo Decani noſtri ac ſigillis Dominorum Jacobi & Baldewini de Divernia fratrum, & Johannis dicti Bon-enfant, Majoris, & Juratorum tunc Villæ Sancti-Audomari ex certa ſcientia dimiſimus, ad certificandum tam

prędictum Dominum Abbatem quam Conventum ſancti Bertini, ſeu alios quoſcumque, qui ſuper hoc poſſent aliquatenus heſitare.

Cœterum die craſtinâ adveniente accerſitis dictis honorabilibus Viris Majoribus & Scabinis, Conſilioque eorumdem, nobiſcum in dicto Capitulo noſtro congregatis, habito cum iiſdem diligenti tractatu quid ſuper facto prædicto nobis reſtaret agendum, deliberatum eſt inter nos & ipſos unanimiter, ut Nos & ipſi ſimul dictos Abbatem & Conventum prędictos adiremus, cauſâ monendi caritativè ipſum Abbatem.

Hæc autem Requiſitio ſeu monitio facta fuit dictâ die tunc ſeptima decima menſis Septembris, præſentibus Religioſis viris....

Adveniente vero die Martis immediatè ſequenti videlicet octava decima dicti menſis Septembris, Nobis Decano & Capitulo, una cum Majoribus, Scabinis ac Conſilio Villæ prædictæ in Capitulo noſtro congregatis, præſente eminentis autoritatis ac circumſpectæ diſcretionis Domino, Reverendo Domino Ferrico de Hiricione Arienſis Eccleſiæ venerabili Præpoſito;

Alias Theod. de Heriſſon, dein Epiſc. Attrebat.

Qui ſuper præmiſſa prout geſta fuerant fideliter informatus, Eccleſiæ noſtræ, ac toti Villæ ſancti Audomari in hoc piè compatiens, ad dictum Capitulum noſtrum acceſſit & ibidem omnia & ſingula prout facta fuerant prudentius repetiit, condolendo;

Inducens & ſuadens ut ad majorem rei evidentiam & totius populi certitudinem pleniorem, ipſum ſanctiſſimum Corpus glorioſiſſimi Patroni noſtri iteratò palam oſtenderetur populo & reponeretur in locum unde prius fuerat ablatum; cum ſecurum non eſſet Theſaurum tam pretioſum & venerabile, quod jam tamdiu ſuper dictum Altare remanſerat, in loco diutius dimittere minus tuto.

Demum ipſius venerabilis Domini Præpoſiti prudentiore freti conſilio, ad dictum feretrum una cum ipſo ac Majoribus & Scabinis prædictis, cum timore ac reverentia quibus decuit accedentes, vocatis ad hoc Tabellionibus & pluribus aliis fide dignis, reperientes dicta quatuor Sigilla ſana & integra, eadem amovimus, dictum feretrum aperuimus; & Caſſam interius repertam extraximus, pannos circumvolutos amovimus, ipſamque declavavimus & aperuimus.

Et ipſâ apertâ in eadem Corpus ſanctiſſimum ſigillis prædictis autenticis ſigillatum, unà cum Litteris prædictis invenimus ut prius, ipſumque ſanctiſſimum Corpus infaciatum ut præmiſſum eſt populo infra chorum ante altare & demum ſuper doſſale populo extra chorum exeunti oſtendimus, cum dictis Sigillis autenticis intuendum; dictas Litteras ſuper dictum ſanctiſſimum Corpus repertas, omnibus ibidem præſentibus vulgariter exponendo.

Quâ oſtenſione per dictum Dominum Præpoſitum Arienſem, & Nos, ut prędmittitur factâ, ipſum ſanctiſſimum Corpus ad Altare reportavimus cum hymnis & canticis, & recluſimus in Caſſa prædicta:

Ipſamque involvimus pannis prædictis, Sigilla Prępoſiti Adenulphi, Thomæ Decani quondam Eccleſiæ noſtræ, ac Communitatis Villæ ſancti Audomari antiqua prout inventa fuerant reponentes; & ipſam Caſſam involutam & ligatam fecimus Sigillis Domini Præpoſiti Arienſis, Decani noſtri.... in præmiſſorum Teſtimonium ſigillari, & ſic ſigillatam in magno feretro deaurato recludi & firmiter reclavari. Ipſumque feretrum cum devotione maxima reportavimus, & in altum in eodem loco reponi fecimus, unde ſublatum fuerat die Dominica præcedenti.

Acta ſunt hæc diebus quibus ..... præſentibus perſonis prænominatis & aliis quam pluribus, in Teſtimonium vocatis ſpecialiter & rogatis.

In quorum omnium & ſingulorum Teſtimonium prætens Inſtrumentum fieri fecimus & Sigillis Eccleſiæ noſtræ, unà cum Sigillis perſonarum autenticarum, quarum nomina inferius in caudis ſigillorum ſuorum continentur, & ſignis Notariorum infraſcriptorum, mandavimus appenſione muniri.

Tenores autem Litterarum repertarum in Caſſa in qua venerandum Corpus ſancti Audomari requieſcit, de quibus ſupra fit mentio, ſecuntur in hæc verba.

Viſitatio prima, anno 1052.

Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quinquageſimo ſecundo Indictione quinta, Regis autem Henrici XXIII. Principante Flandriis Comite Baldewino, Wido Remenſis Archiepiſcopus, Sithiu adiens cauſâ levandi ſanctum Bertinum, oſtendit quoque populo Sanctum Audomarum; nam invento corpore ſancti Bertini Abbatis, fama plus (proh dolor) falſi quam veri nuncia circumquaque diſſeminavit Corpus quod pro ſancto Bertino prius in feretro celebrabatur fuiſſe ſanctum Audomarum. Quam rem Canonici indignè ferentes, utpote quos animabant certiſſima indicia corporalis pręſentiæ ipſius Sancti (ceu poteſt in vita ejuſdem ſanctique Folquini apertiſſime videri) miracula etiam ad eandem rem pertinentia, prædictum Archipræſulem adierunt, ſupplicantes ut hunc errorem populi deſtrueret. Quod & fecit, juxta petitionem oſtendendo ut prædictum eſt, ipſius Sancti Corpus populo, aliaque ad certitudinem rei pertinentia manifeſtando, die quinta Nonarum Maii.

Actum Monaſterio Sithiu, quod eſt conſecratum in honore Dei Genitricis Mariæ, ſanctique Audomari, tempore Balduini Præpoſiti, jubente Comite Baldewino, & adſtante uxore ejus Adela, præſente & confirmante Domino Epiſcopo Drogone cum Archidiacono ſuo Johanne, etiam Abbate

Digitized by Google

ſancti Remigii Hermaro, ſimiliter Abbate ſancti Bertini Bovone cum ſuis Monachis, qui hoc negocium moleſtè ferebant, Abbate etiam ſancti Ricarii Gerwino, ſimiliter....

Notum ſit etiam omnibus, hoc geſtum eſſe quinto anno Domini Leonis Papæ. Sigillatum eſt autem Corpus beati Audomari Annulo Capellæ Remenſis Eccleſiæ,& Sigillo Domini Pontificis Drogonis.

Viſitatio ſecunda.

Item notum ſit omnibus tam præſentibus quam futuris,quod Nos Adenulphus divinâ permiſſione Præpoſitus, Thomas Decanus, totumque Capitulum Eccleſiæ ſancti Audomari Morinenſis Dioceſis, frequentibus clamoribus & precibus Cleri & populi Villę ſancti Audomari ac locorum vicinorum excitati, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo nono in vigilia Exaltationis ſanctæ Crucis, cum magna reverentia timore pariter & honore, licet indigni, divina tamen miſericordia confidentes, ad Baſilicam in qua Corpus beati Audomari Patroni noſtri in Eccleſia noſtra requieſcit accedentes; 1269.

Invenienteſque in eadem Corpus ejus integrum abſque perditione alicujus membri, caput ſupradicti Patroni noſtri à dicta Baſilica amovimus, totum reſiduum corpus in eadem Baſilica cum magna honorificentia, cum Litteris Guidonis Remenſis Archiepiſcopi ac Sigillis & ſcripturis quæ ibidem invenimus fideliter reponentes, ac Sigillis Capituli noſtri & Communitatis Villæ ſancti Audomari ſigillantes.

Ad perpetuam autem rei geſtæ memoriam præſentes Litteras Sigillis noſtris, videlicet noſtri Adenulphi Præpoſiti, Thomæ Decani, Simonis Cantoris.... unà cum Sigillo Scabinorum & Communitatis Villæ ſancti Audomari fecimus roborari.

Ad hoc autem faciendum fuerunt præſentes Majores & Scabini Villæ ſancti Audomari, videlicet Johannes de Sancta Aldegunde, Johannes de Divernia, Majores tunc temporis : Johannes Alberti... & alii Scabini ejuſdem temporis.

Fuit etiam præſens Nobilis Vir Dominus Guillielmus de Proviniaco Miles Illuſtris Viri Domini Roberti Dei gratiâ Comitis Atrebatenſis, una cum Ballivo ſancti Audomari. Interfuit prætereà Venerabilis Vir Guilielmus de Oya Abbas ſancti Bertini,qui unà cum prædictis has Litteras Sigillo proprio ſigillavit.

Datum anno & die prædictis, regnante Ludovico Rege Francorum illuſtri, dominante in Villa ſancti Audomari Roberto Comite Atrebatenſi, nepote dicti Regis, vacante Sede Apoſtolicâ ac etiam Morinenſi.

Et ego Guilielmus de Claromonte publicus Imperiali autoritate Notarius præmiſſis omnibus..... Et ego Nicolaus de Eſquerdes de ſancto Audomaro, Morinenſis Dioceſis publicus Imperiali auctoritate... Et ego Gofridus de Pernis,Clericus Morinenſis Dioceſis, publicus &c.

Teſtimonium MACHTILDIS *Comitis Artheſiæ, quæ Viſitationi Reliquiarum* S. Audomari *anno* 1324. *interfuit.*

NOus Mehault Comteſſe d'Artois & de Bourgoigne Palatine, & Dame de Salins, faiſons ſçavoir à teus ceulx qui ces preſentes Lettres verront & oiront, que Nous, par la grande devotion que nous avons au Corps ſaint de Monſieur ſaint Omer, veniſmes en l'Egliſe dudit Saint le quatorziéme jour du mois d'Octembre l'an de grace mil IIIc. vingt-quatre, pour ce que ſi comme nous avions entendu grant multitude de peuple, tant de notre ville de ſaint Omer, comme des lieux voiſins, s'étoient là aſſemblé pour veoir le Corps dudit Saint, qui li Chanoine de ladite Egliſe debvoient monſtrer au pœuple.

Et là en la preſence de Nous & du peuple qui là étoit aſſemblé fu apporté ſur le grand Autier de ladite Egliſe par les Chanoines de cayens, & le Meyeur & aulcuns des Echevins de notre dite ville de ſaint Omer, une Chaſſe en quoi li dit Chanoine diſoient que li Corps dudit Saint étoit, & en notre préſence & en la préſence de ceulx qui en tour étoient qui ſe pooient veoir, fu ladite Chaſſe ouverte. Et de ladite Chaſſe fu trais uns eſcrins de bois ferés de bande de fer, & ledit eſcrinet ouvert, nous & tous ly peuples d'entour viſmes dedens ledit eſcraing geſir ledit Corps Saint, envelopé de drap de ſoye, & loyé en pluſieurs lieux de loyens de drap de ſoye & de fil. Et étoient chil loyen ſcellé ſi comme il nous apparut des ſceaulx de l'Archevêque de Rheims Guyon,qui adonc étoit,dou ſcelle de la Chapelle de Rhains,dou ſcelle l'Evêque de Theroenne Drewe, & dou ſcelle de la Communauté de la ville de ſaint Omer.

La verité de laquelle choſe nous apparut, par deux paires de Lettres,qui en notre préſence, & en la preſence dudit peuple furent traites & miſes hors dudit eſcraing, dont l'une deſdites Lettres étoient ſcellées, ſi comme il étoit contenu, dou ſcelle de la Chapelle de Rhains, & contenoient ladite Lettre en ſubſtance : comment li dis Archevêque de Rains Guys vint à la ville de ſaint Omer, qui adonc étoit appellé Sithieu, pour lever le Corps ſaint Bertin, & montra adonc le benoit Corps de ſaint Omer en ladite Egliſe de ſaint Omer, au peuple, préſent adonc le Comte Bauduin de Flandre & Dame Adele ſa femme, l'Evêque de Therouenne Drewe, l'Abbé Beuve de ſaint Bertin, & pluſieurs aultres Abbés. Et l'autre Lettre étoit ſcellée de pluſieurs ſceaulx, c'eſt à ſçavoir de Adenonſie adonc Prévôt de ſaint Omer, Thomas Doyen de ladite Egliſe, Simon Chantre & d'aultres pluſieurs Chanoines de ladite Egliſe, avec le ſcellé du Mayeur, des Eſche-

vins & de la Communaulté de notre-dite ville de S. Omer, & avec le ſcelle de Willame de de Prunay Chevalier Lieutenant adonc de Monſieur Robert de bonne memoire, Comte d'Artois notre tres chier Seigneur & Pere que Dieu abſolve, & avec le ſcelle des Religieux hommes Willame dit de Oye, adonc Abbé de ſaint Bertin. Et étoit contenu en ladite Lettre, comment ledit Prévôt Adenouſles, Thomas Doyen & ly Chapitres de ladite Egliſe de Saint Omer en l'an de grace mil deux cent ſoixante neuf, la Vigele de le Exaltation de ſainte Croix, appellé Mayeur & Eſchevins de notredite ville de Saint Omer, ledit Willame Abbé de ſaint Bertin, & grant plente d'autres bonnes gens allerent à la Fierte dou benoiſt Corps ſaint Omer, là trouverent entierement ſans défaut de nulle membre & en oterent le Chief pour mettre en or & en argent pour l'honneur & la reverence dudit Corps Saint. Auſquelles Lettres & témoignage nous ajoutons plainne foy; & pour ce Nous & tous ly peuples qui là étoit aſſemblé, aouraſmes ledis Corps Saint à grant dévotion & à grant réverence, ainſi comme il appartenoit. Et pour ce que ou temps advenir eſclandres ou erreurs ne puiſt de ce naitre ou peuple, Nous avons ce Lettres ſcellées de notre Scelle, voulu & commandé à mettre & étre gardées pordevant ledit Corps Saint, en témoignage de verité des choſes deſſuſdites. Donné l'an & le jour deſſuſdit.

CAPUT XCIV.

Abbatia de Rooſendael *Monialium Ordinis Ciſtercienſis juxta Mechliniam, acquirit partem Decimarum Parochiæ* de Rethy *in Campinia, emptione-venditione* GERARDI A BERTHOUT *Domini de Duffel & Rethy, anno* 1324.

Accepi ab Amp. D. Van Gaſtel Brabant. Conſiliar.

En allen de ghene die deſe Letteren ſullen ſien ofte hooren leſen, Wy GEERAERT VAN DUFFELE *Heere van Rethy, ende Jouff.* MARGRIETE *ſyn wyff, ontbieden ende groeten met kenniſſe der waerheyt. Wy doen uw te verſtaene, dat wy quaemen ende comen zyn voor Hendrick Berthout Heere van Duffel ende van Geele,* Familia Bertholdica. *onſen lieven Broeder en onſen Heere, ende voor ſyne Mannen: dats te verſtaene Diederick die men hiet den Hollandere, ende Andrieſe Mannekene, ende bekenden daer ende noch bekennen, dat wy wel ende wettelyck hebben vercoght Geeſtelycken lieden, den goeden lieden ende den Godtshuyſe van Rooſendael by Waelhem, onſe gedeel van der Thienden, dier gelegen is tot Rethy, ende in den bevanghe van Rethy. Van welcke Thiende die goede lieden ende Godtsbuys hebben ter ſelver Stadt dat wedergedeel, met allen dyer datter toebehoort, ende in allen maniere dat die Thiende ons ofte onſe gehoert toe mochte hooren, ende met allen dyen, dat die Thiende betéren ende meeten megbe, alſoo wirf als ſy huer ſtreckt, in Heyden, Bempden, in Boſſchen, in Velden, in Waetere, in hoogen, in nederen, in natte, in droogh, om eene ſomme van penningen.*

Welcke ſomme ons is van goede lieden ende den Godtshuyſe voorgenoempt wel ende wettelyck vergoeden, ende daer wy hun nimmermeer en ſullen afmaenen, noch ave doen manen. Welcke gedeel van Thiende met allen dyen datter toebehoort die hebben wy, met manifſen Hendrick van Duffel ons lieves Broeder, ende ons Heere, ende met wyſdomme s'Heere mannen, alſoo als ſy hier boven beſchreven zyn, opgedraegen in ſyne handen, ende daer op verthegen met Halme alle dies recht, dat wy aen die Thiende hadden ofte hebben mochten, ende al diegelycke Jonckvrouwe Margriet met Momboire dis haer gelevert was, met manifſen Hendrick voorgenoempt, ende met wyſdomme s'Heere-mannen; welcke Momboir geheeten was Aert van Werchter, haer Duwarien heeft afgegaen, alſoe wire alſe daer Thiende hoorende was tot heure Duwarien, ter goeder lieden ende Godtshuys behoef van Rooſendael voorgenoemt, dat wy houdende waeren te leeve van onſen lieven Broeder ende Heere. Welcke gedeelte van Thiende dis voorgemoemde Hendrick met manifſe ende wyſdomme ſiene Schepenen van Gheele: dat is te verſtaene Gilis van Peederlé, Willems van Hoewene, Willems van den Rode, ende Hendericus van Guuſevenne heeft vereervet, ende daer inne geërvet, camerloos ende ſonder eenigen commer, die goede Lieden van't Godthuys van Rooſendael met volcomen wyſdomme, op eenen erffelycken penninck s'jaers te eeuwige te geven, altoos in ſinte Thomas daeghe voor Kerſavont.

Voerts hebben wy geloeft voor den voorgenoemden Henriecke onſen lieven Broeder, ende wylen Heere ende voor ſinne Mannen waerſchap te doene jaer ende dagh den goeden lieden ende Godtsbuyſe van Rooſendael.

Ende emme dat wy Geeraert ende Jouff. Margarita voorghenoempt willen ende begeiren, dat deſe voorwaerde, alſoo als ſy hier boven is beſchreven, eeuwelyck blyve vaſt ende geſtaede, ſoo hebben wy Geeraert ende Jonckvrouwe Margriete voorgenoempt deſe Letteren beſegelt met onſen Segelen, ende bidden omme die meerdere ſekerheyt Henricke Heere van Duffele ende van Gheele onſen lieven Broedere ende onſen Heere ende eue Edelman, ende ons Maghteyhe, onſen Heere myn Heere Florence Berthout Heere van Mechelen, dat ſy haere Segelen aen deſe Letteren hanghen. Ende Wy Henrick

Bertholdi Mechlin.

rick Heere ſvan Duffele ende van Gheele als Heere, ende Florens Berthout Heere van Mechelen als Over-Heere van deſe Thienden, op de beden Geeraerts ende Jonkvrouwen Margrieten hebben wy onſe Segele ock aencgehangen, in kenniſſen der waerheyt. Dit was gedaen in't
1324. *jaer ons Heeren, al'men ſchreef duyſent dry hondert ende vier en twintigh, s'maendaeghs in die Paeſchdagen.*

GUILIELMUS *Hollandiæ Comes, Romanorum Rex, Privilegia Abbatiæ* Vallis-Roſarum *juxta Mechliniam confirmat anno* 1248.

Ex Archivis Cameræ Rationum Bruxellenſ.

WILLELMUS Dei gratiâ Romanorum Rex & ſemper Auguſtus, univerſis Imperii fidelibus, ad quos præſentes Litteræ pervenient, gratiam ſuam & omne bonum.

Qui hujus ſœculi vanitatibus abdicatis proponunt firmiter, prout eis deſuper datum fuerit, in ſanctæ converſationis profeſſione ducere dies ſuos, non ſunt pravorum hominum impugnandi moleſtiis, ſed dignis pocius bonorum favoribus conſovendi: proficiunt enim ſibi per vitæ meritum, & aliis per exemplum.

Sane ad notitiam univerſorum cupientes pervenire, quod Nos dilectarum Abbatiſſæ & Conventûs Sanctimonialium in *Roſental*, Ciſtercienſis Ordinis, precibus grato concurrentes aſſenſu, ex Serenitatis noſtræ gratiâ ſpeciali duximus ſtatuendum, quod omnia bona quæ juſtis modis in Imperio potuerunt hactenus adipiſci, de quibuſcumque Donationibus tranſierunt ad manus ipſarum, titulo proprietatis perpetuo pacificè poſſideant & quietè. Conceſſum hujuſmodi ex Celſitudinis noſtræ clementia confirmantes & Sigilli noſtri munimine roborantes.

Nulli ergo fidelium noſtrorum liceat hanc noſtræ appropriationis ſeu confirmationis Paginam infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis vero contra id quippiam attentare præſumpſerit, noverit ſe indignationem Regiam incurriſſe & à noſtra gratia alienum.

Datum in caſtris apud Aquis XV. Kalendas Septembris, Indictione quintâ, anno Domini milleſimo ducenteſimo XL. octavo.

CAPUT XCV.

Abbas Generalis Ciſtercienſis confirmat fundationes JOANNÆ DE BRITANNIA, *conjugis* ROBERTI DE FLANDRIA *D. de Caſleto, in favorem Monaſterii* Portûs Regii, *Monialium Ordinis Ciſtercienſis juxta Pariſios, anno* 1333.

Ex Authographo exiſtente in Archivis Cameræ Computuum Inſulis Flandr.

OMnibus hæc viſuris, Frater G. permiſſione divinâ humilis Abbas Ciſtercienſis, ſalutem in Domino. Cum Nobilis & potens Domina JOHANNA primo-genita bonæ memoriæ incliti Principis Arturi Ducis condam Britaniæ, Domina de Caſſello, inſpirante Deo, ducentas libras Turonenſes fortis monetæ de ſuo proprio convertendas in emptionem perpetui redditus ordinaſſet; propoſuiſſetque dictum redditum de dicta pecunia comparatum concedere & dare perpetuò Monaſterio de Portu Regio, noſtri Ordinis, Pariſienſis Dioceſis, pro celebrando ibidem pro ea quamdiu vitam duceret in humanis, ſingulis hebdomadis duas Miſſas, unam videlicet de ſancto Spiritu, & aliam de Beata Virgine Maria, & ſemel in anno, videlicet in die Aſſumptionis B. Mariæ unam ſolempnem de B. Virgine Maria, & poſt ejus obitum duas ſingulis hebdomadis, & Solempnem diebus ſuorum Obitûs & Anniverſarii *de Requiem* pro defunctis.

Port-Roial.

Et dicta Domina poſt-modum, expoſitis ſibi neceſſitatibus & debitis, quibus dictum ſubjacet ad præſens Monaſterium, pietatis intuitu conceſſerit Religioſis Filiabus noſtris Abbatiſſæ & Conventui dicti loci, dictam pecuniam, in utilitatem dicti Monaſterii, exhonerationemque urgentium debitorum ipſius convertendam tradere;

Dum tamen tutè & debitè pro valore dictæ ſummæ fiat ſuper aliquo loco dicti Monaſterii, de aſſenſu & Auctoritate noſtra, certi perpetui redditûs ſituatio, ob cauſam prædictam & ad memoriam prædictorum, obligentque dictæ Religioſæ ſe & ſibi ſucceſſuras, & omnia bona ſui Monaſterii præſentia & futura, & de aſſenſu & autoritate noſtris, & aliàs cautiùs quam fieri poterit, ad prædicta, & ad prædictum ſervitium fideliter fieri faciendum ſine fraude.

Status Monaſt. Portûs Regii.

Hinc eſt, quod Nos, ad Supplicationem & Requeſtam ipſarum Abbatiſſæ & Conventûs, debitis urgentibus & aliis neceſſitatibus quam-plurimis dicti ſui Monaſterii attentis, de quibus per-ipſas juramento & aliàs debitè, & de quibuſdam oculatâ fide Nobis extitit facta fides, eiſdem Abbatiſſæ & Conventui, aſſenſum, licentiam & Auctoritatem, recipiendi dictam pecuniam, faciendique dictas aſſignationem & ſituationem, & ineundi & contrahendi obligationem præfatam cautiùs quam fieri

Digitized by Google

poterit, ad utilitatem & ſecuritatem prædictæ Dominę, tenore præſentium impartimur, ipſas receptionem, ſituationem, aſſignationem & obligationem, ex nunc & ex tunc approbantes & confirmantes, & poſſe fieri decernentes. Promittentes eaſdem firmas ratas & gratas Nos & Succeſſores noſtros perpetuo habituros; & quod eas, cum effectum ſortitæ fuerint, confirmabimus, ſi fuerimus requiſiti.

In cujus rei teſtimonium, Sigillum noſtrum præſentibus Litteris duximus apponendum. Datum anno Domini milleſimo C. C. C. trigeſimo tertio, penultimâ die menſis Julii.

PORT-ROIAL, latinè *Porregium*, ſive *Portus Regis*, famoſa eſt Abbatia Monialium Ciſtercienſium, hodie ſubſiſtens Pariſiis in ſuburbio Jacobæo. Fundata olim anno 1204. ſex à Lutetia leucis, in loco dicto *de Chevreuſe*. Multiplicatis Monialibus, & ſubintroductâ ſtrictiore obſervantiâ, deviſus fuit Conventus anno 1648, ut eſſet *Portus Regius Pariſienſis*, ac *Portus Regius Campenſis*. Hic fuit plurium celebriorum Janſeniſtarum famoſum receptaculum, ideoque authoritate Clementis XI. Papæ, Ludovici XIV. Regis, nec non Cardinalis Noaillii Pariſienſis Archiepiſcopi, ſuppreſſus fuit anno 1708 Abbatialis titulus Portûs Regii Campenſis; Eccleſia cum omnibus prorſus ædificiis ſolo adæquata; bona unita Portui Regio Pariſienſi. &c.

CAPUT XCVI.

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſulis.

Fundatio Anniverſarii ROBERTI DE FLANDRIA, *Domini* de Caſleto, *ejuſque conjugis* JOANNÆ DE BRITANNIA, *in Abbatia* Warneſtonii, *Canonicorum Regularium Diœceſis Iprenſis, ab Abbate & Religioſis anno* 1333. *acceptatur.*

* *Petrus de Aſſineda. Galliæ Chriſtianæ T. V.*

UNiverſis præſentes Litteras inſpecturis; Frater * Petrus humilis Abbas Monaſterii de Warneton totuſque ejuſdem loci Conventus ſalutem in Domino ſempiternam.

Cum bonæ memoriæ cariſſimus Dominus noſter Dominus ROBERTUS DE FLANDRIA Dominus quondam de Caſleto Nobis & noſtro Monaſterio in ſuo Teſtamento ſeu ultimâ voluntate ordinaſſet & legaſſet ducentas libras in emptionem redditus annui, modis quibuſdam dictis Ordinationi & Legato adjectis, pro nobis & noſtro Monaſterio collocandas; Kariſſimaque Domina noſtra D. JOHANNA DE BRITANIA Domina de Caſleto, dicti Domini noſtri Relicta nobis hæc devotè penſatâ utilitate Monaſterii noſtri ſupplicantibus aſſignaverit, & tradiderit in ſolutionem dictæ ſummæ ſexdecim libratas annui redditus, groſſo Turonenſi computato pro XII. denariis, perpetuò & liberè poſſidendas & tenendas. Quas ſibi faciebat & reddebat & in omnibus tenebatur eidem Johannes dictus Poitevin filius Reginaldi, ſuper quibuſdam terris, pratis, & nemoribus & juribus & pertinentiis earum, ſitarum in Parochiâ de Kemble; quarum orientale latus contiguum eſt terris Jacobi dicti Loyſeux & Catherinæ dictæ Paulin. Latus verſus Franciam terris Johannis Wouſſin, Chriſtianæ dele-Riſpoet & Nicolai du-Bineel. Latus verſus mare terris Lamberti dicti Stoutinq, Gualteri de Sterpenberghe & Chriſtianæ dictæ Blug. Aliud vero latus terris Nichaſii Louviny & Guillelmi Damen. De quibus condam fuit Homo de Caſtello de Warneton Domiſſella Marguarita de Dranoultre dicta Poithevin.

Kemmele, Diœceſ. Iprenſ.

Inſuper & XL. ſolidos annui redditus quos etiam faciebat & reddebat eidem Dominæ noſtræ dictus Johannes Poitevin ſuper dicto feudo (quos tamen à nobis poteſt ſi velit idem Johannes redimere infra biennium pro viginti libris dictæ monetę.) Dictoſque redditum & aſſignationem ejus in ſolutionem dictarum ducentarum librarum, penſatâ utilitate noſtrâ & Monaſterii noſtri, ſuſcepimus & acceptavimus grataner; quittantes penitus dictam Dominam noſtram, ſuos, dictique Domini noſtri hæredes & Executores dicti ſui Teſtamenti, de dicto Legato & omnibus aliis.

Noverint univerſi quod nos attentis & conſideratis hujuſmodi Legatis & perplurimis inter vivos & aliis nobis & dicto Monaſterio noſtro à dicto Domino noſtro collatis beneficiis, tenoreque Teſtamenti prædicti, ad perpetuam à nobis & ſucceſſoribus noſtris tantorum Beneficiorum habendum memoriam, dignum decrevimus & ordinavimus in Capitulo noſtro, de communi omnium noſtrorum & ſingulorum conſenſu, ob hoc convocatorum campanâ pulſatâ ut decet & moris eſt, horâ conſuetâ & debitâ, Anniverſarium dicti Domini noſtri ſingulis annis die ſui Obitûs, cum quantâ ſolemnitate decebit.

Nec non per ſingulos noſtrorum, dierum ſingularum hebdomadarum unam Miſſam *de Requiem* in noſtro Monaſterio per

Digitized by Google

Nos & Succeſſores noſtros ad remedium & ſalutem animę dicti Domini noſtri perpetuis temporibus celebrandas, acceptationem, quittationem, & ordinationem noſtram prædictas, pro nobis & Succeſſoribus noſtris fide & juramento ac etiam ſub Voto Religionis & Profeſſionis noſtræ promittimus ſine fraude vel defectu perpetuò per nos & Succeſſores noſtros teneri, fieri & compleri;

Ipſiſque, ut nihil ſolempnitati deficiat, & ad pleniorem ſecuritatem dictorum Dominæ noſtræ Heredum & Executorum, & ut Nos & noſtri Succeſſores, ſi aliquis in complemento & obſervantiâ alicujus præmiſſorum inveniretur deffectus (quod abſit) citiùs & diſtrictius de eo poſſimus corrigi & puniri, & ad eorum & ſingulorum complementum & obſervantiam omnimodè aſtringi & compelli, quod volumus;

Nos per Litteras Reverendi in Chriſto Patris ac Domini Epiſcopi Morinenſis, Prælati & Superioris noſtri confirmari facturos, Nos & Succeſſores noſtros & univerſa & ſingula bona Monaſterii noſtri quoad omnia & ſingula obligantes eiſdem. In quorum teſtimonium & munimen, Sigilla noſtra præſentibus Litteris duximus apponenda.

Datum anno Domini milleſimo triceneſimo triceſimo tertio, die Sabbati poſt feſtum beatæ Catherinæ.

Joanna de Britannia, in his Diplomatibus cap. 95. 96. & inſra 98. memorata, filia erat Arthuri II. Ducis Britanniæ, ejuſque ſecundæ conjugis Yolandis de Drocio, de Comitibus Montis-fortis. Nupſit Roberto de Flandria, Roberti de Bethunia Flandrorum Comitis & Yolendis Nivernenſis filionatu minori: qui Caſletenſe dominium acquiſivit. Obiit ipſe anno 1331. ſepultus in Abbatia Warneſtonienſi; uxor Joanna Britannica deceſſit 26. Martii 1333. (Ita Necrologium Portûs Regii.) Vide etiam Genealogiam Comitum Flandriæ per Vredium, pag. 226.

CAPUT XCVII.

Benedictus XII. *Pontifex Fundationem Conventûs FF. Minorum in Oppido Ivodienſi, Ducatûs Luxemburgenſis, erecti per* Ludovicum *Comitem Loſſenſem ejuſque filiam* Margaretam, *confirmat anno* 1335.

Ex Annal. Minorum per Wadding.

Benedictus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiſcopo Treverenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sacræ Religionis dilectorum Filiorum, Fratrum Ordinis Minorum promeretur honeſtas, ut petitiones ipſorum, illas præſertim quæ ampliationem Deo gratam, & dictis Fratribus, ac aliis Chriſti fidelibus ſalutarem, Ordinis prædicti reſpiciunt, quantùm cum Deo poſſumus, ad exauditionis votivæ gratiam favorabiliter admittamus.

Cum itaque, ſicut ex tenore petitionis pro parte dilectorum filiorum Fratrum ejuſdem Ordinis de Cuſtodia Lotharingiæ Nobis oblatæ collegimus, dilectus filius Nobilis Vir Ludovicus (1) Comes, & dilecta in Chriſto filia Nobilis Mulier Margarita de Lotharingia Comitiſſa de Loz & de Chineyo conjux * ejus, eiſdem Fratribus acquirendi ſeu obtinendi in Villa ſua de *Yvodio*, (2) tuæ Diœceſis, locum, ubi dicti Fratres Eccleſiam & domos pro habitatione ipſorum neceſſarias conſtruere valeant & habere, conceſſerunt liberè, in quantum ſuâ intereſt, per eorum patentes Litteras plenam & liberam poteſtatem; pro parte Fratrum prædictorum fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut eis recipiendi locum hujuſmodi in dicta Villa licentiam concedere dignaremur.

Nos itaque, qui ſtatum proſperum & ampliationem hujuſmodi dicti Ordinis plenis deſideriis affectamus, præfatorum Comitis & Comitiſſæ, qui ſuper hoc Nobis per ſuas patentes Litteras humiliter ſupplicarunt, & eorumdem Fratrum ſupplicationibus humiliter inclinati, Fraternitati tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, per Apoſtolica Scripta mandamus & committimus, quatenus, ſi eſt ita, & in dicta Villa expediat fieri, ac ibidem duodecim Fratres dicti Ordinis ſecundum eorum Regulam honeſtè & congruè vivere ac perpetuo ſuſtentari poſſint; eiſdem Fratribus Auctoritate noſtra concedas hujuſmodi licentiam poſtulatam; Jure Parochialis Eccleſiæ & cujuſlibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Numerus Fratrum.

Datum Avenione, VIII. Kalendas Decembris, Pontificatûs noſtri anno primo.

* Legi debet, filia.

(1) Stemma Ludovici Comitis Loſſenſis, qui ex Joanna de Blamont, filiam unicam & hæredem reliquit *Margaretam*, exhibetur Tom. II. horum Diplom. pag. 701.

(2) Ivodium, Ducatûs Luxemburgenſis Oppidum, etiam vocatur hodie *Carignan*. Unicum eſt hîc totius Provinciæ Capitulum Canonicorum: quod aliquando transferendum fuiſſe legimus ad Metropolim Luxemburgum, ſi Sedes Epiſcopalis ibi conſtituta fuiſſet. Vide Tom. III. horum Diplom. pag. 258.

Digitized by Google

CAPUT XCVIII.

Venerabile Capitulum S. Jacobi de Compoſtella in Hiſpania recognoſcit anno 1340. *donum trium Imaginum argentearum à* Joanna de Britannia *Domina de Caſleto in honorem S. Jacobi Apoſtoli oblatarum.*

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſulis.

OMnibus hæc viſuris, Vicarius Decani & Capitulum Compoſtellanum, ſalutem in eo qui eſt omnium vera ſalus.

Noverint univerſi, quod nos tres Imagines, quas Illuſtris & potens Domina, Domina JOHANNA DE BRITANNIA, Domina de Caſleto, pro ſe & Domina filia ſua * Comitiſſa de Barro, hodie in dicta noſtra Eccleſia, in honorem beati Jacobi Apoſtoli obtulit, & eſſe & remanere perpetuò voluit & ordinavit ante cœlaturam magni altaris ſurſum, juxta magnam Imaginem argenti beati Jacobi, quam Eccleſiæ noſtræ dedit bonæ memoriæ SANXIUS quondam Rex noſter Caſtellæ Illuſtris, à parte ſiniſtra; videlicet unam argenti deauratam de beato Jacobo, & duas argenti ſine deauratione, ad ſimilitudinem ſui & dictæ filiæ ſuæ factas, promiſimus, ac etiam promittimus bonâ fide pro nobis & Succeſſoribus noſtris, in dicta noſtra Eccleſia ſervare & cuſtodire, ſine confractione & deſtructione aliqua, integras & illeſas, in prædictis forma & loco, quibus dicta Domina repoſuit ac etiam ordinavit;

Nos & Succeſſores noſtros, in dictâ noſtra Eccleſia, bonaque dictæ Eccleſiæ ſuper hoc ſolemniter & perpetuò obligantes;

Eademque de Imagine, quam hodie obtulit in dicta noſtra Eccleſia Venerabilis Vir Dominus JOHANNES DE CAMPELLIS Legum Profeſſor & Archidiaconus Melodunenſis in Eccleſia Senonenſi, & quam ordinavit & poſuit ſubter dictas Imagines ſuper capitale columpnæ, dictam cœlaturam à dicta parte ſiniſtra ſubſtentantis, per omnia promittentes & obligantes.

In quorum teſtimonium, Sigillum quo utimur, præſentibus duximus apponendum.

Datum anno Domini milleſimo C. C. C. XL. primâ die menſis Aprilis, in Ramis Palmarum. 1340.

* Yolandis uxor Henrici Com. Barrenſis.

Jean de Champeaux.

CAPUT XCIX.

Fundatio Prioratûs Virtonienſis in Ducatu Luxemburgenſi pro Religioſis Fratribus Ordinis Stæ. Crucis, è Monaſterio Ivodienſi accitis, anno 1340. *à Communitate dicti Virtonienſis Oppidi acceptatur.*

Ex Archivis Civitatis Luxemburg.

NOus Jehans d'Eſcouviers Eſquyers, Henrions & Jehan de Iches de Verton, gardeurs du Saiel de la Prevoſteit de Verton, faiſons à tous, que pardevant Nous eſpeciament eſtablit en lors propres perſonnes Meſſires Jaicker de Verton, & Meſſirs Jehan ſes fis Chevaliers, Jehans d'Eſcouviers, Henrions Iches, toit li Eſcuiers, li Clers, & li Franc homme, Georges Mares, Alexandre Paſceis, Fidons, Andrues, Jehannes Blondel & Henrions Filz Rouillon Eſchevins, & toute li Communauteit de laditte Ville de Verton, eſpeciament pour ceſte choſe, ont recognut & donné pour Deu & en amoine as Freires de Xuxey & de la Maiſon d'Ivoix de l'Ordre de ſainte Croix, la Maiſon Deu de Verton & touſes appartenances ſans rins ai retenir tant pour le tems preſent, come pour tems avenir, pour tous jours, maix perpetuelement en heritaige, ſans mais ai rappeller,

Suſſy Vide ſupra pag. 258.

Fors que tant que ledit Freires doient aides à touſjours ſongnier un tanrel pour ladite Ville de Verton & herbergier les pauvres & conforter ſelonc les us & les coutumes du tens de devant.

Et eſt fait ci Dons & Octroiés en teile maniere que lidit Freires doient faire le devin Servixe pour les mors & pour les vif tous jours, mais en ladite Maiſon perpetuelement, & avoir ſur le moinx deux Freires reſidens en ladite Maiſon perpetuelement, dont ly uns ſoit Preſtres.

Et li ditte Ville de Verton leur doit deffendre & warentir ladite Maiſcon & les appartenances de tort & de force contre tous, juſques ai droit, & lidit Freires auci, exceptéis les Ordeneres.

Et ceſt Don & ceſte grace at receut Freires Emeris Prioult de la Maiſon d'Ivoix, & Freires Germains ſes compans pour Deu & en amoine pour tous jours, tant pour eas com pour tous lors Freires des leus devant dis, & qui ont promis avoi que ſitoſt com il porront bonnement, il empliront les convenances qui lour touche ainſi com

tom devant ſont eſcriptes ; & luit eilz de laditte Ville de Verton deſſus denommeit ont promiz par lors fois donneies corporement en nos mains , que le Don des choſes deſſus dites il ne rapelleront maix , ne feront rappeller par eas ne par autrui.

Et pour plux faire venir fermement , il ſan ſunt ubujé en la juriſdiccion & enconſtrenguement noſtre chiere & ameie Dame lai Conteſſe de Chiney. Et pour ce que ſe ſoit fermé choſe & eſtable , Nous Jehan d'Eſcouviers, Henrions & Iehes gardeurs dou Saeil deſurdit , avons mix ledit Saiel en ces preſentes Lettres , ſauff le droit noſtre chiere Dame la Conteſſe de Chiney & l'autruy.

Ce fut fait & donneit , l'an de grace noſtre Signour M. C. C. C. XL. le vendredy devant l'Annonciation noſtre Dame , en Mars.

Confirmatio Fundationis FF. Crucigerorum , anno 1341. per Balduinum Archiepiſcopum Trevirenſem , Fratrem HENRICI IV. *Comitis Luxemburgenſis , nec non Romanorum Imperatoris.*

BALDEWINUS Dei gratiâ Sanctæ Trevirenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus , ſacri Imperii per Galliam Archi-Cancellarius ; dilectis in Chriſto Priori & Fratribus Sanctæ Crucis, Ordinis S. Auguſtini, Domûs de Ivodio , noſtræ Diœceſis , ſalutem in Domino.

Ut eo ferventiùs & devotiùs divino officio , receptioni pauperum , & operibus miſericordiæ intendere & inſiſtere curetis , Donationem Vobis de Domo Dei in *Vertono*, dictæ noſtræ Dioceſis , per Nobilem Matronam Dominam Margaretam Comitiſſam de Chineyo conſanguineam noſtram dilectam , & Communitatem ejuſdem Villæ de Vertono factam (prout in Litteris inde confectis, quibus hæc Littera noſtra transfixa eſt , latiùs apparet) & in quantum ritè & juſtè facta eſt , (Noſtro tamen de Matricis Eccleſiæ ſalvo jure) ad preces dictæ noſtræ Conſanguineæ , & ſtrenui Militis Jacobi de Vertono , fidelis noſtri dilecti , quantum in Nobis eſt , ratificamus, approbamus , & tenore præſentium confirmamus.

Datum Treviris noſtro ſub ſecreto (Sigillo) anno Domini M. C. C. C. XLI. menſis Maii decimâ.

CAPUT C.

GUILIELMUS A DUVENVOORDE, *Vir Nobilis , fundat juxta Bruxellas Monaſterium Clariſſarum Urbaniſtarum ; quod opus pium* CLEMENS VI. *Papa anno* 1343 *confirmat.*

CLEMENS Epiſcopus , ſervus ſervorum Dei, dilecto filio, Nobili Viro , GUILIELMO DE DUVENVOORDE (1), Domino de Ooſterhout , Leodienſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Piis deſideriis devotorum gratum nos decet præſtare conſenſum, & ea quæ augmentum Religionis cultuſque divini reſpiciunt ut votivum conſequantur effectum , favore proſequi gratioſo.

Sane petitio tua Nobis exhibita continebat , quod Tu cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare , pro tuæ & progenitorum tuorum animarum ſalute, in fundo proprio per te acquiſito, videlicet infra Libertatem Oppidi Bruxellenſis, in loco dicto *Op-Bruſella* (2) Cameracenſis Diœceſis, quoddam Monaſterium Sororum Ordinis S. Claræ , cum officinis neceſſariis ſumptibus propriis conſtrui facere , illudque uſque ad valorem ſexcentorum florenorum auri vel circa annui & perpetui redditus ſive cenſus, de bonis propriis dotare proponis , ad opus Abbatiſſæ & Sororum dicti Ordinis , in dicto Monaſterio ponendarum. *Opbruſſel.*

Quare Nobis humiliter ſupplicaſti , ut tibi faciendi præmiſſa , & poſtquam hujuſmodi Monaſterium fundatum fuerit & dotatum , poſſint hac primâ vice Abbatiſſa & Sorores dicti Ordinis idoneæ, ad nominationem tuam, in dicto Monaſterio includendæ , ſecundum dicti Ordinis Statuta collocari , Authoritate Apoſtolicâ licentiam liberam largiremur.

Nos igitur , his piis votis in hac parte favorabiliter annuere intendentes , tibi, dote prædictâ per te ante omnia ipſi novo conſtruendo Monaſterio aſſignatâ , pro Abbatiſſæ & Sororum inſtituendarum inibi ſuſtentatione & aliis oneribus ſupportandis, faciendi præmiſſa poſtulata per te, ſine Parochialis Eccleſiæ & cujuſlibet alterius juris præjudicio , plenam & liberam Authoritate Apoſtolicâ tenore præſentium licentiam elargimur.

Nulli ergo &c. Datum Avenione, XV. Kal. Februarii , Pontificatûs noſtri anno ſecundo.

(1) Guilielmus a Duvenvoorde, de quo rurſus mentio Tomo I. Diplomatum Belgic. pag. 450, dum de Fundatione hujus Monaſterii Clariſſarum Urbaniſtarum ageretur, cui antiquitus datum fuit nomen vulgare *het Conwen-Clooſter*.

Idem Guilielmus à Duvenvoorde fundavit in domo ſua Bruxellis (quæ hodie ad Principem Auriacum pertinet) Capellam, quam anno 1346 Clemens VI. Papa per Bullam confirmavit. Vide ſupra pag. 53. hujus Tomi IV.

(2) Op-Brussel, Parochia, etiam dicta S. Ægidii, ad muros Bruxellenſes extra portam Hallenſem, ubi olim ante tumultus Belgicos ſtetit hoc Monaſterium, deinde Bruxellas tranſlatum.

Extat in Annalibus Ordinis Minorum, authore Lucâ Waddingo, Tomo III. pag. 339. in Regeſto Pontificio, Bulla altera Clementis VI. Papæ data anno 1346. quâ poteſtatem largitur Mathiæ Epiſcopo Trapezuntino, tunc in Belgio moranti, ad conſecrandam Eccleſiam & altaria ſupra-dicti Monaſterii, benedicendam Abbatiſſam &c.

CAPUT CI.

Ottho *Dominus de Cuyck recognoſcit nullum ſe jus habere in Patronatum ac Decimas Eccleſiæ de Mierlo; ſed totum jus pertinere ad Abbatiam Tungerluenſem; datum anno* 1347.

Universis præſentes Litteras viſuris & audituris, Nos Ottho Dominus de Kuyck ſalutem, cum notitia veritatis. Noverint univerſi & ſinguli, quod Nos pro Nobis, noſtris hæredibus & ſucceſſoribus, matura deliberatione præſcripta ac præhabita renuntiavimus & renuntiamus per præſentes ob honorem Dei ejuſque Genitricis Virginis Mariæ, in cujus honore Eccleſia Monaſterii Tongerlenſis, Cameracenſis Dioceſis, eſt fundata & conſtructa, omni Juri quod Nobis, noſtriſque hæredibus ac Succeſſoribus competit vel competere potuit ſeu poteſt: in Patronatu Eccleſiæ Villæ noſtræ de Mirle, nec non in Decimis ſeu fructibus decimalibus ejuſdem noſtræ Villæ. Recognoſcentes pro nobis, noſtris hæredibus & Succeſſoribus, Nos nullum jus in dictis Patronatu Eccleſiæ prædictæ, & Decimis ſeu fructibus decimalibus dictæ noſtræ Villæ de Mirle habere, ac promittentes pro nobis, noſtris hæredibus & Succeſſoribus fide noſtra & fidelitate, Religioſos Viros Dominos Abbatem & Conventum Monaſterii de Tongerloo prædicti, in dictis Jure Patronatus & Decimis dictæ Villæ noſtræ de Mirle, de cætero non in aliquo impedire, impetere vel vexare per nos, alium ſeu alios nomine noſtro, hæredum noſtrorum & Succeſſorum vel aliorum quorumcumque, aut quicquam attentare quod dictis Religioſis poterit generare damnum, dedecus, præjudicium vel gravamen;

Ipſoſque religioſos Viros de cætero dictis Jure Patronatus ac Decimis ſeu fructibus decimalibus liberè permittere uti, frui & gaudere, perpetuis temporibus pacificè & quietè, nec contra præmiſſa vel eorum aliqua directè vel indirectè per Nos, hæredes noſtros & Succeſſores vel alios aliquid facere, vel facere attentari. Et per præmiſſa Lis, quæ pendebat Leodii inter Nos ex una parte, & dictos religioſos Viros Abbatem & Conventum ex altera, ſuper præmiſſis cauſis, concorditer eſt ſedata & pacificata.

In cujus teſtimonium, Sigillum pro Nobis, noſtris hæredibus & Succeſſoribus, præſentibus Litteris duximus apponendum.

Datum anno à Nativitate Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo, menſe Februarii die tertiâ.

Mierloo, municipium Territorii Silvæduc.

CAPUT CII.

Theodericus de Hoorn, *Dominus de Craenenburg, Executor Teſtamenti D.* Guilielmi de Buſco *fundat ac dotat Silvæducis Monaſterium Clariſſarum: probante* Clemente VI. *Pont. per Bullam datam anno* 1348. *Quæ Clariſſæ poſtmodum Silvâducis tranſmigrarunt Mechliniam.*

Clemens Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Nobili Viro Theodorico de Horne, Domino de Craenenburg, Colonienſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. In iis quæ animarum ſalutem reſpiciunt, libenter Apoſtolici favoris præſidium impertimur.

Sane petitio pro parte tua Nobis exhibita continebat, quod quondam *Wilhelmus de Buſco* Dominus de Erpe, pro ſuæ ſuorum-

Digitized by Google

que progenitorum animarum ſalute in fundo proprio ipſius Wilhelmi, videlicet infra Libertatem oppidi de Buſcoducis, in quadam pulchra manſione, cum ſuis attinentiis, dictæ Leodienſis Diœceſis; ad dictum Wilhelmum ſpectantibus dum vivebat, quoddam Monaſterium Sororum Ordinis S. Claræ, cum oratorio domibus officinis neceſſariis conſtrui, & de bonis ſuis propriis uſque ad valorem annuum trecentorum & quinquaginta florenorum auri, vel quaſi, annui & perpetui redditus ſive cenſus, eidem Monaſterio in dotem aſſignati, in ſuo Teſtamento mandavit: ac Tibi, quem ejuſdem teſtamenti Executorem conſtituit, præmiſſa exequenda commiſit.

Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Tu hujuſmodi piam diſpoſitionem Teſtatoris ejuſdem cupias adimplere, Nos tuis precibus inclinati, ut præfatum Monaſterium ad opus dictarum Sororum; cum oratorio domibus & aliis neceſſariis officinis in dicto loco conſtruere, ſibique dotem hujuſmodi aſſignare liberè & licitè valeas, (Jure Parochialis Eccleſiæ, & cujuſlibet alterius ſemper ſalvo) Tibi auhoritate Apoſtolica plenam & liberam licentiam elargimur.

Tibi nihilominus, ut perſonæ idoneæ, quarum una in Abbatiſſam, & aliæ ipſarum in Sorores dicti Ordinis, in eodem Monaſterio juxta Inſtituta dicti Ordinis includendæ, hâc prima vice ad tuam nominationem recipi & collocari valeant, Authoritate prædictâ de ſpeciali gratia concedentes.

Nulli ergo &c. noſtræ Conceſſionis &c. Datum Avinione V. Kal. Junii, Pontificatûs noſtri anno VII.

CAPUT CIII.

Origo Domûs S. Annæ *Monialium Carthuſianarum* Brugis, *anno* 1348, *primis Monialibus è Domo* Goſnayenſi *apud Artheſios deductis; ſecundum vetuſtum ejuſdem Domus Manuſcriptum, partim latinum, partim vernaculum.*

Ex vetuſto MSS. hujus Domûs.

DE prima Fundatione ac Fundatoribus, nec non & de præcipuis Benefactoribus & Promotoribus hujus Domûs ſanctæ Annæ.

In nomine Domini, amen. Cum ſecundùm Senecam, libro de beneficiis, ingratiſſimus ſit, qui beneficii non recordatur: & cum ingratitudo ſecundùm Beatum Bernardum in quodam Sermone ſuper Cantica, inimica ſit animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſpercio, beneficiorum perditio, ventus urens ſiccans fontem pietatis, rotem juſtitiæ, fluenta gratiæ; Id-circo ne nos hujuſmodi ingratitudinem merito deteſtandam incurramus, debemus præ oculis habere, nec oblivioni tradere illos illorumque beneficia, qui hujus Domus S. Annæ primi fuerunt Fundatores ſeu Inchoatores & Benefactores; quive poſtmodum eandem Domum ſuis eleëmoſynis, ſubſidiis, conſiliis, favoribus ac fulcimentis promoverunt & protexerunt: quouſque divinâ gratiâ coöperante ad ſtatum, qui nunc oculato probatur teſtimonio, pervenerit.

Sciendum eſt igitur imprimis, quod hæc Domus S. Annæ nullum penitus habuit Fundatorem ſeu Conſtructorum: qui ſcilicet onus Fundationis ſeu conſtructionis ſibi aſſumeret aut imponeret. Sed quædam perſonæ divinitus inſpiratæ, motu pietatis, & deſiderio divini cultûs ampliandi quaſdam eleëmoſynas ad conſtructionem dictæ Domûs alacriter contulerunt.

Quarum ſcilicet perſonarum aliquas, unà cum ſuis beneficiis inferiùs deſcripſimus; quatenus ipſis vice caritatis orando rependamus, & poſteros noſtros non lateat, in quali & quanta paupertate dicta Domus fundata fuerit & conſtructa. Imo & quod potiſſimum eſt, benigniſſimo Deo tamquam principali noſtro fundatori ac conſtructori debitas gratiarum actiones de ſtatu quem ipſius gratiâ Domus hæc conſecuta, referamus; & quanto minus humanum adjumentum circa principium Fundationis ejus fuiſſe dinoſcimus, tantò copioſius & uberius divinam bonitatem operatam fuiſſe gratulemur.

Igitur anno à Nativitate Domini M.C.C.C. XLVIII. in menſe Martio, Magiſter *Wilhelmus Scotus* Chirurgicus, & *Margareta* uxor ejus, purè ac ſimpliciter propter Deum & ad ſalutem animarum ſuarum, ſex menſuras terræ ab omni onere cenſuum & reddituum liberas & abſolutas dederunt, ad fundandum & ædificandum deſuper Monaſterium Monialium Ordinis Carthuſienſis. Inſuper dicti conjuges donaverunt ad opus dicti Monaſterii fundandi & conſtruendi, domum ſeu habitationem ſuam totalem juxta viam, quæ de Brugis verſus Dixmudam tendit ſituatam, cum XXV. menſuris terræ adjacentis ac arboribus deſuper creſcentibus, & hoc dumtaxat poſt mortem dictorum conjugum & Johannis ipſorum filii. 1348. Teſtes Fundationis.

Fuit autem hæc prima Donacio facta in domo dictorum conjugum prædicta, coram

Notario publico: præſentibus ibidem Domnis, Johanne Domûs Montis Dei, Wilhelmo Domûs Vallis Gratiæ prope Brugas, Johanne Domûs Sancti Spiritûs prope Goſnaium Prioribus, & Chriſtiano Domûs Monialium prope Goſnaium Vicario, Carthuſienſis Ordinis. Præſentibus etiam ibidem DD. Johanne Oſten, & Johanne filio Roberti, Villæ Brugenſis Burgimagiſtris, & pluribus aliis perſonis fide dignis.

Daer-na, in't ſelve jaer, ontrent de feeſte van S. Marie Magdalene, ſo was dit Huus gefundeert ende beghonnen in een ondrachteghe ende onghehouwende ſtede. Daer-omme wûs ſy gebeeten het Huus van Sinte Anne in de Woeſtyne. *D'eerſte Funderers waeren deſe:* Dominus Joannes de Hertsberghe, & uxor ejus. Johannes de Hersberghe *, ipſorum filius, Doctor Legum & tunc Decanus &c. *Deſe liggen begraeven in de O. Vrouwe Choer in't midden van der Kercke, onder een blauwe ſteen. Deſe gaven in't beginſel van de Fundatie* XXX. libras groſſorum & amplius: *en veele andere aelmoeſſen gaeven ſi, ende* Magiſter Johannes *ghaf jaerelics C. carpers.*

Fuit Decanus S. Salvat. Harlebek dein Præpoſ. B. M. Brugis.

Magiſter Arnoldus Curatus &c. & Domn. Thomas Sobbe oppidanus in Brugis, *te gaeder met de* Hertsberghe, *laboreerde ghetrauwelic om te beghonnen het voerſeide Huus.* Et Domini Scabini, Conſules, & Rectores *van Brugghe ghaven in't beginſele dry jaeren, elck jaer* quinque libras groſſorum *van de gh meene Threſoere van Brugge.*

Met deſe voerſeide ende andere aelmoeſen ſo was ghemaect de reefter, ende de dormiter der boven. Hie toe gaf Eliſabeth Smouters VII. libras groſſorum & mille aſſeres, *en veele andere beneficien deſen Huſe. Item Vrauwe* Katherina Pelegans *ghaf tot den ſelve wercke* IV. libras & X. ſolidos groſſorum. *En veele andere perſoonen ghaven ſonderlinghe almoeſen, dat binnen twee jaeren vulmaect was. En uut duſdanige almoeſen was ooc gemaect een Capelle. Daer toe gaf* Domicella Agatha de Kokelare, uxor Petri de Hille, quinque libras groſſorum.

Ludovicus Comes Flandriæ Benefactor.

Anno Domini M. C. C. C. XLIX. in menſe Martio, Illuſtris Princeps Dominus Ludovicus Comes Flandriæ, *puerlicke om Gods wille gaf hi deſen Huſe* quingentas libras Pariſienſes annuatim, *jaerlicx &c.* Hanc gratiam liberalitatis contulit in redditibus & bonis &c.

Primæ Moniales ex Domo Goſnayenſi, de qua ſupra pag. 587.

Anno Domini M. C. C. C. L. *in der Vigilie d'Aſſumptie* Mariæ, *doen camen tot deſen Huſe van Goſnaye VI. Nonnen:* Eliſabeth Bradenheicts, Katharina de Belle, Agnes Bradenheicts, Katherina Snoermakers, Clara de Walle, Katherina Honis. *Deſe begonſten dit Huus te guberneren, na de maniere d'Ordene, in beleghe ende heerbare converſacie religioeſelicke.* Eliſabeth *was* Rectrix. Katherina de Belle, quæ Yparenſis fuit, de Brugis erat oriunda. *Om deſe VI. Nonnen, ſo ghaven veel perſoenen van Brugge almoeſſen.*

In dat ſelve jaer was ghemaect Compoſitio ſeu Contractus inter Monaſterium S. Andreæ & Domum iſtam: prout in Inſtrumento publico deſuper confecto pleniùs continetur. *Item in dit jaer, up de Sondach voer Onſe Vrauwe* Nativitate, *was de Capelle gheweit, met de Vritboone. Deſe coſt dede* Magiſter Jo. de Hertsberge, *met ſine Moeder.*

Anno Domini M. C. C. C. LII. *doe was Heer* Ægidius Raepſaet Vicarius *ghemaect, ende* Eliſabeth Rectrix Prioriſſa. *Ende doe addet in dit Huus ontrent* IV. libras & XVI. ſolidos groſſorum in perpetuis redditibus. *Si ontfinghen twee Noviſſen: ſi waren beede up eenen dagh ghecleet:* Katherine de Hutekerke *en* Margareta Sobbes. *In't jaer daer na, doe ontfingheſe drie Noviſſen: ende doe haddeſe* V. libras, XVI. ſolidos groſſorum *jaerlicx.*

In't jaer LIV. doe waerer XV. perſoonen in't habyt van den Ordene, met Moneken ende Nonnen, en VIII Familiares. *Doe haddeſe* VI. libras & XII. ſolidos groſſorum *in bewege Rente. Hier mede moeſte-ſi haer ſcult betalen, om de ſtichtinge, en om bouken te doen ſcriven, om ackeren te copene. Een ygelic magh mercken, hoe groote armoede, ende gebrec in cleeders &c. dat ſi lieden adden. Item* Katherina de Meetkerke *die was hier Nonne, ende ſi gaf* XX. ſolidos *jaerlics.*

Item daer na, twee Coeplieden Allemanni, Gerwinus & Conſtantinus frater ejus: *deſe gaven XX. libras Pariz. jaerelics. Item daer nae* Jan van Giſtele *gaf jaerlics* XXX. libras Pariſienſes. *Item* Nycolaus Minne dedit VII. libras & X. ſolidos Pariſienſes *jaerlics. Item Heer* Thomas Sobbe *gaf* XV. libras Pariz. *jaerlics, ende veel andere perſoenen gaven, d'een meer, d'ander min. Item vier Capelrien, d'een fundeerde* Jan van Giſtele: *d'ander* Chriſtianus de Liſſeweghe: *de derde* Jan Robrecht: *de vierde* Mechiel van Theemſeke. Item providus Dominus Balduinus Vos, Miles, *gaf* IV. libras groſſorum annuatim. Item ex bonis Ludovici & Jacobi Mettenhye *gaven* XXXI. ſolidos groſſ. Pariz. *jaerlics.* Item de bonis Magiſtri Rogeri de Meetkerke, IV. libræ groſſorum, *jaerlics.*

Item Jan van Giſtelle, *hi maetle de Spinde met de trelliagie: ende der boven de ſpinde, ſo langhede hi den Dormiter tot den hende toe. Ende de bindere camere met de heimelichede, ende den ganc der thuſgen: ende boven de bel-poerte een ſchoon camere: ende bi die poerte een Gaſthuys met de Prioers Camere ende een ſchoene ſale, met de groote cokene, ende een ſtal om de paerden: ende de camers onder ende boven. En andere Renten ende almoeſen gaf hi.*

Jan Roberecht *die was XXX. jaer Ontfangere van deſen Huſe, ſeer neerſtigh ende wacker t' eeren Godts: en om remedie finder ſiele, niet om loon, by nachte poetede by al de boemen die ontrent den Clooſtere ſtaen. Hi gaf grieſterlicke*

licke ornamenten, eenen kelck, ſelvere beckene, ſelvere ampullen, ende veele andere dinghen in de vercieringe der Kercke: ende drie lampten: voer't Sacrament twee, ende eene voer Sint Anne. Deſe ſullen barnen dagh ende nacht: ende veele andere beneficie ende groote caritate gaf deſe Huſe met alle ſine crachte. Hi light voor ſint Anne outaer begraven, ende ſyne ouderes en vrienden ſyn hier oock begraven. Hi dede de beelde van ſint-Anne vaerwen en ſniden.

Ædificatio Eccleſiæ.

Dominus Bilduinus Vos oppidanus Brugenſis, *uut godlike inſpiratie gaf hi mildelic almoeſen, hemelic en openbaerlic, om haerlieder armoede te helpene. Hi hadde hier twee dochteren, die beede Prieuſen waren:* Maria *en* Johanna. *Hi maeckt de Keerke van gronde up, in't jaer M. C. C. C. LXII.* die Sancti Vitalis *ſo leide hi d'eerſte ſteen, XII. jaer na dat de Nonnen hier comen waeren van Goſnay. Item hi maekte de groote pilaren aen de groete dormiter, an beede ſiden. Item hi dede maken de Cloeſter, de panden van de Nonnen: maer hi ſtarf eer't vulmaeckt was. Daer omme gaf hi* C. libras groſſorum, *om dat te vuldoene. En hi gaf deſen Huſe XXXIII. ghemete .... Lants in* Aſſebruke *beewich te beſitten. Hi gaf ooc* L. libras Pariſienſes *jaerlics, om't Convent win te drinkene, en veel anderen beneficien, die niet te tellen en waren. Hy licht begraven voer den hogen Outaer in de middel, met ſyne dochters.*

Heer Bouden de Vos, *Heere van Pollaer, Ruddere; hi hadde hier een dochtere* Anna. *Hi cam deſen Huſe te hulp in node, in rade, in anxten: en hi gaf voer ſyn Sepulture* IV. menſuras & duas lineas terræ in Hannekenswerve. *Item dier na noch* IV. libras groſſorum *jaerlics, om de derde Capelrie de helpene. Item hi gaf* quingentas libras Pariſienſes *jaerlics om't Convent wyn te ghevene. Voor't welke gaf hi* C. C. C LX menſuras terræ, *liggende in* Saftinghen, *bewich te beſitten. Item hi gaf ſin huus, daer hi te Bruggbe in woende: deſen om't Convent in te wonen te blieve in tiden van orloghen. Het es beſegelt dat men't niet vervreemden en moet van deſen huſe; in't jaer M. C. C. C. C. C. XVIII. was't verſekert van den Capitele generael &c. Hi licht begraven voor den hogen Outaer voor den Prieſters-ſtoel, met ſyne dochter.*

Domicella Maria de Heule, *was ooc een goede vrient deſen Huſe: en als ſy XXII. jaer hout was, ende begeirt van veele perſoonen ten huwelic, ſo coes ſi hier Nonne te ſine. En als ſi XXX. jaer hout was, doen was ſi Prioriſſe gemaeckt. Si baerbeide daer in XXVIII. jaer. In haren tide was Convent te Brugge in vreemde huſen, nu hier nu daer: en van haer patrimonie was deſen Huſe gegeven jaerlics in rente* CL. libr. Pariſienſ.

Domicella Margareta de Dudzeele, *ende* Jacob Metten-eye, *wyf, die hadde hier een dochter* Margareta: *ende ſi cam ooc hier, ende wert ontfangen* in Clericam redditam. *Si gaf hier vele in renten en in andere ſaken. Item ſi gaf* LXXX. menſuras bonæ terræ; *ende vecle* redditus annuos & perpetuos CCCCL. libr. Pariſ. *Item ſi dede die minſte dormiter maken, ende't Capitel van de gronde up. Item ſi gaf* C. libras groſſorum, *om de muer ontrent't hoof van de Nonnen. Item ſi gaf* XLVI. libras groſſ. *om't ſcalye dac van den groete dormiter. Item ſi dede de poeſt maecken, daer de coyhen in ſtaen. Item ſi gaf vele ander beneficien, ende ornamenten van der Kerke in ſelveren en criſtallen. Item ſi cochte de groote Bibel om de Moneken, ende veel andere boucken der helege Leeraers, en veel andere dingen, dat niet al ware te vertellen. Item ſi beſtede dry pont roeten keerſen om't Convent. Si licht begraeven bi* Metten-eye, *in ſint Jans Baptiſte Capelle, met haer dochter.*

Jan de Vos, *ſone van* Nycolai de Vos, oppidanus Brugenſis; *hi hadde hier twee dochteren,* Margareta *en* Anna. *Hi dede de firmerie maken van de gronde up in't jaer M. C. C. C. LIV. ende hi maekte de Refter van de Moneken, ende vele andere beneficie gaf hi. Hi licht begraven in de Prieſters-coer, aende luchte-ſide: en* Jacob de Vos *ſine ſone licht daer bi.*

Coeplieden van Alemannia *ende van* Lumbardia *ghaven veele almoeſen vele jaren, binnen den tyt van der* Schiſmatis exoſi.

Anno Domini M. C. C. IX. *doe was gefundeert de Cloofter van de Moneken, met almoeſen en beneficien van diverſen perſoonen. Item onder andere ſo was* Henderic van Meetkerke filius Magiſtri Rogeri, *die boven genoemt is, die gaf* XVIII. libras groſſorum, *en andere beneficie tot deſe were.*

Carthuſia Brugenſis. Confirmationem Fundationis lege ſupra Tom. III. pag. 431. item vide pag. 137.

Daer-na was ghemaeckt ſinte Barbels-Capelle, daer toe gaf Meeſter Coenraet Bruze quinque libras groſſorum & tres coronas: *ende andere perſoenen gaven hier toe ooc almoeſene ende beneficien. Item ſonderlinghe* Domicella Maria, relicta Petri de Roccelaer, *voermaels Cleerc te Sartruſen te Brugge. Si gaf eene Miſſael hier toe.*

Domicella Anna, filia Domini Jacobi Poſthoofdes, & uxor quondam Domini Colardi Cortſchoefs, *als weduwe was van XXX. jaeren, doe wert ſy hier ontfangen* in Clericam redditam. *Si gaf deſen Huſe in heeweghe rente meer dan* ſedecim libras groſſorum *jaerlics. Item ſi beſtelde een alf pint* ypicras *Witten-donderdage. Item ſi beſtelde drie pont keerſen voor't Convent: item ende die latte keerſen, daer men de leſſen s'nachts mede ſegt. Item ſi dede die muelen ende de brauwerie hier maken: ſi gaffer beneficie toe. Si licht begraven in't frut-hoof.*

Jan Mynnen, *onder andere beneficien, ſo dede hi maken de Colloquie van de Nonnen. Hi licht daer begraeven.*

Dominus Johannes de Gruuthuſe *gaf C. C. carpers jaerlics.*

Anno Domini M. C. C. C. C. C. XL. *doe gaf* Mychiel van Teemſike *en ſyn Wyf deſen Hu-*

ſe in warachtegè almoeſene IV. gemeten en XX V. lineas terræ pratorum. *Item hy gaf* C. libras groſſorum. *Daer af ſal-men ghoven een hoet ruggen-broot t'poerten de armen. Ende van dien gelde was de Cloeſter van de Nonnen gepaveert met viercante ſteenen, ende verwit. Ende ooc de Moneken Clooſter ende ſinte Barbele Capelle was der mede vermaeêt, daer't noot was. Ende met dien ſumme fundeerde hi een Capelrie in ſinte Barbels Capelle, ende andere beneficien die hi gaf. Hi licht begraven in in S. Barbels Capelle, ende ſyne dochter oock.*

Joannes Roberti, filius Jacobi Roberti, totis viribus ſe contulit ad hanc Domum fideliſſimè ac ſtudioſiſſimè promovendam. Nam per XXX. annos continuos vel circiter, ſcilicet uſque ad mortem ſuam, onus Receptionis & Procurationis hujus Domûs, magnis curis, multis ærumpnis & indefeſſis laboribus vigilantique ſollicitudine portavit: non quidem ob ſalarium aut mercedem temporalem, cum dives eſſet nec indigeret: ſed purè ac ſimpliciter propter honorem Dei & animæ ſuæ remedium ſalutare. Vidit enim redditus Domûs eſſe tenues, & ſumptus cotidianos graves ac edificia neceſſaria nondum bene conſtructa: id-circo non parcens ſibi diu noctuque, pervigili curâ Domum hanc promovere non ceſſavit.

Ipſe (ut ſuperiùs ſcriptum eſt) tertiam Capellaniam fundavit & dotavit, ornamenta ſacerdotalia, calicem, pelves argenteas, cum ampullis etiam argenteis, & alia multa pro cultu divino & ornatu Eccleſiæ in Teſtamento ſuo fieri diſpoſuit & ordinavit. Inſuper præter duas lampades in Eccleſia, ſecundùm formam Ordinis ardere ſolitas, tres alias perpetuavit: videlicet duas ante Sacramentum, & unam coram Altari Beatæ Annæ; ut diebus & noctibus ſine intermiſſione arderent & lucerent; & alia quam-plurima ſinceræ caritatis beneficia huic Domui totis viribus impendit.

Et quid plura? non ſegnius, imo ferventius & ſollicitius videbatur in rebus & negotiis Domus, quam in ſuis propriis bonis laborare. Hîc ſepulti, ac parentum & amicorum ejus.

Item voer den hooghen Houtaer, daer men de Evangelie ſegt, daer licht begraven d'Heer Bouden de Vos *Ruddere, Heere van Polaer, van Lareed, van Somerghem, en ſyn Wyf van* Lovendeghem, *en ſyn twee dochters.*

Item voer de piſſine licht Jonckvrauwe Van Langhemeerſch, *en haer dochter Jonckvrauwe* Marie van Doecx, Daniels *wyf.*

Item voor S. Jans-Capelle licht Jacob van den Acker, *broeder an d'Heer* Boudens *wyf.*

Item benede den graet licht Henderic van Meetkeerke.

Explicit Fundatio MSS. Domûs S. Annæ Brugis.

CAPUT CIV.

Henricus de Bautershem, *Dominus* Bergizomii *fundat Capellaniam in caſtro ſuo de Wouwe, prope idem Oppidum, (de Jure Patronatûs Abbatis S. Bernardi ad Scaldim, Ordinis Ciſtercienſis) anno* 1357.

Universis præſentes Litteras inſpecturis, Fr. Wilhelmus permiſſione divinâ Abbas Monaſterii S. Bernardi juxta Schaldim Ordinis Ciſtercienſis Cameracenſis Diœceſis, & Rabodanus dictus Muninck Inveſtitus Eccleſiæ ſeu quartæ Capellæ de (1) *Woude*, Leodienſis Diœceſis, ſalutem in Domino ſempiternam.

Cum Nobis ſit ſignificatum, quod Nobilis Vir D. *Henricus de Bautershem* Dominus de Bergis ſupra Zomam, piâ devotione motus, in augmentationem cultûs divini, ob remedium animæ ſuæ, Dominæ *Mariæ de Marcxhem* Conthoralis ejus ſive uxoris, eorumque parentum & progenitorum, fundare velit de novo, conſtruere & dotare unam Capellaniam in ejus caſtro, ſito infra metas Parochalis Eccleſiæ de *Woude*, dictæ Leodienſis Diœceſis. Cujus Eccleſiæ, ſive Beneficiorum in eadem conſtentium Jus Patronatûs, ſive præſentandi ad illa, dum vacant, ad Nos pleno jure pertinet, & dignoſcitur pertinere; & ſupplicatum ex parte ejuſdem D. Henrici, quatinus prædictis Fundationi, conſtructioni & dotationi noſtrum adhibere vellemus conſenſum;

Ita tamen, quod idem D. Henricus, ejuſque Succeſſores in Caſtro prædicto, ipſiuſque caſtri poſſeſſores, in perpetuum Patroni & Collatores ejuſdem Capellaniæ manerent, ac Jus Patronatûs & præſentandi ad illam eiſdem perpetuò ſalvum remaneret.

Nos autem dictæ piæ devotioni ejuſdem Domini de Bergis condeſcendentes, ejus Supplicationi prædictæ noſtros conſenſum pariter & aſſenſum impertimur; Nobiſque placet, quod ipſius Capellaniæ Patronus remaneat ipſe Dominus Henricus Dominus de Bergis, ejuſque heredes in Caſtro prædicto, & ipſius Caſtri poſſeſſores, & ad ipſos Jus Patronatûs ipſius Capellaniæ perpetuò permaneat.

In cujus rei teſtimonium, Sigilla noſtra Litteris præſentibus duximus apponenda.

Datum anno Domini milleſimo tricenteſimo quinquageſimo ſeptimo, menſis Martii die tertiâ.

Conſenſus Epiſcopi, & Archidiaconi Campiniæ, in eadem Eccleſia Leodienſi.

NOs *Engelbertus* (2) Dei gratiâ Epiſcopus, & *Renaldus de filiis* (3) *Urſi* eâdem gratiâ Sti. Adriani Diaconus Cardinalis, & Archidiaconus de Campinia in Eccleſia Leodienſi; Notum facimus univerſis, quod Nos fundationi, conſtructioni, & dotationi Capellaniæ, de qua mentio habetur in Litteris (quibus hæ noſtræ ſunt infixæ) conſentimus: & ipſis Litteris contenta in omnibus & per omnia laudamus & approbamus, ac confirmamus: jure noſtro in omnibus ſalvo.

Datum ſub Sigillis noſtris præſentibus appenſis in ſignum veritatis prœmiſſorum, anno à Nativitate Domini milleſimo C.C.C. quinquageſimo ſeptimo.

(1) Hoc caſtrum de *Wouwe* hodiedum ſubſiſtit. Eſt autem *Wouwe* Parochia Marchionatûs Bergizomenſis, diſtans duabus leucis à dicto Oppido, hodie ſub Dominio Hollandorum.

Jus Patronatûs Eccleſiæ Parochialis de Wouwe uſque hodie retinuit pro Religioſis ſuis Abbas S. Bernardi ad Schaldim.

(2) ENGELBERTUS A MARKA, Leodienſium Epiſcopus fuit ab anno 1345. inde Archiepiſcopus & Elector Colonienſis anno 1364.

(3) Is fuit RAINALDUS URSINUS, apud Ciaconium memoratus Tomo II. pag. 517. qui & fuit Archipresbyter Baſilicæ Vaticanæ, &c. Sed de ejus Archidiaconatu in Eccleſia Leodienſi nulla ibidem fit mentio. Obiit Avenione anno 1374.

CAPUT CV.

Fundatio Domûs & Eccleſiæ de JUNCIS, *vernaculè* Bieſen, *Trajecti ad Moſam, Ordinis Theutonici, anno* 1362. (*quæ ſubjacet Majori Baliviæ Veteris Junci, ejuſdem Ordinis*) *aſſentiente Capitulo S. Servatii Trajectenſis.*

UNiverſis & ſingulis præſentia viſuris ſeu audituris, Frater *Renerus Hoen* Commendator ſive Provincialis Baliviæ, cæterique Fratres de Juncis, Leodienſis Diœceſis, Ordinis Hoſpitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Jheroſolymitani, ſinceram in eo qui in ligno Crucis pro nobis affixus obiit, ſalutem, cum rei ſubſcriptæ notitia veritatis.

Noveritis, quod cum Venerabiles Viri diſcreti DD. Sigerus Decanus totumque Capitulum S. Servatii, & Johannes de Ryempſt Inveſtitus Parochialis S. Matthiæ Eccleſiarum Trajectenſium dictæ Diœceſis, benevolè nobis annuerunt, ſuoſque expreſſos conſenſum & aſſenſum adhibuerunt, gratioſè conſentiendo, quatenus unam Capellam ſive Oratorium in ipſo Oppido Trajectenſi, infra metas ſeu limites Prochiæ Eccleſiæ S. Matthiæ prædictæ, in bonis, quorum fundus ad præfatam S. Servatii Eccleſiam pertinere dinoſcitur & ſpectat, conſtruere, erigere, fundare & ædificare facere valeamus, & ibidem habere ſepulturas perſonarum apud nos cupientium ſepeliri;

Certis punctis mediantibus & adjectis: prout hæc & alia in Litteris exinde confectis ſigilliſque memoratorum DD. Decani & Capituli ad cauſas, & ipſius Johannis Inveſtiti proprio quo ipſe uti ſolet ſigillatis, pleniùs lucidiùſque continetur, declarata. Quarum proinde Litterarum tenor de verbo ad verbum noſcitur, & eſt talis.

Univerſis & ſingulis, tam præſentibus nunc viventibus, quam futuris, præſentes Litteras viſuris ſeu audituris, Sigerus de novo Lapide * Decanus, totumque Capitulum S. Servatii, Patroni, & Johannes de Rymſt Inveſtitus Parochialis S. Matthiæ, Eccleſiarum Trajectenſium Leodienſis Diœceſis, ſinceram in Domino caritatem, & rei ſubſcriptæ notitiam veritatis.

* Dein fuit Præpoſitus ad S. Servatium, item ad S. Rumoldum Mechliniæ, & inſuper Canonicus S. Lamberti Leod.

Noverint univerſi, quod cum Viri Religioſi & in Chriſto devoti Fratres de Juncis Ordinis Hoſpitalis S. Mariæ Theutonicorum Jheroſolymitani, ex certis & legitimis cauſſis unam Capellam ſeu Oratorium in oppido Trajectenſi, infra limites ſeu metas Prochiæ Eccleſiæ S. Matthiæ jam dictæ, in bonis, quorum fundus ad præfatam S. Servatii Eccleſiam pertinet, fundare & conſtruere deſiderent intimè, in eaque Deo vacare, ac devotiùs in tranquillitate famulari intendant; & habere ibidem ſepulturas perſonarum eligentium apud eos ſepeliri: Nobiſque ex eorum Fratrum proceſſu caritativè & cum effectu multipliciter ſupplicarunt, quatenus in hoc conſentire, noſtroſque voluntatem, conſenſum & aſſenſum vellemus benevolè adhibêre.

Ipſiſque Fratribus etiam gratioſè annue-

Digitized by Google

remus, ut ſi qua Altaria ſeu Capellaniæ in poſterum in dicta eorum Capella fundari ſeu dotari contigerit, quod perpetui Capellani ſeu Rectores hujuſmodi Altarium, ſi ſæculares fuerint, & non aliàs, quam per eoſdem Fratres Nobis Decano & Capitulo memoratis, quotienſcumque ea vacaverint, erunt præſentandi, per Nos Decanum & Capitulum, ut cæteri Altariſtæ Eccleſiæ noſtræ admitterentur ad dicta Altaria pariter & inſtituerentur Rectores in eiſdem, adhibitis ſolemnitatibus in talibus debitis & adhibendis, correctionique tuitioni & foro Capituli noſtri ſubeſſent, ac perciperent præſentias ſeu denarios chori noſtri, ſicuti percipere ſolent alii Eccleſiæ noſtræ ſocii & Capellani.

Hinc eſt, quod Nos præfati Decanus & Capitulum, & Inveſtitus, maturâ deliberatione tractatuque diligenti ſuper his præhabitis, non ſolum rationi conſona, verum etiam in augmentum divini cultus, laudis & honoris emergentia, piè condeſcendentes, præmiſſa faciendi & habendi, juxta omnem modum jam præſcriptum, dictis Fratribus noſtros plenarios voluntatem conſenſum pariter & aſſenſum publicè tenore præſentium adhibemus, eiſque præmiſſa concedimus, annuimus (adjectis modo & formâ qui ſequitur) benevolè, & favemus.

Conditiones Admiſſionis.

Videlicet, ut ſupra-dicti Fratres ratione fundi memorati, in ſignum Patronatûs anno quolibet in feſto B. Servatii, Eccleſiæ noſtræ ſæpe-dictæ unum denarium Leodienſem exſolvant, ipſamque tamquam Matricem Eccleſiam in omnibus & per omnia ſpecialibus reverentiâ habeant & honore.

Nec non Fratres ibidem in Trajecto commorantes, pro tempore quo commodè venire poterunt, ſingulis annis in dicto feſto Sti. Servatii ad ipſam Eccleſiam venient ad proceſſionem, prout moris eſt, peragendam.

Atque pro univerſis & ſingulis oblationibus & obventionibus tam quotidianis quam aliis, in quatuor Feſtis principalibus anni, videlicet Nativitatis Chriſti, Paſchæ, Pentheceſtes, omnium Sanctorum, & in Commemorationis omnium animarum, à Chriſti fidelibus quibuſcumque in dicta Capella quomodolibet proveniendis annis ſingulis ſolvent ſupra-ſcripti Fratres ac ſolvere tenebuntur Inveſtito pro tempore exiſtenti dictæ S. Matthiæ Eccleſiæ triginta ſolidos Leodienſes annui cenſus, ſicut in dicto Oppido Trajectenſi exſolvuntur de hereditate: pro una media parte in feſto Nativitatis S. Johannis Baptiſtæ, & pro alia media parte in feſto Nativitatis Domini; atque quartam partem omnium funeralium cujuſlibet parochiani dicti Inveſtiti apud eoſdem Fratres, ut dictum eſt, eligentis ſepeliri.

Nec non oblationum ibidem proveniendarum die exequiarum ejuſdem, & hujuſmodi triginta ſolidos aſſignare præfato Inveſtito, capiendos & habendos in prædicto Oppido Trajectenſi, ad & ſupra bona hereditaria quæ ardère non poſſint.

Et ultra hujuſmodi portionem dictorum, oblationum funeralium &c. ſolvere tenebuntur & ſolvent amici jam dicti Prochiani præfato Inveſtito valorem omnium oblationum dictâ die exequiarum ad dictam Capellam proveniendarum: prout in aliis Eccleſiis Religioſorum Trajectenſium ſolitum eſt fieri, & hactenus conſuetum.

Atque his præmiſſis mediantibus, ad nihil aliud nobis occaſione præmiſſorum ſolvendum præfati Fratres erunt ſeu remanebunt aliquatenus obligati; nec quidquam ulterioris ſeu alterius juris cujuſcumque nobis, ſeu noſtris Succeſſoribus Decano Capitulo & Inveſtito prædictis, communiter vel diviſim retinebimus aut retinemus, competetque aut competere debebit in perpetuum in Capella & Altaribus ſupra-dictis: ſed omni & ſingulo ulteriori Juri in eis & pro nobis & noſtris Succeſſoribus penitus cedimus atque renunciamus.

Et ut præmiſſa omnia & ſingula in eiſdem firmius & immobilius, juxta omnem & ſingulum modum ſuperiùs contentum, obſerventur, præſentes Litteras exinde fieri fecimus: quas Nos præfati *Sigerus* Decanus & Capitulum Sigillo dictæ Eccleſiæ noſtræ, quo utimur ad cauſas, Ego vero *Johannes* Inveſtitus ſigillo meo proprio, quo utor, ex certa ſcientia duximus ſigillandum, in teſtimonium veritatis, robur & munimen omnium præmiſſorum;

Supplicantes Reverendo in Chriſto Patri & Domino, D. *Engelberto* Dei gratiâ Leodienſi Epiſcopo, quatenus præmiſſis ſuum conſenſum & aſſenſum adhibere, eaque ſecundum omnem modum ſuperiùs conſcriptum, ſuâ Authoritate Ordinariâ, per Litteras ſuas præſentibus transfigendas, approbare, ratificare & confirmare dignetur, in teſtimonium veritatis, fidemque & firmitatem eorumdem.

Datum anno Nativitatis Dominicæ M. C. C. C. quinquageſimo octavo, menſis Januarii die undecimâ. 1358.

NOs igitur Frater *Renerus* Provincialis, & ceteri Fratres ſuperiùs dicti, volentes dictæ gratioſæ conceſſioni ac benevolo favori debitâ viciſſitudine reſpondere, promittimus bonâ fide, maturo tractatu & diligenti ſuper præmiſſis inter Nos ſpecialiter præhabito, etiam ſub diſciplina & habitu noſtri Ordinis ſeu Religionis, pro nobis ac noſtris Succeſſoribus univerſis, prædictam Litteram in omnibus & ſingulis clauſulis ſuis & punctis, ratam gratam & firmam perpetuis temporibus abſque ullo dolo manutenere, adimplere, & obſervare cum effectu,

nec

Digitized by Google

nec contra ea facere aliquatenus vel venire; quovis ingenio vel colore quæsito.

In quorum omnium testimonium veritatis, & robur præmissorum, Sigillum Provincialitatis nostræ his Litteris ex certa scientia duximus apponendum.

Datum anno Nativitatis Domini millesimo trecentesimo sexagesimo secundo, mensis Februarii die decimâ octavâ. 1362.

De Origine Theutonici Ordinis, ac specialiter de Fundatione Domus principalis seu Baliviæ Veteris Junci vulgo *Alde-Biessen* prope Trajectum Mosæ, vide Notas ad Diplomata Miræi Tomo II. pag. 988. Sequitur Series Archi-Commendatorum, è superiore Manuscripto decerpta.

1. *Theodoricus de Guldenheupst*, præfuit anno 1267.
2. *Ludovicus de Kintwilre*, ab anno 1268.
3. *Matthæus à Francfordia*, anno 1271.
4. *Hermannus à Ryckel*, anno 1272.
5. *Nicolaus Dominus ab Horne*, anno 1278.
6. *Theodericus ab Horst*, anno 1284.
7. *Theodericus à Wevelhoven*, anno 1295.
8. *Walterus à Papenhoven*, anno 1302.
9. *Theodorus Dominus Hollandiæ*, anno 1307. Hic fuit Wilhelmi Rom. Regis filius spurius &c. obiit 1312.
10. *Gerardus à Loon*, ann. 1322.
11. *Rutgerus à Caudenbergh*, ann. 1324.
12. *Joannes ab Hoenthorst*, an. 1328. simul Commendator Ultrajecti, & Ducis Brabantiæ Consiliarius. Obiit anno 1340.
13. *Gerardus Van Printhaghen*, an. 1329.
14. *Henricus à Rondhorst*, ann. 1340.
15. *Conradus à Colen*, ann. 1351.
16. *Rutgerus à Vrimersen*, aliàs à Vliemerschem, ann. 1358. Fuit etiam Commendator Theutonicorum Ultrajecti.
17. *Reinerus de Hoen & Hoensbroeck*, fuit simul Commendator Ordinis Theutonicorum Ultrajecti. Moritur anno 1371.
18. *Henricus à Leeuwenburgh*. 1371.
19. *Reinerus ab Hausen*. 1400.
20. *Twanus à Cortembach*. 1430.
21. *Theodorus a Betenhausen*. 1440.
22. *Matthias Van der Straten*. 1460.
23. *Nicolaus à Dussen*. 1467.
24. *Joannes Vander Velden*. 1481.
25. *Gerardus Dominus à Sombreff*. 1482.
26. *Joannes ab Herck*. 1503.
27. *Maximilianus ab Eynatten* 1512.
28. *Gerardus à Strythagben*. 1536.
29. *Winandus à Breiel*. 1554.
30. *Joannes de Ghoer*. 1572.
31. *Henricus à Ruysschenbergh*. 1605.
32. *Frambertus à Luchtenburgh*. 1605.
33. *Edmundus Huyn ab Amstenrade*. 1634.
34. *Godefridus ab Huyn de Geleen*. 1657.
35. *Edmundus Godefridus à Bocholtz*. 1690.
36. *Henricus à Wassenaer*. 1709.
37. *Damianus Hugo Comes à Schonborn*, hujus, & Hassiæ Baliviæ Commendator, Canonicus Moguntinus, à Clemente XI. Pont. creatus S. R. E. Cardinalis die 30 Januarii 1713, ac post biennium publicatus. Fuit etiam Episcopus Spirensis atque Constantiensis in Germania: fato functus Bruxaliæ 20. Augusti 1743. ætatis anno 67.
38. N. *Baro à Sickingen d'Ebernberg*, electus Commendator Veteris Junci anno 1743.

CAPUT CVI.

ALBERTUS *Bavariæ Dux, Hannoniæ, Hollandiæ Zelandiæque Administrator, dein Comes, fundat unà cum Conjuge* MARGARETA *anno* 1369, *Capitulum Canonicorum, in Capella sua* B. M. V. *Hagæ-Comitum.*

ALBERTUS, Dei gratiâ Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, Gubernator sive Curator Comitatuum Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, ac Dominii Frisiæ; & MARGARETA eâdem gratiâ Ducissa Bavariæ & Conthoralis. Notum facimus universis, quod magnificentiam honores & gratias multiplices à divina misericordia, non nostris meritis, in multis anxietatibus & necessitatibus nostris pluribus vicibus largiter cognoscimus nos recepisse. Quas & adhuc cotidie in singulis actibus nostris speramus misericorditer evenire, & per aliqua caritatis opera inspiratione divinâ jam diu concepimus in magnæ retributionis signum, prout vires nostræ suppetunt, divini nominis augmentare cultum.

Hinc est, quod cum quandam Capellam in honore beatæ Mariæ Virginis consecratam jam diu habuimus in loco nostræ habitacionis precipuo, in Haga parcium Hollandiæ, Dyocesis Trajectensis; in qua hucusque servitores fuerunt quatuor personarum, more Canonicorum secularium se regencium, in habitu & plerisque in Horis, à sexaginta annis citra & ultra;

Volentes augere dictarum Præbendarum numerum ex causis antedictis, & ut divinus cultus, ob penuriam personarum ante remissè peractus, deinceps decentius ac perfectius impleatur; & singulariter propter eximium dictæ Capellæ per Karolum Christianissimum Francorum Regem, Consanguineum nostrum, honorem impensum: qui dictum locum per munera magnifica Ligni Vivificæ & Sanctissimæ Crucis Domini, nec non Coronæ Spineæ mirificè decoravit; Is erat Carolus V. Rex, mort. 1380.

Digitized by Google

Præbendæ XIV.

Adicimus & augemus uſque ad quatuordecim Præbendarum numerum: quarum duas habeat & conſequi debebit Decanus ſive Præpoſitus Collegii ante-dicti. Et bona, redditus ſeu proventus, quæ dicti quatuor Canonici hactenus receperunt, & recipere conſueverunt, ratione dictę Capellę, de cetero inter omnes & ſingulos æqualiter dividentur.

Addicimus etiam dicto Collegio, & perſonis ejuſdem, pro neceſſitatibus ſuis ſupportandis, in annuis redditibus ducentas libras Hollandenſium bonorum, recipiendas de & ex bonis & prædiis noſtris nuncupatis *Vroen* & *Coedyc*, partium Weſt-Friſiæ, infra limites Parochiæ de *Coedyc* dictæ Dioceſis, quouſque dictos redditus ducentarum librarum in uberiores vel ſaltem in æquivalentes duxerimus commutandos. Item aſſignamus eiſdem terras, poſſeſſiones & prædia, ſitas infra limites Parochiæ de
Gouda. *Gouda*, dictæ Dioceſis, ad nos per mortem Domini *Wilhelmi de Tula*, Militis, pleno jure devolutas.

Item terras, poſſeſſiones & prædia, ſi-
Harlem. tas in Parochia de *Herlem*, dictas *den Partic*, ejuſdem Dioceſis. Item Curtim noſtram & areas, cum ſuis pertinenciis, ſitam in Parochia de *Leyden*, ejuſdem Dioceſis. Leydé.
Item terras noſtras, prædia & poſſeſſiones, ſitas juxta Oppidum noſtrum de *t' s'Gravenzande*, vocatas *die banken*, cum prædiis *die Zipe* nuncupatis. Item campos noſtros ſitos ſuper *Andel*, appellatos *cleyn Vinken-camp*, *en groet Vinkencamp*. Item p.... in campum alium illis adjacentem, juxta locum *bi-den-hecke* nuncupatum. s'Gravezan-de.

Quæ bona, redditus, prædia, poſſeſſiones prædicta, eorumque dominia & proprietates in dictum Collegium, & ad opus perſonarum ejuſdem (ut prædictum eſt) transferimus, reſignamus, omni jure, modo, cauſa & forma quibus poſſumus melioribus. Volumuſque dictum Collegium ac perſonas ejuſdem in bonis ſæpe-dictis omnibus & ſingulis plenâ ac omnimoda libertate gaudere.

Prædictarum tamen Præbendarum Collationem, præſentationem, & quamvis aliam Collatio Præbendarum.
diſpoſitionem Nobis, & Succeſſoribus noſtris pro tempore reſervamus. In cujus rei teſtimonium Sigilla noſtra pręſentibus duximus apponenda.

Datum anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo, menſis Decembris die ultimâ.

Hujus Diplomatis nullam omnino Notitiam habuit Heuſſenius in utraque ſua Eccleſiæ Batavę Hiſtoria: qui & pauca habet de hoc Capitulo Hagienſi. Unde viſum eſt, illud hîc adjungere, decerptum é Tomo I. Hiſtoriæ Hagæ-Comitanæ, vernaculè editæ anno 1731. à D. *Jacobo de Riemer*, J. C. qui à pag. 189. ad 225. plura alia refert Diplomata ad hoc Capitulum ſpectantia.

Inter hæc unum eſt notabile *Maximiliani* Archiducis Auſtriæ ejuſque Conjugis *Mariæ* Burgundicæ Principum Belgii, datum Bruxellis anno 1479. quo eidem Capitulo ſeu Capellæ ſuę donant ſeu incorporari faciunt Eccleſiam novam Delphenſem, & etiam Hornanam in Weſtfriſia, cum Jure Patronatûs &c. Vide *Riemerum* pag. 209.

CAPUT CVII.

Inſtrumentum Fundationis Abbatiæ B. M. de Nizella *Diœceſis olim Cameracenſis, nunc Namurcenſis, anno* 1441. *Fundatoribus* PHILIPPO BONO *Duce Burgundiæ &* CHRISTINA DE FRANCKENBERGHE *Abbatiſſa Nivellenſi.*

Ex Archivis Abbatiæ.

IN nomine Domini. Amen. Serie hujus publici inſtrumenti, cunctis ipſum intuentibus pateat evidenter & ſit notum, quod anno â Nativitate ejuſdem Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo primo, Indictione quartâ, die vero decima octava menſis Junii, horâ decimâ ante meridiem, Pontificatus SS. Chriſto Patris & Domini noſtri EUGENII divinâ providentiâ hujus nominis Papæ quarti, anno undecimo, in mei Notarii publici ac teſtium ſubſcriptorum ad hæc vocatorum & rogatorum præſentia, perſonaliter conſtituti RR. ac Religioſi Patres DD. de Alna Leodienſis, & de Camberone Cameracenſis Diœceſis, Monaſteriorum Conventualium Ordinis Ciſtercienſis Abbates, in hac parte Reverendiſſimi Patris & Domini D. Abbatis Ciſtercienſis & totius Capituli Generalis, totius Ordinis Commiſſarii pro ſubſcriptis peragendis ſpecialiter deputati; prout de ipſorum poteſtate & mandato per quaſdam Litteras Commiſſionis in latino ſcriptas, ſigilloque Reverendiſſimi Patris prædicti ut aſſerebant, inibi in medium per eoſdem exhibitas, lectaſque, & per vivæ vocis oraculum prædicti Patris Abbatis de Alna alterius Commiſſariorum expoſitas & vulgariſatas ſufficienter docuerunt;

1341.

In effectu continentes certam poteſtatem ipſis Commiſſariis datam, & à ſupradictis conceſſam, Eccleſiam B. Virg. Mariæ de Nizella, ſitam & fundatam infra metas Parochiæ de Ophain, Ducatûs Brabantiæ, & jam dictæ Cameracenſis Diœceſis, in augmentum dicti Ordinis, & ad Requeſtam potentiſſimi ac metuendiſſimi Principis & Domini D. Philippi Burgundiæ Brabantiæ & Loth. Ducis, cum omnibus & ſingulis ſuis bonis, rebus, appenditiis & pertinentibus univerſis, dicto Ordini Ciſtercienſi incorporandi, & demum Monaſterio Beatæ Mariæ de Molinis Comitatûs Namurcenſis & prædictæ Leodienſis Diœceſis, ac Ordinis prætacti, legitimè uniendi, annexandi, & filialiter ſubdendi; ac de uno Prælato ipſi Eccleſiæ opportunè providendi: ut cunctis intueri poterat.

Dipoma Philippi Ducis extat T. III pag. 725. & ſequentibus.

Igitur cupientes prædicti Commiſſarii (ut aſſerebant) in ejuſmodi negotio ritè & legitimè procedere, ad Dei & Mariæ laudem & honorem ante-dictam Eccleſiam de Nizella cum omnibus & ſingulis ſuis bonis, rebus, appenditiis, & pertinentibus univerſis tam præſentibus quam futuris, præhabitis ſolemnitatibus ſolitis & requiſitis, dicto Ordini Ciſtercienſi, Authoritate præfata ipſis (ut præfertur) conceſſâ, melioribus modo & formâ quibus melius & efficacius potuerunt atque debuerunt, incorporarunt; nec non ſupradicto Monaſterio de Molinis unierunt & annexarunt, ac filialiter ſubdiderunt R. P. D. Petro Abbate de Molinis præſente, id gratis in quantum dictum Monaſterium concernit acceptante, eundemque D. Abbatem de Molinis ac ſuos Succeſſores Abbates Patrem Abbatem dictæ Eccleſiæ de Nizella perpetuis temporibus conſtituentes & ordinantes.

Abbas Molinienſis Pater Abbas.

Quibus ſic peractis Rev. ac Nobilis D. Chriſtina de Franckenberghe Domina & Abbatiſſa Nivellenſis, ibidem tamquam ſpecialis Fundatrix & Dotatrix & dicti Monaſterii exiſtens, ſupradictis Commiſſariis humillime ſupplicavit, quatenus juxta authoritatem & poteſtatem ſupradictas gratiâ Dei mediante ad primi Abbatis dicti Monaſterii Ordinationem & Inſtitutionem procedere vellent.

Diploma hujus Abbatiſſæ lege T. III. p. 451.

Qui quidem DD. Commiſſarii, conſiderantes, quod locus Capitularis dicti Monaſterii imperfectus erat ad exequendum contenta præfatæ Commiſſionis, idcirco Eccleſiam prætactam, in qua præſentialiter congregati erant, tamquam Capitulum ejuſdem loci ad pertractandum contenta ſive tenorem ejuſdem elegerunt, nominarunt, aſſumpſerunt, & deputarunt. Ac eandem D. Abbatiſſam inibi pro vera Fundatrice & Dotatrice dicti Monaſterii tenuerunt & reputarunt palam & publicè. Et conſequenter in facto Commiſſionis eorumdem procedentes, Chriſti nomine primitus invocato, prędictæ Fundatrici expreſſe petierunt, quale nomen Prælati in dicto Monaſterio de Nizella habere cupiebat atque optabat conſtitutum & ordinatum.

Cui petitioni ſupra memorata Domina reſpondit, quod pro Fundatione dicti Monaſterii perpetuis temporibus tenenda & inviolabiliter obſervanda in dicto Monaſterio, conſtitui & ordinari deſiderabat nomen primi Abbatis, rogans & deprecans eos, quatenus Abbatem primum in dicto Monaſterio ordinare & inſtituere dignarentur.

Cui reſponſioni Reverendus Pater Abbas de Molinis ſatisfacere deſiderans, prædictis Fundatrici & Commiſſariis, expoſuit, qualiter videre ſuo antedictum Monaſterium de Nizella in ædificiis & redditibus minime conſtructum & dotatum foret, pro uno Abbate pro tunc inibi conſtituendo, ac etiam pro ſuſtentatione Fratrum, ad inſtitutionem Abbatis in dicto Monaſterio requiſitorum & neceſſariorum, ſecundum Definitiones Ordinis ipſorum; per-maximè formidans, ſi ad hoc conſenſum ſuum impertiretur, quod in futurum per ſuos Succeſſores reprehendi poſſet.

Quapropter prædictos rogabat, quatenus nemini diſplicere vellet, quia illud nunquam conſentiret, niſi priùs audita, ſive deſuper habita fertiliori proviſione. Et pari modo R. Pater Abbas de Alna concordans remonſtrationi Abbatis de Molinis, addendo dictæ Fundatrici remonſtravit, quod niſi loco prædicto in ædificiis, & redditibus fertilius provideretur, nullum Abbatem in dicto Monaſterio ordinarent. Eandem Fundatricem & Dotatricem deprecantes & rogantes, quatenus contentari vellet de inſtitutione unius Prioris, uſque ad tempus quo ipſi Monaſterio fertilius exiſteret proviſum.

Quibus omnibus ſicut præmittitur per Remonſtrantes & per antedictos expoſitis iteratis vicibus, prædicta Fundatrix inſtanter & inſtantius prętactos Commiſſarios, & Patrem Abbatem de Molinis humillimè & cum magno cordis deſiderio rogavit, & deprecabatur, quatenus dicto Monaſterio providere de primo Abbate vellent atque dignarentur, confidentes in eam, quod locus & perſonæ Monaſterii de Nizella nullam pati deberent inopiam; quia quamdiu ipſa haberet valorem unius panis, ſive denarii, dummodo voluntatem ejus adimplere vellent, ipſis loco & perſonis promittebat dividere medietatem in caſu neceſſitatis, eis iteratò promittens providere, taliter quod per eam, & ipſius occaſione, nullum paterentur defectum.

Quibus requiſitionibus ſic ut præfertur per præfatam Fundatricem, loco & perſonis de Nizella legitime & ſponte, ut apparere poterat factis, antedicti Commiſſarii voluntati ejuſdem Fundatricis condeſcendentes in facto Ordinationis & Inſtitutionis dicti primi Abbatis de Nizella contentabantur, votum & requeſtam ſuos omnimodo adimplere volentes, & per Venerabilem Patrem D. Joannem Euſtachii Abbatem de Jardineto prope Walcuriam ibidem pręſentem, ſua hujuſmodi Abbatiali dignitate..... reſignatâ, & tamquam pro vacante integro jure plenè dimiſſa in manibus dictorum DD. Commiſſariorum.

Et deinceps nova profeſſione per eumdem D. Joannem R. Patri D. Abbati de Molinis prædicto factâ, quam plures Religioſi Fratres Conventuales loci, ſeu Monaſterii de Molinis ibidem præſentes, de conſenſu expreſſo ipſorum Abbatis, juxta ritum moremque & conſuetudinem ipſorum Ordinis, Dei nomine primitus invocato, in primum Abbatem dicti Monaſterii de Nizella, unanimi conſenſu & concorditer omnibus melioribus modo & forma, quibus melius potuerunt, & valuerunt, inſpiratione divinâ prout veriſimiliter credendum eſt moti, nominaverunt, elegerunt, & aſſumpſerunt palam & publicè altâ & intellibili voce, prædictum D. Joannem Euſtachii.

Ac per eoſdem eligentes, & per Commiſſarios prætactos, ac Patrem Abbatem de Molinis, ipſe D. Joannes Euſtachii, hanc electionem, iteratis precibus pulſatus, non volens tamen (ut aſſeruit) divinę voluntati reſiſtere, in ſe ſponte ſuſcipiens & acceptans, inibi publice & intelligibili voce, pro tali, & tamquam idoneo, in primum Abbatem de Nizella fuit pronuntiatus, nominatus, & tentus, habituſque, & reputatus.

Et conſequenter per dictos Commiſſarios legitime per baculi Paſtoralis, libri Regulæ, ac clavium traditionem, cum ſolemnitatibus requiſitis, fuit confirmatus, & introniſatus, ac in poſſeſſionem realem & actualem ac corporalem dicti Monaſterii, juriumque, bonorum ac pertinentium univerſorum compoſitus & inductus, & in Sede Paſtorali collocatus.

De & pro quibus omnibus præmiſſis ſic rite, & legitime peractis, concorditer & unanimiter ſine contradictione cujuſvis, Deum ſuppliciter laudantes, *Te Deum Laudamus*, devote unâ voce, ut cunctis intueri potuerat, decantaverunt.

De & ſuper quibus omnibus & ſingulis ſupradictis, prædicta D. Abbatiſſa Fundatrix, ac Nobilis Vir Joannes de Huldeberghe, D. Temporalis loci de Nizella, nomine antedicti Monaſterii petierunt, & quidem per ſe petiit ſibi & ſuis per me Notarium ſubſcriptum fieri unum vel plura publicum, ſeu publica Inſtrumentum, ſeu inſtrumenta.

Acta fuerunt hæc in loco Capitulari ſupradicto, ſub anno, indictione, die, hora, menſe, & Pontificatu, quibus ſupra, præſentibus ibidem Venerabilibus & Religioſis viris, & Fratribus, Willelmo Minart Priore, & Bartholomeo de Buſco Suppriore Domûs ſive Eccleſiæ de Buſco Domini Iſaac, ac Venerabilibus Viris D. Joanne de Melen Curato de Ophain & Amelrico de Wemel, in Jure Civili, Nobilibuſque Viris Warnerio de Daveles, & Henrico de Mierdegen, nec non diſcretis & honeſtis Viris Everardo Poulondor, Deſiderio Baudeſir dicto de Hobrug, Arnoldo de Breda, & Jacobo le Poivre, laïcis Leodienſis & Cameracenſis Diœceſis, Teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Digitized by Google

CAPUT CXV.

Fratribus Minoribus Antverpiæ à Magiſtratu anno 1446. *admiſsis, primâque habitatione in loco* Caudenbergh *minùs conveniente, ordinat* NICOLAUS V. *Pont. anno* 1449, *ut ad commodiorem locum tranferatur Conventus.*

NIcolaus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Abbati Monaſterii S. Michaëlis Antverpienſis, & Decano Eccleſiæ S. Petri Lovanienſis &c. Ex ſupernæ providentia majeſtatis &c.

Nuper ſiquidem pro parte dilectorum filiorum, univerſitatis Oppidi Antverpienſis, Cameracenſis Diœceſis, ac Guardiani & Fratrum novæ Domûs de Obſervantia B. Franciſci ejuſdem Oppidi Nobis fuit expoſitum, quod jam pluribus elapſis annis Domus ipſa in prædicto Oppido ad hoc ſituata fuit, ut Fratres in ea commorantes, cum honeſtate commorari, & Altiſſimo famulari poſſent.

Nota. Verùm quia Domus ipſa lenonum ſive meretricum ſit habitationibus circumdata, & quod Fratres ipſi etiam, quando divinis nituntur obſequiis, propter ipſorum lenonum & meretricum clamores aut aliàs ſæpe-numero perturbantur; quin-imo ipſi lenones & alii ipſis Fratribus malevoli, in eadem Domo ſemel incendium impoſuerunt; propter quod oppidani prædicti Oppidi, præmiſſa maturè conſiderantes, & clarè videntes, aliter ſuper iis remedium adhibere non poſſe, quemdam alium locum ad id aptum & honeſtum aſſignare propoſuerunt.

Quare pro parte univerſitatis, Gardiani & FF. prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos itaque . . . . diſcretioni veſtræ mandamus, quatenus vos, aut alter veſtrûm de præmiſſis omnibus informetis &c. Guardianum & Fratres prædictos, cum libris & omnibus ornamentis & paramentis, ac aliis rebus ad cultum divinum deputatis, ad prædictam Domum ſeu primum locum pertinentibus, pro alia Domo, ſeu novo & ſecundo loco cum ipſa ſecunda domo pro ipſorum Guardiani & & Fratrum uſu & habitatione; qui ſub obedientia Vicarii Miniſtri Provincialis illius Provinciæ ſeu Patriæ eſſe debeant; dictâ Auctoritate noſtrâ deputetis & aſſignetis: cujuſvis ſuper hoc licentiâ minimè requiſitâ.

Nos enim . . Guardiano & Fratribus, in ipſo loco eiſdem aſſignando, præſentibus & futuris, ut omnibus & ſingulis Privilegiis . . . uti & gaudere valeant, concedimus per præſentes: non obſtantibus &c. jure . . . cujuſlibet ſemper ſalvo.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno M. C. C. C. C. XLIX. ſexto Nonas Martii, Pontificatûs noſtri anno tertio.

CAPUT CXVI.

Abbas Generalis Ciſtercienſis confirmat Fundationem Prioratûs de Waerſchot, *Religioſorum Ordinis ſui, olim in Waſia, nunc intra Gandavum, illiuſque Paternitatem adjudicat anno* 1449. *Priori Monaſterii de* Waermonde, *juxta Harlemum in Hollandia.*

NOs Frater JOANNES Abbas Ciſtercii, dilectis nobis in Chriſto Priori de *Waremunda* ſalutem. Cum à nobis quod juſtum eſt petitur, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum; noſtrique Ordinis tam Papalia quam Regularia Inſtituta velint & decernant, Jus Paternitatis alicujus Monaſterii, ſeu Conventualis loci, in ipſo Ordine jam recenter fundati, ad eam Domum ſeu Monaſterium vel Conventualem locum pertinere, à quo primordiales Religioſi dicti novi Monaſterii ſeu Conventualis loci dignoſcuntur proceſſiſſe;

Fuerimuſque fide dignorum relatibus informati, Religioſos Prioratûs de *Waerſchot*, per honorabilem Virum *Simonem Utenhove* divinâ inſpirante gratiâ recenter fundati, ab ipſo Prioratu de Waeremunda emanaſſe;

Hinc eſt, quod prælibatis aliiſque in parte conſiderandis penſatis, juſtis petitionibus benevolo concurrentes aſſenſu, intuituque & contemplatione Illuſtriſſimi Principis, Domini Ducis Burgundiæ, in cujus Domi-

Digitized by Google

Dominio prædictus Prioratus dignoſcitur fundatus, brevi præſentium ſerie, Tibi, tuiſque ſucceſſoribus canonicè intrantibus, prædictum Jus Paternitatis pertinere dignum duximus declarandum: tenoreque præſentium inſinuamus & declaramus, tam noſtrâ quam ipſius noſtri Ordinis plenariâ poteſtate;

Illud etiam Tibi tuiſque Succeſſoribus, quantum in Nobis eſt, plenariè conferendo, præeminentiæ Superioritatiſque Eccleſiæ noſtræ Ciſterſii, totius Ordinis Matris & Capitis, cæteriſque Ordinis noſtri tam Papalibus quam Regularibus Inſtitutis, ſemper in omnibus ſalvis; omnibuſque & ſingulis memorati Ordinis præſentibus & futuris Regularibus perſonis firmiter dantes in mandatis, quatenus prædicto Jure Paternitatis dicti Prioratûs Te tuoſque Succeſſores pacificè uti & gaudere permittant.

Datum Ciſtercii, ſub appenſione Sigilli noſtri, die vigeſimâ menſis Septembris anni milleſimi quadringenteſimi quadrageſimi noni.

WAERSCHOT, pagus eſt tribus ab urbe Gandavo leucis diſtans, verſus Waſiam. Fundatus hîc fuit Prioratus Ciſtercienſium ab anno 1444. per Nobilem Virum *Simonem ab Uyttenhove*, Philippi Burgundiæ Ducis OEconomum, ejuſque conthoralem *Mariam s' Buſers*. Primi Religioſi à Prioratu *Waermundavo* ejuſdem Ordinis juxta Harlemum acciti ſunt.

Plura de eodem Prioratu, ejuſque Prælatis lege apud Sanderum T. I. Flandriæ Illuſtratæ pag. 312.

Ann. 1587. Jus Paternitatis tranſiit in Abbatem de Baudelo; idemque Prioratus anno 1650. tranſlatus intra Gandavum.

CAPUT CXVII.

Concordia inter D. JOHANNEM DE HEINSBERGH *Epiſcopum Leodienſem, quà Dominum Temporalem Terræ de Lummen, non longè à Dieſthemio Brabantiæ Oppido (hodie Baronatûs titulo ad Familiam Comitum à Marca pertinentis) & D. Abbatem S. Trudonis Ordinis S. Benedicti in Hasbania, ſuper Præſentatione ad Paſtoralem Curam de Linchaut anno* 1255.

JOANNES DE HEYNSBERCH, Dei gratiâ Epiſcopus Leodienſis, Dux Bullonii & Comes Loſſenſis, Dominuſque temporalis Dominii de *Lumpnis* noſtræ Diœceſis, necnon HENRICUS DE CONINXHEM miſeratione divinâ Abbas Monaſterii Sti. Trudonis, Ordinis Sti Benedicti, ejuſdem Diœceſis, Venerabili Viro Magiſtro Nicolao de Baenſt, Canonico Leodienſi ac Decano Concilii Leeuwenſis, prædictæ Diœceſis, ſalutem in Domino.

Cum, prout accepimus, Eccleſia Parochialis ſeu quarta Capella dicti Concilii Leuwenſis, de *Linchout*, vacat ad preſens per obitum quondam Goſwini Smoninx, Presbyteri, ultimi Rectoris ejuſdem, cujus Collatio ſeu Rectoris Præſentatio, vacationum temporibus, ad Dominum temporalem pro tempore dicti Dominii de Lumpnis, Jure Patronatus laïcalis, & ſimiliter ad Abbatem dicti Monaſterii pro tempore, ratione ſuæ Abbatialis dignitatis alternatis vicibus, ſpectare conſuevit, atque famatur; ne ex hujuſmodi viciſſitudine lites & placita ſuſcitentur;

Pacis Authorem inſequi cupientes, concordamus pro nobis & Noſtris in dictis Dominio temporali & Abbatia Succeſſoribus, ipſam Præſentationem ad Eccleſiam Parochialem ſeu quartam Capellam ante-dictam, *conjunctâ manu & unicâ Littera, nequaquam vero diviſim*, ex alterna tamen noſtrorum Nominatione, quodque Præſentationes fiendæ ex cauſa Permutationis alternationem hujuſmodi minimè tollere poterunt, de cœtero perpetuis futuris temporibus fieri & expediri debebunt;

Quemadmodum ad ſæpe-fatam Eccleſiam Parochialem, ſeu quartam Capellam de Linchout, ut præfertur vacantem, de præſenti ex nominatione noſtri JOHANNIS DE HEYNSBERCH tamquam Domini temporalis dicti Dominii de Lumpnis aliàs per nos JOHANNEM pecuniis noſtris paratis mediantibus acquiſiti, Nos Johannes & Henricus Abbas, ſalvâ nobis Henrico ſeu noſtro Succeſſori in ipſa Abbatia proximâ & ſemper alternâ nominatione, diſcretum virum *Johannem Mynbiers* Clericum ſæpe dictæ Diœceſis, ad obtinendam hujuſmodi Eccleſiam ſeu quartam Capellam habilem, & idoneum, Vobis, ad quem veluti Decanum dicti Concilii Inſtitutio & admiſſio Rectoris ejuſdem Eccleſiæ ſeu Capellæ de notoria conſuetudine pertinere dignoſcuntur, in Dei nomine conjunctâ manu præſentium tenore præſentamus;

Cum ea ſupplicatione, quatenus dictum *Johannem Mynbiers* ad præfatam Eccleſiam

Regnante Ludovico, Anno 1224. Ludovicus Rex Francorum Philippi Augusti filius, Ludovicum filium suum primogenitum, Regem Francorum Christianissimum, & Comitem Pictavensem, & Andegavensem, & Blesensem, & Turonensem, & Cenomanensem, & Aurelianensem, & Bellimontensem, & Comitem Atrebatensem, & Ambianensem, & Montisregalis

CAPUT CXIX.

Deſcriptio flandrica, Fundationis Prioratûs Monialium Ordinis Sti. Auguſtini in Oppido Bergizomenſi erecti ab anno 1461. *cui nomen vulgare* Stę. Margaretæ in Valle Joſaphat; *primis Monialibus Haſſeleto evocatis.*

Ex Archivis Marchionum DD. Bergiſomenſium.

IN't jaer ons Heeren M. C. C. C. C. ende LXI. opten xiijſte dach van Septembri, uut verſoecken ende beden des Edelen Heeren Heer JANS VAN GLYMES *Heere van Bergen, ende ſynder wettigher Gheſellynnen, Vrouwe* MARGRITE VAN SEISSYMMONS, *ſoo verleende ende conſenteerde onſe weirdighe Vader in Gode ende Heere* LUDOVICUS DE BOURBON *Biſſchop van Ludick uut ſynre ordinaris Autoriteyt ende macht; als datmen in des plaetſen die te voeren van ſommighen Grauwen Suſteren bewoont was geweeſt, oprechten ſaude eene Capelle ofte Kercke, met outaren ende kerckhove daer aen liggenden, ende die oock behoorlyck doen wyden.*

Aliàs. Saint Simon.

Voirt meer in der ſelver plaetſſen een Clooſter begrypen, met eenen dormpter reeftere ende alle andere ſynre toebehoirten; om aldaer te aenveerden ende te onderhouden die Ordine des derden Regulen Sinte Franciſcus, *ghebeeten d'Ordine der Penitencien, in alder manieren van levene, ghelyckerwys alſe de Zuſteren der ſelver Ordinen doen ter tyt onderhielden in de ſtadt van Haſſelt.*

Hier na, in den ſelven jare van LXI., de voorſcreven mynen Heere van Bergen ende oock de Eerweirdige Heeren van den Capittel ende van der ſtadt van Bergen deſe dinghen neirſtelyck achtervolgende, hebben vercreghen by bevéle myns Heeren Biſſcop van Ludick voirſcreven VII. Religioſe perſoene uut den voirſcreven Suſter-huyſe van Haſſelt, om de voirgeſcreven Ordine in des geeſtelycker plaets yerſtwerf te begrypen ende te inſtitueren. Welcker namen ſyn deſe, Suſter Barbara van Aerſchot *als Moeder ende Overſte, Suſter Geertruydt van den Wyer als onder-Moeder, Suſter Hadewich Naerts, Suſter Geertruydt Munters, Suſter Criſtyn Vetters, Suſter Cathrine Steenvoerts, ende Suſter Amelberghe van den Briele.*

Nomina primarum Sororum, ex Haſſeleto.

Deſe VII. Suſteren waren uut den voirſcreven Suſter-huyſe van Haſſelt gecomen, ende gebracht in eenen overdecken wagen, tot voer de poerte van der Stadt van Bergen; daer ſy verwacht wierden ghemeenelyck van de Heeren van der Stede ende van den Cappittel, dieſe ſeer blydelyck ontfinghen, ende met behoerlycker eerbaerheit ende feeſten ter ſtadt waert inne leyden, totter gedeputeerder plaets, die naemaels uut begeerten der voirgeſcreven Mynvrouwen Margrieten van Seyſymmons, *by conſent ende confirmatien des Biſſcops van Ludick voorſcreven ghebeeten wordt* 't Godshuys van ſinte Margrieten in 't dal van Joſaphat. *Ende deſe dinghen gheſchieden op ſinte Machiels avont, in den jare van LXI. voirſcreven.*

Nae deſe tyt, een ſpacie van jaren voerleden, doen dat getal der Suſteren in deſe derder Ordinen vermenichfuldicht was totten getalle van XXXVI. uut ingeven des Heilichs Geeſt, ende by der voirſienicheit Gods alſt te vermoeyen es, om tot volmaecter perfectien ende voertganck in geeſtelycken leven te commene, ende om volſtandige obſervancie der Religien t' onderhouden;

Sorores tertiariæ fiunt Auguſtinianæ.

Soo hebben deſe voirſcreven Suſteren haer yerſte Profeſſie der derder Regule afgedaen ende verwandelt, aennemende de generael Ordine ofte Regule des hoogen weirdighen glorieuſen ende Heiligben Leeraers Sinte Auguſtinus; ende dit es geſchiet by informatien, onderwyſen ende ingeven des Eerweerdigen Heeren, Heer Willem Braen, *Deken der Kercken van Berghen, ende meer anderen goeden wyſen ende geleerden mannen.*

Uyt verſoecke oick ende begeerte des Edelen Heere van Bergen voirſcreven, ende der Eerweerdiger Heeren van den Cappittel ende vander Stadt van Bergen voirſcreven, ende ſonderlinge by faveur conſent ende Auctoriteit des Biſſchops van Ludick voirgeſydt in't jaer ons Heeren M. C. C. C. C. ende LXX. op ten xvj. dagh *van Auguſto, te weten opten naeſten Sondagh voer des Hylichs Vaeders ſinte Auguſtynus dach.* 1470.

Ende deſe Tranſlatie oft overganck der ander Ordinen es geſchiet ten daghe voirſcreven, inder preſentie der Eerweirdigher Heeren, Heere Willem Braen *Deken van Bergen, ende Her* Lambrecht de Cupere *Officiael van den Biſſchop van Ludick. Ende van ſynen wegen hebben deſe Suſteren yerſt werf ghewielt, ende daer na een nyeuwe Profeſſie na den Regule ſinte Auguſtyns voirſcreven van den ſelven Zuſteren ontfaen.*

Onder de welcken Zuſteren de ſommighe van hen worden gecleet in grauwe habyte ende ſwarte Scapulierſſe, ten oirſake dat ſy ſouden morgen uutgaen in den corber ende profyt des Godshuys te beſorgen ende te bedienen; de welcke nochtans onder die Nonnen gerekent waren, ende haer eerſte plaetſe behielen van der yerſte profeſſien alſoo lange als ſy leefden.

Hier namals in den jare van LXXV. *ſoo heeft Onſe Alderheilichſte Vader den Paus* Sixtus de vierde, *bevolen ende gecommitteert Heeren* Willem Braen *Deken van Bergen voirſcreven, in eene ſyne Bullen metten loeyen Segbel, deſen onſen overganck oft Tranſlatie der Ordinen van ſinte Auguſtyn & appro-*

Digitized by Google

beren, ratificeren ende confirmeren; ende noch meer oock, onſen Godshuyſe ende Convente van ſynder Autoriteyts wegen te verleenen alle Privilegien, Exemptien, Vryheiden, Gratien ende Aſlaeten, de welcke nu ter tyt gebruyckt ende naemaels gebruycken ſal moghen 't ghemeyn Capittel van Windeſem.

Den welcken bevele ende Commiſſie achtervolgende, ende exequerende Heer Willem Deken voirſcreven heeft uut der Auctoriteit des Paus hem bevolen, onſe voirſcreven Tranſlatie geapprobeert ende geconfirmeert; ende oic de voergenoemde Privilegien des Cappittels van Windeſem als voirſcreven is onſen Godshuyſe verleent, willende ende uut der voirſcreven Autoriteyt des Paus ſtatuerende ende ordinerende, deſe Tranſlatie der Ordinen van ſinte Auguſtyn t' obſerverene ende t' onderhoudene te wordene, na der formen, manieren, Ordinancien, ende Statuten des Capittels van Windeſem voirſcreven. De welcke deſe Executie van der Confirmatien Privilegien ende Ordinancien voirſcreven es gheſchiet by Heere Willem Braen Deken voirgeſcreven in den jare M. C. C. C. C. LXXVI. *opten* XXIX. *dagh Junii, ten viifſten jare Heeren* Sixti *des vierden Paus voirſcreven; alſt blyct in den Brieven ende Inſtrumenten daer op gemaeckt ende beſeghelt, ten jaere ende daghe voirſcreven.*

Item daer na in den jare M. C. C. C. C. LXXXV. *opten* XII. *daghe van Januario ſoo heeft de Paus* Innocentius *de achſte van deſen name, in ſyn Bulle, metten loeten Zeghele ons Godshuys, ende deſſelf ons Godshuys ſorge, laſt, regiment ende adminiſtratie tot eewigen daghen bevolen den Eerwerdighen Prior van Groenendale ten tyde weſende, om ons te verſiene ende beſorgen van den Rectoir ende geſellen, om die Suſteren te cleedene, ende Profeſſie t' ontfane, ende om ons Godshuys ende de perſoonen deſſelfs te viſiteren ende reformeren, die gebreken der Nonnen ende der andere perſoonen te corrigeren, ende alle andere dingen daer toe bequame orborelyck ende van noode weſende t' exequerene, te agerene ende te volcomen, uut den name macht ende Auctorityt deſſelfs Paus voirſcreven, ſonder yemants wederſeggen.*

Prior Viridis Vallis earum Superior.

1512. *Item hier na in den jare M. D. XII. ſoo begonſten wy opten Paeſchdach ende alſoo voertane daghelyx te houdene* Horas Canonicas, *dats die lange Getyden, by goeder informatien Heer* Jan Keyaerts, *die doen ter tyt ons Rectoir was, die VII. in den getalle, maer die vyffte uut Gruenedale weſende, onſe Bichtvadere, ende onder Suſter* Berbele Lannoys *doen ter tyt Priorinne.*

Want van den begynne des Godshuys tot dier tyt, ſoo hadden wy altoos des weeken daechs alleenelyck onſe Vrouwen Getyden oft Cuers *gehouden, ſonder groote Ghetyden, die welcke van doen ter tyt alleen des Heiligen daechs hadden gehouden; ende ſint den jare ende termyn voirſcreven nu dagelycs continuerende ſyn. Ende myds deſen, ende den anderen onſen Obſervantien na de Regulen en Statutem onſer Ordinen, ſoo ghebruyct ons Godshuys alle gracien, Aſlaten, Exemptie ende Privilegien des ghemeyns Capittels van Windeſem, ende behoert voertane gheacht te ſyne ende ghebeeten te wordene, een Godshuys der Nonnen Regulariſſen van de Ordinen der Canonicken Regulieren ſinte Auguſtyns.*

Id eſt, choor.

ADDITIO IN MSS.

In 't jaer ons Heeren M. C. C. C. C. ende LXV. opten XV. dach in April is overleden die Edele Vrouwe van Bergen Vrouwe Margriete van Seyſymmons *zaliger memorien, principael Fundatrice ons Godshuys.*

Obituaria.

In 't jaer ons Heeren M. C. C. C. C. ende XCIV. opten VII. dach in April, is overleden myn Edele ende Welgeboren Heere van Bergen Heer Jan van Glymis *ſaliger memorien, principael Fondator ons Godshuys.*

In 't jaer ons Heeren M. D. opten leſten dach van Meye, is overleden die Edele myn Vrouwe van Bergen Vrouwe Adriaene van Emmecoert, *wettige geſellyne van myn Heere* Jan van Bergen *ſaligher memorien, die ons Godshuys oock ſeer begaeft heeft.*

In 't jaer ons Heeren M. D. ende II. is overleden myn Reverende Heere myn Heere van Cameryck, Heere Henderick van Bergen *ſaligher memorien, die ons Godshuys oock ſonderlinge Privilegien ende gracien vercreegh in 't Hof van Romen.*

In 't jaer ons Heeren M. D. ende XIV. in Januario, is overleden myn Heer van Walheyn, *ſaligher memorien, myns Heeren van Bergen outſte ſoen.*

CAPUT CXX.

Abbas Sti. Bavonis Ordinis Sti. Benedicti Gandavi, conſenſum præbet Erectioni Monaſterii Stæ. Agnetis, Monialium Ordinis Sti. Auguſtini, in ſuo Patronatu inſtituti, anno 1462.

Ex Archivis Epiſcopatûs Gandav.

UNiverſis & ſingulis præſentes Litteras inſpecturis. Jacobus permiſſione divinâ humilis Abbas, Daniel Prior totuſque Conventus Monaſterii ſancti Bavonis juxta Gandavum Ordinis ſancti Benedicti Tornacenſis Diœceſis, ſalutem in Domino, cum notitia veritatis infraſcriptorum.

Dignum quidem ac meritorium fore cognoſcimus, piarum mentium affectibus, illis

illis præcipue quibus divinum cultum augere cupiunt, facilem præbere conſenſum; cum exinde gloriam Dei & animarum ſalütem uberius imminere proſpicimus.

Notum igitur facimus, quod Nos, pro nobis & Succeſſoribus noſtris, ad honorem & laudem Dei ejuſque glorioſiſſimæ Genitricis & Virginis Mariæ ac omnium Sanctorum & Sanctarum, & principaliter glorioſæ Virginis & Martyris Sanctæ Agnetis, & ob reverentiam & honorem Ordinis ſancti Auguſtini, & divini cultûs augmentum piis & caritativis affectibus confovêre volentes, dilectis nobis in Chriſto filiabus & Sororibus, Prioriſſæ & Conventui Monaſterii ſive Domûs ſanctæ Agnetis ſupra Lyſam, extra portam, quæ dicitur vulgariter *de Cupen*, Ordinis ſancti Auguſtini, infra limites Parochialis Eccleſiæ ſancti Michaëlis Gandenſis, noſtri Patronatûs, Tornacenſis Diœceſis prædictæ, conſtructi ſive conſtructæ, ſuper hiis prius deliberatione diligenti præhabitâ, de unanimi conſenſu quantum in nobis eſt, & ad nos ſpectat (ſalvis tamen omnibus & ſingulis noſtrarum ſanctorum Bavonis & Michaëlis Eccleſiarum juribus, privilegiis, franciſiis, indultis, libertatibus & prærogativis, & abſque illorum præjudicio) eiſdem Prioriſſæ & Conventui conceſſimus, & tenore præſentium concedimus;

Ut Eccleſiam, & alia quæcumque, ad habitandum pro eiſdem, ac aliis Deo ibidem famulaturis, tam præſentibus quam futuris, neceſſaria & ad Monaſterium congruentia & opportuna, in loco prædicto pro ipſis jam incœpto & determinato, infra dictam Parochiam ſancti Michaëlis in & ſub noſtro Patronatu (ut præfertur) conſtituto, liberè ſtruant, fundent, conſtituant & ædificent, ſeu fieri, fundari, conſtrui & ædificari faciant & procurent;

Noſtrum deſuper conſenſum principaliter & aſſenſum adhibentes;

Hoc ſalvo expreſſè, quod Prioriſſa & Conventus pro nunc exiſtentes, ac eorumdem ſucceſſores, in ſignum recognitionis Juris noſtri Patronatûs prædicti, in & ſub quo ipſorum Eccleſia & Monaſterium ſituantur, ſingulis annis futuris perpetuis temporibus, in feſto glorioſiſſimi Confeſſoris Chriſti Bavonis, in capite Octobris, Nobis & Succeſſoribus noſtris, unum Corporale, aut duos ſolidos groſſorum monetæ Flandriæ loco ejuſdem, & unam libram ceræ realiter & cum effectu perſolvent.

Et ad offertorium ſummæ Miſſæ ejuſdem feſti in dicta noſtra Eccleſia offerre ſeu offerri facere per ſuos nuncios debeant & tenebuntur humiliter & devotè.

Quodque conſimiliter omnes & ſingulæ ipſius ſanctæ Agnetis Monaſterii modernæ Sorores, & earum Succeſſores, cauſâ præmiſſâ, pro quolibet Religioſo de medio ſublato noſtri dicti Monaſterii (poſtquam tamen obitus ſive mors talis ſublati ad ipſarum per noſtram aut Succeſſorum noſtrorum diligentiam noticiam devenerit) pro ſalute animæ illius defuncti, unum Pſalterium de David, quæ ſciverint, & ignorantes illud, loco illius XXX. Pater noſter, & totidem Ave Maria etiam legere;

Et pro nobis Abbate & Succeſſoribus noſtris, in omnium peccatorum noſtrorum ſimiliter remiſſionem, & pro animarum noſtrarum ſalute, pro quolibet defuncto Abbate Miſſam de Requiem, cum Diacono, Subdiacono, Vigiliis novem lectionum, & Commendationibus ſolempniter cum cantu & notâ devotè fieri procurare; & pari modo ſcientes Pſalterium Davidicum, illud legere, & non ſcientes, ut ſupra, illius loco ſexaginta Pater noſter & totidem Ave Maria, pro animâ talis defuncti Abbatis dicere tenebuntur & obligabuntur in perpetuum; ſub pœnâ dupli defectus illius, ſi quem commiſerint;

In ſingulis aliis, Jure noſtro & quolibet alieno in omnibus ſemper ſalvo.

In cujus rei firmitatem & teſtimonium, Nos Jacobus Abbas, Prior & Conventus Monaſterii ſancti Bavonis prędicti, nec non Prioriſſa & Conventus Monaſterii ſanctæ Agnetis, ſiti vulgaliter *buten-cupen*, Ordinis Sancti Auguſtini memoratorum, Sigilla noſtra ad perpetuam præſcriptorum memoriam, in duplici cauda pargameni præſentibus noſtris Litteris apponi & impendi, ac eaſdem per Notarium noſtrum ſubſcriptum ſignari fecimus, anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſecundo, menſis Januarii die decimâ. 1462.

Videndus etiam Anton. Sanderus in ſua Flandria Illuſtrata Tomo I. pag. 328. recentioris editionis.

Extitit illic aliquando hoc Epitaphium ante ſummum Altare.

„ Hic jacet ſepulta Domina Iveta Ryms, filia „ Danielis, vidua Giſelberti de Grutere, filii „ Giſelberti, præcipua Fundatrix hujus Mona„ ſterii, quæ obiit anno 1468. primâ Maii. „ Orate pro anima.

CAPUT CXXI.

LUDOVICUS DE BRUGIS, *Dominus de Gruthuſe, Comes Wintonienſis, Princeps Steenhuſiæ &c. ejuſque Conjux* MARGARETA BORSSALIA, *fundant ac dotant Brugis anno* 1469. *Monaſterium Monialium Collettinarum, Strictioris Obſervantiæ Ordinis S. Franciſci.*

Ex Archivis Familiæ Principum de Steenhuyſe.

IN nomine Domini, amen.

Per hoc præſens publicum Inſtrumentum cunctis pateat evidenter & ſit notum, quod anno ejuſdem Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo nono, menſis Novembris die 29. Indictione III. Pontificatûs SS. in Chriſto Patris & Domini noſtri D. Pauli divinâ providentiâ Papæ II. anno ſeptimo, in mei Notarii publici ac teſtium infraſcriptorum ad hoc vocatorum ſpecialiter & rogatorum præſentiâ conſtituto perſonaliter & exiſtente Nobili ac generoſo viro & Domino *Ludovico de Brugis*, Domino de Gruthuſe, Principe de Steenhuuſe, &c. Milite;

Idem Dominus, pro ſe, & pro Nobili Domina D. Margarita * ſua conthorali legitimâ, de qua quoad infraſcripta ſe fortem fecit, heredibuſque & ſucceſſoribus ſuis, cupientes tam ſuæ, quam dictæ Dominę Margaritæ ejus conthoralis, ac heredum & Succeſſorum ſuorum animarum ſaluti providere, & pro terrenis cœleſtia, ac temporalibus æterna conſequi atque adipiſci, non ad hoc coactus aut ſeductus, nec vi, dolo, metu, fraude, errore, ſeu aliquâ ſiniſtrâ machinatione circumventus (ut aſſeruit) ſed ex ejus mera libera atque ſpontanea voluntate recognovit & confeſſus fuit, & in veritate recognoſcit & confitetur, ſe ad laudem omnipotentis Dei & glorioſæ Virginis Mariæ ejus Genitricis, Beatique Franciſci & Stæ. Claræ ac omnium Sanctorum & Sanctarum Dei, in favorem ac ſub ſpe certi noviConventûs ſive Monaſterii, cum Eccleſia, campanili, campana, cimiterio, horto, hortaliciis & aliis officinis neceſſariis, pro uſu & habitatione Sororum Ordinis S. Claræ, per quondam bonæ memoriæ devotiſſimam Sororem *Collettam* †, dicti Ordinis Religioſam fundatarum ſeu Reformatarum, in quodam loco ſive fundo aut hereditate vulgariter appellatâ in 't *Gruutbof*, ſito ſive ſituato juxta portam Stæ. Katerinæ, Tornacenſis Dioceſis, Altiſſimo concedente in proximo ædificandi, erigendi atque conſtruendi, ſub hoc vocabulo ſive nomine ſibi impoſito de *Synaï*.

In cujus ſignum dictus Dominus *Ludovicus* primum lapidem poſuit caritatis intuitu, in puram elimoſynam & propter Deum atque pro ipſorum comparentium conjugum parentumque & Succeſſorum ſuorum animarum ſalute.

Prædictum locum ſive fundum aut hereditatem, quantitatis in quadrato duarum menſurarum & XXXVI. virgarum terrarum, parum plus vel minus, ſitarum & jacentium à parte meridionali, & cum fine occidentali inter quemdam aquæ-ductum prope mœnia dicti Oppidi Brugenſis, theutonicè, *tuſſchen der ſtede waeter-loop aen de veſten, aen zuut zyde, en oock aen 't weſtende*, terræ Dionyſii Strickehus de Vildere, & Malini Brigant jacentem à parte boreali ſive ſeptemtrionali tendentium cum parte orientali ad terras Henrici Van Wy, nec non Mariæ relictæ quondam Jacobi Creuſſe, & liberorum quondam Dionyſii Van Imbroecke, unà cum domibus & arboribus deſuper ſtantibus & excreſcentibus ac pertinenciis ſuis univerſis, contuliſſe, dediſſe atque donaſſe, ac per hoc præſens publicum Inſtrumentum Donatione irrevocabili confert, dat, atque donat.

Omnique ſuo & dictæ Dominæ Margaretæ ſuæ Conthoralis, ac heredum & Succeſſorum ſuorum juri, actioni, dominio, poſſeſſioni, & proprietati ipſis & eorum cuilibet in prædicto loco, fundo ſeu hereditate, ejuſque pertinenciis quomodolibet competentibus, ad opus & pro uſu (ut ſupra) & non aliàs, ſe tam pro ſe quam pro dictâ Dominâ Margareta ſua conthorali, heredibuſque & Succeſſoribus ſuis inde exheredando, expreſſè ceſſit & renunciavit;

Ac omne ſuum Jus, & omnes ſuas actiones, dominium, poſſeſſionem & proprietatem hujuſmodi coram me Notario publico infraſcripto ſtipulante & recipiente ad opus, & ſub ſpe dicti novi fiendi Monaſterii ſive Conventûs, & non aliàs, ut præfertur;

Omnibus viâ modo & formâ melioribus, quibus potuit & debuit, tranſtulit & tranſportavit, nichil juris, actionis, dominii, poſſeſſionis vel proprietatis hujuſmodi ſibi vel ſuis heredibus aut Succeſſoribus reſervando.

Promittentes inſuper dictus Dominus Ludovicus bonâ fide, pro ſe & dictâ Domina Margareta ſua conthorali ſuiſque heredibus & Succeſſoribus michi Notario publico infraſcripto, ſolemni ſtipulatione, prout præ-

* *Margareta Van Borſſele.*

† B. Coletta hodie colitur in Ordine S. Franciſci die 6. Martii.

Digitized by Google

mittitur, intervenientium vice & loco Fratrum Minorum, *Andreæ Chriſtiani* pro præſenti Viſitatoris Sororum dicti Ordinis, *Auguſtini de Baersbanc*, *Balduini Coye*, *Joannis de Ligno*, & *Joannis Waudecourt* Presbyterorum & Religioſorum Ordinis S. Franciſci, ad hoc præſentium, & nomine earumdem Sororum inibi inſtituendarum præmiſſa acceptantium, ac omnium & ſingulorum quorum intereſt, ſeu intereſſe poterit quomodolibet in futurum, prædictas Collationem, dationem, donationem, ceſſionem renunciationem, exheredationem & tranſlationem ſive tranſportationem, ratas, gratas atque firmas habêre, tenêre & perpetuo obſervare, nec contra illas ullo unquam tempore facere, dicere, proponere vel venire, aut contra-faciendo conſentire.

Neque Religioſis in prætacto fiendo Monaſterio, ſive Conventu inſtituendis impedimentum, quo minus dicto loco, ſive fundo, aut hereditate ejuſque uſu-fructu pacificè & liberè, ad earumdem Sororum & FF. Minorum ipſis ſervientium nutum, uti frui & gaudere poſſent, quovis modo, per ſe vel alium, directè vel indirectè, quovis quæſito colore vel ingenio, præſtare ſeu præſtari permittere.

Promiſitque ulterius idem Dominus Ludovicus in manu mei Notarii publici ſubſcripti, prædictas terras ſive hereditatem ab omnibus contributionibus perpetuorum reddituum ex eis & dictis domibus deſuper ſtantibus annuatim exeuntium, & arriragiorum eorumdem, ſui-ipſius Domini Ludovici ſumptibus & expenſis liberare & purgare, ac puras & liberas reddere;

Nec non de ejuſmodi redditibus, ac omnibus aliis oneribus admortizari facere.

Et inſuper, pro majore robore atque ſecuritate omnium & ſingulorum promiſſorum, memoratus Dominus Ludovicus, pro ſe & pro dicta Domina Margareta ſua conthorali, de qua (ut præmittitur) ſe fortem fecit, ac ex ejus certis ſcientiâ & propoſito, dilectos ſibi & fideles fecit, conſtituit, creavit, nominavit, & ſolemniter ordinavit ſuos veros & legitimos Procuratores, Nobiles & generoſos ac Venerabiles, providoſque & diſcretos Viros, DD. & Magiſtros Antonium de Halwyn, Joannem de Baenſt, Anſelmum Adorne, Joannem de Moeſcroen, Milites, Joannem Vincentii Præpoſitum S. Petri Caſletenſis, Petrum Bogaert Archidiaconum Valencinenſem Conſiliarios; Simonem du Karreſt & Antonium de Halwyn, Secretarios Illuſtriſſimi Principis & Domini noſtri, D. Ducis Burgundiæ, Comitis Flandriæ &c.

Nec non Colardum de Mey, Magiſtrum Ægidium Van der Hoeven, Notarium publicum ac Curiæ Brugenſis Scribam, licet abſentes tamquam præſentes, & eorum quemlibet in ſolidum; ac pro ipſo Domino Ludovico conſtituente, coram jam dicto Domino noſtro Duce & ejus Magno Conſilio, aut ipſis Deputatis ſeu deputandis, & alibi ubicumque aut quandocumque fuerit expediens, comparendum & ſe repræſentandum;

Nec non hujuſmodi Collationem, dationem, donationem, ceſſionem, renunciationem, exheredationem, & tranſlationem admitti, paſſari, corroborari, & admortizari, humiliter ſupplicandum, petendum, impetrandum & obtinendum; ac omnia alia & ſingula præmiſſa concernentia faciendum, procurandum & exercendum, prout ipſemet Dominus Ludovicus conſtituens faceret, ſeu facere poſſet, ſi præſens & perſonaliter adeſſet.

Promittentes ſub ſuis fide & juramento, omniumque ſuorum bonorum mobilium & immobilium, præſentium & futurorum ypothecâ & obligatione, ratum, gratum atque firmum habere, tenere & perpetuo obſervare totum id & quidquid per dictos ſuos Procuratores aut eorum alterum in præmiſſis actum, dictum, factum geſtumve fuerit, aut aliàs quomodolibet procuratum.

De & ſuper quibus præmiſſis omnibus & ſingulis, præfatus Dominus *Ludovicus* Conſtitutus, tam pro ſe quam pro dicta Domina Margareta ſua conthorali voluit & conſenſit, dictique FF. Minores ſuperiùs nominati, nomine prædictarum Sororum petierunt & requiſierunt per me Notarium publicum ſubſcriptum fieri atque ipſis tradi publicum Inſtrumentum unum vel plura, in adſtantium teſtimonio perſonarum memoratarum, in teſtes.

Acta fuerunt hæc Brugis, dictæ Diœceſis Tornacenſis, in dicto loco ſive fundo vulgariter appellato *in't Gruut-hof*, anno, Indictione, menſe, die & Pontificatu quibus ſupra: præſentibus ibidem dicto Nobili & generoſo, ac providis & diſcretis Viris *Joanne de Baenſt*, Domino Sti. Georgii in Diſtele, Milite, *Nicholao* ſive *Colardo Dhault*, dicto Magiſtro Vander Houven, Johanne de Lattre, Adriano Kaervoet, Johanne Walcheline latomo, ac Domino Johanne de Haelwin Presbytero, dicti Domini Ludovici conſtituentis Capellano, teſtibus ad hoc vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et ſubſignatum, per *Guilielmum le Rogiault* Notarium publicum.

Epitaphium Familiæ de Gruuthuſe, quod extitit olim in antiqua Eccleſia PP. Carmelitarum Calceatorum Brugis.

„ *Hier vooren ligghet begraeven AGNES*
„ *VAN MORTAIGNEN, Vrouwe*
„ *van den Gruuthuuſe, ende van Spire, die*
„ *ſtarf in 't jaer M. C. C. C. C. XXXVIII.*
„ *den XXIII. dagh in Hoymaendt, de welcke*

„ *voorſeide Vrauwe heift ghefundeert ende be-*
„ *ſet alle daghe als men luden zal d'ierſte tee-*
„ *ken voor Hooghmeſſe, eene Meſſe ghedaen te*
„ *ſyne in deſen jeghenwoordighen Clooſter by den*
„ *ghemeene Broeders ten outare van den Trini-*
„ *teyt hier neffens ſtaende. Van de welcke Meſ-*
„ *ſe te doene, de Prior ende Couvent van deſer*
„ *voorſchreven Clooſter ghehouden ſullen zyn te*
„ *ghevene alle daeghe den Prieſtre, die de voorſei-*
„ *de Meſſe doen zal, ende naer zyn Meſſe,*
„ *ten grave gaen met ſpes-wateré, ende daer*
„ *leſen* Miſerere mei Deus, *ende* De pro-
„ fundis *met Collecten, geconſtitueert eene*
„ *pinte wyns, of eenen grooten daer over, ende*
„ *alsghelyckx haer Jaerghet yde gh. daen te ſyne*
„ *ten daeghe dat het ghevallen zal, s'navens*
„ *met Vigelien met IX. Leſſen, ende s'ander-*
„ *daeghes met Commendatien ende Meſſe van*
„ *Requiem, met Prieſtere, Dyaken ende Sub-*
„ *dyaken, met eenen pelre in den Choor, vier*
„ *ſtallichten by der ſepulture ſtaende ende een*
„ *pont offer kerſſen mede te offerene Den welc-*
„ *ke Prieſter, die deſe voorſchreve Meſſe doen*
„ *ſal, de voorſeyde Prior en Couvent gheven*
„ *ſullen vier grooten, Dyaken ende Subdyaken*
„ *elcken twee grooten, ende den Roe-draeghere*
„ *eenen grooten. Ende waert zo, dat de voor-*
„ *ſeyde Prior ende Couvent ghebrekelic waeren,*
„ *van eenighen daghen Meſſe te doen doene,*
„ *zo ſullen zy verbeuren voor voorſz Vrauwe of*
„ *haere Naer comers over 't ghebrec van elker*
„ *Meſſe te ghevene VI. grooten. Ende gheduerde*
„ *'t voorſz. ghebrec achte daeghen achter een,*
„ *zo zullen de Prior ende Couvent voorſz ge-*
„ *houden ſyn met Vrauwe voorſz. oft haren*
„ *Naercommers weder te ghevene ende up te*
„ *leggene de ſomme van LXXX. ponden grooten*
„ *Vlaemſche munte. Godt ontfaermt haer ziele.*

CAPUT CXXII.

LUDOVICUS DE BRUGIS, *Princeps Steenhuſiæ, Comes Wintonienſis in Anglia, Eques Aurei Velleris &c. benefacit Eccleſiæ Collegiatæ B. M. V. Brugis, anno 1475.*

UNiverſis præſentes Litteras inſpecturis pariter & audituris, Nos *Laurentius Boudins*, Presbyter Canonicus Præbendatus, Vicarius Nobilis & egregii Viri Domini *Arnoldi de Lalaing*, J. U. D. Præpoſiti; Canonici, Curati, Capellani, Vicarii, & totalis Communitas ſive Obediencia Eccleſiæ Collegiatæ B. M. Brugenſis, Tornacenſis Diœceſis, ſalutem in Domino ſempiternam.

Noverit univerſitas veſtra, quod cum ſtrenuus & præpotens Dominus Ludovicus de Brugis, Miles, Comes Wintonienſis Regionis Anglicanæ, Dominus de Gruthuſe, Princeps de Steenhuuſe &c. ac Domina Margareta de Borſalia ſua legitima conthoralis ſuis teſtamentariâ Ordinatione atque voluntate extremâ, & aliàs inter plurima, in noſtrum noſtrorumque Succeſſorum, & aliorum commodum & utilitatem, conjunctim ordinaverunt, dederunt & perpetuè fundaverunt, pro quatuor Anniverſariis;

Fundatio Anniverſariorum.

Uno videlicet primâ Menſis Martii, ſecundo primâ menſis Junii, tertio ſecundâ menſis Septembris, & quarto decimâ diebus menſis Decembris, per Nos & Succeſſores noſtros ſingulis annis perpetuis temporibus duraturis, attentè & cum moderamine in choro dictæ noſtræ Eccleſiæ celebrandum tres libras, decem & ſex ſolidos, & decem denarios groſſorum Monetæ Flandriæ.

Denuo pro Presbytero, Vicariis Miſſarum animarum, cuſtodi, tabellario, clericis Parochialibus, virgifero, campaniſonis, fabricæ pro quatuor cereis & candelis Oblationum, ac Scholaribus in dictis quatuor Anniverſariis; hinc inde officiantibus & cantantibus, triginta ſolidos groſſorum.

Fundatio duarum Capellaniarum.

Rurſum duobus Capellanis per dictos Fundatores & eorum Succeſſores, Dominos videlicet de Gruthuſe præſentandis, & per Dominos noſtros Præpoſitum & ſuos Succeſſores perpetuè inſtituendis, pro duabus quotidianis Miſſis, in Altari SS. *Bonifacii* Martyris & Archiepiſcopi, Patroni & Protectoris noſtri, retro magnum Altare in jam dicto noſtro choro, una inicio pulſûs Primarum, & altera poſt Elevationem ſummæ Miſſæ indilatè incipiendo, ſingulis diebus, perpetuis temporibus duraturis celebrandum annuè & perpetuè XII. libras groſſorum, & cuſtodi dictis Miſſis ſervienti 10. ſolidos groſſorum; Fabricæ dictæ noſtræ Eccleſiæ pro providentia panis, & vini & luminarium ad dictas Miſſas neceſſariorum, annuè 7. ſolidos groſſorum.

Fundatio pro IV Ordin Mendicantium.

Conſequenter vero pro quatuor Sacerdotibus quatuor Ordinum Mendicantium dicti Oppidi Brugenſis, qui ſingulis prædictis Anniverſariis, tam in Vigiliis quam Miſſis ſemper intererunt, cuilibet eorum ſingulis diebus Anniverſariorum prædictorum ſingillatim Miſſam celebranti annue 16. ſolidos groſſorum.

Præ-

Digitized by Google

Veſtes pro XIII. pauperibus.

Præterea pro totali inveſtitura tredecim pauperum virorum à cute extrorſum pro unoquoque quolibet feſto omnium Sanctorum innovanda, una libra groſſorum: valent XIII. libras groſſorum annuè.

Et pro uno Mandato in Cœna Domini per dictos duos Capellanos in perſonas ipſorum tredecim pauperum ſingulis annis perpetuo celebrando, ſex ſolidos & novem denarios groſſorum.

Inſuper pro LX. Præbendis eleëmoſynariis quolibet die Anniverſariorum prædictorum, quarum quælibet præbenda erit valoris quatuor denariorum groſſorum: valent annuè IV. libris groſſorum. Et pro quolibet dictorum tredecim pauperum duos denarios groſſorum: valent annué octo ſolidos, octo denarios groſſorum.

Demum Decano & Officio Sartorum dicti Oppidi Brugenſis, qui de aſſignamentis hujuſmodi Fundationis legaliter ſunt inveſtiti, curamque habent & habebunt perpetuo omnia & ſingula prædicta annuè ſolvere, pro laboribus per eos circa præmiſſa impendendis, unam libram groſſorum: & pro eorum clerico circa præmiſſa ſollicitaturo duos ſolidos groſſorum ſemper dictæ monetæ Flandriæ.

Quæ omnia & ſingula, prout in certis Litteris Originalibus, ſive Inſtrumento, deſuper confectis, per Notarios ſignatis, & ſigillis prædictorum Dominorum Comitis & Comitiſſæ & noſtræ ſæpe-dictæ Eccleſiæ impendentibus ſigillatis, latiùs expreſſantur & ſpecificantur.

De quibus Deo omnipotenti ac ipſis DD. Fundatoribus multarum gratiarum referimus actiones; & promittimus pro omnibus noſtris dicti chori habituatis & habituandis, ſingulique noſtrûm promittunt, quod perpetuò ad illa & ad quodlibet illorum operam dabimus pervigilem & diligentem ad debitam conſervacionem & explectionem omnium & ſingulorum præmiſſorum, in dicto principali Inſtrumento, quod penes nos cognoſcimus habere reconditum, contentorum.

In cujus rei teſtimonium, Sigilla Vicariatûs & Communitatis dictæ noſtræ Eccleſiæ præſentibus duximus apponenda.

Datum & actum in loco noſtro Capitulari die vigeſimâ octavâ menſis Novembris, anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto.

Idem fuit Fundator Monaſterii Monialium Collettarum Brugis, de quo ſuperiùs pag. 626.

Genealogiam ejus refert l'Epinoi, inter Stemmata Nobilium Flandriæ.

Tumba ejus valde notabilis exiſtit hodiedum in choro B. M. V. Brugis, unà cum Epitaphio ejuſdem Ludovici de Gruthuſe, uti & conjugis ejus Margaretæ de Borſalia.

Quomodo etiam ab Eduardo IV. Rege Angliæ ob præſtita illi obſequia creatus fuerit Comes Wintonienſis ſeu Wincestriæ, narrat Philippus Cominæus.

CAPUT CXXIII.

Admiſſio Fratrum Tertiæ Regulæ S. Franciſci, ſive de Pœnitentia (vulgariter, de Broederkens op de Gracht) *intra Oppidum* Bruxellenſe *anno* 1484. *Hodie Monaſterium eſt PP. Auguſtinianorum, quibus prædicti Fratres incorporati fuêre anno* 1589.

Tranſcriptum è libro cui tit. Annales Eccleſiæ B. Gudilæ, qui extat in Bibliotheca Eminentiſſ. D Cardinalis Archiepiſcopi Mechlin.

Universis præſentes &c. Nos Martinus Decanus & Capitulum Eccleſiæ Divæ Gudilæ Oppidi Bruxellenſis Cameracenſis Diœceſis, & Alexander Plebanus ejuſdem Eccleſiæ ex unâ, nec non Nos Wilhelmus Spirinck Miniſter, Jacobus Bracy, Wilhelmus de Lira Presbyteri, Andreas van Haſenvelde Diaconus, Fratres profeſſi Domûs tertiæ Regulæ Ordinis Sti. Franciſci de Pœnitentia, ſitæ in dicto Oppido Bruxellenſi ad locum dictum de *Wolfsgracht*, & Walterus vanden Bimde Laïcus ejuſdem Domûs ex altera partibus, ſalutem in Domino.

Notum facimus, quod Nos pro ſedandis, tractandis, complanandis quæſtionibus, differentiis ac controverſiis tam motis ſeu moveri diſpoſitis, inter Nos Decanum & Capitulum, nec non Plebanum ratione jurium noſtrorum Parochialium & Patronatus, ex una, & Nos Wilhelmum Miniſtrum & Fratres prædictos, occaſione jurium ac Privilegiorum noſtrorum & Domus noſtræ ex altera partibus: tandem convenimus, tranſegimus, tractavimus, pepigimus & concordavimus &c..... Cujus tenor de verbo ad verbum ſequitur.

Primò, inter Nos conditum erit, quod Miniſter & Fratres ſub Regulari obſervantia tertiæ Regulę S. Franciſci de Pœnitentia vocati, deinceps in dicta Domo perpetuò vivent: ac Jus Patronatûs & jura Parochialia DD. Decani & Capituli B. Gudilæ præfatæ, nec non Plebani ejuſdem recognoſcentes, perpetuò illæſa ſervare promittent.

Nec contra dictos Decanum & Capitulum aut Plebanum, prætextu aut ſub umbra quorumcumque Privilegiorum ſive Indultorum, etiam Apoſtolicorum, vel aliâ quàvis Authoritate eis forſan jam conceſſorum vel poſtea concedendorum, ipſos Decanum Capitulum aut Plebanum in ſuis juribus hujuſmodi inquietare umquam, turbare vel moleſtare præſument modo quocumque: ſalvis modificationibus infraſcriptis, videlicet,

Primò, quod omnes oblationes ad ſtolam venientes in ſua Capella & Altaribus ejus, dictis Decano & Capitulo aut ..... eorum reddent ſine diminutione quacumque, exceptis oblationibus quas continget forſitan in Miſſis quæ celebrabuntur dum aliquis inveſtietur & aſſumet habitum Ordinis ſui vel profitebitur, aut ſuam primam Miſſam celebrabit. Et nihilominus tamen petere habebunt dicti Fratres à Capitulo præfato licentiam pro primis Miſſis, profeſſorum Domus hujuſmodi præſentium & futurorum celebrandis, & gratiam obtinere pro oblationibus per amicos ad ſtolam faciendis: quam gratiam Capitulum annuet: ſolvendo pro jure ipſorum ad opus Cantorum Eccleſiæ eorum qualibet vice duos ſolidos novorum Lovanienſium.

Item quod extra ſepta ſua nullam Proceſſionem facient quocumque titulo vel colore, ſine expreſſa licentia & conſenſu dictorum DD. Decani & Capituli.

Item in quatuor Feſtis Natalibus, ſive principalioribus anni, Beatiſſimi Sacramenti, Dedicationis ac Patronorum Eccleſiæ B. Gudilæ præfatæ, ac ſingulis diebus Dominicis, Miſſas ſuas ſolemnes non celebrabunt, neque aquam benedictam facient ſive aſpergent ſuper populum, à die S. Remigii uſque ad Feſtum Paſchæ, ante decimam horam præciſè.

A feſto autem Paſchæ uſque Remigii, ante mediam horam inter nonam & decimam cujuſlibet dierum præfatorum: ne fortè Parociani dictæ Eccleſiæ B. Gudilę illis diebus à divinis officiis, ſermonibus & mandatis Eccleſiæ Parochialis ejuſdem audiendis retrahantur vel impediantur.

Dum tamen aliquis in Domo illa inveſtitur vel profitetur, aut primam Miſſam celebrabit, tunc poterunt dicti Fratres Miſſas tales ſolemnes, propter Sermonem qui fit in hujuſmodi Miſſis, maniùs incipere prout eis videbitur opportunum. Et ſimiliter in Feſto Dedicationis ſuæ Capellæ, ac in die Palmarum, propter prolixitatem Dominicæ Paſſionis in Miſſa recitandæ vel decantandæ. Hoc tamen ſalvo, quod nullus in Domo ipſa inveſtietur aut primam Miſſam celebrabit in ſolemnitatibus ſuperius declaratis.

Item ut licitè Sacramentum Euchariſtię & ſacrum Oleum infirmorum apud eoſdem Fratres ſervari poſſint: nemini tamen illa præterquam ſuis Fratribus Religioſis, & veris familiaribus Profeſſis vel Novitiis habituatis actu infra ſua ſepta vel alias miniſtrare poterunt nec debebunt.

Item nullos Clericos vel laicos ſœculares cujuſcumque qualitatis aut conditionis actu infirmos apud ſe recipient inveſtiendos.

Item ſi contingat impoſterum aliquos Eccleſiaſticos vel ſœculares apud dictos Fratres ſuam eligere ſepulturam, funera illorum non adferent: ſed per Nos vel noſtros eis adducta, ipſi Fratres expectabunt & recipient infra ſepta ſua.

Terram autem pro ſepultura hujuſmodi funerum non movebunt, donec de legitima electione hujuſmodi docuerint, & noſtram deſuper licentiam petierint & obtinuerint: quam eiſdem non denegabimus, niſi fuerint funera, quæ in loco ſacro ſepeliri non liceret.

Item jura funeralia, oblationes & emolumenta, nec non legata quæcumque, cum funere vel funeribus hujuſmodi apud eos ut ſupra ſepeliendis & ratione illius vel illorum quomodolibet ibidem provenientia, pro una medietate cedent Decano & Capitulo præfatis reſpectivè, & pro reliqua medietate eiſdem Fratribus, ſine fraude. Et ſi dictos Fratres apud infirmos extra ſepta ſua vocari aliquando contingat, ipſi jura Parochialia DD. Decani & Capituli ac Plebani præfatorum nec non Fabricæ Eccleſię B. Gudilæ promovebunt, ſine dolo. Et ad ſolutionem oblationum Decimarumque eis debitarum infirmos illos exhortari, admonere atque inducere pro poſſe tenebuntur.

Item & quando dicti Fratres ad Proceſſiones generales per Capitulum vocati fuerint, ad inſtar aliorum Religioſorum Mendicantium in illis comparere & circuïre tenebuntur.

Item Cenſuras Eccleſiaſticas, ſcilicet Ceſſum & Interdictum generalia cum Eccleſia Matrice B. Gudilæ præfata toties quoties obſervabunt Fratres prædicti & cuſtodient, quocumque privilegio contrario non obſtante.

Item pro Jure ſoli, ſeu recognitione Patronatus ac juris Parochialis dictorum Decani & Capituli, annuè ſolvent eiſdem Fratres ſupradicti, quolibet Feſto Natalis Domini, unam unciam argenti Regii.

Item & ſi poſtea dicti Fratres quaſcumque poſſeſſiones prædiales obtinuerint & aſſequantur, quocumque titulo vel favore, infra Patronatum dictorum Decani & Capituli B. Gudilæ, eis Decimales, illas cum onere Decimarum & aliis conſuetis recipient, & inde Decimas ſolvent, etiam ſi propriis manibus colant eaſdem: demptis terris illis, quas infra oppidum Bruxellenſe

Digitized by Google

propriis manibus pro ſuo uſu eos excoluiſſe conſtabit ſine fraude.

Quam quidem Concordiam noſtram præinſertam in & cum omnibus & ſingulis ſuis articulis & punctis, Nos Decanus & Capitulum & Plebanus, tam pro nobis quam pro ſucceſſoribus noſtris ex una parte, & Nos Wilhelmus Miniſter &c. prænominati, etiam pro nobis & pro Succeſſoribus noſtris amplectimur &c.

Datum & actum &c. anno Domini M. C. C. C. C. LXXXIV. more ſcribendi gallicano, Indictione tertiâ, die penultimâ menſis Martii, ante Paſcha.

Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ D. Gudilæ Bruxellenſis, ad Supplicam P. Provincialis FF. Auguſtinianorum, & mediante Incorporatione FF. Bogardorum, vulgo op de Gracht, *cum dictis Auguſtinianis, & conſenſu Magiſtratûs obtento, eoſdem admittit intra eandem Urbem, anno 1589.*

UNiverſis & ſingulis præſentes Litteras inſpecturis, viſuris, lecturis pariter & audituris, ſalutem in Domino ſempiternam.

Notum ſit, quod anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo nono, die Sabbatho 21 menſis Octobris, comparuit coram nobis Decano & Capitulo Eccleſiæ Collegiatæ D. Gudilæ Oppidi Bruxellenſis Mechlinienſis Diœceſis, in loco noſtro Capitulari capitulariter congregatis, Venerandus & honorabilis Dominus Henricus * Jaupen Prior Provincialis FF. Ordinis Mendicantium Heremitarum S. Auguſtini Provinciæ Belgicæ quæ vocatur Colonienſis: qui prædictis DD. Decano & Capitulo exhibuit Supplicationem cum certa quadam Concordia per eum inita cum FF. Religioſis Domus ſeu Monaſterii & Conventus tertiæ Regulæ Ordinis S. Franciſci de Pœnitentia, ſiti ad locum dictum de *Wolfsgracht*, in antedicto Oppido Bruxellenſi: quarum tenor de verbo ad verbum hic ſequitur, & eſt talis.

* Vide Bibliothecam Belgicam Val. Andr.

Admodum RR. atque Venerabilibus DD. Decano & Capitulo Collegiatæ Eccleſiæ S. Gudilæ. Exponit cum omni reverentia & humilitate Prior Provincialis FF. Ordinis Mendicantium Eremitarum S. Auguſtini Provinciæ Belgicæ, quæ vocatur Colonienſis; Quod FF. ſeu Religioſi Monaſterii hujus Civitatis Bruxellenſis tertiæ Regulæ S. Franciſci, communiter dicti *Fratres ſuper foſſam lupinam*, poſt longam & maturam conſultationem atque deliberationem capitulariter congregati, unanimi conſenſu & communibus votis, decreverunt, ſe dare & ſubmittere, prout ſe & ſuum Monaſterium dederunt & ſubmiſerunt, ſub juriſdictione & obedientia Reverendiſſimi Patris Prioris Generalis præfati Ordinis, & Provincialis prædictæ Provinciæ: prout in Inſtrumento hiſce annexo latius declaratur.

Libellus ſupplex Auguſtinianorum.

Quod inſuper requiſierunt, & ſummis votis efflagitarunt, quatenus dictus Provincialis apud Ordinarium, ſub cujus Viſitatione & protectione eſſe videntur, & apud alios quoſcumque, quorum aſſenſus & conſenſus videretur neceſſarius, pro hujus Unionis & Tranſlationis confirmatione & ratificatione inſtaret.

Cum igitur hæc Civitas maxima ſit & populoſiſſima, & proinde plurimis etiam Eccleſiaſticis ac Religioſis viris egeat, qui in officiis ad Curam animarum pertinentibus (quod Bogardi ex ſuo inſtituto non faciunt) veſtris dignitatibus ſubveniant.

Laus Conventus Mechlin. Ord. S. Aug.

Conventus vero Mechlinienſis præfati Ordinis, huic veſtræ Eccleſiæ atque toti Communitati ab immemoriali tempore magnum fecerit ſervitium, unum ſemper ac olim etiam plures conſtituendo atque deputando Terminarios, Confeſſarios, Concionatores, qui agonizantibus quoque & noctes & dies aſſiſterent, Quadrageſimales quoque ſtationes ſine ulla intermiſſione laudabiliter obſervaverint;

Cum etiam parum ædificet & minus deceat hujuſmodi Terminarios extra clauſtrum Monaſterii habitare, eòque non poſſit tam diligens eſſe eorum inſpectio, nec votorum quæ Deo & Ordini fecerunt, tam fidelis & plena perſolutio;

Non parvum etiam ornamentum ſit primariarum totius Chriſtiani orbis ac Belgii quoque noſtri Civitatum, quod omnes quatuor Mendicantium Ordines habeant & conſervent (tamquam eos qui Chriſtianam atque Catholicam Fidem maximè propagarunt, defenderunt atque intertinuerunt: propter quod etiam, præ reliquorum Ordinum, Mendicantium Monaſteria plus ab hæreticis & rebellibus deſtruuntur)

In hac autem tam nobili Civitate unus noſter Ordo S. Auguſtini hactenus defuerit (etſi is tamen per præfatos Terminarios hic reſidentes ſemper repræſentatus fuerit) convenienti admodum modo nunc, per hujus conceptæ Unionis & Tranſlationis effectum, ut hic Ordo in hac Civitate inſtitui & haberi poſſit: ita tamen ut nulla alterius novi Monaſterii fiat erectio, nulla quoque novæ Religionis inductio, ſine etiam majori Communitatis gravamine.

Supplicat humiliter præfatus Provincialis, quatenus ad divini cultus augmentum & communis boni promotionem, hujus conceptæ Unionis & Tranſlationis Contractum, cum omnibus ſuis clauſulis RR. D. D. ratificare & confirmare, & Litteras deſuper neceſſarias expediri facere dignentur. Quod facientes &c.

Et ſignatum: F. Henricus Jaupen Prior Provincialis FF. Eremitarum S. Auguſtini per Provinciam Colonienſem.

Contractus cum FF. Bogardis.

OP heden den XXII. dagh der maendt Septembris anno M. D. LXXXIX. Wy Pater ende Procurator, met den anderen gemeynen Religieuſen van den Convente van den derder Ordene, op den Wolfsgracht *binnen der Stadt van Bruſſele, Capitularelyck vergaedert ende na lange rype deliberatie by ons dáer op gehadt, als bevindende dat 't ſelve ſal geſchieden ende comen tot onſen profyte ende tot meerder dienſte voor deſe Stadt: ſyn alzo beraeden, dat Wy ons hebben willen ſtellen ende begeven, gelyck wy ſyn doende mits deſen onder dye Obedientie ende ghehoorſaembeyt van den Generael ende Provinciael der Provincie van Colen der Eremiten van ſinte Auguſteyn, een van de vier bidlende Ordenen, vercleyerende dat Wy tot dyen effecte bereet ſyn t' allen tyde ende ſtonde het habyt van den ſelve Ordene te aenveyrden, ende naer het jaer der Probatien, den Generael behoyrelycke gehoorſaembeyt te getouven in de handen van den Provinciael oft Prior, dye over ons ſal geſtelt oft geordineert worden.*

Stellende voorts mits deſen in handen van den voorſz. Heer Provinciael ons ſelven ende 't voorſz. Convent, met allen ſynen huyſingen gronden van erven, renten en allen toebehoorten met den meubelen van dyen: tot behoeve ende profyte van den genen dye in 't voorſz. Convent voortaen ſullen voor Religieuſen ende Conventualen komen te reſideren.

Daer op de voorſz. Heer Provinciael tot onſen verſuecke ons heeft belooft zoo langhe als wy hier onderſchreve leven ſullen, niet en ſullen ſonder onſe begeirte ofte anderſints dan ter ſaecke van eenigh notabel delicks (dies Godt verbeuden wille) uyt deſe Stadt ende Convente voorſz. verſonden worde, ende dat hy ons daer af ſal doen hebben die ſignature van de voorſz. Auguſtynen Ordene van de voorſz. Provincie van Colen, daer onder wy ons als boven begeven hebben ende begeiren te reſſorteren, beſegelt onder den Zegel der ſelver Provincie, onder wyens Viſitatie ende Protectie voortaen wy ſullen ſyn ſtaende.

Dies heeft den voorſz. Heer Provinciael belooft, ende belooft mits deſen, dat wy ſullen hebben dye Preeminentie van te gaen in de Proceſſien, ende alwaerts over al, boven alle andere Prieſters ende Religieuſen, de welcke van andere Auguſtynen Clooſters hier by ons ſullen geſtelt worden: alleenelyck uyt-genomen dye Prior, Supprior, ende de gene dye in de Goddelycke Schrifture ſyn gepromoveert.

Verſueckende ende ernſtelycke begeirende, dat den voorſz. Heer Provinciael bekenne, 't gene des voorſz. is doen ratificeren ende confirmeren by den Ordinaris, onder wyens Viſitatie ende Protectie wy ſyn ſtaende. ende anderſints daer ende alzo bevonden ſal worden te behoorene.

Ende oft 't gebeurde (des verhopen is dat 't niet geſchieden en ſal) dat wy binnen den voorſz. Preuf-jaer anders geſint worden, ende wederom begeirden te keeren tot onſer Bogaerden Ordene, in dyen gevalle zo hebben Wy belooft, ende beloven mits deſen, den voorſz. Heer Provinciael te reſtitueren ende te rembourſeren allen alſulcken coſten, als van cleederen, alimentatien ende anderſints in 't ſoliciteren van de voorſz ſaecke vande Unie, ende nootſakelycke reparatien dye daer en tuſſchen ſullen bevonden worden gedaen te ſyn.

Daer voiren verbindende ons ende allen des voorſz. Convents, heden gevende ende erffelyck alles ſonder fraude, argh oft liſt.

In kenniſſe van 't gene des voorſz. is, ſo ſyn hier af gemaeckt twee Inſtrumenten, daer af den voorſz Heer Provinciael d'eene heeft, ende d'ander is in onſe handen beruſtende, reſpective onderteeckent met onſen naeme ende toenaeme, ſonder zegel: mits dyen dat zo wel den zegel van myns Paters officie, als van onſen gemeynen Convent mits de laeſte voorleden troubelen ſyn beyde verloren gegaen. Aldus ſtondt ondergeſchreven ende onderteeckent.

Conſentio, *Pater Carolus Schutyſer*,

Conſentio, *Fr. Philippus de Montmorencye.*

Conſentio, *Fr. Petrus Fabry.*

Et inferius erat ſcriptum & ſignatum.

Et infraſcriptus accepto prętatam promiſſionem, & omnibus præſcriptis aſſentio & ſubſcribo.

Fr. Henricus Jaupen Prior Provincialis Ordinis S. Auguſtini per Provinciam Colonienſem.

Adhuc erat ſubſcriptum.

Ende want ick Godevaert van Velthoven als openbaer Notaris Apoſtolyck ende by ſynen Majeſteyts Raeden Secreten ende van Brabant, totter Exploicten geadmitteert, hebbe mede geweeſt over 't voorſchreve Tractact, ſoo hebbe ick dit Inſtrument naer behoirelycke ſtipulatie oick onderteeckent. Daer over oick als getuygen ſyn geroepen ende gebeden geweeſt, die eerſaeme Aert De Smet ende Philips Hamelyn Ingeſetenen der voorſeyde Stad Quod atteſtor, G. van Velthoven Notarius.

ET præfati DD. de Capitulo, viſis & lectis Supplicatione & Concordia præinſertis, maturâ & diligenti deſuper deliberatione præhabitâ, etiam cum Magiſtratu dicti oppidi Bruxellenſis, & penitius & diligentius indagatis Concordatis cum dictis Fratribus tertii Ordinis S. Franciſci, antea cum dictis DD. de Capitulo initis, anno videlicet Domini M. C. C. C. C. LXXXIV. die penultima menſis Martii ante Paſcha: conſiderantes etiam, ſi Supplicantis petitioni annuerent, fore in augmentum divini cultus & majus ſubſidium & promotionem Religionis Chriſtianæ: fuerunt ſup-

ſupplicatio & Concordia per eundem Supplicantem exhibitæ tam antedictis DD. de Capitulo quam Magiſtratui prædicti oppidi Bruxellenſis gratæ & acceptæ.

I. Salvo tamen, quod ſtrictè & inviolabiliter obſervabunt Concordata prædicta cum dictis Fratribus tertii Ordinis per D. D. de Capitulo ut ſupra inita, cum adjunctis inſuper conditionibus infraſcriptis, videlicet,

II. Quod Eccleſiam Matricem D. Gudulæ Bruxellenſem, DD. Decanum, Canonicos & Plebanum Eccleſiæ ſemper habebunt in honore & reverentia.

III. Et ſi quando impoſterum (quod Deus avertat) oriri poſſit aliqua difficultas cum Rectoribus dictæ Matricis Eccleſiæ, ſive cum aliis hujus Oppidi Monaſteriis & Religioſis, ſuper juribus aut aliis difficultatibus ſeu differentiis quibuſcumque, tenebuntur dicti FF. Auguſtinenſes, quotieſcumque per dictos DD. de Capitulo vocati fuerint, coram eis in eorum Capitulo comparere, quatenus difficultates hujuſmodi per eoſdem DD. de Capitulo ſedari & ſopiri poſſint.

IV. Item ſicut Terminarius Auguſtinenſium ſtationes ſuas habuit prædicandi Verbum Dei in Eccleſis hujus oppidi Bruxellenſis, eaſdem & nunc obſervabunt & continuabunt dicti Auguſtinenſes.

V. Si tamen requirantur ad plures ſtationes quam dictus Terminarius antea habuit, eaſdem non aſſument niſi cum pace aliorum Mendicantium, ſecundum dictamen & Ordinationem DD. Decani & Capituli prædictorum.

VI. Requiſiti autem (de conſenſu dictorum DD. Decani & Capituli) per D. Plebanum Eccleſiæ D. Gudilæ ante-dictæ legitimè impeditum, tenebuntur dicti Auguſtinenſes vices ejuſdem ſupplere in officio concionandi.

VII. Item Fratres Ordinis S. Auguſtini prædicti non audient neque excipient Confeſſiones fidelium extra ſepta ſui Monaſterii, niſi ad ægrotos & infirmos evocentur.

VIII. Item ſicut D. Decanus dictæ Eccleſiæ D. Gudilæ Bruxellenſis habet integrale & plenum jus funerale de omnibus perſonis Eccleſiaſticis defunctis in omnibus hujus oppidi Eccleſiis, tam in Exequiis, Tricenariis, quam primis Anniverſariis, abſque eo quod aliquis in dictis Eccleſiis prætendere poſſit participare in juribus funeralibus perſonarum Eccleſiaſticarum hujuſmodi: ita etiam idem D. Decanus in dicto Monaſterio Auguſtinenſium plenum jus funerale habebit & obtinebit, licet dicti FF. Auguſtinenſes habeant medietatem jurium funeralium cum dictis DD. Decano & Capitulo de omnibus perſonis ſæcularibus ibidem ſepultis, juxta prædicta Concordata cum FF. tertiæ Regulæ S. Franciſci inita.

IX. Item dicti FF. Auguſtinenſes Dominicis & Feſtivis diebus non concionabuntur in ſuo Monaſterio niſi hora primâ poſt meridiem, ſicut alii Ordines Mendicantium hujus Oppidi Bruxellenſis.

X. Item in Feſto Paſchæ nullo modo, nec reliquis anni temporibus poterunt ſacram Euchariſtiam Chriſti fidelibus adminiſtrare, niſi tantum ſecundum jus commune & Privilegia ſui Ordinis, ſub Miſſarum celebrationibus ſimplicibus, ſine ſolemni ritu & cœremoniis, aut menſæ ſtratione.

XI. Neque unquam alia Paſtoralia exercere officia.

XII. Item Nos Decanus & Capitulum antedicti, cupientes divinum cultum augere & promovere, non obſtantibus Concordatis cum FF. tertii Ordinis prædicti initis, permittimus & ex gratia ſpeciali concedimus dictis FF. Auguſtinianis, in Dominicis & Feſtis principalibus, omni qua poterunt devotione & reverentia celebrare Miſſas ſuas ſolemnes, aquam benedictam Dominicis diebus conſecrare, non tamen ante horam octavam, ne ab antedicta Matrice Eccleſia ſubditi retrahantur ab audiendis concionibus & mandatis dicti D. Plebani ejuſdem Matricis Eccleſiæ.

Quæ omnia & ſingula prædicta, Nos Decanus & Capitulum ante dicti, tam pro nobis quam pro Succeſſoribus noſtris ex una parte, & Nos Prior Provincialis Ordinis FF. Auguſtinenſium etiam pro Nobis & Succeſſoribus noſtris ex altera parte, acceptamus, amplectimur & firmamus hinc inde, & quilibet noſtrum in ſolidum pro ſe & Succeſſoribus prædictis amplectitur & acceptat & firmat per præſentes, in omnibus ſuis numeris, Articulis & clauſulis ſuprafcriptis, prædeclaratis & inſertis.

Promittentes fide mediâ ſtipulatione perpetuâ firmatâ loco juramenti, tam pro nobis quam pro Succeſſoribus noſtris prædictis hinc inde, Tractatum præſentem in omnibus & per omnia prout ſuperius continetur, & quantum Nos & quemlibet noſtrum, Succeſſoreſque noſtros prætactos ipſe concernit & concernere poterit in futurum, ratum, gratum, ſtabilem atque firmum ſervare & obſervare, & fideliter ex nunc & in perpetuum realiter & cum effectu adimplere, & nullo umquam tempore contravenire verbo vel facto, directè vel indirecte, quovis quæſito modo, ingenio, aut colore.

In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium, præſentes Litteras ex inde fieri, & per Notarium publicum ſubſcribi mandavimus, noſtrorumque Sigillorum hinc inde juſſimus & fecimus appenſione communiri.

Datum & actum in loco noſtro Capitulari dictæ Eccleſiæ Collegiatæ D. Gudilæ oppidi Bruxellenſis, anno, menſe, & die præſcriptis, Indictione II. Pontificatûs

SS. in Chriſto Patris & Domini noſtri D. Sixti divinâ providentiâ Papæ hujus nominis quinti anno ſuo quinto, præſentibus ibidem honorabilibus Viris DD. Daniele Gouſſens & Joanne Wouters Presbyteris & Capellanis præfatæ Eccleſiæ Collegiatæ D. Gudilæ, Teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter atque rogatis.

CAPUT CXXIV.

Præpoſitura Sti. Antonii in Pomerio, Harlemi, *Religioſorum Præmonſtratenſium, ex Abbatia de* Marien-weert *apud Gelros, propagatur ſeu inſtituitur anno* 1494. *Fuerat olim Conventus FF. de Pœnitentia, vulgo Saccitarum, anno* 1446. *erectus.*

NIcolaus Ruyter, (1) Apoſtolicæ Sedis Protonotarius, ac Eccleſiæ Harlemenſis Præpoſitus & Curatus, notum facimus univerſis, quod oſtenſis nobis patentibus Litteris Venerabilis Domini, D. Theodorici de Waſſenaer Præpoſiti quondam S. Johannis Trajectenſis, ac dictæ Eccleſiæ Parochialis Harlemenſis Curati, de anno Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſexto, XXIII. die menſis Maii, quibus idem Curatus Fratres Tertii Ordinis S. Franciſci, (2) de Pœnitentia nuncupatos, Parochiæ Harlemenſis, pro divini cultus incremento, ad Eccleſiæ conſecrandę erectionem pio in Domino favore admiſerit, in loco vulgariter *Sinte Anthonis Bogaert* appellato; prout in iiſdem Litteris pleniùs continetur.

* Aliàs vocati *Saccia.*

Et quia dicti Fratres, mutando Ordinem, jam Canonici Regulares Ordinis Prę-monſtratenſis (3) effecti ſunt, Nos attendentes dignitatem atque Privilegia ejuſdem Ordinis, & eorumdem Canonicorum precibus atque ſollicitis inſtantiis inclitati, conceſſimus, atque pro noſtris Succeſſoribus, quantum in nobis eſt, præfatis Canonicis Ordinis Præmonſtratenſis gracioſè concedimus per præſentes, ut in dicto Conventu ea quæ ſunt Ordinis talium Præmonſtratenſium exercere poſſint & liberè valeant. Salvo, quod pro Portione Canonica ſingulis annis in hebdomada *Cantate* nobis & Succeſſoribus noſtris, aut noſtris Vice-Curatis unum ſcudatum Regis Franciæ reſpondeant & plene deliberent.

Et ſi contingat in dicti Conventus Eccleſia ſive cemiterio aliquem noſtrorum parochianorum aut aliquem alium ſepeliri, quod conſimiliter Nobis & Succeſſoribus noſtris, ſeu vices noſtras gerenti, pro Juribus Noſtræ Eccleſiæ ſupradictæ ſolvant & deliberent infra trigeſimam diem obitûs hujuſmodi defuncti, quatuor ſcudata Regis Franciæ, ſeu eorumdem verum valorem.

Salvo etiam, quod quotienſcumque per Nos & noſtros Succeſſores aut Vice-curatos ad proceſſiones, colloquia vel conſilia, unà cum aliis Religioſis, aut ſingulariter vocati fuerint, abſque morâ venient, & Venerabilis Sacramenti proceſſioni aliis ſe conformando intereſſe tenebuntur.

Inſuper gratioſè concedimus eiſdem Canonicis Præmonſtratenſibus, ſuiſque Succeſſoribus, ut ſingulis annis, die Dominicâ infra Octavas Nativitatis B. Marię proceſſionem habeant per Curam noſtram, ob reverentiam SS. Reliquiarum SS. Martyrum Adriani Militis, & Donati Epiſcopi, quas in eorum Eccleſiis habere dinoſcuntur.

Salvo, quod dicta proceſſio incipiet ab Eccleſia dicti Conventûs, & eundo per pontem verſus plateam, vulgariter *Matte-Joris-ſtraet* dictam, & terminabitur eundo per plateam *Zyl* uſque ad antedictum Conventum. Et quod de ſingulis proventibus emolumentis atque oblationibus dictâ Dominicâ per ipſos collectis & receptis, nullis exceptis, Nobis & Succeſſoribus noſtris, aut Vice-Curatis, medietatem plenè reſpondere debeant.

In quorum omnium & ſingulorum præmiſſorum fidem & teſtimonium, cum ob cauſam ſpecialis noſtri Sigilli præſentiam non habemus, Venerabili D. Johanni Wilhelmo Commendatori Fratrum S. Johannis Jheroſolymitani, Conventûs Harlemenſis ſupplicavimus, quatenus has Litteras ſuo Sigillo ſigillare dignaretur.

Et Nos Commendator antedictus, ad petitionem Venerabilis D. Prothonotarii Præpoſiti & Curati ſæpe-dicti, præſentes Litteras noſtri Sigilli appenſione duximus communiri.

Datum in Haerlem anno Domini milleſimo quadringenteſimo, nonageſimo quarto, die decimâ-tertiâ menſis Auguſti.

Hujus Præpoſituræ fit obiter mentio in Annalibus Præmonſt. P. Hugo Tomo I. pag. 174. ac tandem anno 1541. bona tranſierunt ad Xenodochium S. Eliſabethæ, ſuppreſſâ Præpoſiturâ.

Vide item Heuſſenium in Deſcriptione Epiſcopatûs Harlemenſis pag. 38. ubi recenſetur Acta

Erectionis Conventûs FF. Saccitarum, approbante Theodorico à Waſſenaer Præpoſito Harlemenſi.

(1) Fuit & Præpoſitus S. Petri Lovan. ac Fundator Collegii Atrebatenſis, cujus Urbis Epiſcopus quoque extitit.

(2) De Saccitarum Inſtituto, olim per Belg. famoſo, vide Notas T. III. horum Dipl. p. 144. & 153.

(3) Præpoſitura fuit ſubjecta Abbatiæ Inſulæ-Marianæ apud Culemburgum in Gelria.

CAPUT CXXV.

Declaratio Monialium Stæ. Barbarę, *Ordinis Præmonſtratenſis in* Haga Comitis, *quâ ſeſe ſubmittunt anno* 1496 *regimini ſpirituali ac temporali Abbatis B. M. V.* Middelburgenſis, *ejuſdem Ordinis in Zelandia.*

Vide Annales Præmonſtr. P. Hugo, Tom. I. pag. 233.

IN nomine Dei. Amen. Tenore præſentis publici Inſtrumenti cunctis pateat evidenter & ſit notum, quod anno Nativitatis ejuſdem Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſexto, Indictione quarta decima, die vero menſis Septembris viceſima, hora ejuſdem diei quinta poſt meridiem, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini noſtri D. Alexandri, divina providentia hujus nomine Papæ ſexti, anno ejus quinto; in Venerabilis ac religioſi in Chriſto Patris ac Domini, D. Joannis de Weſtcappel, Abbatis S. Mariæ Middelburgenſis Præmonſtratenſis Ordinis, meique Notarii ac Teſtium infraſcribendorum, & propter hoc vocatorum pariter & rogatorum præſentia, perſonaliter conſtitutæ Religioſæ ac devotæ, Gertrudis, filia Nicolai, Prioriſſa; Delia f. Andreæ, Adriana f. Henrici, Maria f. Wilhelmi, Machtildis f. Nicolai, Hildegardis f. Johannis, Beatrix f. Joannis, Maria f. Nicolai, Martina f. Ysbrandi, Moniales; dein Maria f. Wilhelmi, Hildegardis f. Gerardi, nec non Mathildis f. Hugonis, Converſæ, repræſentantes Conventum & Capitulum (prout aſſeruerunt) B. Barbaræ Hagenſis Præmonſtratenſis Ordinis; nec non capitulariter, prout aſſeruerunt & moris eſt, in loco capitulari, Spiritus Sancti inſtinctu, prout placuerit, ſpecialiter congregatæ, ſuper certis Pactis ſive Conventionibus, clauſulis & articulis, in quadam papyri cedula in vulgari lingua conſcriptis; & ad conſervationem & decorem Religionis pariter & augmentum devotionis earumdem Sororum deſuper confectis; & per eas ac per me Notarium publicum infraſcriptum eiſdem præfatis Monialibus & Sororibus publicè prælectis,

Ex earum certa & prævisa ſententia, non vi, dolo, fraude, aut quavis alia ſiniſtra machinatione circumventæ, ſed deliberationibus providis & bene maturis, prout aſſeruerunt, deſuper ſæpiſſime præhabitis, omnibus melioribus modo, via, jure cauſa ac forma quibus melius, firmius ac efficacius potuerunt & debuerunt, conjunctim & diviſim, ac quælibet earum ſeorſim, prout & debuit, pro ſe & ſequacibus ſuis, per earumdem juramentum in manibus diſcreti ac religioſi viri D. Joannis Olardi earum Præpoſiti, anno, menſe, diebus quibus ſupra, ſolenniter ac canonicè præſtitum; & nunc denuo in manibus ejuſdem Notarii Presbyteri infraſcripti legitimâ ſtipulatione innovatum promiſerunt, jurarunt, ac quælibet earum promittit & jurat per præſentes, omnia & ſingula infraſcripta, in dicta papyri cedula conſcripta, ſicut præmittitur, jurata & publicata, in omnibus & ſingulis & per omnia, firmiter & inviolabiliter obſervare.

Quæ quidem dicta papyri Cedula ſequitur in vulgari de verbo ad verbum, & eſt talis.

EGo Gertrudis Nicolai filia, & ceteræ quæ ſupra, Capitulum Conventus S. Barbaræ Hagæ, Diœceſis Trajectenſis, hoc tempore repræſentantes, notum facimus omnibus, preſentem Epiſtolam lecturis vel legi audituris, poſt bonam deliberationem & tractatum, capitulariter ſuper ſubſequentibus punctis, rebus, & articulis congregatæ, ad Religionem noſtram rationemque vivendi exaltandam & meliorandam, Deoque in eadem aptius & ferventius ſerviendum, pro nobis noſtriſque poſteris, Nos noſtrumque ſingulas dedimus & ſubmiſimus, damus & ſubmittimus, ſubjectioni & obedientiæ noſtri Reverendi in Chriſto Patris D. Joannis à Weſt-Cappel, Abbatis Conventus Dominæ noſtræ Middelburgenſis, ſub & cum certis pactis atque conditionibus, hic infra ſequentibus.

Imprimis. Reverendus noſter in Chriſto Pater ac Dominus Abbas prædicti Conventus S. Mariæ Middelburgenſis, habebit & retinebit curam atque Paternitatem rerum tam temporalium quam ſpiritualium in noſtro prædicto Conventu Nonnarum, ſuper Præpoſitum & Nonnas, tam Converſas quam Sorores; ejuſdemque Monaſterii Pater Abbas æſtimabitur, cum tali præeminentia, quam quilibet Patrum Abbatum

Digitized by Google

Ordinis Præmonſtratenſis ſuper filios ac filias ſuas habet.

Singulariter autem Nos Nonnæ atque Converſæ dicti Monaſterii, nunc exiſtentes aut olim exſtituræ, noſtri noſtrarumque poſterarum nomine, abdicamus jus omne, quod habemus aut prætendere poſſemus habere, circa electionem, aut poſtulationem Præpoſiti noſtri. Atque promittimus, ſub juramento deſuper facto ſolenniter præſtito in manibus præfati Reverendi Patris Præpoſiti noſtri, qui prior ipſe juravit in manibus noſtri Reverendi Patris Abbatis; nullo nos tempore, ſive per nos ſive per alium quemcumque, palam vel occultè, aut alia quacumque excogitabili via vel modo, quidquam machinaturas contra hanc noſtram promiſſionem, neque deſuper ullam diſpenſationem petituras, aut ea quomodocumque obtenta aliquatenus uſuras, etiamſi ex libera Sanctiſſimi Patris noſtri Pontificis Romani voluntate nobis ultro conceſſa foret.

Sed prædictus Reverendus Pater Abbas ſolus, nec alius quiſquam in communi, libera ſua voluntate, conſilium aut conſenſum noſtrum exigere poſſit, quotieſcumque opus erit, & Præpoſituram dicti Conventus noſtri per reſignationem, mortem, aut alium quemvis modum vacare continget, nobis ordinabit atque conſtituet: quemadmodum idem Reverendus noſter in Chriſto Pater, D. Joannes à Weſtcappel, Abbas dicti Monaſterii Middelburgenſis, fretus probata vita, honeſtate, prudentia & diligentia & diligentia Religioſi viri Fr. Joannis Allerts, Profeſſi ejuſdem Monaſterii Middelburgenſis dicti Ordinis Præmonſtratenſis, ipſum Fr. Joannem præfatum in præſentiarum Præpoſitum noſtri Conventus facit; atque in nomine Dei conſtituit.

Porro ſi vel ipſe Fr. Joannes Allerts vel aliquis Succeſſorum ejus, tempore ſui regiminis & Præpoſituræ ſuæ, male viveret, bona Conventus noſtri diſſiparet, præfatus Reverendus Pater Abbas Conventus Middelburgenſis Ordinis Præmonſtratenſis, noſtrique Conventus Pater Abbas, eundem Fratrem Joannem Allerts vel ejus pro tempore Succeſſorem, deponet à Præpoſitura, adminiſtratione & regimine Conventus noſtri, aliumque ſubſtituet; & ipſum Fratrem, tamquam ſubditum ſuum, ſecundum Statuta dicti Ordinis & modum criminis, corriget & caſtigabit.

Ita ut prædictus Rev. Pater Abbas Middelburgenſis Monaſterii noſtrique Conventus S. Barbaræ, ſolus & integrè atque pro ſuæ liberæ voluntatis arbitrio, in noſtro prædicto Conventu poſſit ordinare, inſtituere & deponere prædictum Præpoſitum, nullius deſuper conſilio aut conſenſu requiſito: nec perſona ulla in hunc noſtrum Conventum ad Probationem recipi poſſit, niſi prius & ante omnia id petierit atque impetraverit à Reverendo noſtro & Middelburgenſi Patre Abbate. Quod ſi Præpoſitus vel Prioriſſa contrarium facerent, graviter caſtigabuntur, & ab officio deponentur, ſi prædictus noſter Pater Abbas ita judicaverit convenire.

Quoad Viſitationem autem Conventûs noſtri S. Barbaræ præfati, Rev. Pater noſter in Chriſto Abbas Middelburgenſis, ſolus integre & ſemper exercebit officium Viſitatoris, viſitando Præpoſitum, Nonnas atque Converſas dicti Conventus noſtri in capite & in membris, in rebus tam temporalibus quam ſpiritualibus, ſecundùm Statuta Ordinis Præmonſtratenſis; nec alius quiſquam, niſi quem ipſi ſpecialiter ad hoc deputaverit.

Inſuper Nos, Nonnæ atque Converſæ, nunc exiſtentes aut deinceps extituræ, erimus & manebimus in perpetuum ſub arctiſſima atque firmiſſima clauſura; ita ut vir nullus aut femina, Eccleſiaſtici aut ſecularis ſtatus, quocumque modo ingredi ad nos valeant, niſi in caſu neceſſitatis.

Tali autem caſu, mulieri ſic ingreſſæ & Sorori noſtræ, ex aliis Sororibus noſtris una aut plures præſentes aderunt. Ita ſcilicet ut mulieribus intra clauſuram noſtram ingredi liceat infraſcriptis occaſionibus: ſcilicet, quando Sorores noſtrę veſtientur aut profitebuntur, aut in Dedicatione Eccleſiæ noſtræ, vel cum funus aliquod prçſente cadavere apud nos ſepeliendum intromittendum erit. Salvo quod mulieribus ſic intra clauſtrum noſtrum ingreſſis non licebit tranſire ad dormitorium noſtrum, vel intra clauſuram comedere vel bibere.

Nonnæ etiam noſtri Ordinis Præmonſtratenſis non ingredientur prædictam clauſuram noſtram, neque cum noſtris loquentur, niſi ſint Obſervantiæ regularis.

Ex viris autem ſolus Rev. Pater Abbas noſter ſubinde ad nos ingredi poterit, cum familiaribus, quos vel Middelburgo adduxerit, vel ſibi ſpecialiter ad hoc deputatos aſſumpſerit. Quæ omnia præſcripta puncta & articulos, eorumque ſingulos, Nos Prioriſſa & Communitas præfati Conventus, noſtro ac poſt futurarum nomine promiſimus & promittimus, ſub juramento deſuper in manibus prædicti noſtri Præpoſiti præſtito, abſque ullo defectu obſervare, quemadmodum etiam hoc die noſtræ ſolennis Profeſſionis publicè & expreſſè promiſimus.

In quorum fidem & teſtimonium veritatis, Nos Prioriſſa & Communitas, dicti noſtri Conventus Sigillum hiſce appendimus: atque ad majorem firmitatem certioremque obſervantiam prędictorum Articulorum & Ordinationum, omnes nos & & ſingulæ noſtrum oravimus noſtrum Reverendum in Chriſto Patrem D. Joannem

van

van Weſtcappel; modernum Abbatem Middelburgenſem, ut dignetur omnia præſcripta puncta confirmare, & munire Sigillo ſuo. Quod Ego Joannes van Weſtcappel, ad ſupplicationem prædictæ Prioriſſæ & Communitatis feci; anno, menſe, die, in Inſtrumento deſuper confecto notatis.

Super quibus omnibus & ſingulis, ſupradictæ Moniales & Converſæ conjunctim & diviſim; voluerunt & petierunt, ac quælibet earum pro ſe & ſequacibus ſuis voluit & petiit, fieri & confici à me Notario publico infraſcripto unum aut plura publicum ſeu publica Inſtrumentum aut Inſtrumenta, cum clauſulis ad hoc congruis & opportunis, ad dictamen cujuſlibet ſapientis, in meliori forma.

Volueruntque prædictæ Religioſæ, Moniales & Converſæ, conjunctim & diviſim, pro ſe & ſequacibus ſuis, ſupradicta Inſtrumentum & Inſtrumenta, in perpetuum robur fidem & teſtimonium, Sigillis ſupradictorum Venerabilis in Chriſti Patris ac Domini Abbatis Middelburgenſis nec non ſui Conventus communiri.

Acta ſunt hæc in domo majori, pro nunc Eccleſia & loco Capitulari prænominati Conventus, ſub anno, indictione, menſe, die, hora, Pontificatu, & loco quibus ſupra; præſentibus ibidem venerabilibus, egregiis & magnificis Dominis Magiſtris ac Religioſis Viris, Wilhelmo, filio Jacobi, Præpoſito Monaſterii ſive Conventus nomine Dulcis-Vallis partium Walachriæ, Prænonſtratenſis Ordinis; Jacobo Houteniſſe, Ordinis Minorum, ſacræ Paginæ Profeſſore; Arnoldo Boot, utriuſque Juris Doctore; Marcello Tolini de Mendonck, utriuſque Juris Licentiato, Teſtibus fide dignis, ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Ego Nicolaus, filius Simonis de Noortwick, Presbyter Trajectenſis Diœceſis, publicus ſacroſanctæ Apoſtolicæ Sedis auctoritate Notarius, quia præmiſſi Venerandi in Chriſto Domini Abbatis Middelburgenſis, nec non Religioſarum Monialium, & Converſarum ſuper certis pactis, poſitionibus & articulis, conventioni, actioni, Præpoſituræ renunciationi, obedientiæ, ſubmiſſioni, & juramenti præſtationi, ceteriſque omnibus & ſingulis; dum ſic ut præmittitur agerentur & fierent, unà cum prænominatis Teſtibus præſens interfui; eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audivi; ideo præſens publicum Inſtrumentum, per me conſcriptum, exinde confeci, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque & & nomine meis propriis ſolitis & conſuetis ſubſcripſi & ſignavi, in fidem, robur & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum, cum præfatis Teſtibus, rogatus ſpecialiter & requiſitus.

Extat Diploma iſtud in Actis SS. Juni T. I. ad calcem Vitæ S. Norberti.

CAPUT CXXVI.

Erectio Terræ de Waetervliet, *hodie Diœceſis Brugenſis, in Oppidum, cum Immunitate ab acciſiis, telonio &c. pro incolis, datâ anno* 1505. *per* Philippum Pulchrum *Regem Caſtellæ &c. in favorem* Hieronymi Lauryn *Theſaurarii ac Conſiliarii Regii, qui idem Oppidum muro ac portis multiſque domiciliis inſtruxerat, inſignemque Eccleſiam ædificârat.*

Ex Archivis Cameræ Rationum Inſulis.

PHILIPPE par la grace de Dieu, Roy de Caſtille &c. ſçavoir faiſons à tous preſents & à venir; Nous avons reçeu l'humble ſupplication de noſtre aimé & feal Chevalier, Conſeiller Maiſtre d'Hoſtel & Treſorier general de nos Domaines & Finances, Meſſire Jerome Lauwerin Sr. de Waterviet, contenant: que par nos autres Lettres patentes données au mois de Fevrier l'an M. D. & pour les cauſes au long contenues en icelles, Nous avons audit Suppliant donné & tranſporté ladite Terre & Seigneurie de Waterviet avec la Juſtice haulte moyenne & baſſe, pour par icelluy Suppliant, ſes Hoirs, & ayants cauſe en jouyr perpetuellement, & à tous jours en tels Droits, Authorité, Franchiſe & libertez, que Nous & nos Predeceſſeurs, Comtes & Comteſſes de Flandres en avons auparavant jouy & uſé, ſans rien en reſerver, ſauf l'Hommage, reſſort, & Souveraineté ſeulement, comme noſdites autres Lettres le contiennent, ou à plus plain.

Or eſt-il, que de toute anchienneté les manans & habitans de laditte Seigneurie de Waterviet ont été francqs & exempts de toutes Tailles, Aydes & ſubventions qu'ont été accordées à noſdits Predeceſſeurs par les Etats de noſtre Pays de Flandre; de laquelle Exemption & Franchiſe ils jouiſſent encores pour le preſent. En quoi noſdits Predeceſſeurs & Nous n'avons eu aucun intereſt, en tant que icelle Seigneurie n'a jamais eſté comprinſe au Tranſport de Flandres.

Mais attendu, que deſdittes Exemptions & Franchiſe ledit Suppliant n'a Titre Exemption que laditte anchienne poſſeſſion, & que depuis noſtre Don il a augmenté & accreu ſaditte Sei-

gneurie par dicaiges & acquiſitions de terre qu'il a gaignées hors de la mer, & eſpere d'encores plus l'accroitre & augmenter; & ſi a bon vouloir, de (moyennant la grace de Dieu) y faire conſtruire & lever une bonne forte Ville fermée le tour, à ſes grandes fraix & depens; il doute que ly après l'on veuille tirer & comprendre leſdits habitans de Watervliet audit Tranſport de Flandres, & les faire conſtraindre ès Aydes & Subſides dudit Pays, qui pourroit cauſer la perdition de tout ou la pluſpart de la grande & ſumptueuſe depence faite & à faire par ledit Suppliant, ſes Hoirs & ayans cauſe; & auſſi aux grans intereſts deſdits habitans & ſubjects de laditte Terre, leſquels pour eſtre tombez es mains d'icelluy Suppliant, ſeroient fruſtrez de leur dit Droit d'Exemption & ancbienne poſſeſſion.

D'autre part, par Nos autres Lettres ſubſequentes données au mois de Novembre dernier paſſé M. D. IV. & pour les cauſes auſſi contenues en icelle, avons auſſi en faveur dudit Suppliant octroyé & accordé auxdits habitans de la Ville, qu'il entend faire & conſtruire audit Watervliet (comme dit-eſt) pluſieurs nouveaux Privileges & Franchiſes, & entre autres l'exemption & Franchiſe de Tonlieu par tout noſtre Pays & Comté de Flandres; tout tel que les ont les Bourgeois & habitans des Villes de Dunkercke, Neufport, Oſtende, l'Ecluſe, & autres lieux ſituez ſur les cotes de la mer de Flandres.

Proſpectus urbis novæ.

Mais pour ce que laditte Ville eſt encore toute champeſtre & non habitée, il doubte ledit Privilege luy eſtre de bien petit effect pour ſortir à ſon intention, qui eſt principalement de peupler icelle Ville, ce n'eſt que leſdits Exemption & Franchiſe s'extende par tous Nos Pays & Seigneuries.

En outre ledit Suppliant, pour augmenter & largir laditte Seigneurie de Watervliet, a entre autres parties de terre à luy appartenants fait unir à icelle par Octroy de Nous deux cents meſures de Terre ou environ, ſpecifiées en Lettres de ce faiſans mention.

Et de tout eſt fait un ſeul Fief tenu de Nous, à cauſe de noſtre Chambre Legale de Flandre.

Depuis laquelle union, icelluy Suppliant a fait & aſſeoir les fondemens d'une Egliſe Parochiale belle & ſomptueuſe, ſperant de la parfaire. Y a auſſi fait faire une maiſon pour ſa retraite, & pluſieurs autres maiſons de louage & edifices: & a bonne volonté & intention, d'en faire edifier d'autres choſes requiſes pour la cloture d'une bonne ville fermée.

Eccleſia valde elegans.

Tous leſquels edifices, Ville & foſſez ſont & ſeront aſſis ſur terre & fonds appartenant audit Suppliant, au dehors deſdites 200 meſures de terre.

Or par Coutume des Fiefs de Flandres le prochain Heritier ne ſuccede à la mort de ſon Predeceſſeur, ſi non au fonds du Fief & à toute Seigneurie, ſans aucune ſeureté d'autres edifices, que la meilleure maiſon, meilleur arbre, colombier, molin & tous autres edifices, & arbres ſont partagables entre les autres heritiers. Au moyen de quoy pluſieurs beaux edifices & jardins d'arbres tombent ſouvent & demeurent en ruine, parce meſmement que le principal heritier & proprietaire, à qui le Fief ſuccede, ne les veult, ou n'a de quoy les redimer par achat, & que ceux à qui ils ſuccedent n'ont autres revenu à l'environ.

Toutes leſquelles choſes ſeroient indirectement contre l'intention dudit Suppliant, & à ſon grand regret & deplaiſir: en Nous requerant treshumblement, le vouloir ſur tout pourveoir, & luy elargir noſtre Grace.

Et meſmement, qu'il nous plaiſe luy Octroier & accorder, que les manans & habitans de ſaditte Terre & Seigneurie de Watervliet ſoyent & demeurent toujours franqs & exempts de toutes Tailles, Aydes & ſubventions, qui ſe pourront accorder à Nous ou à nos Succeſſeurs en noſtre dit Pays de Flandres, pour quelque cauſe que ce ſoit.

Et ſemblablement de tous Droits de Tonlieu par tous nos Pays & Seigneuries.

Offrant de ſubmettre & obliger ſeſdites Villes, Terre & Seigneurie de Watervliet envers Nous & nos Succeſſeurs Comtes & Comteſſes de Flandre, en telle maniere, que s'il alloit de vie à trepas ſans Hoirs ou Hoir legitime, procrées de ſon corps en leal mariage; en ce cas icelle Ville, Terre & Seigneurie, avec toutes ſes appartenances & appendances ſuccederoient à Nous & à noſdits Succeſſeurs.

Non obſtant, qu'il en ait le don pour luy & les ſiens à perpetuité; ſauf douaire, que luy & les deſcendants de luy pourront aſſigner ſur la revenue de laditte Terre, toutes les fois que le cas le requera.

Et que oultre & par deſſus les 200. meſures de terre ou environ deſja par Nous unies & jointes à laditte Terre & Seigneurie de Watervliet, ſoit auſſi unie & jointte au gros Fief dudit Watervliet toute la Terre & autre fonds à luy appartenant, qui eſt & ſera comprins ès portes, murailles & foſſez de ladite Ville de Watervliet, & au dehors deſdittes portes & foſſez, avec le canal de la mer entrant audit Watervliet, enſemble tous les ecluſes ſervant à tenir ledit canal, avec tous les autres edifices & arbres que ledit Suppliant y a fait & acquis, en temps à venir, en & par toute laditte Ville & appartenances dudit Fief.

Et que tout enſemble les moulins aſſis & à aſſeoir par toute laditte Terre de Watervliet ſoient & demeurent d'une meſme nature; & ſuccede à celuy, à qui devera appartenir les fonds & gros d'iceluy Fief; non obſtant la Couſtume faiſant au contraire;

Et d'avantaige que tous les Fiefs, qui ſont ou ſeront cy après tenus de laditte Terre & Seide Watervliet ſoient à toujours de la même nature & ſucceſſion; aſſavoir que tous edifices arbres & autres membres, qui en Thiois l'on appelle Eerdvaſt & Naghelvaſt, aſſis ſur aucun Fief, ſoient en ſucceſſion à celuy à qui le fonds d'icelui Fief doit ſucceder & appartenir,

& ſur tout luy faire expedier nos Lettres Patentes en tel cas pertinentes.

Pour ce eſt-il, que Nous, les choſes deſſusdites conſiderées, meſmement les bons, notables, & agreables ſervices que ledit Suppliant Nous a fait, & ne ceſſe faire chaſcun jour, à grand ſoing, travail & diligences, & l'offre par luy faite, de charger ſeſdittes Ville, Terre, & Seigneurie de Watervliet de retour & ſucceſſion à Nous, noſdits Hoirs & Succeſſeurs, en cas qu'il voiſe de vie à trepas ſans hoir legitime procréé de ſon corps en leal mariage;

Ayant ladite offre agreable, & acceptant icelle, & eu ſur ce l'Advis de nos amez & feaulx les Preſident & Gens de nos Comptes à Lille, enſemble auſſi de Meſſire Thiery de Beauffremez noſtre Conſeiller en noſtre Chambre de Conſeil, & Lievin Loys noſtre Receveur general de Flandres au Quartier de Gand, leſquels par Ordonnance deſdits nos Preſident & Gens des Comptes de Lille ſe ſont informez de & ſur tous les points deſſus-dits, & ce qui en depend, meſmement du proffit ou intereſt, que pourrions avoir, les accordant audit Supliant;

Nous à iceluy Suppliant, inclinant à ſaditte Supplication & Requeſte, avons par la deliberation de Nos tres chers & feaulx les Chancellier & Gens de noſtre grand Conſeil, & de noſtre certaine ſcience, authorité & puiſſance pour Nous, noſdits Hoirs & Succeſſeurs Comtes & Comteſſes de Flandres, Octroyé, conſenty & accordé, octroyons conſentons & accordons de grace eſpecial par ces preſentes, que tous leſdits Mannans & habitans du Pourpris de laditte Ville & Seigneurie de Watervliet preſents & à venir ſoyent & demeurent à toujours francqs, quittes & exemps de toutes Tailles, Aides & ſubventions, qui ſont ou pourront eſtre en temps avenir conſentiz & accordez à Nous ou noſdits Succeſſeurs par les Etats ou Membres de noſtredit Pays de Flandres, en quelque temps & pour quelconque cauſe & occaſion que ce ſoit ou puiſt eſtre;

Sauf les Conditions contenues ès Lettres de la Creve * *de laditte Seigneurie, à cauſe de certaine vieſe, dieges, & terre nagueres par Nous y adjoutée, pour faire une garenne excepté la garde d'icelle garenne; lequel avec ſon domicille de noſtre plus ample grace, enſemble du moſuur, qui aura & tiendra le molin, que ledit Suppliant entend faire & dreſſer ſur leſdittes vielles digues comprinſes ès ſept-vingt-dix meſures de terre, qui nagueres (comme dit-eſt) ſont unies & appliquées à laditte Seigneurie;*

Forte Keure.

Avons exempté & affranchy, exemptons auſſi & affranchiſſons à toujours deſdittes Tailles, Aydes, & ſubventions.

Et en oultre encores de noſtre plus ample grace avons auſſi Octroyé & accordé, Octroyons & accordons par ceſdittes preſentes audit Suppliant, que ſeſdits mannans & habitans au pourprit de laditte Ville de Watervliet, durant le temps & terme de vingt-cinq ans prochain venant, & entre ſuivans l'un l'autre, commencans aujourdhui datte de ceſtes, ſoient & demeurent auſſi quittes francs & exempts de payer aucun Droit de Tonlieu par tous noſdits Pays & Seigneuries, à cauſe de leurs denrées & marchandiſes quelſconques, qu'ils feront mener & ramener, paſſer & repaſſer par devant les lieux, gardes & wachtes, ou ſe levent noſdits Tonlieux.

Et avons annexé & annexons par ceſdittes preſentes au gros du Fief de laditte Seigneurie de Watervliet oultre & par deſſus leſdittes 200 meſures de terre ou environ, deja unies & annexées à icelle, tous les fonds, terres & heritages à icelluy Suppliant appartenant, qui desja eſt, & cy-après ſera comprins ès portes, murailles, & foſſez de laditte Ville de Watervliet, & 50. verges de terre tout à l'entour & à l'environ de laditte Ville, au dehors deſdittes portes & foſſez, icelle faictes à tout le canal de la mer, entrant vers laditte Ville ou lieu dudit Watervliet.

Enſemble tous foſſez, lacqs, ecluſes & edifices ſervans à tenir ledit canal; comme auſſi tous autres edifices, arbres, que ledit Suppliant a fait & acquis, fera & acquerera, ou par ſes Hoirs & ayans cauſe feront faits & acquis cy-après, en & ſur les terres appartenantes & jointes audit Fief de Watervliet.

Veuillant & Octroyant, que toutes leſdites parties ainſy jointes & unies au gros de laditte Seigneurie, enſemble les molins aſſis & à aſſeoir par toute laditte Terre, ſeront de tel nature, que le Fief principal; & que le tout ſuive & ſuccede au vray & principal Heritier, auquel celluy principal Fief devra competer & apartenir.

Sauf que leſdittes parties ainſi unies & annexées, ne aucune d'icelles, de quelque nature ou condition qu'elles ſoient ou puiſſent eſtre, ſoient partables par les autres heritiers en quelque degré qu'ils ſoient.

Voulons, ordonnons & Octroyons auſſi, par ces memes & preſentes, que tous les Arriere-Fiefs qui ſont & ſeront tenus & mouvants de laditte Seigneurie de Watervliet, & les appartenances d'iceux, ſoient & demeurent auſſi perpetuellement & à toujours de tel & ſemblable nature & condition tant à la ſucceſſion d'iceux que autrement, comme eſt & ſera laditte Seigneurie de Watervliet, ainſi que cy-deſſus eſt declaré, non obſtant quelconques Couſtume ou uſance au contraire.

Et moyennant ce Dons, Conceſſions & Octroy, Nous reſervons à nous l'offre cy-devant eſcripte, à ſçavoir que ſi ledit Seigneur de Watervliet preſent ou avenir alloit de vie à trepas ſans hoir ou hoirs procréés de ſon corps en leal Mariage en ligne directe ou indirecte, en ce cas leſdittes Ville, Terre & Seigneurie de Watervliet avec toutes apartenances & appendances quelſconques en enſuivant ſon offre & preſentations deſſuſditte retourneront à Nous, noſdits Hoirs & Succeſſeurs Comtes & Comteſſes de Flandres, pour de la en avant en jouir par Nous & iceux nos Succeſſeurs en tout tel droit que ledit Seigneur de Watervliet les a, & tient preſentement.

Digitized by Google

Sauf Douaire competent, que leſdits Hoirs dudit Seigneur de Watervliet procrées comme deſſus pourront aſſigner ſur toute, ou partie du Revenu de la ditte Seigneurie toutes les fois que le cas le requera, ſans eſtre tenus de prendre autre Octroy de Nous, que ces mêmes preſentes. Lequel Douaire expiré, le totage en cas que deſſus retournera à Nous, nos Hoirs & Succeſſeurs Comtes & Comteſſes de Fiandres en la forme que deſſus. Dont icelluy Suppliant ſera tenu bailler les Lettres en bonne forme, & icelles envoier en noſtre Chambre des Comptes à Lille, pour y eſtre gardées à noſtre ſeureté & proffit.

Cy donnons en Mandement à nos amez & Feaulx les Preſident & Gens de Nos Comptes à Lille, qu'ils procedent bien & deuement à la verification & intherinement de ceſdittes preſentes ſelon leur forme & teneur, & en oultre à noſdits Chancelier & Gens de notre Grand Conſeil, Preſidens & gens de noſtres Chambres de Conſeil en Flandres & de nos Comptes à Lille, Bailly de Gand, de Bruges, & du Francq, & à tous Nos autres Juſticiers, Officiers & ſubjects, qui peut & pourra toucher & regarder, leurs Lieutenans & chaſchun d'eulx en droit, loy & ſi comme à luy appartiendra, que de nos preſente Grace, Octroy, & Accord, & de tout le contenu en ceſdittes preſentes ſelon & par la forme & maniere & ſoubs les conditions avant dittes, ils facent, ſouffrent, & laiſſent le dit Seigneur de Watervliet, ſes Hoirs & ayans cauſe, plainement, paiſiblement & perpetuellement jouir, & uſer, ſans leur faire mettre ou ordonner, ne ſouffrir eſtre fait, mis, ou donné ores ne au temps à venir qu'elconque Arreſt, deſtourbier ou empeſchement au contraire. Car ainſi Nous plaiſt-il.

Non obſtant que par l'Ordonnance par Nous fait en l'an quatre vingt quinze ſur le fait & reintegration de Notre demeurs, ſoit entre autres choſes dit, que ne feroins aucun Tranſport ou Alienation d'aucunes parties de noſtres dits demeurs, ne autres choſes en dependans, ſous les peines & aſtrictions contenues èſdittes Ordonnances les ſermens ſur ce fait & preſtez par les Gens de Nos Comptes & autres pour l'entretenement d'icelles; qui ne voulons au cas preſent aucunement prejudicier au dit Suppliant Et autant que meſtier eſt, en avons icelluy ſuppliant & tous autres relevé, & relevons de Grace eſpeciale par ceſdittes preſentes. Par leſquelles avons auſſi diſpenſé & diſpenſons leſdits de Nos Comptes, & autres nos Officiers deſdittes peines aſtrictions & ſerments par eux ſur ce fais & pretez, comme dit eſt. Non obſtant auſſi queſconques autres Ordonnances, Reſtrictions, Mandemens ou defences à ce contraires. Et que ceſdittes preſentes ne ſoient verifiées dudit Treſorier General, parce que la choſe luy touche comme il appartient.

Et afin que ce ſoit choſe ferme & eſtable à toujours, Nous avons fait mettre à ces preſentes le Seel, dont avons uſé juſques ores, ſauf en autres choſes noſtre droit & l'autrui en toutes.

Donné en notre ville de Boſleduc, au mois de May l'an de grace mil cinq cens & cincq.

Ainſi ſigné ſur le ploy; par le Roy; *vous le Sieur de Ville grand Chambellan, les Sieurs de Fiennes & de Chievres, le Dom Prevoſt d'Utrecht, & autres preſens.* Hanneton vidit.

WAETERVLIET, Parochia, Oppidi jure ac privilegiis gaudens, ſita eſt in Diœceſi Brugenſi, ſub Decanatu Ardemburgenſi. Eccleſia B. Mariæ Virgini dicata, una ex elegantioribus optimèque dotatis totius regionis eſt. Eadem Terra de Waetervliet olim fuit poſſeſſa per Abbatiam S. Petri Gandavi. Extat deſuper parvum Diploma in Flandria Sanderi novæ editionis pag. 270. Tom. I. in hęc verba.

„ In nomine Patris &c. Ego Balduinus Dei „ gratiâ Comes Flandriæ & Hannoniæ notum „ eſſe volo tam præſentibus quam futuris, quod „ Terram in Waetervliet, quam Henricus fra„ ter meus ex mea largitione liberè poſſedit, „ Eccleſiæ B. Petri Gandenſis in eleëmoſynam „ &c. Actum in Capella de Male, anno ab „ Incarnatione Domini M. C. C. XVIII. Kalen„ dis Junii.

Patronus Paſtoratûs hujus eſt Abbas S. Petri Gandavi. Decimatores ſunt, Eccleſia de Waetervliet, Abbas S. Petri Gandavi, & Capitula Cathedralia Tornacenſe & Gandavenſe.

Uti circa annum 1458, (juxta Diplomata ſuperiora Tomo II. pag. 1339. & ſequentibus) *Petrus Bladelinus* Philippi Boni Burgundię Ducis Conſiliarius ac Theſaurarius in dominio ſuo Oppidum Middelburgenſe erexerat; ſic & fecit *Hieronymus Lauwerinus*, Philippi Pulchri Caſtellæ Regis ac Belgarum Principis Conſiliarius ac Theſaurarius, &c.

Hic circa annum 1500. in Dominio ſuo de Waetervliet, complures terras quondam mari abſorptas, ab inundatione revendicaverat, domos plures pro incolis, Eccleſiam valde ſumptuoſam pro cultu divino, caſtrumque pro ſe erexerat; quin-imo & mœnia & portas & portum erigere cęperat, Civitatemque perficere meditabatur: eoque dominio ut Feudo à Principe obtento fruebatur; ſolâ ſuprematiâ Principi reſervatâ.

Eâ ratione Philippus Pulcher Caſtellæ Rex (citato Diplomate) anno 1505. incolis de Waetervliet immunitatem ab aceiſiis aliiſque oneribus quibuſcunque conceſſit. Ita tamen, ut quando legitimi heredes præfati Jeronymi de Lauryn defeciſſent, Dominium omne ad Principem reverteretur.

Vide plura in nova Editione Flandrię Sanderi Tomo III. pag. 263.

Obiit præfatus Jeronymus Laurinus 1509.; ſepultus in Eccleſia parochiali de Waetervliet: ubi hodiedum conſpicua eſt ejus ſepultura magnifice elevata ex cæruleo ac lydio lapide, cum tribus figuris ſupra ſculptis aliiſque ornamentis, & hac inſcriptione.

„ *Sepulture Mer Jeronymus Lauweryn, Rud-* „ *dere, Heere van Waetervliet, Poortvliet &c.* „ *Raedt, Hooſmeeſter ende Treſorier generael* „ *ons ghedunchten Heere C. van Caſtilien, Græve* „ *van Vlaenderen &c. ende Fondateur deſer Kerc-* „ *ke, die ſtarf den eerſten in Ougſt M. D. IX.* „ *Ende Joncky. Barble, Fa Mer Jeronymus,* „ *Vranwe van Waterlant, die ſtarf anno M. D.* „ *Joncker Marcus Lauweryn, Schiltknape,* „ *Heere van Watervliet, Waterlant, Philippi-*

Lauryn

Lauryn

„ ne &c. den welcken ongetrauf overleden is,
„ op den . . . . . M. D. C. X.
„ Ende Mevrouwe Françoiſe Lauweryn naer
„ de doot van haren boven geſcreven Broeder
„ Vrauwe van Watervliet, Waterlant, Philip-
„ pine &c. De welcke twee boven geſcreven Kin-
„ deren waeren van wylent Joncker Guido Lau-
Deurnagele. „ weryn F. Matthias, geprocreert by Vrauwe
Le Bœuf. „ Joanna de Deurnagele, dochter van Jor. Phi-
„ lips Heere van Vroilant, Zegershove, &c. Zy
„ was Weduwe van Mer Maximilaen le Bœuf,
„ Ridder, Heere van Bakelroo, in ſyn leven
„ Capitain van Curaſſin te peerde, ende Gou-
„ verneur der Stede ende Diſtrict van Weert in
„ Gelderlant, alwaer hy in de Parochie Kercke
„ begraven light. Hy overleedt anno M. D. C. VII.
„ ende ſy . . . . . anno M. D. C. XXX.

CAPUT CXXVII.

Acta in cauſâ duorum Conventuum FF. Minorum Ordinis Sti. Franciſci, quorum unus Conventualium erat intra Brugas, alter Reformatorum ſive Obſervantium extra hanc urbem; hi vero, aſſentiente Brugenſi Magiſtratu, illos loco ſuo amovêre moliebantur, uti & anno 1515 effecerunt.

MARGUERITE &c. *Tres-Chiers & bien-amez. Nous vous envoions, avec ceſtes la Requeſte à Nous preſentée de la part de Reverend Pere Frere* Boniface *Miniſtre des Freres Mineurs de l'Ordre de St. François en la Province de France, d'une part; certain Memoire contenant pluſieurs raiſons allegées par ceulx de la Ville de Bruges, avecq auſſi certain Inſtrument à nous auſſi preſenté de la part deſdits de Bruges contre les Requeſtes & inſtances dudit Miniſtre, d'autre; enſemble les lettres à Nous eſcrittes, avec copie de l'Acte de la proviſion ſur ce faicte & baillée par noſtre Couſin le Sieur* de Fiennes *Lieutenant & Gouverneur General de Flandres: ainſi que par l'inſpection & viſitation des Requeſtes, Lettres, Actes, Inſtrument & autres choſes deſſus-dites verrez & cognoitrez plus à plain.*

Et pour ce que journellement ſommes de ceſte matiere non ſeulement tres-inſtament pourſuye, tant d'une part que d'autre, mais aſſez moleſtée & importunée, & que c'eſt choſe d'importance, de conſequence, & auſſi grandement de conſcienee; auſſi que obſtant les autres grans & urgens & divers affaires journellement nous ſurvenans à cauſe de la preſente Guerre de Gueldres *& autrement, & que ne ſommes ici accompaignée ne aſſiſtée de tel nombre* de gens de longue robe, *que pour la deliberation & deciſion de la proviſion requiſe & neceſſaire en ceſt affaire ſeroit bien expedient & neceſſaire; Vous ordonnons & mandons bien expreſſement, & à certes, que apellé avecq vous* Maiſtre Michel de Pavye *Doien de Cambray Confeſſeur de mondit Seigneur & nepveu, (au cas qu'il ſoit à Malines,) vous veez, viſitez, conſultez & examinez bien diligemment & meurement toutes les Lettres, Requeſtes, Acte, Memoire, Inſtrument & munimens deſſus-dits.*

Et ce fait, nous renvoiez le tout à diligence par la poſte, avecq auſſi voſtre Advis ſur la proviſion, que pour toute raiſon, equité & juſtice faire pourrons & devrons, pour après en eſtre ordonné par Nous, ainſi que verrons au cas appartenir: & en ce ne faites faulte.

Tres-chiers & bien-amés, noſtre Seigneur ſoit garde de vous. Eſcript à Breda *le XXI. jour de Novembre M. D. & XI. ainſi ſigné:* MARGARITE. *Sur le dos eſtoit: A nos tres-chiers & bien-amez, les Preſident & Gens du grant Conſeil à Malines.*

Reſponſum, ſive Judicium Magni Conſilii.

NOſtre tres redoubtee Dame, *Nous nous &c.*

Madame. Nous avons reçeu vos Lettres eſcriptes de Breda le XXI. jour de ce preſent mois, enſemble certaine Requeſte & Memoire y attaché, à Vous preſentez par Reverend Pere Frere Boniface *Miniſtre General des Freres Mineurs en la Province de France; & avec ce certaines Lettres & Acte du Sieur* de Fiennes, *& pluſieurs autres eſcripts*

& munimens concernans le debat, de preſent eſtant entre ledit Miniſtre & le Vicaire du Provincial de l'Ordre des Obſervants, avec les Freres d'icelluy Ordre lez la Ville de Bruges, pour raiſon de la Reformation, que chacune deſ-dites parties pretend faire du Cloiſtre & Convent des Freres Mineurs dedens ladite Ville de Bruges; nous mandant le tout veoir, conſulter & examiner bien diligenment & meurement, & en après le vous renvoier avecq noſtre Advis de la proviſion que y pourrez ou devrez faire, pour y eſtre ordonné comme de raiſon.

Madame; en obeiſſant à vos commandemens nous avons le tout veu & viſité bien & dilligenment, & en après l'envoié à Monſieur le Doyen de Cambray, & l'adverti de noſtre concept en ceſte partie; lequel aiant le viſité s'eſt trouvé du méme advis que eſtions & ſommes, & qui eſt à voſtre correction; attendu que le debat des parties, pour mettre l'une ou l'autre dans la Ville de Bruges, eſt difficile, d'importance & de conſequence.

Il nous ſemble, que ce ſera bien le meilleur fait, d'eſcrire & ordonner audit Sieur de Fiennes, *lequel y a bien commenchié beſoigner, que prins avecq lui notables perſonnages, il ſe traveille & aſſeye preallablement, s'il ne pourroit appointier & accorder les parties amiablement, du gré de la Loy de Bruges;*

Et ce fait; & s'il ne les ſcet appointer, qu'il ordonne aux parties d'un coſté & d'autre, mettre oultre un brief Memoire de leur intention & querelle, & avecq ce les Concordats, Decret du Cocille de de Conſtance, Briefs Apoſtoliques, & aultres choſes dont elles ſe vouldront aider. Et que avecq ce il ſe informe ou face informer par gens non ſuſpects du prouffit & dommaige, bien & mal, ou inconvenient, que en pourroit advenir à à la Ville de Bruges, & conſequemment à Monſeigneur, pour accorder à l'une ou à l'autre des parties ce qu'elles requerent. Et ce fait, qu'il Vous renvoie le tout, avec ſon Advis ſur ce, pour après par Vous y eſtre ordonné & adviſé, comme il appartiendra.

Et neanmoins, Madame, pendant ce temps, & juſques ces choſes faictes & achevées, & que par Vous y ſera ordonné, nous ſemble; que devez tenir & faire tenir toutes choſes en l'eſtat, qu'elles ſont de preſent.

Madame, Nous Vous renvoions avec ceſte toutes les Pieces deſſuſ-dictes: & Vous plaiſe nous tousjours commander vos bons plaiſirs. &c.

Eſcript à Malines le XXVI. jour de Novembre M. D. & XI.

Hiſtoriam hanc totam narrat Ant. Sanderus in Deſcriptione Conventûs Brugenſis, Tomo II. pag. 115. & 116. qui neceſſariò de his Actis conſuiendus eſt.

CAPUT CXXVIII.

Teſtamentum, verè pium, Reverendi admodum D. Hieronymi Buſlidii, *Presbyteri, Præpoſiti Eccleſiæ Aërienſis in Artheſia, nec non Eccleſiæ S. Rumoldi Mechliniæ Canonici; in quo etiam exhibetur inſtituta per eum Fundatio celebris Collegii Trilinguis, ſive Buſlidiani, in Academia Lovanienſi, anno 1517.*

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs Sancti, amen. Quoniam caduca & fragilis eſt vita humana, & cujuſcumque vocationis hora incerta adeo, ut quo in loco, quo tempore ea nos expectet nedum ſciamus, verùm id ſatis quidem proſpicere nequimus; ergo nos illam expectare omni tempore, omni momento debemus, memores verbi Apoſtoli, quia illa non tardat, & quæ de terra ſunt in terram revertuntur.

Propterea ſumma incuria eſt, diuturnioris vitæ, non dicam ſpe tantum, ſed etiam ſecuritate, de exitu non cogitare; rerum quoque exterarum diſpenſationem in id potiſſimum tempus differre, in quo mens gravata plurimis, ad unum aliquid non eſt ſæpe idonea, quando tunc urget timor mortis, torquet infirmitas corporis, noſque ſæpe & ſubito momento deſtituant omnis ſenſus & intellectus.

Digitized by Google

Quare ut concedente Deo adhuc corpore ſoſpes, & mente ſanus, iſta devitem, & ad meum, non alienum, arbitrium rem omnem mihi à Deo collatam proindè diſponam, tranſitoria ſcilicet in æterna, felici quodam commercio commutando, curavi illud Iſaiæ imitari, *diſpone Domui tuæ, quia morieris & non vives*; formidanſque illud Salvatoris, *vigilate, quia neſcitis horam quâ Dominus veſter venturus ſit* &c.

Ego *Hieronimus Buſlidius* Arienſis Præpoſitus, ſtatui hoc Teſtamentum condere, meo cirographo ſubſcriptum, & Sigillo munitum; cui ita vim eſſe volo, ſi id-ipſum totum, vel ejus partem, ante mortem non revocem.

In primis converſus in Deum creatorem meum, in manu cujus eſt vita mea & interitus, anxius futuri de me judicii, quod ignorem, utrum odio an acceptatione dignus ſim, ſperans tamen in viſceribus miſericordiæ ſuæ, in quibus nos viſitavit ex alto; offero illi & commendo trementem animam meam; ſuppliciter orans, ut fiant aures ejus intendentes in vocem deprecationis meæ, *neque intret in judicium cum ſervo ſuo, nec adverſus folium quod vento rapitur, exerceat potentiam ſuam*; ſed magis ut pius Creator ſuam ſuſcipiat creaturam, & factor ſuum non aſpernetur figmentum, collocando animam humiliatam fidelis pœnitentis Sacerdotis ſui Hieronimi, cum beatis ſpiritibus in vitam æternam. Amen.

Deinde hoc vile cadaver meum, vitiis proch dolor! multis contaminatum, quia terreum eſt, ſtatuo terræ reddendum; idque minori quo fieri poterit pompâ, atque impenſâ inhumandi, videlicet *in Choro Baſilicæ Divi Rumoldi opidi Mechlinienſis*, ad latus dextrum ſummi Altaris; & hoc, ſi in hac profectione meâ Hiſpanicâ clauſero diem extremum in Regno Françiæ, aut citra Alpes.

Locus Sepulturæ Mechliniæ primum diſpoſitus.

Item volo, ut ad parietem contiguum monumenti mei infigatur tabella illa depicta, que extat in oratorio domûs meę, & fiant duæ alæ ad præfatam tabellam: in quarum altera depingatur repræſentatio mea, in altera inſcribatur Epitaphium aliquod in mei memoriam.

Epitaphium olim conceptum.

Si vero in Hiſpania moriar, aut ultra Alpes, cupio inhumari in æde divi Bernardi juxta Toletum, in ſarcophago, in quo *frater meus Archiepiſcopus Biſuntinus* poſitus eſt.

Archiepiſcopus Biſuntinus, frater Teſtatoris.

In qua quidem Ædę ordino, & volo ibi perpetuam & quotidianam Miſſam *de Requiem*, cum Anniverſario perpetuis futuris temporibus celebrandam & fundandam; ac in hunc uſum calicem & ornamenta ad hæc neceſſaria ab Executoribus meis infra nominandis comparatum iri.

Præterea ab ipſo die migrationis hinc meæ, ſingulis diebus continuatis & immediatè ſequentibus, celebrentur in piis locis, & à piis & honeſtis Sacerdotibus in refrigerium animæ meæ Miſſæ; & hiis diebus elargientur eleëmoſinæ, veris pauperibus Chriſti, uſque ad ſummam ducentorum florenorum Renenſium.

Inſuper volo *Anniverſarium meum fundari in prefata Eccleſia Divi Rumoldi Mechlinienſis*; legando ob id Sexaginta Fratribus ejuſdem Eccleſiæ tantam & ſimilem pecuniariam ſummam, qualem Dominus *Carolus de Ranchicourt*, Præpoſitus quondam Attrebatenſis, legavit & reliquit, inter ipſos æqualiter partipandam & diſtribuendam; ſalvo quod ex illa ſumma deducentur triginta ſex ſtuferi, participandi ſolum inter Fratres ipſo die Anniverſarii mei celebrandi, & memoriam mei in Miſſa faciendi.

Anniverſarium in Eccleſia D. Rumoldi.

Item Fabricæ Eccleſiæ ſancti Petri Arienſis lego centum florenos Renenſes; in qua Eccleſia fundari etiam Anniverſarium meum cupio.

Anniverſarium Aëriæ in Arthefia.

Et quia in eadem Arienſi Eccleſia magnam aliquam particulam glorioſæ Crucis, in qua Salvator noſter pependit, eſſe intelligo; lego & dono Crucem meam auratam magnam, inſigniis Archiepiſcopi quondam Biſuntini fratris mei ornatam, in qua quidem recondetur & inſeretur præfata particula dictæ Sanctæ Crucis.

Quod quidem ut juxta devotionem meam ita fiat, Dominos Capitulares ibidem Confratres meos obnixiùs oro, petens eandem ad proceſſiones deferri faciant; quod de priori quæ inde ibidem eſt, fieri ſolet. Et caſu quo id facere actualiter & immediatè noluerint, cedat in rem & utilitatem Burſariorum meorum inſtituendorum: de quibus infra dicetur.

Item Fabricæ Eccleſiæ ſanctæ Waldetrudis apud Montes Hannoniæ lego florenos communes Renenſes viginti.

Fuerat etiam Canonicus S. Waldetrudis Montibus.

Item Fabricæ Eccleſiæ Cameracenſis viginti Renenſes communes.

Item officio Eleëmoſynariæ ejuſdem Eccleſiæ Cameracenſis decem Renenſes.

Item Archidiaconus Cameraci.

Item Fabricę Eccleſię ſanctę Gudilæ Bruxellenſis viginti Renenſes.

Theſaurarius S. Gudilæ Brux.

Item Fabricę Eccleſiæ ſancti Lamberti Leodienſis viginti.

Et Canonicus Cath. Leodienſ.

Item fabricæ Eccleſiæ Parochialis Steenbergenſis centum florenos Renenſes communes.

Carmelitæ Arlunenſes ab ejus Patre fundatis

Item Conventui Carmelitarum Arlunenſium do centum florenos Renenſes communes, in ſupplementum Fundationis paternæ; & hoc ſi conſtiterit ipſam fundationem Patris mei inibi factam minus ſufficienter, ut dicunt, eſſe fundatam, attentâ qualitate dictæ Fundationis.

Item ab ipſo die obitûs mei infra tres menſes immediate ſequentes numerando, lego & volo diſtribui pro mea certa intentione complendâ per Magiſtrum *Adrianum Joſel*

Obierat hic Conſiliarius Eccleſiaſticus Mechliniæ, die 17 Julii 1506. Collecta.

Canonicum Antverpienſem pauperibus veris Chriſti, trecentos florenos Renenſes communes; qualem intentionem meam illi declaravi, cujus Adriani ſuper hac re aſſertioni ſtari volo, ſine aliquâ, aliâ magis ſpecificâ declaratione.

Domus ejus Mechliniæ. Præterea Domum meam Mechliniæ ſitam, cujus fundum tam à fratribus quam ab aliis emi, & illam propriis ſumptibus conſtruxi, unà cum antiqua domo, & introitu portæ anterioris, & ſtabulo in introitu horti à parte poſteriori ſituata, volo & ordino poſt mortem meam ab Executoribus meis quo carius & utilius fieri poterit venditioni exponi; & precium ex hujuſmodi venditione proveniens in tres partes æqualiter dividi.

Quarum prima ſpectabit fratri meo Ægidio.

Secunda Franciſco chariſſimo nepoti meo, filio Valeriani quondam fratris mei.

Tertia vero pars, unà cum aliis domibus præfatæ domui novæ contiguis & annexis & adjacentibus, ante & retro, demptis tamen præfatis antiquâ domo & ſtabulo prænarratis, applicabitur Alumnis ſive Burſariis meis à me inſtituendis; de quibus latius infra patebit.

Et ſi forte (quod abſit) contingat præfatum Franciſcum nepotem meum diem ſuum extremum obire ante me, ſine legitima prole ſuperſtite; volo quod pars ſuæ venditionis præfatæ accreſcat & ſuccedat prædictis Burſariis meis inſtituendis.

Quæ hic ſequuntur, concernunt ſolummodo res domeſticas Teſtatoris; ideoque hic prætermiſſa.

Fundatio Burſarum. De reliquis omnibus bonis meis, tam mobilibus quam immobilibus inſtitui volo & ſtabiliri unum Collegium, in Univerſitate Lovanienſi, in Collegio ſancti Donatiani, ſi ipſe locus commodè obtineri poſſit: vel aliàs in Collegio Atrebatenſi.

In quo erunt tredecim Burſæ, eo modo ordine & formâ; ut infra patebit.

Primo octo Burſæ pro octo juvenibus, valoris viginti quinque florenorum Renenſium communium, qui propriorum parentum ſacramento, ac inſuper Proviſorum ipſius Collegii infra nominatorum diligenti examine Pauperes. verè pauperes probati ſint, quorum parentum facultates nullo modo ſuppetant, quibus honeſtè in ſtudiis Litterarum alerentur ipſi juvenes; ſcilicet ipſos à parentibus annuos viginti quinque florenos Renenſes communes recipere non poſſe, *ſine ſtatûs & conditionis ipſorum parentum notabili detrimento.*

Item quod ſint legitimo matrimonio procreati; Patria. ita ut eorum duo ſint Buſlydii, ætatis decem annorum, ad omne minus, quorum ingenium ac indoles & jam percepta aliqua litteratura ſpem præbeant futuræ probitatis.

Præterea duo Marvillani, duo Arelunenſes, unus Arienſis, & unus Steenbergenſis, modo ſint boni ingenii & competentis Litteraturæ, cujus communiter mediocrem primarium Lovanii eſſe decet, ac aliàs tales, *ut inde notabilis in Eccleſia Dei fructus ſperari poſſit*, & qui decimum tertium annum attigerunt.

Quos omnes, ſimul & alios duos juvenes, de quibus poſtea dicetur, volo juxta Statuta Univerſitatis viſitare Lectiones *Grammatices & Philoſophiæ*, uſque ad gradum Magiſterii, quem adipiſcentur ſi velint; ad quem parentes neceſſariam impenſam miniſtrabunt. Uſque ad gradum Magiſterii in Artibus.

Diebus vero Dominicis & feſtis, loco lectionum quas in Collegiis Artium audirent à Præceptoribus, in hoc meo Collegio principia & rudimenta prima capiant in Linguis *Græca* & *Hebraïca*; ſimul accipientes aliquod linguæ latinæ, cujus principium habent, additamentum à Preceptore Latino. Lectiones linguæ Græcæ & Hebraïcæ.

Qui quidem Præceptores, cum dictis diebus publicè non legant, ipſos juvenes fideliter inſtruere tenebuntur.

In eventum autem, quo tales ex jam dictis locis non haberentur eo modo qualificati, ut ſupra; tunc ex locis propinquioribus aliquos ſubſtitui volo & ſurrogari, ejuſdem ſcilicet conditionis, idoneitatis & qualitatis. Loca vero propinquiora intelligo, quæ ultra tria aut quatuor milliaria vulgaria à locis prænominatis reſpective non diſtant.

Quod ſi plures ejuſdem loci prærogativâ æque qualificati concurrerint, præferendus eſſet pauperior, modo non ſit omnino hebetis ingenii, aut aliàs minus aptus ad Litteras, ſeu aliàs reprobandus.

Tres autem aliæ Burſæ *pro tribus Præceptoribus, Viris undecumque eruditis, probatis moribus & vitæ inculpatæ* ſtatuentur; qui indies legant & profiteantur publicè in eodem Collegio, tam Chriſtianos quam Morales, ac alios probatos Auctores omnibus eo adventantibus, in tribus Linguis, Latinâ ſcilicet Græcâ & Hebraïcâ, diverſis horis, pro ſua & Auditorii commoditate diſtribuendis, ſine aliquo ſtipendio ab adventantibus exigendo, & non exactè acceptando. Conſtitutio trium Profeſſorum in linguis Græca & Hebraïca & Latina.

Salvo, quod in cubiculis ſuis particulares lectiones exercere poterunt; pro quibus ab auditoribus ſtipendium recipient, modo tales particularium Lectionum commodum & fructum lectionum publicarum non impediverint.

Quod diligenter inveſtigabunt & proſpicient mei Proviſores, & Præſidens; qui eas pro publica & communi utilitate prohibere poterunt.

Si inſuper aliqui Prælati aut Nobiles lectiones publicas viſitantes eis aliquid obtulerint, hoc ipſum honeſtè & cum gratiarum actione recipient.

Volo tamen, hujuſmodi dona & munera extraordinaria ipſis tribus Præceptoribus

Digitized by Google

esse communia, & eis per æquales dividi portiones.

Horum stipendium tale erit; videlicet duobus Præceptoribus Græco & Hebraïco, qui ex locis remotioribus accersentur, modo Lovanii aut alibi vicinis non reperiantur æque ydonei & docti, cuilibet stipendium *destinabitur duodecim librarum Monetæ Flandriæ*, saltem per decennium. Ad quod majus stipendium statuendum, me induxit rei novitas, & ipsius principii difficultas; quam fortasse multi vel apprimè Litterati rejicerent aut negligerent; qui aliquantulum majori stipendio ducti, ad istud negotium peragendum vehementius incitarentur. Præceptores etiam ipsos ex aliis Universitatibus haud facile nec parvo stipendio allicere valerent, qui eo facilius advolabunt.

Stipendia Professorum

Verum tertius Præceptor Latinus, qui qui in Lingua solum Latina præfatos Authores profitebitur, tantum sex libras ultra Bursam seu mensæ portionem recipiet; idque semper sine aliqua diminutione.

Et post decem annos præfatos, Græcus Præceptor & Hebraicus recipient tantummodo octo libras; attento quod lapsu temporis hujus decennii istarum Linguarum traditio levior & magis vulgata reddetur; per quod & Præceptores alii pro hoc stipendio facilè acquirentur, ex hiis qui dictis Artibus præfato decennio durante incubuerint.

Ipsi tamen antiqui Præceptores semper pro hoc stipendio, si velint, in suis Lectionibus permanebunt, modo fuerint diligentes, nec in negotio torpeant.

Poterit nihilominus dictum majus stipendium, vel pro necessitate, vel magna utilitate per meos Provisores ad duos aut tres annos continuari, ultra dictum decennium; modo id commodè per facultates liceat.

Quorum trium mensæ portio meritò instituetur sex librarum similium, habitâ ratione dignitatis & excellentiæ ipsorum Præceptorum.

Ex aliis autem octo libris monetæ Flandricæ restantibus ex stipendio decennali, aut adhuc ultra duos aut tres annos de quibus supra, Præceptoribus Græco & Hebraïco statuto, institui volo duas Bursas similes Bursis dictorum ipsorum juvenum, pro duobus juvenibus quorum alter Mechlinienſis, alter vero Lucemburgensis erit, qualificati ut supra.

Mechliniensis.

Luxemburgensis.

Item omnes hii juvenes *obligabuntur singulis diebus interesse Missæ, & ibi pro anima Fundatoris & parentum ejus legere vigilias mortuorum in Sacello ipsius Collegii*; in quo perpetua Missa fundata est, quæ est viginti florenorum Renensium, eamque ad triginta florenos Renenses communes augeri volo; scilicet ex mea Fundatione decem florenos Renenses communes superaddendo; sub hiis tamen conditionibus & oneribus infra dicendis.

Onus Bursariorum.

Scilicet ut imprimis ter aut quater in hebdomada legatur Missa de defunctis; in aliis vero duplicibus & triplicibus & aliis diebus hebdomadæ legatur Missa de tempore, & addatur collecta pro Fundatore defuncto.

Et in fine Missæ leget presbyter celebrans, respondentibus ipsis Præceptoribus, & juvenibus Bursariis *de profundis* cum collecta, pro anima Fundatoris & parentum ejus.

Item etiam in eodem sacello celebrari volo quater in anno Anniversarium, videlicet in quatuor temporum primo die, in quo tres Missæ celebrabuntur, quarum unam decantabit ipse Sacerdos, qui Missas quotidianas celebrat in eodem loco. Anniversaria.

Duæ vero aliæ per duos alios Sacerdotes ad hoc per Præsidentem invitatos celebrabuntur & legentur; una quidem ante Missam cantatam, altera post, & cantabit unus eorum Epistolam, alter vero Evangelium, juvabuntque juvenes in cantando ipsam Missam.

Observabuntur insuper Vigiliæ die precedente, quibus omnes hii Sacerdotes interesse debebunt, cum Præsidente, Præceptoribus & juvenibus; præfatique juvenes in eis novem Lectiones decantabunt, & in ipsa Missa prosam *Dies illa dies iræ* &c. Et post Missam decantabuntur commemorationes & preces illæ ante trenum, *subvenite Sancti Dei* &c. qui pro defunctis subnecti solent.

Pro quibus omnibus ordino octo florenos annuos & perpetuos, per Præsidentem ejusdem Collegii in hunc modum distribuendos.

Primo: in quolibet Anniversario erunt duæ candelæ cereæ pro decem stuferis, & quilibet dictorum trium Sacerdotum recipiet sex stuferos, ipsique simul cum Præceptoribus prandebunt.

Duodecim autem stuferi remanentes, pro aliquali portionis illius prandii augmento, & ipsorum trium Præceptorum vino sumentur; & in fine hujus prandii legetur per Sacerdotem qui Missam cantavit, respondente Præsidente, aliis Sacerdotibus, Præceptoribus & juvenibus, *Miserere*, cum *De profundis*, & Collectâ.

Decantabuntur præterea indies in eodem Sacello per ipsos juvenes Bursarios laudes *Salve Regina*, adstantibus Præsidente & Præceptoribus; in quibus ipse Sacerdos celebrans dictas Missas quotidianas cantabit Collectam, si fuerit Præsidens ipsius Collegii, aut alius Sacerdos de dicto Collegio. Si vero fuerit extraneus Sacerdos assumendus pro hujusmodi Missis celebrandis, tunc Bursarius senior eandem collectam decantabit, ne talis Sacerdos indies ad laudes veniendo nimium gravetur.

Item tempore prandii & cœnæ aliquis juvenum quolibet die leget in aliquo latino

autore probato, juxta Ordinationem ipſorum Præceptorum, terminabiturque hujuſmodi lectio, cum Præſidenti viſum fuerit oportunum.

Stipendium receptoris.

Item volo unum eſſe Receptorem bonorum & reddituum dicti Collegii, cujus ſtipendium annuum erit viginti florenorum Renenſium communium; ejuſque erit ſingulis annis ſtatuto aliquo die coram ipſis Proviſoribus & in præſentia dictorum Præceptorum reddere rationes ſuas & computum; quibus parabitur prandium: pro quo lego ſupra portionem ipſorum Præceptorum, quæ tunc eis erit communis, triginta ſtuferos: ad quod ipſum prandium limito.

Quo peracto, dabit Præſidens cuilibet Proviſori decem ſtuferos; qui ſi hujuſmodi ſtatuto die vacare non poſſint, differatur in alium diem, infra tamen menſem, ſub pœna perditorum dictorum decem ſtuferorum.

Nec volo, quod aliis committant vices ſuas, niſi forte unus eorum; ita videlicet, quod ad minus ſemper duo eorum perſonaliter interſint.

Hoc munus ſeu officium Receptoris ſimul habebit ipſe Præſidens Collegii, qui cum dicto ſtipendio pro Præſidentia retinebit Burſam Præſidentis antiquæ fundationis, quę eſt viginti Renenſium.

Et in emolumentis ex commenſalibus provenientibus cum tribus ipſis Præceptoribus æqualiter participabit.

Inſuper prædictam Miſſam quotidianam in eodem Collegio celebrabit, ſi velit, & ad hoc commodè vacare poterit ſine diſpendio, aut citra incommodum ipſius Collegii. Si vero eandem celebrare recuſaverit, aut id ex re Collegii facere non debeat, ordinabunt mei Proviſores aliquem ex ipſo eodem Collegio Sacerdotem, qui id muneris ſubeat; & ſi nullus ibidem fuerit, tunc aliquis Sacerdos vicinus, vir bonæ vitæ, per ipſos ad iſtud officium aſſumetur, dictamque ſummam triginta Renenſium recipiet.

Item poterunt à dictis Præſidente & Præceptoribus honeſti aliqui commenſales aſſumi, uſque ad numerum octonarium, non ultra, in eadem menſa; & utilitas hinc proveniens cedet, partim in rem ipſius Collegii & reparationem, partim verò in utilitatem ipſius Præſidentis & Præceptorum, & hoc æquis portionibus.

Poterunt & juvenes aliqui aſſumi in menſa ipſorum juvenum Burſariorum, uſque ad numerum quaternarium, dummodo ſint de familia & gente ipſius Fundatoris, aut præſentati & nominati, per eos ad quos præſentatio ipſorum Burſariorum ſpectabit, meos ſcilicet Succeſſores, de quibus infra dicetur.

Qui juvenes ſolvent impenſas ſuas juxta diſcretionem ipſorum Proviſorum, habitâ ratione temporum & penuriâ victualium, utilitaſque inde proveniens applicabitur, ut ſupra.

Horum autem omnium juvenum commenſaliumque ſic aſſumptorum non Burſariorum quilibet ſupra impenſas menſæ ſingulis annis exolvere tenebitur unam libram groſſoræ, attentâ doctrinâ ſpeciali, quam ex ipſis Præceptoribus continuò accipient; cum quibus familialiter ſuper dubiis loquentur; totaque ſumma hinc collecta ipſis tribus Præceptoribus diſtribuetur æqualibus portionibus.

Item ipſi Burſarii juvenes per vices, ſeu alternatim menſæ miniſtrabunt, juxta ordinationem Prçſidentis; ſternentque lectos Prçſidentis, & ipſorum Prçceptorum. Unus autem Præceptorum ſemper menſæ juvenum præerit; quod onus eorum cuilibet per hebdomadas incumbet.

Volo præterea, omnes ipſos juvenes Burſarios cum aſſumentur ad Burſam, Buſlidiis & Steenbergenſibus dumtaxat exceptis, dare in manibus Præſidentis unam libram groſſorum Flandriæ, ex qua Præſidens faciet emi unum bonum lectum; remanebitque dictus lectus recedente ipſo à dicto Collegio, pro communi utilitate in eadem Domo. Ex qua pecunia ſic receptâ, ſi temporis curſu aliquid accreſcat, ex quo lectos emi non ſit neceſſe, reſervabitur pro reparatione Domûs & utenſilium.

Ipſis autem Buſlidiis & Steenbergenſibus meis ſumptibus à proprio lecti ementur; quibus detritis lectis, qui ex aliis diſcedentibus remanebunt ipſi utentur.

Si vero aliquem Burſariorum mortem obire contingeret in eodem Collegio, etiam libri & veſtes in rem Collegii convertentur.

Octo annis Burſa gaudere poterunt.

Omneſque Burſarii juvenes, durante octennio, fructibus dictarum Burſarum gaudebunt, & non ultra; niſi aliquis dictorum Burſariorum adeo excelleret in ſtudiis Litterarum, ut idoneus eſſet cœteris Burſariis minus eruditis ultra dictas Lectiones communes profiteri lectionem aliquam extraordinariam; tunc juxta Proviſorum diſcretionem ad biennium continuari poſſit.

Semelque ad dictas Burſas aſſumpti, ante dictum tempus octennii terminatum non deſtituentur, aut expellentur à dicto Collegio, propterea quia per beneficia quæ interim ipſi aſſecuti eſſent, ditiores, aut forte ſatis opulenti evaſiſſent; ſed tempus ipſis præfixum, ſi velint, in eodem Collegio perficient.

Verum ut prædicti omnes Burſarii juvenes curioſiùs intendant Litterarum ſtudiis, volo & ordino, quod nullum fructum ex ſuarum Burſarum curſu percipiant, quam diu ex dicto Collegio abſentes fuerint, ultra continuum 30. dierum ſpatium, ſine licentiâ Præſidentis obtentâ; convertendis longioris abſentiæ fructibus, in reparationem Domûs & utenſilium.

Abſentia à Collegio punitur.

Quod ſi quis ultra trium menſium tempus abſens fuerit, poterit de ejus burſâ veluti vacante pro alio diſponi; niſi ipſius longioris abſentiæ (citra tamen ſemeſtre, quam nullo pacto concedo) gratiam à Proviſoribus, cum allegatione rationabilis cauſæ obtinuerit.

Præſes debet indicare vacationem alicujus Burſæ.

Vacante autem aliqua Burſa, *tenebitur Præſidens dicti Collegii* infra quindecim dies immediatè ſequentes hujuſmodi vacationem intimare Curatis Eccleſiarum, & præfectis ſecularibus dictorum ſeptem locorum, impenſis ipſius aſſumendi.

Publicatio vacationis Burſæ in Eccleſia facienda.

Et tunc in Eccleſia tribus Dominicis diebus, dum ibidem major populi multitudo concurrerit, hujuſmodi vacationem publicè immediate & ſine fraude publicabunt; inquirendo fideliter, ſi ſit aliquis volens ad hujuſmodi Burſam præſentari.

Qui ubi repertus fuerit, qualificatus ut ſupra, coram Decano & Capitulo Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Petri Arienſis, ſi ex Aria, aut loco viciniori, modo dicto, fuerit oriundus.

Mechlinienſis.

Si Mechlinienſis, ſimiliter coram Decano & Capitulo Eccleſiæ Sancti Rumoldi ibidem.

Fuit dein Primus Præſes Conſilii Regii Luxemburgenſis.

Si vero Steenbergenſis, coram Fratre meo Magiſtro *Egidio Buſlidio* vel ejus Succeſſoribus, & coram *Franciſco Buſlidio* mihi ex Fratre Nepote, aut ejus Succeſſoribus, & Magiſtro *Nicolao de Naves*,* vitâ ejus durante.

Quibus competat præſentatio ad Burſas.

Si talis aſſumendus Buſlidius, Marvillanus, Arelunenſis aut Lucelburgenſis fuerit (ad quos illorum Burſariorum præſentationem ſpectare volo) compareat infra decem dierum ſpatium, petens à dictis aut eorum altero, modo dicto, ad talem Burſam præſentari.

Si vero poſt dictos decem dies nullus comparuerit, poterunt dicti Succeſſores & Præſentatores, factâ in locis vicinioribus inquiſitione, unum alium ydoneum præſentare.

Quod ſi etiam ex locis vicinioribus infra decem alios dies ſequentes nullus comparuerit, poterunt tunc mei Proviſores aliquem alium ydoneum *aſſumere ex aliquo dictorum ſeptem locorum, vel loco ipſis viciniori*, modo & ordine prius dicto; hoc ipſo videlicet ſervato, ut oriundus ex aliquo illorum ſeptem locorum præferatur nato in loco viciniori.

Quia autem puto nullos Buſlidios nunc eſſe ydoneos ad ipſas Burſas, volo in principio Erectionis hujus mei Collegii ipſas duas Burſas pro Buſlidiis vacare per duos annos, ſi nulli ex dicto Pago ad eas apti & idonei inveniantur; ſperans temporis biennii curſu aliquos ſe ad eas reddituros ydoneos.

Qua-propter volo per Præſidentem immediate poſt dictam Erectionem eis inſinuari; & fructus harum Burſarum pro tempore hujus vacationis applicabitur ædificiis & reparationibus neceſſariis.

Ex fructibus vero & utilitatibus, ad communem reparationem Collegii modo dicto vertendis, ſumetur etiam ſtipendium ancillæ aut ancillarum ſi plures habendæ ſint.

Erit autem Præſidentis officium, Collegium ipſum laudabiliter gubernare, præſertim juvenes quos pro viribus ad Litteras, & virtutes hortari debebit, eorumque illicita conventicula prohibebit.

Clauſuræ nocturnæ diligenter intendet; & in principio quadrageſimæ & in quatuor principalibus anni feſtivitatibus eoſdem ad confeſſionem & circa eam neceſſaria, latino ſermone brevi ac utili informabit, eorumque ſingulos errores emendabit.

Quod ſi facere non poſſit, id-ipſum Proviſoribus intimabat; qui deſuper juxta ſibi traditam poteſtatem ſincerè & immediate providebunt, ad aliorum exemplum.

Proviſores Collegii Buſlidiani.

Poſtremo hujus Fundationis piique inſtituti Proviſores ſtatuo, *Curatum ſancti Petri Lovanienſis*; Magiſtrum noſtrum ordinariè ſeu communiter Præſidentem in diſputationibus Collegii, vel alioquin ſi tales Diſputationes non eſſent, Decanum ipſius Facultatis Theologiæ, & Patrem ſeu Priorem Domûs Carthuſienſis Lovanienſis. Quibus quidem Proviſoribus dictas Burſas cum vacabunt conferendi, reddituum Collegii redemptionem recipiendi, novoſque iterſus emendi, ac alia quæcumque ipſius Collegii bona apprehendendi, vendendi, alienandi, ac altàs prout de propriis bonis, pro Collegii quidem neceſſitate aut magna utilitate, diſponendi, Burſas ipſas pro Burſariis demeritis ſuſpendendi ac etiam aliis conferendi, ſingulis annis rationes & computum de receptis & expoſitis audiendi, emendandi, corrigendi, & approbandi; dubia quæcumque & difficultates circa hanc meam Fundationem emergentes interpretandi, & moderandi, novas Regulas & Statuta (ſi expediens videbitur) concedendi, ac omnia & ſingula faciendi, quæ circa hoc primum Inſtitutum neceſſaria videbuntur, vel quomodolibet oportuna, (ſalvâ ſemper, quantò proximiùs fieri poterit, meâ intentione) plenariam tribuo autoritatem.

Super quibus omnibus conſcientiam illorum & honorem, ſimul & ipſorum præſentantium, pro ea parte quæ ad eos ſpectat, onero; orando illos in viſceribus Chriſti, ut tales ſe gerant in hoc negotio quales ego illos futuros opto & ſpero, ad laudem Dei optimi, ad augmentum cultûs divini, decorem univerſalis Eccleſiæ, & Religionis Chriſtianæ, quam hac piâ Inſtitutione & ſalutari Fundatione, per univerſum orbem magis magiſque confirmatam & propagatam iri cupio.

Si vero aliquid de meis accreſcat, præſcriptis debite completis, dono & lego eiſdem Burſariis meis, ſic ut præmittitur fundandis. Illoſque meos veros legitimos & indubitatos heredes in hujuſmodi reſiduo bo-

Digitized by Google

norum meorum facio & inſtituo.

Ita tamen, ut in reparatione & ædificiis pars una ponatur, altera in augmento Burſarum, juxta meorum Proviſorum diſcretionem.

Et ut omnia & ſingula præmiſſa debitæ executioni demandentur, ſuumque quam breviſſimè poterit ſortiantur effectum, omnibus melioribus modo, viâ, jure, cauſâ, & formâ, quibus efficacius poſſum, ordino eligo & deputo, ſi fundatio dictorum alumnorum fiat in Collegio Atrebatenſi Lovanii ſupradicti, Decanum Mechlinienſem Magiſtrum *Joannem Robbyns*, unà cum aliis infra nominandis.

Conſtitutio Fundationis in Collegio Atrebatenſi aut S. Donatiani effectum non habuit, quia ſpeciale Collegium erigi viſum fuit.

Si vero in Collegio ſancti Donatiani, in locum dicti Decani ſurrogari cupio Magiſtrum *Joannem Stercke*, de Meerbeke, prædicti Collegii S. Donatiani Rectorem, præterea Magiſtrum *Adrianum Joſel* Canonicum Antverpienſem, aut ſi ipſe huic negotio vacare non poſſet, rogo quatenus hominem probum & fidelem, qui juxta meum votum hanc meam Inſtitutionem ad finem perducere poſſit pro ſe inſtituat; *Nicolaum de Niſpen* & *Bartholomeum de Weſſem* Executores meos.

Quibus tribus, ſcilicet Decano, aut Meerbeke, Niſpen & Adriano Joſel, pro onere Executionis cuilibet eorum lego quinquaginta florenos aureos.

Fuit is Canonicus Mechlin.

Et dicto *Bartholomeo de Weſſem* ſummam ducentorum florenorum aureorum; mediante quâ ſummâ contentus erit, nihil amplius petere, occaſione ſtipendiorum ſuorum, & præfati Legati executionis per dictos omnes, acceptare hoc onus volentes, abſentes tamquam præſentes, & quemlibet eorum inſolidum (ita quod non ſit melior conditio primitus occupantis, nec deterior ſubſequentis, ſed quod unus eorum inceperit, alter eorum id proſequi valeat, mediare pariter & terminare.)

Quibus & eorum cuilibet in ſolidum do plenam & liberam poteſtatem, auctoritatem & mandatum, omnia & ſingula, per me, ut præfertur, deſiderata, petita & ordinata gerendi, faciendi, procurandi & exequendi, omnia & ſingula credita mea, redditus, proventus, penſiones & pecuniares ſummas michi debitas, ab omnibus perſonis, & coram quibuſcumque judicibus, vigore hujuſmodi Teſtamenti mei petendi, exigendi, levandi, & recipiendi, de receptis quoque & levatis quittantiam, acceptilationem, cedulas verbo vel in ſcriptis dandi, & faciendi; unum quoque & plures Subexecutores loco ſuo aut eorum cujuſlibet, cum ſimili aut limitata poteſtate ſubſtituendi, eoſque cum expedire videbitur revocandi; & generaliter omnia & ſingula faciendi, quæ in præmiſſis aut circa ea quolibet neceſſaria videbuntur & oportuna.

Et ut prænominati mei Executores hoc onus Executionis libentiùs acceptent, nolo eos de hujuſmodi Executione aut aliquo præmiſſorum cuicumque viventi reddere rationem; concedens eorum ſingulis, ſi quæ in præmiſſis obſcura vel ambigua occurrerint liberam ea declarandi & interpretandi facultatem.

Et etiam numerum dictarum Burſarum mearum inſtituendarum minuere vel augere, juxta qualitatem & quantitatem Facultatum mearum (piis legatis & debitis liquidè omnibus perſolutis) ſuperexistantium.

Volens inſuper & deſiderans, ut ſi hujuſmodi Teſtamentaria Diſpoſitio forte Jure Teſtamenti non ſit valida, propter alicujus perſonæ præteritionem, ſolemnitatum & Legum vigore requiſitorum omiſſionem, quod id ſaltem Jure Codicillorum ſeu Donationis cauſâ mortis, aut inter vivos, ſeu quomodolibet aliàs, ut ultimæ defunctorum voluntates, præcipuè juxta Pontificii Juris Sanctiones, valere poſſit & valeat, & pleni roboris firmitatem obtineat.

Caſſans præterea, annullans & irritans quodvis aliud Teſtamentum, ſeu Codicillos à me quomodolibet conditos; ſalvo mihi ſemper jure addendi, diminuendi, corrigendi, mutandi.

Acta fuerunt hæc in domo mea Mechliniæ, per me dictitata & propriâ manu ſubſcripta die XXII. menſis Junii anno à Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo. 1517.

Sic ſcriptum. Hæc eſt voluntas mea & Diſpoſitio Teſtamentaria, quam Ego *Hieronimus* Teſtator in omnibus & ſingulis articulis ſuis poſt mortem meam per Executores ſupra nominatos, ociùs ac fieri poterit, commodè exequuta iri fideliter cupio; Teſtamentariâ hac ſupſcriptione meâ manu propriâ factâ & Sigilli mei appenſione roboratâ.

Actum in domo habitationis meæ Mechliniæ die XXII. Junii anno milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo.

Denuo ſic ſubſcriptum: ita eſt, ut ſupra; *Buſlidius Arienſis Præpoſitus Teſtator, manu propriâ.*

De & ſuper quibus omnibus præmiſſis ante dicti Executores, nomine quo ſupra executorio, petierunt à me Notario publico infraſcripto ſibi fieri, confici atque tradi, unum vel plura publica Inſtrumenta. Finis Teſtamenti.

Acta fuerunt hæc Mechliniæ ante dictæ Cameracenſis Diœceſis, in loco Capitulari dictæ Eccleſiæ Sancti Rumoldi, ſub anno Indictione, menſe, die, & Pontificatu præſcriptis, præſentibus ibidem honorabilibus & diſcretis Viris Dominis Symone Roboſch, Joanne Joannis, Nicolao de Sluytere, Joanne Hoeldere Presbyteris, dictæ Eccleſiæ Beneficiatis, & Symone Reys Virgario, dictæ Cameracenſis Diœceſis, Teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter atque rogatis.

C A;

CAPUT CXXVIII.

Fundatio Monaſterii Monialium, Ordinis Annunciatarum, in Oppido Bethunienſi in Arthesia, inchoata per D. ISABELLAM DE LUXEMBURGO, *& per filium ejus* FRANCISCUM DE MELUN, *Equitem Ordinis Aurei Velleris, anno 1519. perfecta.*

Ex Archivis Oppidi Bethunienſis.

A Tous ceulx, qui ces preſentes Lettres verront, Hues de Dompierre Eſcuyer ad preſent Garde du Seel Royal de la Baillie d'Amiens eſtabli ès Prevotez foraine de Beauquesne & dedens la Ville, pour ſeeller & confermer les Contratz marchiez & obligations, qui y ſont faictes paſſées & reçeues entre parties, ſalut.

Sachent tous, que par devant Jehan Buiſſart & Jehan Exdiguier Notaires du Roy noſtre Sire, du nombre des ſix ordonnez à Bethune, comparut en ſa perſonne, tres-hault & tres puiſſant Seigneur, Monſeigneur FRANCHOIS DE MELUN, Chevalier de l'Ordre du Thoiſon d'or, Comte d'Eſpinoy, Conneſtable de Flandres, Sgr. D'Antoing, de Richebourg, Sainguin, Santy, &c. & recongneuſt, que comme deffuncte de tres-noble memoire Madame YSABEAU DE LUXEMBOURG ſa Mere en ſon vivant euſt faict edifier en la ville de Bethune, ou Dioceſe d'Arras, une Egliſe & ung Monaſtere de Religieuſes de l'Annonciade, en ſa maiſon où elle demoiroit, & euſt intention pour l'entretenement dudit Monaſtere & des Sœurs leur donner les Rentes par Lettres que ladite Dame ſa mere avoit acheté à Mademoiſelle Charlotte de Bournonville *Demoiſelle de Warenne, par deux Lettres, l'une portant deux cents chincquante livres d'Arthois, au rachat de quatre mil livres pour fois declairies eſtre libres, en datte de 7 jour d'Aouſt M. D. XVII. dernier paſſé; & l'autre cent-quatre-vingt-ſept livres dix ſoubz de Rente au rachat de trois-mil livres d'Arthois pour une fois: ainſi qu'il eſt plus amplement declairé es Lettres pour ce faites, en date du 4. jour de May l'an M. D. XVIII. auſſi dernier paſſé; ou aultrement fonder & aſſeigner en terres & heritaiges leſdites Religieuſes.*

Mais pour ce qu'elle a eſté prevenue de mort, n'a peu accomplir ſon entbiere intention, laquelle ledit Seigneur comparant à l'honneur de Dieu noſtre Createur, la glorieuſe Vierge Marie, le ſalut de ſon ame & de tres Noble Dame, Madame Loyſe de Foix *ſa compaigne, & leur Noble generation & enfans, a bien volu & veult parachever ce que ladite Dame ſa mere avoit commanchié, & accomplir ſon bon plaiſir & intention.*

Et en enſeignant ce que dit eſt, ledit Seigneur Comparant, pour mieux aſſeigner leſdites Religieuſes, que ſur Rentes par Lettres, & mieulx fonder à perpetuité les dites Religieuſes, a promis, & promeſt par ces preſentes paier & delivrer chacun an, à quatre termes en l'an, aux dites Religieuſes ou leur Procureur ou Commis, la ſomme de 437. livres dix ſols; & icelle ſomme payer tant & juſques à ce que ledit Seigneur comparant aura acheté pour leſdites Religieuſes, & fait admortir terres & heritaige ou rentes à perpetuité & ſans rachapt, & y emploier juſques à la ſomme de ſept-mil-livres pour une fois, & non plus.

A laquelle ſomme monterent les principaulx deniers deſdites deux Rentes, par Lettres de ladite Demoiſelle de Warennes: deſquelles deux Rentes ledit Seigneur Comparant fera ſon prouffit & ce que bon luy ſemblera, comme il pouvoit faire; attendu que ladite Dame ſa mere n'en avoit point diſpoſé, & qu'il eſtoit & eſt ſeul heritier de ſa dite mere.

Et avecq ce icelluy Séigneur Comparant à accordé & conſenty, acorde & conſent, que leſdites Religieuſes aient entierement toute la Maiſon ou demouroit laditte Dame ſa Mere, ainſy qu'elle ſe comprend & eſtend en l'enclos de ladite ville, ſans aucune choſe reſerver de ladite maiſon, tenant à la maiſon de l'Abbaye de Chocques, & à le muraille de la ville, & la maiſon de le Prebende Maiſtre Hues Naye, & au flegard & rues des Chanoines. Affin que ledit Comparant, comme Fondateur du dit Monaſtere, avecq ſa ditte Mere & ſes Hoirs ſoit participant aux bonnes prieres, que font & feront les dites Religieuſes.

Laquelle Maiſon & heritaige ledit Seigneur fera admortir, en ce qui reſte à admortir, ou autrement faire & traicter avec les Seigneurs, deſquels ledit heritaige eſt tenu. Tellement qu'elles demouront deſchargies de toutes redevanches, dont ladite Maiſon eſt chargie, aſſavoir tant des Rentes reelles que debvoit laditte Maiſon, comme de ſoixante-dix ſols Tournois chacqu'un an au Curé de St. Betremmeu; qui a conſenti, pour autant qu'il luy peult toucher pour ſes interets, le conſtruction & edification dudit Monaſtere ès meſtes de ſa Paroiſſe.

Et oultre, pour ce que laditte deffuncte Madame Yſabeau de Luxembourg *& ledit Seigneur Comparant Comte d'Eſpinoy ſont ſeul & pour le tout Fondateurs du dit Monaſtere, ou quel doibvent eſtre treize Religieuſes pouvres filles, ledit Seigneur, en ſigne qu'il eſt Fondateur, a retenu & retient vers luy l'auctorité &* Numerus Monialium.

preeminence de pooir nommer & preſenter aux dites Religieuſes filles ydoines pour eſtre audit Monaſtere, y ſervir Dieu, & faire profeſſion, quand l'une deſdites treize Religieuſes yra de vie à treſpas.

Sans ce que icelle preſentée ſoit tenue payer aucune choſe, fors que ſes habillemens qu'elle portera à entrer en ladite Religion durant le temps de la probation.

Et ſi icelle Religieuſe widoit hors dudit Monaſtere auparavant faire profeſſion, ledit Seigneur y polra denommer ou preſenter une aultre: laquelle Preſentation ſe fera par ledit Seigneur par Lettres ſeellées de ſon Seau, ou autrement authentiquement.

Et laquelle faculté & auctorité de Preſentation a volu eſtre faicte par lui & ſes Succeſſeurs Comte ou Comteſſe d'Eſpinoy deſchendant de la coſte & lingne de la Maiſon de Melun.

Et ſy a retenu ledit Comparant, pour luy & ſes Succeſſeurs Comte ou Comteſſe d'Eſpinoy, de pooir entrer oudit Monaſtere, tant pour viſiter iedit lieu, que pour ſçavoir ſi tout eſt bien entretenu quand aux edifices, y faires des biens, ſe meſtier eſt, ou autrement.

Et pour tout ce que deſſus eſt dit, tenir payer furnir & accomplir de point en point, par la maniere dicte, avecq pour rendre tous deſpens qui ſe polroient euſſir, en a ledit Seigneur Comparant obligé & oblige tous ſes biens & heritaiges, & ceulx de ſes hoirs, preſents & advenir, quand à ce il en à ſubmis & obleigiez envers touttes Juſtices, juſques au furniſſement des choſes deſſus-dictes.

Renonchant ledit Seigneur Comparant par ſa foy & ſerment à toutes choſes contraires à ces preſentes: & au porteur d'icelles grever ou nuire.

Leſquelles Lettres ſont faictes en doubles, pareilles en ſubſtance les unes aux autres, dont chacunes des deſſuſ dittes Parties en aura unes, pour le ſeureté & conſervation de ſon droit. Et ſont ces preſentes pour leſdites Religieuſes.

Tout ce deſſus-dict Nous ont leſdits Notaires temoigné eſtre vray, par leurs ſeings manuels cy-mis & appoſez. Et Nous à leurs teſmoing avons mit à ces dites preſentes ledit Seel Loyal. Ce fut faict, paſſé & recogneu en la ville de Bethune le dernier jour de Fevrier l'an mil cincq-cens & dix-neuf.

S'enſuivent les Lettres de Placet données par l'Empereur Charlequint le XXV. Janvier M. D. XXVI. pour la Confirmation de la ſuſdite Fondation des Annonciades de Bethune &c.

CAPUT CXXIX.

ADRIANUS VI. *Pontifex, Belga Ultrajectinus,* CAROLI V. *olim Præceptor, concedit Cæſari facultatem, Miſſionarios de Ordine FF. Minorum in Indias ad Converſionem infidelium deſtinandi, anno* 1522.

ADRIANUS Epiſcopus, ſervus Servorum Dei &c. Chariſſime in Chriſto Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Exponi Nobis feciſti tuum flagrans deſiderium ad augmentum Chriſtianæ Religionis converſionemque infidelium, illorum præſertim, qui Chriſto duce tuæ ditioni ſunt ſubjecti in partibus Indiarum. A Nobiſque inſtanter petiſti, ut ad effectum hujuſmodi augmenti & converſionis, & debitæ gubernationis animarum, quas Redemptor noſter ſui precioſi ſanguinis commercio redemit, provideremus; quatenus ex omnibus Religionibus FF. Mendicantium, præſertim FF. Minorum Regularis Obſervantiæ aliqui ad præfatas Partes Indiarum Auctoritate noſtra tranſmitterentur, aliaque in præmiſſis providerentur; ſicut in petitione Nobis deſuper oblata pleniùs continetur.

Nos autem, qui ex injuncta Nobis Cura Paſtorali, ad ea quæ attinent ad ſalutem animarum, intendere ſuper omnia tenemur, quique ferventiſſimum zelum tuæ Cæſareæ Majeſtatis ad augendam Rempublicam Chriſtianam à teneris annis pleniſſimè cognovimus, tam ſanctum ac laudabile opus in Domino commendantes, & deſuper providere volentes, hujuſmodi Supplicationibus inclinati, tenore præſentium volumus, ut omnes Fratres Ordinum Mendicantium, præſertim Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, à ſuis Prælatis nominati, qui divino ſpiritu ducti, ultro ac ſponte voluerint ad Partes Indiarum præfatarum, cauſâ convertendorum & inſtruendorum in Fide prædictorum Indorum, ſe transferre liberè & licitè poſſint & valeant: dum tamen ſint talis ſufficientiæ in vita & doctrina, quod tuæ Cæſareæ Majeſtati aut tuo Regali Conſilio ſint grati, ac tanto operi idonei. Super quo conſcientias ſuorum Superiorum oneramus, qui eos nominare & licentiare debent.

Nota Præceptoris Officium.

Conditiones requiſitæ.

Ac ut in tam ſancto opere meritum obedientiæ non deſit, omnibus qui (ut præfertur) nominati fuerint, & ſe ſponte obtulerint, ad meritum obedientiæ præcipimus, ut præfatum iter & opus exemplo diſcipulorum Chriſti Domini noſtri exequantur: pro certo ſperantes, ut ſicut in labore eos imitati fuerint, ita & in præmio

Digitized by Google

eis ſociabuntur : præfatiſque Fratribus noſtram Apoſtolicam benedictionem libentiſſimè ex nunc impertimur.

Sed ne forte numerus FF. Minorum ſit tantus, ut pariat confuſionem, volumus ut Tua ſacra Majeſtas aut tuum Regale Conſilium aſſignet & præfigat numerum Fratrum mittendorum. Tales autem Fratres ſic nominatos ſeu licentiatos ab eorum Superioribus, ſtrictè præcipimus ſub excommunicationis pœna ipſo facta incurrenda, ne aliquis inferior audeat aliqualiter impedire : etiamſi pro tunc eſſent in officiis confeſſionis, prædicationis, lectionis, Guardianatûs, Cuſtodiatûs, Miniſteriatûs, Provincialatûs, aut Commiſſariatûs Generalis. Quibus non obſtantibus tranſire poſſint & debeant.

Superioritatis ordo.

Verum ne præfati Fratres ſint velut oves abſque paſtore, ſtatuimus & ordinamus, ut ex ſe-ipſis valeant & debeant eligere duos vel tres aut plures, qui in dictis Terris eis præſint, eo modo quo eiſdem ſeu eorum majori parti viſum fuerit. Qui ſic electi, per triennium aut aliud majus vel minus tempus, juxta ſuas Conſtitutiones, prout in Hiſpania fieri conſuevit, Prælationem hujuſmodi habeant, & non ultra nec aliàs. Maneantque omnes ſemper in obedientia Generalis Miniſtri & Capituli generalis : dummodo nihil eis imponant in præjudicium dicti tranſitûs & Converſionis Infidelium. Decernentes quidquid abſque noſtro expreſſo mandato & aſſenſu fuerit attentatum, nullius eſſe momenti.

Et quia præfata Terra Indiarum valde diſtat à partibus, ubi Generalis Miniſter degere & incedere conſuevit, ac propterea difficile foret ad eum recurrere in caſibus ad eum pertinentibus ; volumus ac tenore præſentium concedimus, ut Fratres qui pro tempore aſſumentur ad regimen aliorum Fratrum in prædictis Terris Indiarum, habeant in utroque foro ſuper Fratres ſibi commiſſos omnem auctoritatem, & facultatem quam Generalis Miniſter habere dignoſcitur. Ita tamen, quod ipſe Generalis Miniſter, ſub cujus obedientia ſemper manere debent, poſſit præfatam Auctoritatem limitare & arctare ; prout ipſi viſum fuerit.

Et inſuper, ut melius præfata Converſio Infidelium fieri valeat, & ſaluti animarum omnium in præfatis Terris Indorum pro tempore degentium provideatur ; volumus, & tenore præſentium de plenitudine poteſtatis concedimus, ut præfati Prælati Fratrum, & alii, quibus ipſi de Fratribus ſuis in prædictis Indiis commorantibus, in quibus nondum fuerint Epiſcopi creati, vel ſi fuerint, tamen infra duarum diætarum ſpacium, ipſi vel Officiales eorum inveniri minimè poſſint, tam quoad Fratres ſuos, & alios cujuſcumque Ordinis, qui ibidem fuerint ad hoc opus deputati, ac ſuper Indos ad Fidem Chriſti converſos, quam & alios Chriſticolas ad dictum opus eoſdem comitantes, omnimodam Authoritatem noſtram in utroque foro habeant tantam, quantam ipſi, & per eos deputati de Fratribus ſuis (ut dictum eſt) judicaverint opportunam & expedientem pro Converſione dictorum Indorum, & manutenſione ac profectu ipſorum, & aliorum præfatorum in Fide Catholica & obedientia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.

Extenſio Auctoritatis.

Et quod præfata Auctoritas extendatur etiam quoad omnes actus Epiſcopales exercendos, qui non requirunt Ordinem Epiſcopalem : donec per Sedem Apoſtolicam aliud fuerit ordinatum.

Etiam Epiſcopalis.

Et quia, ut accepimus, per præfatos Prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices aliqua Indulta conceſſa fuerunt Fratribus, exiſtentibus aut ire procurantibus, in dictis & ad dictas Indorum partes ; Nos omnia illa confirmando, ac quatenus opus eſt, de novo concedendo, volumus, ut præfati Prælati Fratrum pro tempore exiſtentes, & de quibus ipſi de ſuis Fratribus duxerint concedendum, omnibus prædictis Indultis in genere vel in ſpecie hactenus conceſſis & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere liberè & licitè poſſint & valeant.

Habentes omnia pro ſufficienter expreſſis, tanquam ſi de verbo ad verbum inſererentur. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, præſertim Sixti IV. incipiente : *Etſi Dominici gregis* : ac Bullâ Cœnæ Domini, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque.

Datum Cæſar-Auguſtæ, ſub annulo Piſcatoris, die X. Maii M. D. XXII. ſuſcepti à nobis Apoſtolatûs Officii Anno I.

De Adriano VI. Pont. ejuſque in Belgio muniis, deque erecto ejus Collegio Lovanii, lege Tom. III. horum Diplomatum, pag. 227.

Bullam ſupra-relatam, ex Waddingi Annalibus FF. Minorum Tom. XVII. decerptam, addere potuiſſet Clariſſ. *Burmannus* ſuis de Adriano VI. Pont. ac concive, Analectis.

Vigore hujus Bullæ Carolus V. Imp. ſtatim delegit paratoſque invenit tres Belgas, ſibi utpote Gandavi nato & educato, à virtute notiſſimos : *Joannem de Tecto*, quondam Guardianum Gandavenſem : *Joannem de Aora*, Sacerdotem, & *Petrum de Mura* Laïcum, dictum de Gandavo : qui hoc ipſo anno ad novæ Hiſpaniæ littora inque ipſam Provinciam Tlaſcalenſem pervenerunt. Poſt innumeros ſudores Apoſtolicos cum fama ſanctitatis defuncti recenſentur à Raiſſio in Auctario ad Natales SS. Belgii.

Digitized by Google

CAPUT CXXX.

CLEMENS VII. *Pont. Provinciam FF. Minorum Flandriæ, ſegregat à Provincia Pariſienſi, anno* 1523.

CLEMENS, Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontificis providentia ea, quæ pro perſonarum in ſpiritu humilitatis divinis laudibus vacantium quiete & ſalubri ſtatu & gubernatione geſta fuiſſe reperiuntur, ut illibata perſiſtant, Apoſtolico conſuevit munimine roborare, ac deſuper opportuna ſtatuere.

Exponitur pro parte dilecti Filii *Franciſci de Angelis* Miniſtri Generalis Ordinis Minorum, quod in proximo generaliſſimo Capitulo, nuper in Civitate Burgenſi Regni Caſtellæ celebrato, Generalis ac Provinciales Miniſtri, ac Provinciarum omnium Cuſtodes dicti Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, providè conſiderantes, quod Cuſtodia Flandriæ, quæ ſub Provincia Franciæ Pariſienſi exiſtebat, propter ipſius Provinciæ nimiam amplitudinem & latitudinem, ac linguarum diverſitatem, debitè non poterat viſitari, nec ſpiritualiter conſolari, prout Dei ſervitio ipſiuſque Ordinis Fratrum tranquillo ſtatui expediebat;

Eandem Flandriæ Cuſtodiam, Apoſtolicæ Sedis accedente Decreto, a præfata Provincia Franciæ Pariſienſi ſeparârunt; ipſamque Cuſtodiam ex tunc in Provinciam Flandriæ creare & erigere decreverunt. Ac Cuſtodiam ipſam de Conventibus & Fratribus, olim *de Familia* nuncupatis dumtaxat, in Provinciam Flandriæ creatam & nominatam, definitivè ſententiando, omnibus quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe tunc poterat & poſſet in futurum, denunciavêre.

Conventus antiqui in Provincia Flandriæ.

Et eidem Provinciæ Flandriæ, Conventus ſancti Audomari, Brugenſem, Gandenſem, Yprenſem, Sluſenſem, Namurcenſem, Athenſem, Dixmudenſem, Hulſtenſem, S. Franciſci ſupra Sambram, Aveſnenſem, Bergenſem, Leodienſem, & locum de Couvinio, omneſque & ſingulos alios dictæ Cuſtodiæ, tam FF. Minorum olim de Familia, quam etiam Sororum S. Claræ, B. Mariæ Annunciatæ, ac Tertiariarum, ſcilicet Griſearum, Hoſpitalariarum, Nigrarum, ſeu de Cella nuncupatarum, & S. Catharinæ, in terminis Conventuum prædictorum & Diſtrictu Cuſtodiæ, ac Dominiis & Juriſdictionibus Flandriæ, Hannoniæ, Artheſiæ, Leodienſi, & Comitatûs Namurcenſis & S. Pauli, exiſtentes Conventus, Domos, loca, Monaſteria, & in eiſdem degentes Fratres, Sorores & perſonas, olim Vicariis Provincialibus Franciæ Pariſienſis, & Miniſtris Provincialibus Franciæ Pariſienſis ſubjectas, Miniſtro Provinciali Flandriæ, eligendo pro tempore ſubjecêre, & ad integritatem Provinciæ aſſignavêre.

Ita quod Miniſter Flandriæ pro tempore eligendus hujuſmodi, de cetero Domos, Conventus, loca, Fratres, Sorores ac alias perſonas in eis degentes, ut verus & indubitatus Ordinarius, in omnibus & per omnia regere, viſitare & poſſet & teneretur; prout in ipſius *Franciſci* Generalis, & aliorum Miniſtrorum ac Cuſtodum prædictorum deſuper confectis Litteris ſententialibus (quarum omnium tenores ac ſi nullo omiſſo verbo præſentibus inſererentur, pro expreſſis habere vulumus) plenius continetur.

Quare pro parte *Franciſci* Generalis, & aliorum Provincialium Miniſtrorum & Cuſtodum hujuſmodi, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Litteris, & in eis contentis hujuſmodi robur Apoſtolicæ Confirmationis adjicere, aliàſque in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos, qui eorumdem Fratrum animi quietem, pacem, & commoda ſupremis deſideriis optamus, hujuſmodi Supplicationibus inclinati, omnia & ſingula præmiſſa, nec non alia in dictis Litteris ſententialibus contenta, Auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium confirmamus & approbamus, eiſque robur perpetuæ Confirmationis adjicimus. Omneſque & ſingulos tam juris quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in iiſdem, ſupplemus, ac pro potioris cautelę ſuffragio, omnia prędmiſſa, & alia in Litteris contenta hujuſmodi, de novo ſtatuimus & ordinamus, illaque perpetuo obſervari mandamus.

Ac prædictæ Flandriæ Provinciæ Conventibus, locis, Domibus ac Monaſteriis tam Fratrum, quam quarumcumque Sororum ſive Monialium in illis degentium, Fratribus Sororibus & perſonis quibuſcumque, quod omnibus & ſingulis Privilegiis in genere conceſſis, ac gratiis, immunitatibus, prærogativis, Exemptionibus, favoribus & Indultis, quibus ſub Vicariorum Provincialium Franciæ, & Miniſtrorum Provincialium Franciæ Pariſienſis obedientialium

lium Franciæ Pariſienſis obedientiâ hujuſmodi & regimine utebantur, potiebantur & gaudebant, ſeu uti, potiri & gaudere poterant quomodolibet, in futurum uti, potiri & gaudere poſſint & valeant, eiſdem Auctoritate & tenore præſentium indulgemus.

Et nihilominus univerſis & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, & aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, per præſentes præcipimus & mandamus, quatenus ipſi vel eorum quilibet Fratribus & Sororibus, & aliis perſonis Provinciæ Flandriæ hujuſmodi, in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eos, & quemlibet eorum (poſtquam pro parte ſua vel alicujus illorum fuerint requiſiti) per ſe vel alium ſeu alios, omnibus & ſingulis præmiſſis pacificè frui & gaudere,

Non permittentes Conventus, Domos, loca, Fratres, Sorores & perſonas Provinciæ Flandriæ hujuſmodi, per dictum pro tempore exiſtentem Miniſtrum Provinciæ Pariſienſis, aut quoſcumque alios ſuper præmiſſis vel aliquo eorum directè vel indirectè quomodolibet perturbari vel moleſtari.

Contradictores & rebelles per excommunicationis latæ Sententiæ, & alias Eccleſiaſticas Cenſuras & pœnas eorum arbitrio imponendas compeſcendo: invocato ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachii ſæcularis.

Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis Domorum & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ aut quavis firmitate aliâ roboratis Statutis & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque & Indultis ac Litteris Apoſtolicis dicto Ordini forſan conceſſis: illis præſertim quibus inter alia caveri dicitur expreſſè, quod diviſiones Provinciarum in dicto Ordine inſtitutarum fieri non debeant, & factæ non teneant.

Quibus, etiamſi ad illorum derogationem, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clauſulas id importantes, mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, & aliis deſuper conceſſis, ſeu in contrarium nunc ex pro tempore etiam in quibuſvis Capitulis generaliſſimis factis Concordiis & Conventionibus.

Quibus omnibus, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, pro ſufficienter expreſſis habentes, hac vice ſpecialiter & expreſſè derogamus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint, per Litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die I. Decembris M. D. XXIII. Pontificatûs noſtri anno I.

CAPUT CXXXI.

RENATUS DE BRUGIS, *Princeps Steenhuſiæ &c. in Dominio ſuo de* Berchem, *Diœceſis Mechlinienſis juxta Aldenardam, erigit ſive reſtaurat anno* 1531. *Hoſpitale; aſſumptis Monialibus de ſimili Hoſpitali olim ſito in Parochia de* Saemſlacht, *verſus Hulſtum in Flandria.*

Ex Archivis Principum Steenhuſiæ.

Allen den ghenen die deſe jeghenwoordighe Letteren ſullen ſien, oft booren leſen, Burghemeeſters, Schepenen ende Raedt van der Stede van Brugghe ſalut.

Doen te wetene, dat op den dagh van hedent, date van deſen, voor ons comen ende gecompareert ſyn in huerlieder propre perſoonen, Pieter Van Greboval, Raedt der K. M. en ſynen Ontfanghere generael van Vlaenderen, en Mr. Joris Horenboult, als Vooghden van Jonckheere René van Brugghe Heere van den Gruuthuſe, Prince van Steenhuuſe, &c. De welcke voornoemden Comparanten in den naeme en qualiteyt als vooren, volghende den conſente ten voorſchreven daeghe van hedent by ons als Opper-Voogden van den voornoemden Jonckheere René, heurlieden gegeven, hebben gegeven ende geconſenteert, geven en conſenteren by deſen, Suſtere Kathelyne van Hollebeke, als Moedere van't Hoſpitael van (1) Samſlacht, *preſent ende accepterende voor haere, huere Mede-Suſters en naercommers in't voorſchreve Clooſtere t'eeuwighen daeghe, de wuenſte, gebruuckſaembede ende onderhout van 't Hoſpitael ſtaende in de Heerlyckhede van* (2) Berchem, *toebehoorende aen den voorſchreven Heere van den Gruuthuuſe, metten huuſen, landen, meerſchen, erflycke renten, cheinſen, en andere ſyne toebehoorten; ende dit op de beſpreken Voorwaerden, conditien ende laſten, hier naer verclaert.*

Te wetene, ierſt dat de voorſchrevene Moeder en andere Suſters van den voorſchreven Hoſpitale gehouden worden, den ſelven Heere van

Fundator ac Patronus.

den Grunthuuſe ende Berchem voordan te houdene voor Fundateur ende Patroon van den ſelven Hoſpitale, en van den temporele goedinghen van dyen, ſoo wel de ghene die nu geconqueſteert ſyn, als die naermael geconqueſteert ſullen worden, ende den ſelve Hoſpitaele toebehooren.

En dat de ſelve Moedere, noch Suſters nemmermeer te gheenen daeghen de ſelve goedinghen en ſullen moghen vercoopen, alieneeren, noch belaſten, ſonder expres conſent, adveu, ende Octroy van den ſelven Heere van Berchem, op pene, van dat ſy contrarie deden, 't ſelve Hoſpitael ende de goedinghen van dyen te moeten laetene, ende daer uut te ſcheedene, in dyen het den ſelven Heere van Berchem tot ſynder Authoriteyt beliefde, ende heurlieden laſtede dat alſoo te doene.

Voort, dat al'tgene dies de ſelve Moedere ende Suſters aldaer conqueſteren, recouvreren ende doen maken ſullen, ſoo wel van huuſen als anderſins, dat dat weſen ende blyven ſal ten profyte van den ſelve Clooſtere en Hoſpitaele, ende van der ſelver nature, dat de andere goedinghen ende revenuen van dyen ſyn.

Voort dat de ſelve Moedere ende Suſters ghehouden worden binnen den ſelven Hoſpitaele t' hebbene ende onderhoudene vier bedden ten minſten, ten onderhoude ende ghenouchſaemhede van de armen, die daer te logiſte comen ſullen, ende die aldaer t' ontfanghene ende te dienene, oft te doen dienen, ten minſten by een van de voorſchrevene Suſters, ende heurlieden te ghevene alle avende eene bont bouts, en een ſchuetel pottagie, van Alder-heilighe-Meſſe totter ierſten dagh van den Vaſtene in elck jaer, ende van. . . .

Voort ſullen heurlieden gheven ende doen, alſoo men heurlieden aldaer gheconſtitueert es gheſyn van doene, ter diſcretie, in't cas van gheſchille, van den ſelven Heere van Berchem; ende dat den ſelve Heere nu ſynde ende toecomene daer of hebben ſal de inquiſitie, kenniſſe ende declaratie, oock t'ſynder beliefte, naer de welcke de Suſteren ende Religieuſen heurlieden ghehouden worden te voeghene ende regulerene, op de pene van verbeurte hier vooren verclaert.

Ende tot dyen, dat de ſelve Suſteren gehouden worden te volcomene ende te voldoene de andere laſten van de Fondatien van den ſelven Hoſpitaele, in dyen der eenighe ſyn.

Numerus Monialium.

Voort dat de ſelve Suſters ende Religieuſen ende heurlieders naercommers gehouden worden daer te woonen ende te reſiderene in getalle ende nombre van vyve, oft viere ten minſten, ende aldaer te houdene huerlieder Oordene, in goede ende behoorlycke Reghele, ander de ſubjectie ende kenniſſe van Mynen Heere den Biſſchop van Camerycke ofte zynen Commis, alſoo verre alſt der geeſtelycheyt aengaet;

Ende van heuren temporelen, van den ſelven Heere van Berchem heurlieder Patroon.

Ende dat de ſelve mynen Heere den Biſſchop, oft ſynen Commis aldaer, egheene Viſitatie, noch andere ſaken en ſal moghen doen, ſonder den ſelven Heere van Berchem daer of te adverterene, oft in ſyn abſentie ſynen Bailliu van der ſelven Heerlychede: de welcke by gehouden wort in de voornoemde Viſitatie oft inquiſitie met hem te nemene.

Voort, dat de ſelve mynen Heere den Biſſchop, noch ſynen Commis niet en ſullen moghen maken, noch eenighe van de Suſters en Religieuſen, van binnen ofte van buyten, Moedere van den ſelve Hoſpitaele; nemar zoo welcken tyden de Moedere overleden weſen ſal, ofte dat ſoo omme eenighe ſaecken met behoorlicke cauſen verlaeten zoude moghen weſen; ſoo ſullen de Suſters van den ſelven Clooſtere onder heurlieden kieſen eene andere daer toe nut ende idoine zynde;

Ten waere dat ſy daer of onderlinghe niet accorderen en coſten. In't twelck geval, den ſelven Heere van Berchem een ſal moghen ſtellen ofte kieſen t' ſynder diſcretie, daer toe ydoine zynde; die ſy behouden worden te eerene ende te obedierene, als d'ander te vooren.

Voort, dat de ſelve Moeder alſoo geſtelt ende ghecreëert ſynde, niet en ſal moghen of-geſtelt noch verlaeten weſen, ſonder dat verdient te hebbene, en ſonder kenniſſe van ſaken, haer gekent ende geroepen, al ſoo't behooren ſal.

Sullen voort de ſelve Religieuſe ghehouden ſyn de huyſinghen van den ſelven Hoſpitaele te houdene in goeder behoorlycke reparatie, ende andere nieuwe te maken, naer huerlieder macht ende goede diſcretie.

Voort, waert ſoo dat de voorſchrevene Religieuſen vertrocken, ende 't voorſchreven Hoſpitael laeten ende abandonneren wilden; dat in dat gheval zy gehouden worden alle de goedinghen der ſelven Hoſpitaele toebehoorende, zoo wel meuble als andere, als dan daer binnen ſynde, daer te laetene, ſonder yet met heurlieden daer of uut te draghene, oft tranſporterene: ten waere by conſente van den ſelven Heere van Berchem, ende ſonder van 't ghenent dies ſy binnen den ſelven Clooſtere ſouden hebben mogen ghedaen, maeken van huuſen, oft anderſins eenighe recompenſe te hebbene.

Aliæ Moniales præcedentis Hoſpitalis in Berchem.

Ende totte dyen, dat de ſelve Moedere ende Suſters ghehouden ſullen weſen, over te commene metten drye perſoone, die noch 't ſelve Hoſpitael, huerlieder leven lanck ghedurende, in heurlieder handen hebben; ten beſten dat ſy connen en moghen, ende heurlieden daer of te contenterene; ſonder den coſt of laſt van den ſelven Heere van den Grunthuuſe ende van Berchem.

De welcke voorſchreve giſte ende conſenteringhe de ſelve Comparanten, in de qualiteyt als vooren, ter eendere, ende de voorſchrevene Suſtere Kathelyne in de qualiteyt dat ſoo die gheaccepteert heeft de voorſchreven beſpreken Voorwaerden. . . . ter anderen ſyden, elckanderen belooft hebben, ende beloven. . . . deſe te onderhoudene ende te obſerverene t'eenwighen daeghen, ende daer jeghen niet te doene, noch gedoogben ghedaen te ſyne directelyc ofte indire-

Digitized by Google

elcyck ter contrarien, in toecomende tyden in eenigher manieren.

In oorcondſchepen van welcke dinghen hebben Wy deſe Letteren ghedaen ſeghelen metten Seghele van ſaken van der voorſchrevene Stede van Brugghe, ghemaeckt ende ghegeven den ſeſtienſten dagh van Wede-maent in't jaer duuſt-vyf-hondert ende een-en-dertigh; ende was onderteeckent, Snouckaert.

(1) SAEMSLACHT, Parochia Diœceſis Gandenſis, ſub Decanatu Hulſtano, ac Dominio Acatholicorum, ferme tota aquis hodie abſorpta.

(2) Hoſpitale hoc in Berchem, hodie occupatur à Sororibus devotis, dictis *Apoſtolicis*. Vide Hiſtoriam Mechlinienſem Cornelii Van Geſtel, Parte II. pag. 241.

Anno 1575. Ludovicus de Gorgenon, dictus de la Baume, Princeps Steenhuſiæ, Comes Winceſtriæ, Baro de St. Amour, Molfalconet, Gorgenon &c. Dominus de Perès, de Gruuthuſe, Avelchem, Jannichon &c. benefecit etiam prædictis Monialibus de Berchem, à ſuis Prædeceſſoribus (ut aiebat) fundatis; concedendo eis bonarium terrarum ſuarum in Berchem, &c.

Poſt eum Steenhuyſiæ Principatus pervenit ad ad familiam de Richardot ex Burgundia: hodie extinctam.

CAPUT CXXXII.

Erectio Concilii Provincialis Artheſiæ, per CAROLUM V. *Cæſarem, anno* 1530.

CHARLES, par la divine clemence Empereur des Romains, toujours Auguſte, Roy de Germanie, de Caſtille &c. A tous ceux qui ces preſentes verront, ſalut.

Comme par droict de ſucceſſion de feu tres-heureuſe & recommandée Memoire nos Predeceſſeurs, & en vertu & par raiſon de Traictiez faitz par eulx & Nous avec la Maiſon de France, & ſignamment par le Traictié de Paix fait & conclus en noſtre Cité de Cambray le V jour d'Aouſt l'an dernierement paſſé M. D. XXIX. ſoyons & doivons être & demeurer comme Comte d'Arthois, & nos Succeſſeurs Comtes & Comteſſes d'Arthois, perpetuellement & à tousjours quictes exempts deſchargiez des Fiefs & Hommaiges par ci-devant tenus en Perrie, * *& comme qu'il fuſt de la Couronne de France, ſerment de fidelité, & de toute ſubjection, que Nous & nos dicts Predeceſſeurs Comtes & Comteſſes d'Arthois eſtoient & pouvoient eſtre tenus & ſubmiz faire avecq le Seigneur Roy de France, à cauſe d'icelluy Comté d'Arthois, enſemble de tout tel droict de Juriſdiction, Reſſort & Souveraineté, que ledit Seigneur Roy & ſeſdits Predeceſſeurs Roys de France, leurs Juges & Officiers avoient par le paſſé eu & exercé en & ſur ledit Comté d'Arthois, Prelats, Nobles, Vaſſaulx, manans & habitans, Reſſors & Enclavements d'icelluy Comté, tenu tant dudit Seigneur Roy & de la Couronne de France que d'aultres Seigneurs, quels qu'ils ſoient en & ſur toutes & chacunes lieux, Egliſes, biens, revenus, Terres & Seigneuries d'icelles, ſcituez & aſſis audit Comté d'Artois, & ès meſtées & enclavemens d'ycelluy, quant aux Egliſes ſcituées & aſſiſes audit Comté, Reſſors & enclavemens, biens & revenus Terres & Seigneuries etants en icelluy Comté, Reſſorts & enclavemens quelque part & en quelques lieux que les Egliſes, auxquelles leſdits biens, Terres & Seigneuries appartenoyent, ſoient ſcituez & aſſiſes jaçoit, qu'elles ſoient de Fondation des Rois de France, & amorties par eulx;*

Sans que icelluy Seigneur Roy, ſes Succeſſeurs Roys de France, leurs Juges & Officiers quelconques puiſſent jamais quereller ou demander aulcun Droict de Hommaige, Parrie, Juriſdiction ou Souveraineté en quelque maniere ou façon que ce ſoit, en ledit Comté d'Artois, Nobles, Vaſſaulx, Egliſes, biens, Rentes, revenuez, Terres, Seigneuries d'icelles Egliſes, etants audit Comté, reſſorts & enclavemens, eſquels l'Aide ordinaire a eu cours.

Sauf ſeulement la Cité de Therouenne, & les appendances d'icelle, s'aucunes en y a, qui ne ſoyent du Comté d'Artois, reſſors & enclavemens. Et les dix-ſept Villages du Boullonnois, mentionez audit Traictié. Exceptio

Leſquels Droicts, Juriſdictions, Reſſorts & Souveraineté, Gardienneté, Droict de Regale, Nomination, Preeminences, Prerogatives ſur les Eveſchez, Abbayes, Priorez, Dignitez, & aultres quelconques Benefices eſtans & enclavez audit Comté d'Artois, & tous aultres Droits quelconques, ſans rien en reſerver, ledit Seigneur Roy de France tres-Chreſtien, tant pour luy que pour ſes Succeſſeurs Roys de France nous a abſolument & entierement de nouvel donné cedé & tranſporté par ledit Traictié de Paix fait à Cambray: les ſeparant & diſmembrant perpetuellement & à tousjours de la dite Couronne de France.

Et Nous ſoit expedient & neceſſaire pourveoir à ce que nos ſubjects, manans & habitans audit Comté d'Artois, reſſort & enclavemens, de quelque Seigneur ou Seigneurs qu'ils ſoient tenus ou mouvans, ſoit de ladite Couronne de France de France ou aultres: & ceux leſquels de tout tems ont contribué & payé l'Ayde ordinaire & ancienne Compoſition d'Artois (ſauf ceux de la

* Vide Litteras ſupra pag. 576.

Exemptio ab Homagio Artheſiæ.

Digitized by Google

Cité de Therouenne, les dependances d'icelle s'aulcunes en y a, comme dict eſt, & les Villaiges & tenemens de Boulogne deſſus nommez) ſoient gouvernez, tenus, maintenus & entretenus ſoubs Nous en juſtice, bon ordre & police, ſans faveur ou diſſimulation: & ſy à chaſcun ſoit faict Droict, raiſon & juſtice.

Et que pour ce faire & adminiſtrer, ſoit requis ordonner & mettre ſuz une Chambre de Conſeil en noſtre dict Pays & Comté d'Arthois, ou tous & chaſcun les Subjects manans & habitans d'icelluy Comté, reſſorts & enclavemens puiſſent avoir & ayent leur recours & refuge ſur le faict de la Juſtice.

Scavoir faiſons, que Nous avons fait, ordonné, inſtitué, & eſtably, faiſons ordonnons, inſtituons & eſtabliſſons par ces preſentes une Chambre de Conſeil en noſtre-dict Comté d'Arthois. Laquelle reſidera & ſe tiendra en tel lieu, que par Nous ſera adviſé & ordonné. Auquel Conſeil aura ung Preſident, deux Chevaliers, ſix aultres Conſeilliers Graduez, ung Procureur General & ung Advocat Fiſcal, ung Greffier, ung Chapellain, & ung Recepveur des Exploicts, avecq quatre Huiſſiers: aux gaiges que pour ce leur ſeront de noſtre part ordonnez.

Numerus Conſiliariorum &c.

Et auront leſdits Preſident & Conſeilliers cognoiſſance, deciſion & Judicature de toutes & chacunes les Appellations tant criminelles que civiles, ſoient verbales ou par eſcript, de tous exploits, appointemens & ſentences interlocutoires & diffinitives faictes & interjectées de tous & chacuns les Gouverneurs, Baillis, Hommes de Fief de nos Bailliages, Juſtices, Eſchevins de nos Villes dudit Comté d'Arthois: enſemble de tous aultres Juges, Huiſſiers, Sergeants & Officiers eſtants audit Comté, Reſſorts & enclavemens: & meſmement qui par cy-devant ont reſſorty mediatement ou immediatement en la Cour de Parlement à Paris, ou pardevant les Baillyz d'Amiens, de Vermandois, Gouverneur de Peronne, & aultres Juges du Royaume de France.

Meiſmes de ceulx qui ſoloyent avoir aulcuns Gardiens ou Juges commis, aultres que les Juges dudit Comté d'Arthois, ſoient Nobles, Gens d'Egliſe, de Religion, ou ſeculiers.

Et auront auſſi leſdits Preſidens & Conſeillers d'icelle Chambre de Conſeil la cognoiſſance & deciſion en premiere inſtance ſur noſdits ſubjects, manans & habitans d'Arthois, reſſorts & enclavemens, de tous Cas privilegiez & de prevention. Eſquels Cas ſe regleront & conduiront, ſelon que par nos Ordonnances ſera plus amplement declairé.

Et ne pourront iceulx Preſident & Conſeilliers prendre la cognoiſſance d'aultres cauſes, matieres & actions, ſoient perſonnelles, reelles ou mixtes, ſy n'eſt entre Gens privilegiez, & pour empecher multiplication de proces, par Commiſſion ſpeciale & expreſſe de Nous: & le tout ſur le Reſſort immediate des Preſident & Gens de noſtre Grand Conſeil, repreſentant noſtre perſonne comme Comte & Souverain d'Arthois.

Et pour obvier aux Appellations que legierement ſe pourroient interpoſer des Sentences Interlocutoires & Diffinitives de noſtre-dict Conſeil d'Arthois, & ſoulager noſdicts ſubjects, manans & habitans audit Pays Reſſort & Enclavemens, & pourveoir l'abbreviation de Juſtice, avons ordonné & declairé, ordonnons & declairons, que les Sentences dudit Conſeil, rendues en matiere d'alimens, taxe de depens, ſalaires & loyhiers de ſerviteurs, matiere de ſaiſine, nouvellité & recreance, & aultres, que par noſdites Ordonnances ſe ſpecifieront, ſeront executées realement & de fait: non obſtant oppoſition ou Appellation. Et auſquels ſe conduiront & regleront leſdit Preſident, Chevaliers, Conſeilliers, Advocat & Procureur Fiſcaulx & Huiſſiers, ſelon que par nos dictes Ordonnances leur ſera plus amplement declairé.

Leſquels ſeront tenus de faire ſerment pertinent a ce, ez mains de tels, que par leurs Lettres de Retenue ſera ordonné, de bien & deuement faire & exercer leſdits Offices.

Et affin qu'ils puiſent miculx entendre à l'exercice de leurs Offices, & n'ayent occaſion d'eſtre diſtraits de l'adminiſtration d'iceulx, Nous les avons prins & mis, prennons & mettons en noſtre eſpeciale Protection & ſauvegarde de exemption de guet, & aultres charges publicques Veuillans & declairans, qu'ils ſoient libres francqs & exempts de toutes maltotes, guet, garde & aultres charges publicques: ſelon que ceulx de nos aultres Conſaulx ſont accoutumez de joyr & uſer.

Et ne pourront leſdicts Preſident, Conſeilliers, & aultres perſonnes que deſſus, avoir ne exercer aulcuns aultres Offices, ny avoir gaiges ou penſion que de Nous, ny conſeillier ès matieres eſtants, ou qui pourroient venir au dit Conſeil.

Et affin que noſtre dict Conſeil ſoit & demeure touſjours pourveu de Gens ſçavans, prudens, & exprimentez; voulons, que advenant la Vacation d'aulcuns Eſtats d'iceulx Conſeilliers, Procureur & Advocat, par mort ou aultrement, que les Preſident & aultres Conſeilliers pour le temps, ayent faculté de Nous denommer, & à noſdits Succeſſeurs Comtes d'Arthois, trois perſonnes qu'ils adviſeront par leurs ſerments & en leurs conſciences, (que de ce enchargeons) eſtre plus idoines, qualifiez, & duyſans en l'eſtat qui vacquera: dont Nous & noſdits Succeſſeurs aurons le choix, pour y pourveoir de l'ung d'iceulx. Præſentatio trium Præſonarum.

Sy donnons en mandement à nos amez & feaulx, les Chief Preſident & Gens de nos Privé & grand Conſaulx, les Chancelier & Gens de noſtre Conſeil en Brabant, Preſident & Gens de noſtre Conſeil en Flandres, grand Bailly de Haynault & Gens de notre Conſeil à Monts, Gouverneur d'Arthois & d'Arras, Bailly de Lens, & à tous aultres nos Juſticiers Officiers & ſubjects, cuy ſe regardera, que ceſte noſtre preſente Inſtitution & Erection de Conſeil de noſtre Comté d'Artois ils obſervent & facent obſerver

obſerver & entretenir, ſelon & par maniere que dict eſt : ſans y faire ne ſouffrir eſtre faict ores, ni au temps advenir aulcune choſe au contraire en aulcune maniere. Car ainſi Nous plaiſt-il.

En teſmoing de ce, Nous avons ſigné ces preſentes de noſtre Nom, & à icelles fait mettre noſtre grand Seel. Donné en la Ville d'Augsbourg le douxieme de May l'an de grace mil cinqcents & trente, de noſtre Empire le premier, & de nos Regnes d'Eſpagne, des deux Sicilles & aultres le quinzieme. Signé : CHARLES.

Par l'Empereur & Roy : Vous Reverendiſſime Cardinal de Gattinara ; *le Comte de* Naſſau *Marquis de Renette grand & premier Chambellan ; le Marquis* d'Arſchot *Comte de Portian ; le Comte du* Roculx *grand Maiſtre d'Hoſtel Gouverneur d'Arthois, Chevaliers de l'Ordre de la Toiſon d'Or ; le Sieur de* Grantvelle *Conſeillier d'Eſtat premier Maiſtre aux Requeſtes, & autres preſents.*

De Inſtitutione ejuſdem Conſilii egit Ferreolus Locrius in Chronico Belgico ad annum 1530, ſeu pag. 594. exhibens etiam ſeriem Præſidum & & Conſiliariorum. Continuatum porrò Præſidum Catalogum ad noſtra uſque tempora lege in libro Bruxellis edito A. 1743. cui titulus : *Delices ou Hiſtoire des Pays-bas* Tomo III. pag. 64.

CAPUT CXXXIII.

Acta in Inſtitutione Concilii Arthesiæ, de mandato CAROLI V. *Cæſaris, anno* 1530.

CHARLES par la divine clemence Empereur des Romains &c. à tous, qui ces preſentes verront, ſalut.

Comme à la conſervation des Souveraineté & haulteurs, preeminences & droicts que Nous avons & Nous appartiennent en noſtre Comté & Pays d'Arthois, auſſy pour la conduite & regime dudit Pays, & des Prelats, Vaſſaulx, Nobles, & aultres nos ſubjects, & des y manans, & de ceulx quy y converſeront, en bon ordre, pollice, & ſingulierement en bonne Juſtice, par laquelle les Princes regnent, & leur pays & ſubjects proſperent ;

Et pour aultres bons regards & raiſonnables conſiderations, Nous, a grande & meurre deliberation avons adviſé & conclu, eriger & inſtituer ung Conſeil Provincial en noſdits Pays & Comté d'Arthois : du Gouverneur dudit Pays, d'ung Preſident, de deux Chevaliers & ſix aultres Conſeilliers Litterez & Graduez, d'ung Advocat & d'ung Procureur Fiſcaulx, d'ung Greffier, d'ung Receveur des Exploits, de certain nombre d'Huiſſiers, que cy après ordonnerons ;

Et nommement des perſonnes de noſtre tres-chier & feal Couſin Meſſire Adrien de Croy *Comte du Roeulx, Chevalier de noſtre Ordre, noſtre grand Maiſtre d'Oſtel, à preſent Gouverneur du dict Pays ; de noſtre amé & feal Meſſire* Jehan Caulier *Seigneur de Aigny pour Preſident, de Meſſire* Jehan Sieur de Neufville, *& de Meſſire* Baudran de Poix *Sieur de Lymeroeuilles pour Chevaliers ; de Maiſtre* Guillaume Hangouart, *Maiſtre* Jacques Chambier, *Maiſtre* Wallerand de Landas, *Maiſtre* Loys de Martigny, *Maiſtre* Charles Criſpin, *& Maiſtre* Jehan Grenet *pour Conſeilliers Graduez, de Maiſtre* Robert Coronel *pour Advocat, de* Regnaut Grenart *pour Procureur, de . . . . . pour Greffier, de* Marcq Charles *pour Receveur des Exploits, & de* Antoine Lambert *pour l'ung & le premier deſdits Huiſſiers dudict Conſeil, aux gaiges à eux ordonnez, ſpecifiez en nos Lettres patentes de leur Commiſſion ; & pour Chapellain dudit Conſeil, M. . . . Chapellain de la Chapelle fondée en noſtre Maiſon dite* la Cour le Comte en Arras, *ſur les fruicts & proufficts de la Fondation d'icelle.*

Et à cette cauſe, meſmement pour effectuellement & reellement inſtituer ledit Conſeil, Nous convient commettre & deputer aulcuns bons notables & experimentez perſonnaiges à Nous Feaulx ; Sçavoir faiſons, que pour la bonne cognoiſſance, que Nous avons des prudence direction, experience & leaultez & diligences de nôs Amez & Feaulx, Reverend Pere en Dieu Meſſire Euſtace de Croy *noſtre Couſin Eveſque d'Arras, de Meſſire* Philippes *Seigneur de* Lannoy *noſtre Chambellan Gouverneur & Capitai-*

Digitized by Google

ne de nos Ville & Chaſtel de Tournay & du Tourneſis, de Maiſtre Jehan Jonglet *Sieur des Marets Licentié es Loix, Maiſtre aux Requetes en noſtre Privé Conſeil, & de Meſſire* Philippes Nigry *Docteur ès deux Droits, grand Archidiacre de Therouenne, Maiſtre aux Requeſtes en noſtre grand Conſeil, tous nos Conſeilliers;*

Commiſſarii Regii.

Nous avons iceulx deputé ordonné & commis, deputons ordonnons & commectons, & leur donnons plain pouvoir auctorité & mandement eſpecial par ces preſentes: appellez & preſents Reverends Peres les Abbez de Sainct Vaaſt *& du* Mont St. Eloy, *nos Conſeilliers pour aſſiſtance, de eulx tranſporter prochainement & ou mois preſent en noſtre Ville d'Arras, & de en icelle convocquer de noſtre part les deſſus-nommez, par Nous choiſis, pour eſtre de noſtre Conſeil Provincial d'Arthois, & icellui Conſeil reallement inſtituer de par Nous, deſdites perſonnes, en noſtre Ville, en noſtre dicte Maiſon de la Cour le Comte.*

Executio facta per eoſdem Atrebati 28. Junii ſequentis, Epiſcopo & Jonglæto perorantibus.

Et icelles perſonnes inſtituer, & eſtablir chacune d'elles en leurs eſtats, & leur donner & ordonner ſiege en l'ordre que deſſus: & de noſtre part leur ordonner de eſdits eſtats & en l'exercice d'iceulx garder & conſerver noz Souveraineté, Haulteur, Seigneurie, Domaine, nos Preeminences & aultres Droiz que Nous avons & nous appartiennent en noſtre Pays & Comté d'Artois, d'y faire & adminiſtrer droict, raiſon & juſtice à ceulx qui les en requereront, & es cas qu'il apartiendra.

Et de au ſurplus faire ce que Gens de Conſeil Provincial audict Pays poeuvent & doibvent faire, & de en ce faiſant ſoy regler & conduire ſelon les Ordonnances Memoires & Inſtructions, que leur avons faict faire, & leſquelles en leurs preſences ils feront lire. Et de oultre plus ordonner & commander de noſtre part à ceulx qui ſe trouveront à la dicte Inſtitution, & à tous aultres nos Vaſſaulx Juſticiers Officiers & ſubjects dudict Comté d'Arthois, quy ce polra touchier concerner & regarder, que audict Conſeil ils entendent & obeiſſent diligamment & delaiſſent. promectant en foy de Prince, de avoir pour agreable, ce que par les deſſus-nommez, ou les trois qui mieulx vacquer en pourront, ſera faict & beſoigné en ce que dict eſt & qu'en depend: comme ſy en noſtre perſonne faict l'euſſions.

En temoing de ce, Nous avons faict mectre noſtre Seel à ces preſentes. Donné en noſtre Ville de Malines le XX. jour de Juing, l'an de grace mil-cincq-cens & trente, de noſtre Empire, & de nos Regnes des Eſpaignes, des deux Cecilles & aultres le quinzieme.

CAPUT CXXXIV.

Supplica exhibita anno 1555 PHILIPPO II. *Hiſpaniarum Regi ac Belgarum Principi, per Priorem & Canonicos Regulares* Montis Stæ. Agnetis in Tranſiſalania, *quâ petunt Monaſterium ſuum in Collegium Canonicorum Sæcularium commutari.*

NOs Prior, Supprior, & Conventuales Monaſterii Montis Sanctæ Agnetis, Ordinis Regularium Divi Auguſtini, prope Zuollam Trajectenſis Diœceſis, ſubſcripti rogamus & obſecramus ſacram Catholicam ſuam Majeſtatem, ut interceſſione ipſius per Sedem Apoſtolicam transferamur de hoc loco Montis Sanctæ Agnetis, propter innumera & graviſſima damna & mala quibus in eodem jam ultra decem annos afflicti ſumus & adhuc afflig mur ab Incendiariis, Anabaptiſtis, atque aliis Sectariis, ad aliquod Oppidum, & ad ſtatum Canonicorum Secularium; prout in Supplicatione noſtra ſuæ Majeſtati porrectâ anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto, decima quarta Aprilis latius continetur.

Conſentientes in hoc, ut poſt mortem ſingulorum ex nobis, ſuccedant in eadem Conventus noſtri bona, vel Clerici vel Sacerdotes ſeculares, graduati in Theologia vel Jure Canonico, Canonici ejuſdem Eccleſiæ Collegiatæ ad quam transferemur, vel ipſemet Epiſcopus loci, ſecundum quod id Sedi Apoſtolicæ, & ſacræ ſuæ Majeſtati videbitur magis expedire Eccleſiæ Dei.

In cujus teſtimonium hanc ſcedulam ſinguli ſubſcripſimus, & Sigillo Conventuali

communivimus. Actum in noſtro Monaſterio Sanctæ Agnetis, anno milleſimo quingenteſimo & ſexageſimo, die vero decimo nono menſis Aprilis.

D. Leonardus ter Poerten, Prior.
D. Fredericus à Zuolis Supprior.
D. Arnoldus à Campis Senior.
D. Theodoricus Camerlinck.
D. Gerardus Mullert.
D. Gerhardus Raelt Procurator.
D, Arnodus Wagheninck.

Subjuncta Declaratio Prioris ac Conventualium præfatorum, de miſero ſui Monaſterii ſtatu, & de remediis opportunis anno 1555.

AD Sacratiſſimam Regiam Majeſtatem Quâ poſſunt humilitate indicant veſtrę Sacræ Regiæ Majeſtati Prior Supprior & Conventuales Regularium prope Suollam in Monte S. Agnetis Diœceſis Trajectenſis, quod multis abhinc annis ab incendiariis, Anabaptiſtis & id genus Sectariis graviſſima damna ſuſtinuerunt, qui eorum molendina prædia & villas, partim Monaſterio juncta partim ſeparata, hactenus bis terve combuſſerunt, pecora intempeſtâ nocte in paſcuis trucidata nulli uſui reliquerunt, & adhuc indies, niſi certas pecuniarum ſummas per incognitas litteras indictas certis & locis & temporibus per eos deſignatis deponant, ipſum Cœnobium ad flammas & cineres redacturos & Religioſos penitus extirpaturos minantur: prout ex aliquorum ex eis conjuratorum cum exemplis & quandoque originalibus dictarum litterarum deprehenſorum confeſſione & extorta & etiam ſpontanea multis innotuit.

Adeo ut in continuo vitæ & bonorum periculo verſantes, interdiu cuſtodes & noctu excubitores armatos magnis ſumptibus præſto habere cogantur.

Et accedit cùm continua vagabundorum militum incurſatio vaſtatio & oppreſſio, tum periculoſa ſceleratorum & perfidorum hominum variis Sectis inquinatorum vicinitas. Qui præterquam quod divinis Officiis debitè adimplendis impedimento ſint, ipſos etiam Religioſos opprobriis & injuriis continuo proſequi non deſiſtunt.

Hinc fit, quod illorum numerus indies magis ac magis minuatur ac decreſcat, & quod perſonæ idoneę & Clerici Orthodoxę Fidei ſectatores tale Cœnobium tot tantiſque periculis opprobriis & infeſtationibus obnoxium ingredi recuſent.

Præter ſupradicta incommoda & hoc mali experiuntur, quod Converſos cœnobitalibus bonis adminiſtrandis præfectos quos non more ſolito prædictorum periculorum cauſâ cognitos & fidos, ſed tales quales obtigerint admittere coguntur, rerum ſuarum minus quam par eſt ſatagentes, imo inſignes diſſipatores ac fraudulentos diſpenſatores ſentiunt;

Et ſic ſucceſſu temporis metuendum ſit, ne tam continuis prædictarum excubiarum ſumptibus, quam dictorum Converſorum incuriâ inſolentiâ atque perfidiâ acti, in bonis & perſonis tandem deficiant; quandoquidem numerus Religioſorum qui conſuevit eſſe ad minus viginti quatuor & ultra, nunc redactus ſit ad decenarium, omnibus Clericis eum locum ob moleſtias & viciniam Sectariorum abhorrentibus.

Cum itaque Cœnobium prædictum ſæpiùs ab uno loco ad alium tranſlatum ſit, & nullis Fundatoribus ſed ſolum Clericis ſimul congregatis, qui ſua bona eò ſucceſſive contulerunt originem traxerit, ac poſtea ſeſe ſub Capitulo Wyndeſemenſi voluntariè ſubmiſerint;

Supplicant dicti Prior, Supprior, & Conventuales, quatenus veſtra Regia Majeſtas dignetur permittere dictum Monaſterium ad Eccleſiam Collegiatam reduci & in aliquod oppidum vicinum transferri.

Et præterea (quoniam in hoc Sedis Apoſtolicæ licentia authoritaſque requiritur) preces dictorum Supplicantum apud Sanctiſſimum Dominum noſtrum, veſtræ Majeſtatis interceſſione adjuvare, ut Prioralem Conventualitatem, Ordinem, omnemque ſtatum & dependentias Regulares ſupprimat atque extinguat, & ad ſtatum ſœcularem reducat.

Nec non in Eccleſiam Collegiatam erigat cum menſa Capitulari, Sigillo & archa communibus, aliiſque Collegiatis inſignibus.

Et ut loco Prioris ſit Decanus; & abſolvat Supplicantes ab obſervatione Regulæ & votis, caſtitatis tamen & obedientiæ exceptis; ne teneantur præterea habitum geſtare, jejunare, & alia facere quæ ex Statutis illis incumbunt.

Et quod Jus Patronatûs & præſentandi perſonas idoneas ad Decanatum & præbendas, partim ad veſtram Regiam Majeſtatem partim ad Decanum & Capitulum pertineat, applicando bona Conventus Menſæ Capitulari.

Ita quod Decanus duas, cęteri Canonici ſimplicem habeant portionem.

Concedaturque Decano & Capitulo facultas Statuta licita, honeſta & ſacris Canonibus non contraria condendi, cum reliquis juribus, ſimilis conditionis Capitulis ante-hac permiſſis. Quo preſtito &c.

Sa Majeſté a accordé aux Suppliants congie de pouvoir ſolliciter en Court de Rome la Tranſlation & Erection de leur Monaſtere en Egliſe Collegiale, ſoubs les conditions contenues en leur Requeſte; & fera ſa Majeſté eſcrire en leur faveur au Pape & autres qu'il appartiene, pour l'expedition. Fait en Anvers le XIV. de Febvrier M. D. LV.

Libellus ſupplex exhibitus anno 1560. PHILIPPO II. *Hiſpaniarum Regi per Priorem & Canonicos Regulares Monaſterii Zwollenſis in Tranſiſalania; quo & antiquum & præſentem ejuſdem Monaſterii ſtatum exponunt, atque eatenus ſupplicant, in Collegium Canonicorum Sæcularium commutari.*

QUâ poſſunt humilitate ac obſervantiâ indicant veſtræ Regiæ Majeſtati, Prior, & Conventus Regularium Divi Auguſtini in urbe Zwolla, Diœceſis Trajectenſis, Patriæ Tranſiſulaniæ, quod à malevolis maximas perpeſſi fuerint injurias, & quod eorum prædia & villas non potuerint quietè poſſidere cum Privilegiis & immunitatibus olim piis locis conceſſis; & quod cum gemitu dicunt, quotidie majores timent ruinas, ex depravatis hominum moribus, & indies accreſcente hæreticorum pravitate; tum etiam quod adoleſcentes honeſto loco nati ac bonis moribus, nulli ad Monaſticam vitam aſpirent.

Unde timent, quod ſucceſſu temporum Domus poſſit eſſe deſolata, & bona temporalia, quæ in Cœnobio pro ſuſtentatione pauperum & alimentatione hominum Religioſorum donata fuerunt, in alios uſus à perverſis hominibus converti; maximè quod laïcorum Converſorum nullam fidem experiuntur, & aliorum quibus in communi vita viventes operâ carêre non poſſunt, fallatiam & dolos deprehendant.

Cum itaque prima intentio illorum qui ſe ad Congregationem iſtam tranſtulerunt, fuit valde pia, pro utilitate Eccleſiæ & Fundatoris, qui Domum & aream ſolùm conceſſit, cujus nulli ex ſanguine, quod ſcitur, ſuperſunt hæredes; qui conſtituit aliquot Clericos, qui ſub Præpoſito vivebant, pòſt ad Capituli Wyndeſemenſis Regulam ſe tranſtulerunt, & tum ex hæreditate illorum qui huic Cœnobio ſe ingerebant, tum ex laboribus & ſcriptionibus bona temporalia per prudentem gubernationem acquirebant; Teſte Deo, petunt Prior Supprior & Conventus aliud nihil, quam laudem Omnipotentis Dei, & ut nomen illud Jeſu Chriſti poſſit ſanctificari; quod melius per doctos & morigenos fieri præſumitur.

Quod binis R. T. Litteris huc uſque non reſponderimus, non cujuſquam negligentiæ, quaſi de perficiendo negotio Erectionis Collegii parum in abſentia tua cogitaretur, ſed triſtiſſimæ temporum injuriæ, & inopinato miſeriarum & penuriæ indies accreſcenti cumulo imputandum. Nos de invenienda quatuor millium Thalerorum ſumma huc uſque laboravimus; & ut vera dicamus, in præſentiarum non videmus, unde & quâ viâ, rebus ſic ſtantibus, ſaltem mille haberi aut inveniri queant.

Stipendiarium militem (qui ex facultatum noſtrarum redditibus toto jam decennio alitur) Reverentia Tua jam dudum novit; novit onera ordinaria, novit calamitates, & oppreſſiones pauperum ſubditorum.

Sed quid iſthæc? Per diuturnas iſtas exactiones emuncti ſumus fortunis noſtris, debita multorum millium contraximus. Jam ſuper hæc omnia, urget Hiſpanus miles, urget novus ille Germanus ſub Blanckenheimio militans, depopulationemque minatur, niſi bis mille florenorum ſingulis ſeptimanis ſolutio fiat.

At perſolvere noſtrarum virium non eſt, manentibus ceteris oneribus; jamque cœptum eſt, cum à miſeris ruſticis plus extorqueri nequeat, à civibus noſtris pecuniarum ſummam, ſub ſtipulatione ejus quod intereſt, mutuo petere & dare; & ut pauciſſimis dicamus, omnia in extremis ſunt.

Domos vero Collegio deſtinatas quod attinet, earum ſaltem unam atque alteram uſui veſtro circa ferias Michaelis concedere poſſumus. Sed quid ſi ſuſtentationis media necdum in promptu ſint? Etenim niſi felicior aura aſpiraverit, vix trecenti Thaleri ex tota & Monaſterii in Appingedam & ædium Fratrum maſſa hac æſtate corradi poterunt. Receptores quidem iſtorum bonorum nihil magis exoptant, quam ut iis exonerentur; nec mutuendum quod in alium uſum converterentur, quam à Nobis ſtatutum eſt.

Cogitet ergo Reverentia tua, an prudenter fiat, ſi Patres in iſthac temporum anguſtia accerſamus; præſertim cum incorporatio Monaſterii in Olden-Clooſter necdum conceſſa, ſed Reverendiſſimo Domino Nuncio Apoſtolico tantum à ſua Sanctitate commiſſum, ut ſeſe ſuper iſthoc negotio plene inſtruat, uti ex adjuncta Schedula videre eſt.

Digitized by Google

Noſtrum ſane judicium eſt, magis ex re & Eccleſiæ & Reipublicæ noſtræ & Societatis veſtræ futurum, ut in hoc territorio, (ſi ſic Deo placeat) hoſtibus cæſis, ante omnia de neceſſariis tam annuis, quam iis quæ ad ſupellectilem requiruntur, commodè proſpiciatur, quam ut durante inopiâ & accreſcentibus oneribus, Patres veſtri ad nos tranſmeent, nec habere poſſint, ex quo ſeſe ſuo modo ſuſtentent.

Interim de nobis nec ſtatuet nec cogitabit Societas veſtra, quam quod negotii hujus maturo conſilio cœpti exitum & eventum feliciſſimum ſummo deſiderio expectamus, & Deo dante procurabimus.

Vale Pater Reverende, & haſce, ſi placet, admodum Reverendo Societatis veſtrę Domino Provinciali tranſmitte: dum nos ejuſdem argumenti ad ejus quoque Reverentiam propediem dabimus. Datæ ſub ſignatura noſtra XIII. Aprilis M. D. XC.

Subſignatum: Reverentiæ Tuæ addictiſſimi, Conſules Senatuſque Reipublicæ Groningenſis. *Superſcriptio*: Admodum Reverendo Domino Patri, Henrico Samerio Societatis Jeſu Theologo.

Memoriale in Romana Curia exhibitum.

EXponatur S.S. nomine Regiæ Catholicæ Majeſtatis, quod cum malo quodam fato à quindecim circiter annis (ut ſatis ſuperque novit ſua Sanctitas) in inferioris Germaniæ Provinciis irrepſerit hæreſis, & ita fuerit graſſata, ut in illarum aliquibus omnes pene ſubditi ad falſa declinarint, & aliarum plurimas urbes in ſuas traxerint partes. Unde accidit, ut inferveſcenti vitio, hæretici ſumptis armis in ſacroſanctę Romanæ Eccleſiæ Religionis obſervantia perſeverantium Catholicorum domos cœdibus compleverint, Eccleſiaſticos quoſque viros qui non eis adhærerent trucidarint; ſacra violarint & prophanarint, ſacrorum templorum ædificia & Deo dicata Monaſteria ad fundamenta uſque deleverint. Et ſimilium malorum alluvies major fuit in altioris Germaniæ confinibus, & ea parte Belgii quæ eos attingit.

Sed progreſſu temporis, auxilio divino maximiſque ſumptibus & expenſis Catholicæ Regiæ Majeſtatis tandem ſucceſſit, ut aliquæ civitates & urbes, integræ etiam Provinciæ ad priſtinam S. Sedi debitam obedientiam præſtandam reverſæ ſint, & in gremium ſacroſanctæ Eccleſiæ reductæ.

Quia tamen per aliquot annos in eis ſummum obtinuerunt imperium hæreſiarchæ, vix fieri poteſt, ut eo tempore nati in Religione Romanæ Eccleſiæ ſint inſtituti, niſi in eo maxima adhibeatur cura. Et cum in ſimili opere totis viribus incumbam, & inter ceteros hac in parte emineant devotæ Societatis Jeſu Religioſi, Senatus & incolæ civitatis Gruningenſis, Catholicę Romanæ Eccleſię zelo impulſi, omniſque hæreticæ pravitatis extirpandę deſiderio moti, unum in ea civitate dictæ Societatis Jeſu Collegium erigi apud Catholicam & Regiam Majeſtatem petierunt, urgentque adhuc plurimùm, ſperantes in hoc medio rectam juventutis inſtitutionem & corruptorum morum immutationem conſequi.

Tantumque eſt in eo laudabile illorum deſiderium, ut licet inteſtinorum bellorum longo nimium progreſſu exhauſtum ſit civitatis ærarium publicum, ut tamen tam pio operi eam (quam fortuna patitur) adhibeant manum, domum ad Collegium commodam dare, & neceſſariam Eccleſiam ſuis ſumptibus reparare promittunt. Et quantum poſſunt obnixè rogant, ut Catholica Regia Majeſtas apud Sanctiſſimum intercedat, quo Collegium erigere, & ad dictæ Societatis Religioſorum ſuſtentationem requiſitos ſumptus ſupportandos, neceſſarios redditus Eccleſiaſticos aſſignare dignetur.

Cumque ſua Majeſtas ita pio Catholicorum ſubditorum deſiderio deeſſe non poſſit, & à dicta Civitate duabus tantum leucis remotum quoddam Monaſterium Monialium Ordinis Præmonſtratenſis (*Olden-Clooſter* in *Merna* nuncupatum) funditus dirutum, & ita injuriâ temporum & durante ſeditione collapſum atque everſum ſit, ut nulla ſpes reſtet reædificationis, unuſque reſtet Religioſus (qui ſe Prælatum dicit) cum duabus Sororibus hujus Monaſterii, qui ſimul in privata domo in dicta civitate jam toto decennio habitant, nullaque divina Officia, juxta Fundationis Regulam exercent, & re verâ non Monaſticam, ſed ſæcularem aut verè laïcalem vitam agunt;

Monaſterium Olden-Clooſter, aliàs *Merna* de quo Vide Annales. Præm. Tomo I.

Sintque alia diverſa illis in partibus, curam animarum non habentia Beneficia, quorum redditus pereunt (ceſſatque in eis divinus cultus) & in meliorem uſum, quam dicti Collegii dotationem applicari non poſſunt.

Supplicatur igitur pro parte Regiæ Majeſtatis Catholicæ, ut ſua Sanctitas unum Societatis Collegium dignetur erigere in jam dicta Civitate Gruningenſi, & mandare Reverendiſſ. Epiſcopo Calatino, in illis partibus Nuncio ſive Legato Apoſtolico, ut conſtito ei de præmiſſorum veritate, ſupra-ſcriptum Monaſterium Monialium Olden-Clooſter in Marna, omniaque ab eo dependentia bona temporalia, quorum fructus 500. ducatorum aureorum de Camera valorem aut circiter non excedunt, aliorumque Beneficiorum ſupra-dictorum (curam animarum non habentium) aliqua, ad ſummam mille quingentorum ducatorum explendam, pro prædicti Collegii integra dote aſſignet, illique de Stæ. Sedis Authoritate Apoſtolicâ perpetuo uniat & incorporet.

Digitized by Google

Et ſi dictum Religioſum & duas Sorores quoquo modo contra Voti ſui regulam deliquiſſe repererit, pro factorum qualitate puniat aut caſtiget, injuncta convenienti & ſalutari pœnitentiâ, & eis deinceps Monaſteria, in quibus ſub facti Voti Regulâ & Monaſticæ vitæ obſervantiâ reliquum vitæ agant, aſſignet.

ADDITIO AD PRÆCEDENS MEMORIALE.

HUic Scripto adjunctæ ſunt Notæ, manu propriâ Epiſcopi Groningani Arnoldi Nylen conſcriptæ: atque imprimis hæc: *Author hujus Memorialis notitiam hujus inclytæ Civitatis non habuit. Sequitur Inſtructio, partim latina, partim gallica: ſed neſcio quo authore; quia linguæ gallicæ ſum ignarus: ſcribam ergo ſolum latina, quia aliter facere non poſſum.*

Illuſtriſſimus Dominus Gubernator, Ampliſſimus Senatus, & incolæ Civitatis Gruningenſis unanimi ſententiâ Collegium Societatis Jeſu poſtularunt à ſua Majeſtate, præviis rationibus ſequentibus.

Nota Epiſc. Nylen. Neſcio, an omnes rationes ſint vera. Anaivi bene, concubinas vocari uxores: ſed quod adjungitur, nunquam audivi.

Magna eſt ditionis illius ac Friſiæ totius morum corruptela, & Ordinum omnium ſtatus deturbatiſſimus, ob hæreſes varias ac multiplices, quæ omnes partes illas labefactarunt, ac mirum in modum defœdarunt. Clerus eſt omnium pœne corruptiſſimus; ut vix inveniatur Sacerdos, qui non glorietur nomine matrimonii, ſoluſque ille fere concubinarius habetur, qui mentitæ ſuæ uxori alteram vel plures non adjungat; & illi filii illegitimi cenſentur, qui ex vago concubitu prognati ſunt.

Verum forſan eſt in agro: ſed reliquit Deus miniſtros fideles, qui pecuniam Domini ſui dant ad uſuram Evangelicam, tam ſcitè atque in Brabantia aut Gallia. Hoc jam verum eſt, quando noſtri dominantur Geuſii: ſed ante aliquot annos falſumerat. Hoc jam nuſquam fit. Neſcio, an ſit verum, an falſum.

Populus tantâ laborat ignorantiâ, etiam rerum ad ſalutem pertinentium, ut ferè abſque Religione vivat, neque eſt qui inſtruat vel inſtruere poſſit. Plurimæ familiæ cernuntur, in quibus nullus eſt baptizatus: & ſi forte quæratur à parentibus an ipſi ſint baptizati, reſpondent ſe ignorare: certò ſe ſcire, nullum ex liberis eſſe baptizatum.

Abuſus rerum divinarum eſt adeo communis, ut extra civitatem vix Miſſa ulla celebretur integra; ſolum more hæreticorum Miſſa catechumenorum celebratur: poſtea fit concio hæretica vel erroribus plena. Tunc abripiunt ſe ruſtici, & Paſtor exuit ſe & vadit domum. Ethæc quidem diebus feſtivis: nam reliquis diebus Eccleſia manet clauſa.

In pleriſque locis ubi adhuc celebratur, ſacrarum rerum tam parva habetur ratio, ut in altaribus deſtructis non habeant portatile; utuntur plerique cereviſia pro vino; Hoſtiam conſecratam & prophanam eodem habent loco; ac proinde concubinæ Venerabile Sacramentum ad Altare mane & veſpere reponunt; & innumeri neſciunt, quid ſit Sacrificium.

In ſumma, eſt incredibilis rerum divinarum prophanatio & ignorantia.

IV. Litteræ admiſſionis Collegii PP. Societatis Jeſu intra Urbem Groninganam *apud Batavos anno* 1590. *per Magiſtratum ibidem, aſſignatis in dotem duobus Monaſteriis jam deſcriptis.*

NOs Conſules & Senatores Civitatis Gruningenſis notum facimus & atteſtamur per præſentes, quod poſteaquam anno 1588. proximè elapſo, die 9. Maii, ad mandatum & inſtantiam Regiæ Majeſtatis Hiſpaniarum, Domini noſtri clementiſſimi pro noſtræ civitatis optimo emolumento & commoditate in præſentia præcipuorum civium ſpeciali juramento nobis adſtrictorum, nec non Præfectorum Ædilium, ſeu Tribunorum opificum hujus civitatis, unanimiter reſolverimus, de erigendo Collegio Societatis Jeſu in hac noſtra civitate, quo tenera juventus tantò ampliùs in antiqua Catholica & Romana Religione erudiretur.

Cum inſuper jam antea anno 1586, die 22. Mai, in ejuſdem rei eventum, nempe erigendum Seminarium, gratioſè ſe permiſſuram (quoad ſuam Authoritatem) promiſiſſet deſtructi Conventûs S. Auguſtini in (1) Appingedam annuos proventus: & Nos in emolumentum talis aut conſimilis certè divini operis, ab aliquot annis uſque huc annuos redditus (2) Conventûs Fratrum, per ſœcularem procuratorem fecerimus ſublevari, eorumque competentem acceptorum & expenſorum ſupputum exceperimus.

Hinc eſt, quod de prædictis bonis, tam Cœnobii S. Auguſtini, quam etiam Conventûs Fratrum ſupradictorum, nos abdicamus, eaque reſignamus & tranſportamus vigore præſentium (quoad in noſtra poteſtate eſt) prædictæ Societati, cum omnibus eorum agris, redditibus, domibus, ſimul cum omnibus proventibus, nullis exceptis, quemadmodum etiam debitis & gravaminibus, iiſdem incumbentibus, aut quolibet nomine appellatis.

Conſtituentes (quantum poſſumus) tenore præſentium R. D. Patrem Henricum Samerium, nomine & loco ſupra-dictæ Societatis, in eorumdem bonorum actualem vel realem poſſeſſionem. Attento tamen, quod bona ædibus pauperum Fratrum deſtinata & data, ſub hiſce non debeant comprehendi: verum permanebunt & impendentur in emolumento pauperum ſtudioſorum, ſecundum modum & formam prout donata reputantur & ordinata, ſine dolo malo præmiſſorum.

In quorum Teſtimonium, noſtræ Civitis ſignetum præſentibus appendi fecimus 28. Julii anno M. D. XC.

Auto-

Digitized by Google

Autographum Conceſſionis hujus erat vernaculum ſtyli Groningani; tranſlatum autem manu propriâ Reverendiſſimi Domini *Arnoldi à Nylen*, II. Groningenſium Epiſcopi deſcriptum, & hinc-inde correctum.

De admiſſione PP. Societatis Groningæ, nulla prorſus fit mentio in Hiſtoria Epiſcopatûs illius, datâ per Heuſſenium. Proinde Diploma hoc eò notabilius.

(1) APPINGEDAM, aliàs DAMMONA, vernaculè Damme, oppidulum ſine mœnibus in regione dictâ *Fivelingo*. Fuit ibi Conventus FF. Auguſtinianorum, de cujus ſuppreſſione agit præſens Diploma.

(2) CONVENTUS FRATRUM GRONINGÆ, qui vulgo Hieronymitæ ſeu Vitæ communis dicebantur. His incumbebat cura Literas humaniores docendi

(3) HENRICUS SAMERIUS, Luxemburgenſis erat, S. J. Theologus, ſcriptis ac pietate clarus, cujus mentio apud Valerium Andream in Bibliotheca Belgica.

CAPUT CXXXVIII.

Acta Prioriſſæ ac Monialium de Wytwert, *Ordinis S. Joannis Jeroſolymitani, vulgò* Melitenſis, *in Diœceſi* Groningana, *quâ petunt circa ann.* 1598. *ab Illuſtriſſimo Domino* OCTAVIO *Epiſcopo Tricaricenſi Nuncio Apoſtolico Coloniæ, ſibi confirmari novum Præpoſitum, ſeu Confeſſarium &c.*

AD Reverendiſſimum Dominum Epiſcopum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Nuntium cum poteſtate Legati de Latere, & ſuum clementiſſimum Dominum.

Supplicando exponunt humiles & devotæ Prioriſſa, Seniores, cæteræque Sorores Sanctimoniales ſacræ Domus Hoſpitalis in Wytwert, Ordinis S. Joannis Baptiſtæ Jeroſolymitani, Groningenſis Diœceſis, vocem & locum in Capitulo ad electionem novi Commendatoris, quoties vacaverit, ex antiquo jure & primœva fundatione habentes, quomodo per mortem ſui Præpoſiti ſeu Commendatoris, Rectore carentes, de idoneo eidem defuncto ſucceſſore ſollicitæ fuere. Quæ bonorum & Catholicorum virorum conſilio & auxilio, tandem Venerabilem Patrem Fratrem Joannem ab Ooſterwyck, ad multos annos Priorem & Rectorem Conventus Dominicanorum in Groninga, antequam ea ab hoſtibus & hæreticis ſuperaretur, exiſtentem Virum moribus, Fide, Religione Catholicæ Romanæ Eccleſiæ conſpicuum & probatum, rurſus in ſuum Rectorem poſtularunt & nominarunt. Et licet Rectores Civitatis & vicinæ Provinciæ, in qua Supplicum Conventus ſeu Domus Hoſpitalis ſita eſt, electum & confirmatum in Commendatorem Fratrem, ad regimen Conventus admiſêre, adminiſtrationem diuturnam præfatus Frater uſurpare non debet, cum ſtabilimenta Ordinis S. Joannis talem ſuſcipere nequeunt ad Ordinem, niſi prius deſuper à Sede Apoſtolica Diplomate obtento. Id ſi non aſſequerentur, peſſum-iturus eſt præfatus Conventus ſeu Domus Hoſpitalis, cum in manu hæreticorum ſit (niſi Ordinem & Crucem ſuſcipiat electus Pater ac Frater) intrudere alium, non ſyncerè de Religione Romana ſentientem, contra fas & nefas, cum ingenti animarum bonorumque temporalium periculo.

Supplicant itaque V. Rever. Clementiam prænominatæ Prioriſſa cæteræque Conventuales, quatenus V. R. Clementiæ, huic ſuæ poſtulationi aſſentire, ac per diſpenſationem Apoſtolicam, eumdem Patrem ac Fratrem in Commendatorem electum admittere, nec non ſuo Poſtulato Diploma Apoſtolicum, à priore voto & habitu abſolutionis, ſuique Ordinis, ac votum & habitum Ordinis S. Joannis Baptiſtæ Jeroſolymitani obtinendi conſenſum clementer indulgere dignetur. Idque ad honorem Dei Chriſtique Matris & Supplicum animarum ſalutem; præſertim cum non modo nullus ex Ordine Supplicum ſuperſit, verum etiam nullum alterius magis idoneum hoc tempore invenire vel habere poterunt.

Quod faciendo, &c.

* Excerptum ex Literis originalibus Epiſcopatûs Groningenſis, quæ ſunt in Archivio Archiepiſcopali Mechliniæ.

Acta hæc eo magis ſingularis eſt, quod nullum aliud noſcatur Monaſterium Monialium Ord. Melitenſis fuiſſe in Belgio.

Item de illo Monaſterio vix quidquam habet Heuſſenius in ſua Groningenſis Epiſcopatus Hiſtoria.

CAPUT CXXXIX.

Statutum pro Collegio Wintoniensi de Academia apud Oxonias.

Statute for the College of Winchester founded in the University of Oxford.

[1 Edw. VI. c. 14.]

Repealed by 1 Edw. VI. c. 14.

gliſe & ſon enclos.

Les quels Emoluments leurs eſtans oſtéz, il leur ſera plus facile quitter la Ville & l'abandonner de tout, que ſe tenir où les dits de Munſter reſident à preſent, ſans avoir de quoy ſe nourrir.

Et ne doit ici être obmis, que n'eſtans en la dite Ville que deux Ordres Mendians, ſçavoir les dits Cordeliers & les Freres de l'Ordre des Monſieur St. Dominique; ſemble auſſi, qu'il y auroit peu d'aſſiſtance pour ung nouveau Eſvêque, ſe trouver ainſi deſnué des perſonnes Religieuſes & fruſtré du dit Ordre des Freres Cordeliers.

Partant le dit Preſident ſeroit d'avis de laiſſer les Cordeliers ainſſi qu'ils ſont, & eriger & batir une autre Egliſe, peu à peu, en tel lieu qui ſera trouvé le plus convenable, emploiant à ce les moiens dont ſera parlé ci-après.

CONCEPT II.

Pour l'entretien de l'Eveque on a propoſé pluſieurs Expediens; une fois les revenus de l'Abbaye de Munſter, l'autrefois les biens de l'Abbaye d'Orval, & pour le troiſiéme la Fondation de l'Abbaye d'Echternach. En quoy on a rencontré grandes difficultés; & partant par après les volu ſuprimer & incorporer toutes trois pour eſtablir ung Eſvechè

Ce Concept at communion grande avec le troiſiéme enſuivant, pour trouver la Fondation des Prebendes & Canonicats neceſſaires, avec les Chapelainies ou Vicairies & autres Offices requis en une Egliſe. De quoy ſera à tant bon de parler joinctement.

CONCEPT III.

Le troiſieme Concept à tant at eſté, que pour fonder les Prebendes Chappellainies & Officiers de l'Egliſe, ſeroit bon d incorporer les dites Abbayes & faire des Religieux Chanoines, ou bien les renvoyer aux aultres Abbayes On a auſſi voulu transferer les Chanoines d'Ivoix (qui ſont de la Collation d'ung Comte de Chiny) en la Ville de Luxembourg.

Ces deux Concepts contiennent en effect l'eſſence ou exiſtence entiere de l'Eſveché: car ſans portions competentes pour l'Eveque, Chanoiſnes Chappelains & autres Officiers, on ne peult attendre aulcun effet.

Or quant eſt des revenus de l'Abbaye de Munſter, on les a voulu eſtimer à ſept mille dalders par an, à trente patars piece. Ce que preſuppoſant, ceſte Portion ne ſuffit pour le ſeul Eveque, eſtant le Pays de Luxembourg de grande étenduë, contenant quattre-vingt lieues d'Allemaigne en circuit, pauvre, deſert, & tel que s'il y a aulcunes Cures riches, on rencontrera le plus grand nombre tant pauvres, qu'elles ne peuvent donner à manger aux Curez.

De ſorte que l'Eveque ne y peult attendre grand ſecours, en faiſant, ou faiſant faire les Viſites comme ſera de tout neceſſaire. Et doibt faire ſon compte, qu'elles ſeront à ſes propres fraix & depens.

Et partant ſi la Dote & portion de l'Eveque n'eſt pour le moins de quinze mille florins, il ne poura ſubſiſter. Et ne ſçait le dict Preſident ſi allans les vivres s'encheriſſans, comme il a experimenté l'eſpace de dix-neuf ans qu'il eſt au Pays de Luxembourg, s'il poura ſubſiſter avec les revenus de vingt mille florins par an.

Les quelles ne ſe peuvent recouvrir ſur une ſeule des dites Abbayes, qui s'entretiennent avec la menagerie. Et fauldra neceſſairement toucher à deux, pour trouver la dicte Portion pour la table Epiſcopale.

Ce qu'étant fait, le ſurplus & ce que reſtera ne ſera ſuffiſant pour trouver les Competences des Chanoines, Chappelains & autres Officiers.

Mais ſera queſtion de toucher à la troiſieme Abbaye. Ce que ſera aultant à deplorer & lamentable, comme il a été aggreable de veoir eriger les dittes Abbayes.

Eſtant l'Abbaye d'Echternach de Fondation très ancienne du tems du Roy Pepin & Charles Martel, & eſté une des plus eſpurées en la Gaule Belgique.

Munſter eſt de la Fondation de Conrard deuxieſme Comte de Luxembourg, mort au voyage de Jeruſalem.

Orval at auſſi ſes antiquitez telles, que les plus renommées Hiſtoires ſe referent ordinairement à leurs Legendes & Antiquités.

Ces trois Abbayes ſont à preſent bien reglées, & ſe vont augmentans tous les jours, tant en nombre des Religieux, qui ſe reforment de plus en plus au ſpirituel, par le bon ordre qu'on y tient.

Ce que n'at eſté du tems qu'on avoit conçeu l'Incorporation d'icelles, au quel le nombre des Religieux eſtoit petit, & entrevenoient conſiderations qui ceſſent à preſent. Voires au dict Munſter n'eſtoient reſtants Abbé ny Religieux de la ditte Maiſon: & l'Abbé qu'on y avoit envoyé pour retablir la Maiſon, eſtoit du Couvent de Stavelot, ſurnommé Liſius, le quel on deſtinoit lors pour premier Eveſque, puiſqu'il n'avoit aulcuns Religieux du commencbement. Et le premier aiant accepté l'Habit dudict Cloiſtre eſtoit Frere Johan Bertels natif & eſtudiant à Louvain, ſucceſſeur en la dignité Abbatiale au dict Liſius, & par après Abbé d'Echternach, eſtant trepaſſé l'an 1607. Primus Epiſcop. deſtinatus.

De ſorte que ce ſeroit choſe dure d'inſiſter en laditte premiere Reſolution.

A quoi adjoutant que les dittes Incorporations faictes, l'Eveſque & Dioceſain n'auroit en ſon Dioceſe ung ſeul Prelat d'Egliſe oultre ſa perſonne; ſemble que neceſſairement on doit penſer à aultres moyens pour trouver la Fondation de l'Eveſché, & ce qu'en dépend, laiſſant les anciennes Fondations des Roys & Princes en leur eſtre, & retranchant telle Portion qu'on poura en bonne raiſon juger ſuperflue, ſi aulcune choſe ſuperabondante ſe treuve.

Car les Chanoines d'Ivoix ne ſont qu'en nombre de treize, y comprins le Doyen.

Et à peine ſe peuvent ils entretenir à Ivoix ayans les revenus à la main, & plus difficilement le pouront-ils faire étant transferez à Lu-

Digitized by Google

xembourg, tant pour ce qu'ils ſeront eſloignez de leurs biens que d'aultant qu'il faict beaucoup plus difficile de vivre à Luxembourg qu'au dit Ivoix.

MOIENS, DONT ON POUVOIT uſer, pour veoir s'on recouvrira revenus & biens neceſſaires à fonder l'Eveſché.

POur le premier, ſera bon de faire ung eſtat de tous les revenus des gens d'Egliſe, afin de ſçavoir s'il y a College ou Benefice particulier duquel ou pourra retrancher quelque choſe, laiſſant toutes-fois la Fondation principale.

I I.

Pour le ſecond, ſera auſſi requis, d'en faiſant le dict eſtat, d'annoter toutes les Fondations des Ducqs de Luxembourg & Comtes de Chiny, pour veoir s'elles ſont obſervées, ſi le ſervice ſe fait, & s'il ne ſera plus commode de les rapporter & transferer à l'amas & gros de ceſte Egliſe Cathedrale, que les laiſſer es lieux particuliers, eſquels la devotion n'eſt telle comme ſera apparement en cette nouvelle Egliſe Cathedrale; moyennant qu'on y tient le regime, ainſi qu'on fait és autres nouveaux Evechez.

Et comme ſans doute on trouvera de quoy retrancher (ſignamment de ces riches Cures, aulcunes des quelles viennent à 1500. florins Carolus par an, & aulcunes d'avantage, & auſſi bonnes Chapelles de la Fondation des Princes qui pourront être transferés) ſi ſera il reciproquement trouvé, que tout ceci eſt ſuffiſant à l'effet deſtiné.

I I I.

Par tant on poura pour le troiſiéme avoir recours aux Seigneuries qui ne ſont des anciens Domaines de leurs Altezes, mais y eſté annexez par Droit de Confiſcation, & peuvent auſſi eſtre diſmembrez derechief des dits Domaines & donnez pour Fondation de la ditte Cathedrale. Et telles Seigneuries ſont celles de Florange & Florenville, & aultres ſemblables.

En quoy ne doit ſous correction eſtre rencontré tant de difficulté comme aulcuns remontreront ſans doute. Car puis que leurs Altezes ſeront autheurs d'un œuvre tant pieux & ceulx qui feront accomplir les pieuſes Intentions de feue ſa Majeſté, cui Dieu ayt en gloire; Elles n'y peuvent moings que contribuer de ce qu'eſt de leur.... Et à tant vault il mieux ce que at eſté acqui & annexé aux Domaines d'ailleurs par Droict extraordinaire, comme eſt le Droict de Confiſcation, que ce qu'eſt de l'ancien Patrimoine.

I V.

Pour le quatriéme, ſon Alteze poura auſſi demander quelque aſſiſtance des Eſtats du Pays.

V.

Et eſtant par l'eſtat à faire des biens & Fondations des riches Chapelles & autres Benefices requerir les Collateurs (ſes Vaſſaulx) de conſentir à la diſmembration & tranſlation à la maſſe de ceſte Egliſe Cathedrale, leur laiſſant quelque droict de Collation, ſelon qu'on poura tomber d'accord, puis que tout tend au plus grand Service de Dieu & ſplendeur de l'eſtat du Pays de Luxembourg.

CAPUT CXL.

Fundatio Collegii Sti. Norberti in Urbe Romana, facta anno 1627. à Viro Clariſſimo JOANNE HONORIO AB AXEL DE SENY, *Nobili Ultrajectino, ad uſum præſertim Canonicorum Præmonſtratenſium Abbatiæ Tungerloenſis in Brabantia.*

SAcer & Religioſus Ordo Præmonſtratenſis, Canonicorum Regularium ſub Regula Sti. Auguſtini, Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectus, a glorioſæ memoriæ Sancto Norberto Archiepiſcopo Magdeburgenſi & Germaniæ Primate, anno Domini milleſimo centeſimo vigeſimo inſtitutus eſt, ad docendum populum, habendum Curam animarum, regimen Parochialium Eccleſiarum, & hæreſium extirpationes.

Reverendiſſimi Domini Abbates Brabantiæ Monaſteriis dicti Ordinis præſidentes, in hiſce calamitoſis & perditis temporibus circa Doctrinam & inſtructionem populi in Fide Catholica maximam adhibuerunt & adhibent diligentiam in Ducatu Brabantiæ finitimiſque Provinciis.

Nullum autem habent Romæ Monaſterium aut Collegium, in quo aliqui Reverendi Canonici relideant, pro faciliori ad Summum Pontificem, Sanctamque Sedem Apoſtolicam recurſu in occurrentibus difficultatibus, quas temporum malignitas ſubminiſtrat. Ideo Ego Joannes Honorius Van Axel de Seny, Ultrajectenſis, deliberatus, ſanus mente & corpore, pro conſtructione & ædificatione Collegii ſub invocatione Sti. Norberti, in loco à Sanctiſſimo Domino noſtro deputando, do inter vivos Donatione irrevocabili, & aſſigno quatuor millia ſcutorum monetæ, depoſita in Banco Sti. Spiritûs. Quæ, ſi conſtructio hujuſmodi procraſtinetur, inveſtiri volo in locis Montium non vacabilibus, ſub meo nomine & cognomine, ac pro dote Collegii centum loca Montium, quorum

Cata-

Catalogum Notario, Litteras vero ſive Patentes admodum Reverendo Patri Præſidi infraſcripto, actualiter trado, ac mobilia à me empta, pro inſtructione domûs à me conductæ, quam de præſenti Reverendi Canonici Præmonſtratenſes ex adverſo Collegii Græcorum Romæ inhabitant, quorum nomina in præſenti Inſtrumento exprimenda duxi.

Admodum Reverendus Pater D. Coſmas Dillenus, S. T. Licentiatus, Presbyter & Canonicus Tongerloenſis, Collegii Præſes,

Admodum Reverendus Pater D. Cornelius Hanegravius, Presbyter & Canonicus Tongerloenſis, Collegii Proviſor, & Circariæ Brabantiæ Procurator.

Reverendi Domini, Bartholomæus Pluckers, Canonicus Tongerloenſis, Subdiaconus Buſcoducenſis Diœceſis.

D. Adrianus Wellens, Canonicus Averbodienſis, Subdiaconus Leodienſis Diœceſis.

D. Lucas Maes, Canonicus Ninovienſis, Diaconus Mechlinienſis Diœceſis;

Reſervato mihi meiſque liberis ſucceſſoribus & conſanguineis laicali Jure Patronatûs, juxta Sacros Canones, ſepultura & Miſſa annua pro vivo & defuncto. Ad quorum comprobationem in locis convenientibus præfigentur marmorea Gentilitia inſignia Domûs Axeliæ meis expenſis, ac in caſu infraſcripto integro ac pleno Dominio, & cæteris Pactis & Conditionibus ſubſequentibus, & non aliter &c.

I. Ut Collegium intituletur ſub invocatione Sti. Norberti, in quo ſacer Ordo Præmonſtratenſis Canonicorum Regularium perpetuò ſervetur, ac ſemper ac omni tempore incorporatum maneat Circariæ Brabantiæ.

II. Collegii Præſes ſit Canonicus Regularis prædictæ Circariæ, communi Reverendiſſimorum Dominorum Abbatum ſuffragio ex quavis dictæ Circariæ Abbatia deſignandus, ad nutum præfatorum, omni tempore liberè amovibilis.

III. Deputatio novi Præſidis fiat in ſcriptis quæ mihi, meiſque filiis, deſcendentibus aut conſanguineis erit inſinuanda, quatenus fuerint Romæ præſentes.

IV. Et ne communio aliqua præbeat negligentiæ occaſionem, volo & ordino quod prædicti Collegii Proviſores & Superintendentes perpetuò ſint Reverendiſſimus D. Adrianus modernus Abbas & Succeſſores Abbates Tongerloenſes, & ad eos pertineat Collegii ordinaria directio & adminiſtratio. Sed ſuprema poteſtas ſit & pertineat conjunctim penes Reverendiſſimos D. Abbates Præmonſtratenſes Circariæ Brabantiæ.

V. Quod ſi contingat loca Montium pro dote aſſignata vel aliqua ex eis extrahi, volo & ordino, ut ſumma capitalis reinveſtiatur ſub meo nomine & cognomine, in alia loca Montium non vacabilia, perpetuò ac toties quoties ejuſmodi extractio fiet, vel in aliorum, prout utilitas Collegii exiget, emptionem bonorum immobilium.

VI. Item reſervo mihi meiſque filiis deſcendentibus conſanguineis, ac in eorum defectum ſive negligentiam, Sereniſſimo Duci Brabantiæ, plenum & integrum dominium pecuniarum & bonorum immobilium, aut domorum ex eis emendarum ſive conſtruendarum, dotis datæ ac mobilium, in caſum (quem Deus avertat) me vivo aut vita defuncto dictum Collegium quocumque modo extingui contingeret, vel in alios quoſcumque vel quorumcumque uſus transferri. Protector Dux Brabantiæ.

VII. Ac volo & ordino, ut omnes pecuniæ huic Fundationi qualitercumque impenſæ dentur & conſignentur Reverendiſſimis Dominis Abbatibus Circariæ Brabantiæ; quos in omnibus iſtis meos Hæredes, Legatarios & Donatarios omni meliori modo nomino & conſtituo, dans illis facultatem apprehendendi propriâ authoritate; cum onere & obligatione, ut omnes pecunias in ſimilem Fundationem impendant.

VIII. Et ſi contingat RR. DD. Abbates ſæpedictæ Circariæ per quamcumque poteſtatem impediri quo minus dictas pecunias conſequi poſſint, totum jus totaque actio, Inſtitutio, Legatum, & Donatio prædicta, ſub dicta obligatione & onere devolvantur ad meos deſcendentes, conſanguineos. Et ſi nulli ſuperſint, aut non poſſint, vel non velint jura ſua proſequi, omnis ſupradicta actio, Inſtitutio, Legatum, Donatio & omne jus, omninò devolvantur ad Sereniſſimum legitimum & Catholicum Dominum Ducem Brabantiæ, cum eadem obligatione & onere applicandi omnes pecunias in ſimilem Fundationem.

IX. Et ad tollendas inter illuſtres & antiquas Familias de Axel paternam, & de Schenck maternam de Jure Patronatus Collegii lites & contentiones, eo caſu quo Deus ſine liberis & deſcendentibus me ex hac vita evocaverit, ut cæteri conſanguinei hoc exemplo bene mereri de Sede Apoſtolica Chriſtiana omni conatu elaborent, admodum Reverendum JOANNEM ALEXANDRUM DE AXEL, germanum Fratrem meum, titulo Patrimonii Sacerdotem, qui à triginta annis circiter, populum in Hollandia in Fide Catholica erudivit, eique Sacramenta hiſce temporibus turbulentis adminiſtravit, in Jus Patronatûs ſuccedere ordino & volo.

Et poſt ejus obitum duas infraſcriptas familias mihi conſanguinitate ex Linea paterna perantiquas & illuſtres Familias à Lidekercke & à Graecht conjunctas, quas vidi & cognovi Sedi Apoſtolicæ & Chriſtanæ Reipublicæ devotas & fideles, pro aliquali remuneratione præ cæteris omnibus etiam mihi in

gradu proximioribus, duxi in Jure Patronatus hujuſmodi nominandas: nempè perilluſtrem & generoſum Dominum Alexandrum à Robles Comitem Anappiæ.

Encomium Familiæ de Robles.

Admodum Reverendum & Illuſtrem Dominum Franciſcum Joannem à Robles Canonicum Cameracenſem in Urbe præſentem, cæteroſque dicti Comitis Alexandri germanos fratres, Filios bonæ memoriæ D. Joannis à Robles & Mariæ à Liedekercke meæ conſanguineæ. Et eis vitâ functis, D. Comitis Alexandri filios legitimos & naturales maſculos, ac omnes ex linea maſculina deſcendentes in infinitum, quorum bonæ memoriæ D. Gaſpar à Robles eorum Avus, manu ſtrenuus & juſtitia inſignis, præſertim Provinciam Friſiam prudenter gubernavit & contra hæreticos defendit.

D. Joannes eorum Pater, bonæ memoriæ, Flandriam Gallicantem, dum ejus gubernacula tenuit, in ſumma quiete & pace continuit, ac in ea cultum Religionis Catholicæ amplificavit. Ipſe quoque D. Alexander, ut diverſa vulnera teſtantur in pluribus præliis adverſus hæreticos ſtrenuè & magnanimiter ſe geſſit.

Encomium Familiæ Baſta.

Ac in defectum Lineæ maſculinæ Domini Alexandri Comitis Anappiç, volo & ordino, ut Jus Patronatus devolvatur ad Illuſtrem & generoſum D. Ferdinandum Baſta Comitem de Huſt, filium, bonæ memoriæ, D. Georgii Baſta & Dominæ Joannæ à Liedekercke meæ conſanguineæ, maritum Illuſtris & nobiliſſimæ Matronæ D. Franciſcæ à Gracht conſanguineæ meæ perdilectæ, eorumque filios & deſcendentes maſculos tantum. Quorum bonæ memoriæ perilluſtris & generoſus D. Georgius Baſta ejus Pater generalem militum Præfecturam ſibi à Republica Veneta contra ſanctæ memoriæ Paulum Papam quintum ac Sanctam Sedem Apoſtolicam delatam, conſtanter refutavit. Ac utriuſque electæ Familiæ maſculis deficientibus, Jus Patronatus devolvatur liberè & & indiſtinctè ad Sereniſſimum, pro tempore, & Catholicum D Ducem Brabantiæ.

Ut autem prædictæ duæ Familiæ ſtudioſius invigilent conſervationi & defenſioni hujus meæ Fundationis, volo & ordino, ut viri & mulieres ex eis deſcendentes in annis Jubilæi, ſi contingat eos vel eas tunc cauſa devotionis Romam accedere, ibi, ſi Collegii commoditas patiatur, ac juxta diſcretionem admodum Reverendi Præſidis eorum temporibus, abſque Collegii gravamine, hoſpitio excipiantur.

Quæ omnia & ſingula, ut faciliorem ſortiantur effectum, peto & ordino, ut hujus meæ Fundationis confirmatio ſumptibus Collegii petatur à Sanctiſſimo Domino noſtro Urbano Papa octavo, ac Sancta Sede Apoſtolica. Ac ut publicum Inſtrumentum in Archiviis Ducatûs Brabantiæ de verbo ad verbum regiſtretur; ac quâ decet ſubmiſſione ſupplico Domino Duci, ut hujus meæ Fundationis protectionem & executionem, amore Dei & zelo Religionis Catholicæ, dignetur in ſe ſuſcipere & tueri.

In quorum fidem ſubſcripſi, ac Sigillo meo corroboravi, præſentibus ſubſcriptis Teſtibus à me rogatis; ac per præſentes do plenam, liberam ac omnimodam poteſtatem ac facultatem cuicumque Notario, ut de præmiſſis extendat publicum in ampliſſima Cameræ Apoſtolicæ forma Inſtrumentum, cum clauſulis ſolitis & conſuetis ac etiam ampliſſimis ad præſentem meam Fundationem firmandam opportunis, & aliàs omni meliori modo; ac illud juxta Sanctiones legitimas & Canonicas vel Statuta Urbis, ubi & quando opus fuerit inſinuet, & in Actis Judicum & Tribunalium competentium regiſtrari faciat. Romæ vigeſimâ ſeptimâ Februarii, anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo.

Signatum erat.

Joannes Honorius van Axel de Seny, manu propria.

Franco Cuyckius, manu propria, Ultrajectenſis.

Jacobus de Huter, Ultrajectenſis manu propria.

Arnoldus Verheyden Noviomago-Gelderenſis, manu propria.

Henricus Bloemart, Ultrajectenſis, manu propria.

Joannes Paulus Morelſe, Ultrajectenſis, manu propria.

Thomas Knyf, Ultrajectenſis, manu propria.

Edmundus Omalius, Leodienſis, manu propria.

CAPUT CXLI.

Renovatio antiqui Fœderis, amicitiæ & Societatis, inter Capitulum Metropolitanæ Eccleſiæ S. Jacobi de Compoſtella apud Hiſpanos, & Capitulum antiquæ Cathedralis Morinenſis : facta per Capitula Eccleſiarum Morino-Bolonienſis in Gallia, atque Iprenſis in Flandria, anno 1627 & 1628.

Ex Archivis Capituli Bolonienſis per R. D. Luto.

ADmodum Reverendis DD. Vicario, Decano, & Capitulo inſignis Eccleſiæ B. Jacobi de Compoſtellâ in Galeciâ, Decanus & Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Bolonienſis ſalutem & ſinceram in Domino dilectionem.

Quam arcta, tam etiam antiqua Societas inter Venerabile veſtrum præclaræ Beati Jacobi de Compoſtellâ Eccleſiæ Capitulum, noſtrumque priſcæ Morinenſis, vetuſtate imprimis ſicut & amplitudine conſpicuæ, ſtabilita eſt. Antiquitatem de ejus renovatione in feſtivitate Beati Marci Evangeliſtæ anno ſalutis M.C.C.C.XXXIX. à Venerabili Capitulo veſtro ad noſtrum Morinenſe præfatum Litteræ ſcriptæ, atque in Archivis aſſervatæ comprobant: eoque evidentius quod illius initii nullam extare memoriam Majores veſtri cauſabantur.

Firmitatem ejuſdem inconcuſſam binæ aliæ & conſimiles Litteræ, unæ patentes, clauſæ alteræ, die ultimâ Octobris anni M.C.C.C.C. LIX. ab iiſdem veſtris Prædeceſſoribus ad noſtros tranſmiſſæ teſtantur. Certè quoad ſtetit Morinum, eo ſingulari Dei & Eccleſiæ veſtræ beneficio majores noſtri gaviſi ſunt.

Sed quoniam eo oppido diruto, ſoloque, invictiſſimis Principibus Carolo V. Imperatore & Henrico II. Rege Gallorum, adæquato, extinctâ etiam Sede Epiſcopali, Eccleſia Morinenſis ita diviſa eſt, ut per Pacta inter prædictos Reges conventa, pars una Capituli cum dimidio bonorum tam Menſæ Epiſcopalis quam Capitularis in Flandriam cæterumque Rege Catholici dominium tranſlata, partim Ipris, partim Audomari reſederit, præfectoſque ſibi in utroque oppido Epiſcopos, ſingulos ſuper medietate Menſæ Epiſcopalis Morinenſis creatos noviterque electos à Sanctâ Sede Apoſtolicâ recepérit, alterâ in Chriſtianiſſimi Regis ditione cum ſuâ legitimâ remanente, unicoque ſuper reſiduo Menſæ Epiſcopalis Morinenſis creato Epiſcopo, Bolonia noſtra, aſſignatâ Sede antiquiſſimâ Beatæ Virginis Deiparæ Eccleſia ubique terrarum celeberrima, tum propter adventitiam Angelorum hominumque Reginæ Imaginem olim navigiolo in portum noſtrum, Angelis comitibus gubernatoribuſque, ante mille annos advectam, tum propter innumera miracula ab antiquis iis temporibus ad præſens uſque ope & operâ præfatæ Virginis Bolonienſis nuncupatæ, in eadem divinitus patrata, Cathedralis eſſe cœperit, extinctæque Morinenſi (Confraternitate inter Capitulum noſtrum Bolonienſe ac Iprenſe, quod potiorem tranſlatorum Morinorum in Flandriam Canonicorum partem recepit, ſalvâ ac inviolabili permanente) ſucceſſerit.

Decus Cathedr. Eccleſiæ Bolonienſis.

Semper ex eo tempore viſum eſt operæ pretium Majoribus noſtris antiquam illam & ſinceram Confraternitatem cum Capitulo veſtro renovare, & in eodem fœdere Confratres noſtros complecti, ut quæ bonorum Sediſque diviſionem paſſa eſt antiqua Morinenſis Eccleſia, hoc jugi firmiſſimo Societatis nexu, triplicique charitatis funiculo una individuaque in ævum perſeveraret.

Sicuti illud Majorum votum ſucceſſivâ traditione traductum eſt ad nos, in omni tempore & ſine intermiſſione in Feſtis & diebus ſolemnibus & aliis quibus oportet, memores veſtri in Sacrificiis quæ offerimus, & in obſervationibus, ſicut fas eſt & decet meminiſſe Fratrum.

Quapropter R. D. Franciſcum de Mamez Eccleſiæ Morinenſis Ipras tranſlatæ Canonicum, eoque titulo Confratrem noſtrum, Compoſtellam ad limina B. Jacobi profectionem meditantem, præſentes Litteras Capituli noſtri Sigillo majori munitas, per eum ad vos tranſmiſimus, quibus RR. PP. veſtras obnixè rogatas cupimus &c. noſque Confratres veſtros ad inſtar Majorum noſtrorum recipiatis &c. Datum Boloniæ Idibus Octobris M.D.C.XXVII.

Litteræ Reſponſoriæ Metropol. Capituli Compoſtellani.

PEr-illuſtribus ac Reverendis DD. Decano & Capitulo Eccleſiæ Cathedralis Morinenſis tranſlatæ ad Bolonienſem Eccleſiam pro parte Chriſtianiſſimi Regis, Decanus & Capitulum Eccleſiæ Apoſtolicæ Metropolitanæ S. Jacobi apud Compoſtellam, S.P.D.

Licet dirutæ ac penitus extinctæ Morinenſis Eccleſiæ recordatio non vulgatum in dies dolorem vobis peperit, cogitantes tamen non tam extinctam quam in melius tranſlatam, quæ felici tranſmigratione ad inſignem Bolonienſem tranſivit, gaviſi ſumus

Digitized by Google

[illegible] [illegible] [illegible] [

y fonder ung Couvent de leur Ordre, de tel nombre de Religieux, que la quantité du revenu pourra permettre (de ſorte toutesfois que chacun d'eux ayt à l'advenant cent ſlorins par teſte) & d'y faire exercer leurs fonctions ordinaires, à la plus grande gloire de Dieu, & pour le ſalut & commodité, tant des habitans dudit Peruwez, que des lieux circonvoiſins, & nous tenir à tousjours pour leurs Inſtituteurs & ſeconds Fondateurs audit Peruwez, & nos predeceſſeurs Seigneurs dudit lieu pour leurs premiers Fondateurs. Pour leſquels ils ſeront tenus de prier, auſſi pour noſtre proſperité, & après noſtre decés pour le ſalut de nos ames, & de nos Succeſſeurs.

Et d'aultant qu'audit Hoſpital ſont preſentement aucunes pauvres perſonnes, par nous y miſes pour eſtre nourries & entretenues du bien & revenu d'icelluy Hoſpital, voulons & entendons, qu'iceulx Peres Brigittains ſeront tenuz & obligez, de les nourrir & entretenir leur vie durant, ſelon qu'ils ont accoutumez, ou bien traicter en ce regard avecq eulx à leur appaiſement.

Et lorſque tous ſeront allez de vie à trepas, leſdits Peres Brigittains du Couvent de Peruwez ſeront obligez de payer & furnir annuellement aux pauvres dudit Peruwez la ſomme de 25. ſlorins de rente heritiere, en ſouvenance & recognoiſſance de la commutation d'icelluy Hoſpital en Couvent.

A charge auſſi, que leſdits Religieux fondez au dit Peruwez, ainſi qu'eſt predit, ſeront tenus & obligez de chanter tous les ans, au jour de leur Inſtitution audit Couvent, une Meſſe ſolemnelle, & à l'Offertoire d'icelle preſenter à Nous Fondateurs & nos Succeſſeurs, & en noſtre abſence à l'Officier à ce par Nous commis, ung cierge de cire blanche peſant une livre & demie, en perpetuelle recognoiſſance, à la proſperité de ce noſtre Bienfait, & teſmoignaige de l'affection que nous portons à leur Ordre.

Voulans de plus, qu'arrivant quelque changement de Prieur ou Superieur audit Couvent, il ſera obligé avant d'entrer en charge, de ſe repreſenter à Nous & nos Succeſſeurs, lorſque ne ſerons hors du Pays de Haynaut, autrement ſe repreſentera a l'Officier à ce commis, avec lettres addreſſantes à Nous leurs Fondateurs, & nos Succeſſeurs.

Parmi quoy, & l'accompliſſement de toutes les charges & conditions ſuſdites, Nous leſdits Comte & Comteſſe d'Egmont promettons avoir & tenir, & faire tenir par nos Succeſſeurs, à tousjours ferme & ſtable tout ce que deſſus, ſans jamais y contrevenir, ou permettre y eſtre contrevenu.

En temoignage de quoy, avons aux dits Peres Brigitains donné ces preſentes depeſchez en noſtre Chaſteau de la Hamayde ſoubs nos noms & le grand Scel de noſtre Maiſon contreſeellé, le deuxiéme du mois d'Octobre, an ſeize-cent-vingt & huit.

Etoit ſigné : Louis d'Egmont. M.M. Comtesse de Berlaymont.

Fr HIEROSME, Religieux Prêtre de l'Ordre de St. Sauveur, dit de Ste. Brigitte, Prieur du Couvent de N. D. de ſainte Eſperance, du dit Ordre, en la ville d'Armentieres, ſoubſigné ſçavoir fays, qu'en remerciant très humblement leurs Excellences Monſeigneur & Dame Comteſſe d'Egmont de leur grace, bienfait & affection envers noſtre Ordre, ay accepté, & par ces preſentes accepte au nom de noſtre Ordre la ceſſion, donation, & tranſport qu'il leur a pleu faire en faveur dudit Ordre de S. Brigitte & l'Hopital de Peruwez, aux charges & conditions portées en l'Act de Donation cy-deſſus, leſquelles je promets, au nom que deſſus, faire entretenir & accomplir, ſans que jamais y ſoit contrevenu en façon quelconque.

En temoignage de quoy, ay ſigné ceſté de ma main en preſence des Hommes de Fiefs du Comté de Haynaut &c. le 2. d'Octobre M. D. C. XXVIII. Fr. Hieroſme, humble Prieur du Couvent de N. D. de Sainte Eſperance en la ville d'Armentieres, de l'Ordre de S. Sauveur dit S. Brigitte, ſous la derniere Inſtitution.

De Monaſteriis Brigittinis in Belgio, ſignanter de Monialibus Bruxellenſibus & Inſulenſibus, vide ſupra pag. 149 & ſequentibus.

Item Tomo III. horum Diplomatum pag. 457. lege Catalogum omnium Monaſteriorum Ordinis S. Brigittæ quæ ſunt in Belgio.

Stemma Egmondanorum Comitum habes ſupra Tomo I. pag. 465. Cui adde : tranſlatam fuiſſe diebus noſtris Familiam Egmondanam ad Domum Pignatelli, ſeu Ducum Biſaciæ in Regno Neapolitano : de qua *Procopius Maria* Comes Egmondæ &c. obiit Neapoli 22. Maii 1743. ætatis A. 40. relicto filio herede.

Peruwez. Plura ſunt hujus nominis in Belgio Municipia ; unum in Gallo-Brabantia, Baronatûs titulo illuſtre, & ad Familiam Arembergicam pertinens ; uti & Peruëtum Duffelenſe prope Mechliniam ad Familiam Merodiam. Alterum in Hannonia, inter Condatum & Valencenas, ſimili Baronatûs titulo gaudens, quod eſt Familiæ Egmondanæ : de quo hoc Diplomate. Fuit & olim illuſtris Familia Peruëtani nominis in Belgio.

CAPUT CXLIII.

Teſtamentum JOANNIS JACOBS, *Civis Bruxellenſis, quondam Aurifabri in Urbe Bononia apud Italos, in quâ anno* 1650. *inſtituit Collegium ſui nominis, ſub invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, pro* Bruxellenſibus, *cuivis altiori Scientiæ operam daturis: quod Collegium hodieque floret.*

Tranſlatum ex Teſtamento Italicè ſcripto.

AD honorem Dei, Sanctiſſimæque Trinitatis, anno Domini noſtri Jeſu-Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo, Indictione tertiâ, Pontificatûs SS. Domini noſtri Innocentii Papæ X. menſis Septembris die nonâ.

Honorandus Dominus Joannes Jacobs, filius quondam Domini Joannis Jacobs, Belga, natus in Civitate Bruxellenſi, longo tempore incola Urbis hujus Bononienſis, ibique Faber argentarius, in Parochia Sti. Matthæi, in vico dicto de Piſcaria; conſiderans certitudinem mortis, horæ vero incertitudinem, & tamen ſtatutum eſſe omnibus hominibus ſemel mori; dum corpore quidem infirmus, ſed ſenſibus & mente ſanus exiſtit, voluit procedere ad negotia ſalutis animæ ſuæ, atque ad temporalium bonorum ſuorum diſpoſitionem.

Qua propter ipſe met ore proprio rogatis infraſcriptis Teſtibus, & me tamquam Notario, condere voluit hoc Teſtamentum, formâ & modo ſequentibus.

Imprimis prędictus Teſtator, animam ſuam commendat Altiſſimo Creatori ſuo, humillimè rogans omnium peccatorum ſuorum veniam, quibus divinam Majeſtatem offendit, profundiſſimâ cum reverentia ſupplicans ejus miſericordiam, ac ſignanter in eo momento, quo anima ſua à corpore ſeparabitur.

Legat ad opus cujus interierit, pro gabellis incertis, quatuor Bolonienſes ſemel, qui deponentur apud eos qui ſunt de ſancto Monte Pietatis; item pro aliis pauperibus mendicis 24. quatrinos ſemel.

Mandat, poſt obitum corpus ſuum, minimo quo poterit ſumptu transferri in Eccleſiam S. Martini Majoris, in qua reſident RR. PP. Carmelitæ diſcalceati, ibidemque ſepeliri intra Monaſterium in loco, qui ad Teſtatorem pertinet.

Item relinquit pro animæ ſuæ refrigerio, ad opus Sodalitii SS. Sacramenti, in præfata ſua Parochia candelam è cera alba ponderis 4. librarum, ut ardeat ante SS. Corpus D. N. J. C. tempore quo divinum ibidem officium celebrabitur. Inſuper decem quatrinos, ad opus pauperum ejuſdem Parochiæ, ad diſtributionem Reverendi Domini Paſtoris prædictæ Parochiæ.

Item relinquit pro refrigerio, ut ſupra, ut celebrentur ad Altare Privilegiatum ibidem Miſſæ de Sto Gregorio.

Item pro refrigerio ut ſupra, relinquit & mandat celebrari ſimiliter Miſſam de Requiem, ad arbitrium infraſcriptorum Dominorum heredum Fidejuſſoriorum, ad Altaria Privilegiata hujus Urbis, ejuſque ſub-urbii, & circum-circa.

Quoad alia bona ſua, mobilia & immobilia, actiones & credita tam præſentia quam futura, intelligendo ea quæ habet in Belgio, non autem in Italia, excepto certo redditu ab eo acquiſito ſuper Receptura communiter dictâ Canalis Bruxellenſis, pro ſummâ ſexaginta duorum ſlonenorum Rhenenſium ac 12 ſtuferorum, in perpetuum; qui redditus recipietur à Decanis Auri-fabrorum, uti infra latiùs; inſtituit ac nominat ore proprio hæredes ſuos univerſales Dominos Joannem, Cornelium, Franciſcum & Andream, fratres, filios quondam Domini Maximiliani Jacobs, fratris Teſtatoris, adeoque Nepotes ejuſdem Teſtatoris, æqualiter, & in portionem æqualem.

Quibus, & unicuique eorum per fidei-commiſſum ſubſtituit eorum filios ac lineam maſculinam de thoro legitimo procreatam apud unumquemque eorum, de gradu ad gradum communiter & cum fidei-commiſſo.

Prout quoque ſubſtituit unum alteri de maſculis ac legitimis heredibus, de legitimo thoro natis, ut ſupra: volens, ut in perpetuum inter ipſos eorumque proles ac deſcendentes è linea maſculina uſque ad quartum gradum, in quantum fieri poterit & obtineri approbatio Superiorum, bona ipſius ſint Fidei-commiſſa ſucceſſive & reciprocè in perpetuum, donec & quouſque futuri ſunt hæredes maſculi.

Quod Fidei-commiſſum durabit ultra centum & amplius annos, quamdiu Deo volente erunt hæredes maſculi de thoro legitimo procreati. Declarans ac volens, ut ſibi ſuccedant per ſtipites & non per capita, ubi gradus defecerit, aut ubi pater Inſtitutorum deceſſerit.

Vult etenim, per filios & heredes maſculorum heredum defuncti repræſentari perſonam patrum aut avorum ſuorum, prout ſucceſſio iſta eveniet, vel fratrum ipſorum avorum.

Quapropter prohibet omnes venditiones, alienationes, permutationes, elocationes

Digitized by Google

ultra decennium, hypothecas generales & ſpeciales, & qualcumque alias Contractuum ſpecies, quibus ejuſmodi bona in toto vel parte diſtraherentur aut obligarentur.

Volens, ut in perpetuum remaneant penes nepotes ſuos eorumque deſcendentes maſculos, qualificatos ut ſupra, uſque ad quartum gradum, etiam in perpetuum.

Quod ſi aliquis bona divenderet, aut venditionem attentaret, aut quidquam hiſce contrarium faceret in toto aut parte eorumdem bonorum, is ipſo facto privatus eſto ac ſecluſus ab omni commodo hujus Teſtamenti, neque tantum à bonis alienatis, ſed & à quibuſcumque aliis quæ ad eum in vim hujus diſpoſitionis perveneriut. Et quod tunc vocabuntur ad ſucceſſionem cœteri illi, quos ſubſtituit modo & formâ preſcriptis.

Prout etiam expreſſè mandat & vult: ſic enim eſt expreſſa ejus voluntas, ut nullus unquam aut ullo modo alienet bona ſua aut partem eorumdem, ſub pœna privationis, ut ſupra dictum.

Ea-propter declarans, caſu quo quis privatus ex cauſa ſupra-dictâ proles non habeat, quod non inquietabuntur proximè Inſtituti, ſub eo prætextu quod expectare deberent uſque ad obitum alienantis. Vult etenim, ut eo ipſo momento privatio ſubſequatur. Et inſuper, ut proximi, qui bona illa obtinuerint ob cauſam alienationis, teneantur, dum poſt alienationem Alienantis proles naſcentur maſculæ, iiſdem natis bona illa derelinquere, nihil ultra retinendo niſi fructus perceptos uſque ad diem nativitatis hujuſmodi hæredum maſculorum.

Injungens præterea nepotibus ſuis præfatis ac ſubſtitutis, ne præſumant exigere ullum computum ab heredibus quondam Domini Vander Perre, neque à Domino Henrico Willems, ex cauſſa adminiſtrationis bonorum Teſtatoris. Volens, ut ea ſint perinde, ac ſi iſti nullam unquam adminiſtrationem eorum habuiſſent. Inque omnem eventum relinquit eis per modum Legati, quidquid illud de quo eſſent in poſterioribus. Quod tamen ſic intelligit Teſtator, ut ſi debitores ſint ultra 50. florenorum, eorum conſcientiam hiſce oneret. Et quod habent ultra 50. florenos, diſtribuant in magis indigentes conſanguineos Teſtatoris in partibus Belgii commorantes.

Prohibens ſupra dictis Nepotibus ſuis, ne hiſce contraveniant, ſub pœna privationis: quodque eorum portio accreſcet non contravenientibus. Quod ſi contingeret omnes contravenire, tunc privatio iſta hereditatis accedet ad uſum Collegii infranominandi.

Excipiens & legans extra Inſtitutionem ac Subſtitutionem bonorum ſuorum in Belgio, proventus annuos 150. florenorum, quos vult quotannis deponi Bruxellis in Monte Pietatis, aut alio in loco; prout Reverendo Domino Michaeli Vander Perre, aut eo deficiente, Domino Henrico Willems viſum fuerit, ſecuriores fore proventus; ut ita accreſcant.

Volens ut excreſcentiæ hujuſmodi relinquantur ad augmentationem, donec efficiant mille florenos Rhenenſes. Tunc autem vult illam ſummam aſſignari in dotem filiabus nepotum ſuorum, è thoro legitimo natis.

Inſtituens atque nominans ore proprio in cœteris bonis ſuis mobilibus & immobilibus, actionibus & creditis, præſentibus ac futuris, in Italia exiſtentibus, ac præſertim iis quæ ſita ſunt Bononiæ & in viciniâ, hæredes ſuos fidejuſſorios univerſales; Illuſtriſſimos DD Marchionem Achillem Albergati-villa, Angelum Mariam Angelelli, & D. Dominicum Comelli, J. U. Doctorem; penes quos vult continuari poſſeſſionem bonorum ſuorum hereditariorum exiſtentium in Urbe ac Comitatu Bononienſi.

Concedens ex nunc pro tunc præfatis D. D. ſuis fidejuſſoriis heredibus poſſeſſionem præfatorum ſuorum bonorum. Vult etiam Teſtator præfatus ut iidem DD. continuentur in eadem poſſeſſione eorumdem: eoſdem conſtituens in omnibus bonis ſuis, tam in Comitatu Bononienſi, & in ſuburbiis ejuſdem, quam per univerſam Italiam.

Eoſdem rogans enixè, & jubens, ut quantocius fieri curent Inventarium, univerſumque ejus Capitale adnotent, ut & credita, recepta, & quæcumque deprehenduntur ad ſe Teſtatorem pertinere, hîc & alibi.

Quo facto, mobilia, quæ judicabunt neceſſaria ad uſum Collegii, aſſervabunt, prout inferiùs declaratur expreſſiùs; & reſidua divendent; & id quod è receptis proveniet, reducent in pecunias numeratas, eaſque deponent in Monte Pietatis, ut quamprimum affectentur in prædicto Monte in perpetuum & irredimibiliter, ſuper bonis aſſecuratis ac permanentibus; utque eadem adminiſtrent, omneſque proventus recipiant, uti & cœterorum bonorum ſuorum, nullis exceptis.

Item vult ac deſiderat Teſtator prædictus, ut ſtatim poſt obitum ſuum per antedictos DD. hæredes ſuos fidejuſſorios erigatur Collegium in unâ domorum Teſtatoris ſitâ in vico de Pratellis, ſub Parochia S Laurentii juxta portam dictam de Stira. Illudque *Collegium Jacobi* dici vult, ſub invocatione SS. Trinitatis.

Volens, idem Collegium eſſe unicum ſuum ac univerſalem heredem cunctorum bonorum ſuorum, quæ (ut ſupra) invenientur in Urbe & Agro Bononienſi, aut quovis alio loco: in quantum de his aliter diſpoſitum non fuerit. Illudque Collegium

Digitized by Google

præcipit gubernari in omnibus & per omnia, prout hîc ſequitur.

Præſes Collegii. Imprimis præfati Heredes fidejuſſorii deputabunt Præsbyterum, nativitate Bononienſem: vel in ejus defectum, alium qui ſit probæ vitæ ac morum, ætatis ut minimùm triginta annorum; caſu quo Teſtator neminem in vita ſua nominaverit, quam facultatem ſibi-ipſi reſervat: qui erit ejuſdem Collegii Regens.

Mandans, eidem Regenti ultra Menſam dari honeſtam proviſionem. Idemque curam habebit mobilium Collegii, uti & vitæ ac morum ibidem, proſpicendo cum omni diligentia ac perſonaliter, ad omne id quod cedet ad bonum regimen ejuſdem Collegii, procurando proventus illius, recipiendo nummos eoſque deponendo in Monte Pietatis.

Idem obligabitur ad conſtituendam cautionem ſufficientem de bona ac fideli adminiſtratione in manibus præſcriptorum Dominorum, ad cuſtodiendum atque reſtituendum quodcumque ei commiſſum fuerit, & ad reddendum Computum de omnibus, præfatis DD. Hæredibus fidejuſſoriis, dum eis libuerit. Qui etiam habebunt poteſtatem eum deponendi ad beneplacitum ſuum.

Burſarii Bruxellenſes. Item quod in eodem Collegio tenebuntur tres quatuorve juvenes, & etiam plures, ſecundum proventus Collegii, ad beneplacitum DD. Heredum fidejuſſoriorum. Qui juvenes debebunt eſſe Belgæ, nati in Civitate Bruxellenſi, aut Antverpienſi, vel ad minus Brabantini, legitimo thoro nati, & neutiquam legitimati, ætatis annorum 18, vel ſaltem decimum-ſextum ætatis annum ingreſſi.

Volens, ut in electione præferantur proximi conſanguinei Teſtatoris, de Familia Jacobs. Et ſi nulli exiſtant hiſce qualitatibus inſigniti, ſuccedent proximi conſanguinei de familia uxoris. Qui Juvenes tenebuntur callêre linguam latinam, corpore bene diſpoſiti, honeſtæ converſationis, & Tonſurati. Dumque Bononiam advenerint, ſtudêre poterunt Juri aut Medicinæ, Philoſophiæ aut Theologiæ, & in aliquâ ex his promovêri ad Gradum.

Item tenebuntur vivere & habitare in Collegio ante-dicto, incumbendo uni ex præſcriptis ſcientiis tempore quinquennii continui: ubi eis procurabuntur quæcumque neceſſaria ad proſecutionem ejuſdem ſtudii.

Volens, ut abſoluto quinquennio eis erogentur neceſſaria ad ſuſcipiendum Gradum Doctoralem illius ſcientiæ cui ſtuduerint, & quam profeſſi fuerint, tamquam peregrinis: videlicet ut eis detur id quod dari conſuevit in pecuniis aut depoſito, ad conferendum Doctoratum cuidam extraneo, & non amplius.

Poſtmodum verò dabitur eis burſa è ſerico, & in ea quinque coronati in moneta, uno menſe pòſt. Et dimiſſi, ut ſupra, poterunt exinde ſtudêre ulterius, & proprium commodum quærere, domum redeundo, ſeu quocumque eis libuerit.

Item vult, relinqui liberam voluntatem præfatis Heredibus fidejuſſoriis, ut hi tres conjunctim, & non ſeparatim, nec major pars eorum, ſed omnes ſimul poſſint in totum & ſolidum exequi hanc ejus ultimam voluntatem, quandocumque eis placuerit.

Et ut durante quinquennio examinent, aut curent examinari præfatos juvenes, ad diſpiciendum, utrum in aliqua è prædictis ſcientiis proficiant. Et ſi eos deprehendant ſine profectu, poterunt coſdem licentiare, & cogere ad diſceſſum è Collegio: abſque eo quod poſſint ultra prætendere, aut redire; ſed tenebuntur acquieſcere omnibus iis quæ per antedictos DD. determinabuntur, quoad alios in eorum locum evocandos, prout infra ſcriptum eſt.

Et ſi nulli ſint Conſanguinei præfati Teſtatoris, prædictis qualitatibus inſigniti, vult in eorum locum admitti filium D. Henrici Willems amici ſui chariſſimi, vel aliquem de deſcendentibus aut proximis conſanguineis ejuſdem; volens ut electio fiat in modum, qui ſequitur.

Quod Decani actualiter ſervientes de honorato Opificio Aurifabrorum in Civitate Bruxellenſi poteſtatem habeant eligendi: volens in electione obſervari, ut hi qui prætendent eligi in Studioſos ejuſdem Collegii, ſeſe in perſona debeant præſentare & non per alios, coram & in præſentia eorumdem Decanorum intra tempus 20. dierum, qui excluſivè inchoabuntur à tertiâ publicatione & proclamatione deſuper facienda è ſuggeſtu Parochiæ B. M. V. de Capella, & per Paſtores aliarum Parochiarum, tribus ſolemnibus feſtis immediatè ſubſequentibus: publicando, quod hi qui ad hanc præbendam ſeſe præſentabunt, teneantur comparêre coram Decanis Aurifabrorum, & ſimul illic exhibêre competentia Teſtimonia, quod qualitatibus à Teſtatore requiſitis, inſtructi ſint: idque etiam coram iiſdem Decanis, & in præſentia R. D. Paſtoris aut Vice-Paſtoris præfatæ Eccleſiæ B. M. V. de Capella.

Quodque idem, cum interventione Decanorum, examinabit Atteſtationes exhibitas ſuper qualitate prætendentium: & quod præfatus D. Paſtor vel Vice-Paſtor (ita eos rogante Teſtatore) examinabit prædictos juvenes & unumquemque eorum, ad diſpiciendum utrum capaces ac ſufficientes ſint qui excellant in aliqua è prædictis ſcientiis: faciendo deſuper vocalem relationem eiſdem Decanis.

Dumque referet quempiam non eſſe idoneum, tenebuntur Decani eundem excludere. Verum factâ per D. Paſtorem aut Vice-

Vice-paſtorem relatione favorabili, tenebuntur Decani eligere capaciores repertos, modo quo ſupra: niſi præfati Decani rationes haberent in contrarium.

Volens, ut Paſtor aut Vice-Paſtor prædicti pro recognitione & ſalario habeant, id quod Teſtator ordinavit in certo Inſtrumento inito cum præfatis Decanis, regiſtrato in libro memoriali præfati Opificii.

Et ſi per Paſtorem aut Vice-paſtorem, præfati juvenes judicentur idonei, ita præſentati & electi, tunc per Decanos eis erogabuntur ac numerabuntur è pecuniis creditis, quæ in finem ipſis conſignabuntur in Civitate Bruxellenſi, floreni 45; ut quilibet de electis, his mediantibus, pervenire poſſit uſque Bononiam.

Et tenebuntur ſecum adferre Atteſtationem & Inſtrumentum in forma, de prædicta ſui electione ſubſignatum à prædicto Paſtore vel Vice-Paſtore, & ab iis de prædicto Opificio; cum legalizatione ac ſigillo Civitatis.

Dumque ſeſe itineri accingent, tenebuntur intra trimeſtre ſeſe præſentare Bononiæ coram DD. Heredibus fidejuſſoriis, pro tempore exiſtentibus, cum prædicto Teſtimonio. Qui eos etiam tunc tenebuntur admittere in Collegium, abſque ullo obſtaculo.

Quod ſi intra illud trimeſtre ſeſe Bononiæ non præſentaverint (niſi forſan in via aut alibi impediti fuerint morbo, aut aliâ cauſſâ legitimâ) excluſi erunt. Eorumque defectu procedetur ad aliam electionem. Iidemque tenebuntur inſuper refundere nummos pro itinere à præfatis Decanis receptos: ad opus eorum qui de novo eligentur.

De Veſtimentis. Inſuper declarat Teſtator, ſe nolle, ut hereditas ſua teneatur ad ulla veſtimenta præbenda dictis juvenibus; niſi ſolum, quod DD. Heredes fidejuſſorii eorumque ſucceſſores, cuilibet prædictorum juvenum confici curabunt duas veſtes nigras honeſtas ac talares, pro more ſtudentium aliorum Collegiorum: apponendo *conchatre* ad limbum veſtimenti, pro ſigno diſtinctivo. De reliquo veſtimenta ſibi procurent ex ære proprio. Schelpe.

Vult etiam, quod non obſtante ſua declaratione, quâ præfati juvenes debebunt eſſe Bruxellenſes, Antverpienſes aut Brabantini, & ſine præjudicio aliorum: quod ſi contingat aliquem de conſanguinitate quondam Domini Petri Vander Liepe Soceri Teſtatoris, nativitate Ultrajectinum reperiri, quod is acceptari poterit in numerum præfatorum trium aut quatuor juvenum, dummodo concurrant pro eo qualitates neceſſariæ ad admiſſionem in dictum Collegium.

Proviſores Collegii. Deficiente autem uno de ſupradictis DD. heredibus fidejuſſoriis, deſiderat & vult Teſtator, ut Collegium DD. Canoniſtarum ac Legiſtarum Bononienſium, videlicet de ſtricto Collegio, eligant unum è Doctoribus ejuſdem in locum defuncti; qui eandem authoritatem cum eo habebit. Deficientibus autem iis de ſtricto Collegio Doctorum, unum è Collegio Artiſtarum ut ſupra. Hoc verò deficiente tertio, bina Collegia Legiſtarum & Artiſtarum pro beneplacito ſuo eligent Civem Bononienſem, idoneum ad ſuſtinendum idem onus cum eis. Atque ita uſque ad finem mundi continuabitur.

Atque hæc omnia, in quantum Teſtator vitâ ſuâ durante in locum defungentis neminem alium nominaverit; uti & declarat electionem faciendam eſſe per eos de præfato Collegio, in modum ante-dictum; nec aliter, nec aliàs.

Item vult, ut ſenior ſtudioſus, ſimul ac juvenis aliquis deceſſerit, de aſſenſu præfatorum DD. Heredum fidejuſſoriorum, ſtatim teneatur id-ipſum ſignificare per litteras in Belgio, ad Opificium Aurifabrorum Bruxellis, & ad antedictum Dominum Paſtorem; ut omni tempore quo quis juvenis obierit vel receſſerit hoc modo provideatur de ſucceſſore, expenſis hæreditatis D. Teſtatoris. Quodque huic ſeniori ſtudioſo refundentur expenſæ factæ pro litteris, adviſamento, declarationibus &c.

Præterea declarat antedictus Teſtator, ſeſe curaſſe fieri Statuta quam-plurima ad bonum regimen hujus Collegii, inſcripta Libro qui penes eum invenietur in quarto ſub involucro rubro contextus filo aureo, cum regiſtro rubei ac viridis ſerici. Mandans expreſſè, ut contenta horum Statutorum punctualiter obſerventur, perinde ac ſi de verbo ad verbum hiſce inſerta forent.

Poteruntque DD. Heredes fidejuſſorii hiſce addere, demere ac mutare (prout temporis circumſtantiæ exigent) ea quæ videbuntur requiri in futurum.

Et ſi adveniente morte Teſtatoris, domus ejus dicta de *Prateolo* elocata fuerit, neque elapſus fuerit terminus: ut eâ domo uti poſſint; illo caſu poterunt abhibere domum, quam Teſtator nunc inhabitat, aut aliam conducere, cujus precium perſolvent è nummis recipiendis ab elocatione domûs iſtius; in uſum Collegii, donec & quouſque præfatus elocationis terminus elapſus fuerit; referens ſeſe in hiſce omnibus ad prudentiam præfatorum DD. Heredum fidejuſſoriorum.

Et ſi tempore mortis ejus deprehendantur nummi nondum applicati, tunc rogat præfatos DD. ut eoſdem (facto inventario) deponant in Monte Pietatis, ut applicentur ſub bonis certiſque pignoribus in Urbe vel Comitatu Bononienſi, prout ſeſe offeret occaſio: vel etiam in nummis creditis ejuſdem Montis irredimibilibus. Prohibens

omnes redditus redimibiles & ſimiles applicationes : verùm quod tantummodo ementur bona immobilia & redditus prout ſupra.

Præterea relinquit & legat, in recognitionem tantorum incommodorum, quæ prædicti Domini Fidejuſſorii Heredes Bononienſes ſuſtinebunt in ſtabiliendo eodem Collegio, unicuique eorum par *Hypopaterarum* argenteariim ponderis circiter quadraginta unciarum : quas in hunc finem invenient in officina Teſtatoris, cum hac inſcriptione in medio earundem paterarum incisâ : *Fidei memoria.*

Vulgo *Salvs.*

Quodque annis ſingulis in Dedicatione, præfati Domini fidejuſſorii, eorumque ſubſtituti pro tempore exiſtentes ſinguli habebunt *panis ſaccarati* libras quatuor & cerę albæ libras quatuor ac totidem piperis incontuſi. Quæ omnia ementur nummis proventuum dicti Collegii.

Vulgo *Broodſuyker.*

Rogans Dominos fidejuſſorios Heredes pro amore viſcerum D. N. Jeſu Chriſti, ut acceptare dignentur & exequi quam primum hanc ſuam ultimam voluntatem : toto corde confidens de eorum bonitate atque affectu.

Et ego Joannes Ceſar, Notarius infraſcriptus prædictas Apoſtillas approbo, ad honorem Dei, & ad utilitatem proximi mei, ſalutemque animarum noſtrarum.

Item vult ac mandat præter hæc, ut DD. Alexander Zaguoni & Antonius Levanti ſint aſſiſtentes eo tempore quo Teſtator conſtitutus erit in extremis, iidemque curam habeant invigilandi ne quidquam è domo auferatur, ut deſuper poſtmodum reddatur computus præfatis Dominis fidejuſſoriis.

Finaliter ego Notarius agnoſco, mihi ſatisfactum eſſe à Teſtatore pro meo ſalario hujus Teſtamenti, meque ipſum obligo ad tradendas eidem duas Copias authenticas, unam pro Bononia & alteram pro Belgio. Atque hæc &c. caſſando &c. rogando ore proprio &c.

Actum Bononiæ infra Capellam Sancti Matthęi in Piſcaria, in ædibus Teſtatoris & in ejus cubili proſpiciente verſus plateam majorem ; præſentibus R. P. F. Fulcardo filio D. Servaes Bruxellenſi, Ordinis FF. Prædicatorum Presbytero, nec non Conventûs ſancti Dominici Bononienſis Suppriore, qui notoriè ac principaliter reſidet in regione & Capella ubi conditum fuit hoc teſtamentum.

Item præſente R. P. F. Anaſtaſio filio quondam D. Rigii de Baldellis Bononienſi, Conventus ſupradicti : perilluſtri D. Victorio, filio perilluſtris Viri Benedicti de Victoriis J. U. Doctore, de regione Caſtri S. Mariæ Britonienſis Bononiæ : perilluſtri D. Simone, filio quondam Caroli de Taſſis mercatore Bononienſi de regione S. Margaretę : D. Dominico filio quondam Sonderi de Canalatiis cive Bononienſi de regione S. Mariæ de Miratellis : perilluſtri D. Michaële filio quondam Illuſtris D. Lancelotti de Molines de regione S. Matthæi ſupra dicti : item Antonio filio quondam Sanchii de Linantis Architecto, Nicolao filio quondam Felicis, Petro filio quondam Pauli de Jagnoenz Bononienſi Cive, de regione S. Michaëlis ad Leproſarium.

Qui Reverendus P. F. Fulcardus, unà eum ſupra-ſcriptis Teſtibus, & mecum Notario dicunt, & dixêre &c. atque etiam quod eſſet compos ſenſuum &c. quod eſſent Teſtes oretenus recogniti &c.

Infra habebatur. Supraſcripta tranſlata ac ſcripta fuêre ex Inſtrumentis, per me Joanem Cæſarem filium quondam D. Franciſci de Manolegiis, Civem ac Notarium publicum Bononienſem Apoſtolicâ atque Cæſareâ Authoritatibus, de proprio ore Teſtatoris, manu alterius mihi probè cogniti, me impedito.

In quorum fidem ſubſignavi atque ſubſcripſi ad hæc requiſitus &c.

Inferius. Nos Corrector ac Conſiliarii venerandi Collegii Notariorum Bononienſium, notum facimus & atteſtamur omnibus per præſentes ; præfatum D. Joannem Cæſarem de Manolegiis ad præmiſſa fuiſſe requiſitum, eumque talem eſſe, prout ſe qualificat, quodque omnibus ſcriptis ejus hîc & alibi fides habita & habenda ſit indubitata, tam in Jure quam extra. In quorum fidem &c.

Actum Bononiæ die XI. Octobris M. D. C. L. ſign. *Cignanus.*

Nos infraſcripti Mercatores Bononienſes, indubitatâ ac plenaria fide declaramus univerſis per præſentes, quod præfati DD. Joannes Cæſar de Manolegiis & Pompeius Cignanus reſpectivè fuerint Notarii hujus præfati Teſtamenti &c.

Actum Bononiæ XI. Octobris M. D. C. L.

Digitized by Google

CAPUT CXLIX.

Rationum Momenta, quibus Illuſtriſſimo Sanctioris Conſilii Præſidi cæteriſque Senatoribus perſuaſum fuit, neutiquam expedire, ut in Belgio Catholico Judaïca gens ad fixum domicilium admittatur; exhibita circa annum 1670.

Illuſtriſſime Domine.

Cum Judæorum Principes, Sacerdotes, & populus (timentes, ſi doctrina Chriſti, quam ſuæ contrariam eſſe ſentiebant, prævaleret, & ſi omnes in eumdem Chriſtum crederent, non futuros homines qui Judæorum regnum, Civitatem Dei, templumque & leges patrias adverſus Romanas acies defenderent) innocentem Chriſtum, Deum hominem, inſigni homicidæ poſtpoſitum, morte turpiſſimâ per invidiam condemnaſſent, & feciſſent ſubire tormentum Crucis; effectum eſt quadrageſimo poſt anno, ut ipſi (juſtiſſimo Dei judicio) regno temporali quod tenuerant fuerint ſpoliati, non manſerit lapis ſuper lapidem in urbe Hieroſolyma, & auguſtiſſimo templo funditus everſo Sancta Sanctorum ab indignis Sacerdotibus receſſerint, & tota gens Judeorum in ſervitutem redacta, & omnium fere gentium ludibrium effecta, per totum terrarum orbem errabunda divagetur.

Porro, in iſta miſerrima eorum conditione, cæteris amiſſis, unum hoc eis remanſit, videlicet, velamen ſuper cordibus eorum; ut eum, quem omnia elementa, ut ait Sanctus Auguſtinus, agnoverunt, ipſi agnoſcere, & corda ſua pertinaciter detrectent flectere ad pœnitentiam; à qua quidem ita abhorruit & etiamnum abhorret eorum animus, ut amaritudine & felle plenus adeo inexplebile conceperit odium in ipſum Chriſtum Deum, & membra ipſius, ut arbitrentur ſe obſequium præſtare Deo, ſi in eundem Chriſtum & prædicta membra ejus, id eſt Chriſtianum populum, inſigni aliqua impietate, ſeu ſcelere graſſati fuerint. Unde ſtatim ab initio, contradicentes iis quę dicebantur ab Apoſtolis plenis Sancto Spiritu, & dicta ſua confirmantibus ſignis ſequentibus, magnam Hieroſolymis perſecutionem commoverunt in diſcipulos Chriſti, è quibus lapidatus eſt Stephanus, Paulus occiſus, Petrus crucifixus, alii flagris excepti.

Porro iſtorum Judęorum filii & nepotes, genimina viperarum, id eſt peſſimorum parentum progenies peſſima, cum creſceret credentium multitudo, & in omnem terram prædicati Evengelii exiret ſonus, progenitorum ſuorum veſtigiis conſtanter inhęrendo, jam inde à naſcentis Eccleſiæ Chriſtianæ incunabulis uſque in hæc noſtra tempora (ſi fides Hiſtoriographis eſt adhibenda) non deſtiterunt continuis ſacrilegiis, conſpirationibus, monetæ adulteratione, veneno, fœnore illicito, cœdibus, fraude, ſeductione aliiſque pluribus ſceleribus in populum Chriſtianum perpetratis, ita ſe famoſos reddere; præſertim eorum numero tractu temporis in immenſum fere aucto; ut primum per Leges Civiles coërceri, & à functionibus publicis arceri, dein per Sacros Canones notari, ac demum per Edicta Principum, Eccleſiæ & ſtatui formidabiles, è Provinciis proſcribi, immo & armis abigi, & ab irata plebe nonnunquam malâ morte mulctari meruerint; uti apparet ex ſubjecta Relatione.

Nam Imperatores Theodoſius & Valentinianus Judæos ab honoribus & muniis publicis, ſive Eccleſiaſticis ſive Civilibus, excluſos voluerunt. L. ult. Cod. de Judæis & cœlicolis.

Canon *Nullus*, Canon *Omnes*, & alii plures Canones, Decreto Gratiani inſerti, Cauſâ XXVIII. q. I. Judæos, ne alios inficerent, incapaces fecerunt habitationis victuſque communis cum Chriſtianis.

Heraclius Imperator eoſdem Judęos ad voluntarium exilium adegit, dum eos baptizari voluit, & eamdem Legem à Siſebuto Rege in Hiſpania, & à Dagoberto in Francia promulgari curavit.

Concilium Toletanum circa hæc tempora, ut antedictos Judæos efficaciter Hiſpaniâ excluderet, Canone 3. cum conſenſu chriſtianiſſimi ſui Principis, ſuorumque Optimatum illuſtriumque virorum, hanc promulgavit Deo placituram Sententiam, *ut quiſquis ſuccedentium temporum Regni ſortitus ſit apicem, non ante conſcendat regiam Sedem, quam inter reliqua conditionum Sacramenta pollicitus fuerit, nullum non Catholicum permittere in ſuo Regno degere.*

Judæorum gentem, cum per Africam & Tartariam eſſet diffuſa, Afri anno M.C. XXII. Tartari anno M. C. XL. expulerunt de finibus ſuis.

In Galliis, uti refert Genebrardus in ſuo Chronico, multi Judæi prope Aureliam combuſti ſunt anno M.C.LXXI. quia puerum fluvio merſiſſe ferebantur.

Eodemque anno Coloniæ fuerunt condemnati, ſed à contribulibus redempti pe-

Digitized by Google

cuniâ, quia monetâ adulteratâ, rei erant læsæ Majestatis.

Anno autem M. C. LXXVII. vulgus Galliæ & Germaniæ passim desæviit in eosdem Judæos; quia in die Cœnæ Domini puerum Christianum in crucem egerant, & ob alia eorum crimina. Ità idem Genebrardus & Frisingensis in Gestis Frederici Imp.

Non multo post, id est anno M. C. LXXX. eodem Genebr. referente, Coloniæ Agrippinæ plerique Judæi occisi sunt, quia, quibusdam Judæis naviculâ fluvium trajicientibus, inventa fuit puella mortua in Rheni ripâ. Cœteros non occisos idem Fredericus Imperator 500. aureis mulctavit.

Circa idem tempus Philippus Galliarum Rex Synagogas Judæorum partim evertit, partim in Ecclesias convertit, (ut auctor est Gaguinus lib. 6. & Æmilius lib. 5.) exactis è tota Francia ipsis Judæis; quia in ludibrium Christi Christianum puerum cruci affixerant, & Franciam totam gravissimis usuris vexabant.

Iteratam Judæorum expulsionem è Francia idem Geneb. refert ad annum Domini M C.C. & tertiam sub Philippo pulchro ad annum M. C. C. XCV. immo & quartam anno M. C. C. C. XCI., quando & bonis fuerunt expoliati.

Hanc quartam expulsionem præcesserat anno M.C.C.C. XXII. generalis omnium Judæorum per universam Galliam captivitas, uti refert Haræus sub Joanne Brabantiæ Duce, pag. 308.

Immo & magna eorumdem Judęorum strages per varias mundi plagas anno M. C C. C. XLVIII. quo tempore cum fere ubique miserandum in modum grassaretur pestis, Judæis fuit imputatum, quod veneno infecissent & flumina & aërem. Brabantia eodem morbo tunc correpta, eodem vindictæ genere se de iis est ulta.

Sed refugit calamus exprimere immanissimum supremi sacrilegii facinus perpetratum in ejusdem Brabantiæ capitali urbe Bruxella, contra Deum hominem Christum sub consecratis hostiæ speciebus occultatum quidem, sed præsentiam suam manifestantem: cujus facinoris auctores Judæi exquisitas luerunt pœnas; ceteris è Brabantia in perpetuum abesse jussis, per Ducale Decretum sive Edictum de A. M.C.C.C LXX.

Et ut ad posteriora sæcula accedatur propiùs, lubet hîc referre ex Pontano de bellis Ferdinandi quinti Castellæ Regis, quod is debellatis priùs in regno Granatensi Mauris implicatis Judaismo, paganismo, & aliis erroribus, Judæis mandarit primùm, ut vel regno excederent, vel agnoscerent Christum Salvatorem. Quod cum facere negligerent, Isabellâ uxore instigante maritum Regem (quod & ante fecerat in Mauros, ipsamet equum ascendens; & quâ manu quâ consiliis generosissimis belli ducem agens) centum viginti quatuor millia familias Judaïcas regnis suis expulit Ferdinandus, post annum Domini M.C C.C C. LXXIV. Per quæ apud Sanctam Sedem, cui insidebat Sixtus Papa IV. Catholici nomen glorioſum sibi suisque posteris est promeritus.

Porro non sufficiebat religiosissimæ Reginæ venenum è Regnis suis expulsum: sed ne postliminio reverterentur, alexipharmacum adhibuit, institutis contra omnem hæreticam pravitatem sacræ Inquisitionis Tribunalibus. Quibus arduis negotiis, ejus præcipuè operâ feliciter confectis, annos nata 53. è puerperio abiit in cœlum anno M D. IV. hostium suorum terror, exterorum admiratio, gentis suæ delicium. *Godeau en ses Eloges* pag. 470.

Alphonsus V. Portugalliæ Rex, Ferdinandi exempla secutus, Judæos omnes è ditionibus suis abire jussit, anno Domini M. D.

Postmodum glorioſissimus Imperator Carolus ejus nominis V. Belgicarum Provinciarum Dominus, ex causis supra relatis per Edictum anni M. D. XLVII. mandavit, ut Judęi omnes, qui ad vitandam Lusitanam Inquisitionem ad prædictas Provincias advenerant, ab iis infra mensem cum familiis suis recederent, sub pœnis gravibus.

Edicto autem anni M. D. L. omnis per Belgium conversatio, immo vel solus transitus, (quod notandum,) interdictus est Judæis, sub pœna vitæ & bonorum.

Et ne quis eos auderet hospitio excipere, operâ aut favore juvare, cautum est alio rigoroso Edicto de anno M. D. LII.

Antedictis Edictis ad amussim inhæsit Albertus Pius Belgicarum Provinciarum nuper Princeps, & quidem ita constanter, ut, pactis cum Fœderatis Provinciis duodecennalibus Induciis, adduci non potuerit, licet instanter rogatus, ut uni cuidam Judæo faceret facultatem Amstelodamo in Brabantiam transeundi. Sciebat religiosissimus Princeps periculosam multum esse Catholicis cum personis Gentis Judaïcæ conversationem; & tangentem picem cito ab ea inquinari.

Ut proinde perillustris & Reverendissimi Domini Episcopi Antverpiensis sollicitudo, per ejus Litteras & rationes speciali Scripto ad suam Excellentiam directo expressa, appareat omni laude dignissima.

Et certe spectat ad officium & curam Deo amabilium Episcoporum, ut supra gregem suum indefessi pervigilent, bona quælibet ei providendo, & lupos, ac noxia quęlibet ab ovili arcendo.

Qua quidem in parte quid eos specialiter facere oporteat, breviter admodum perstringit Barbosa de Jure Canonico universo, lib. 1. cap. xi. n. xiv.

Octavo

Octavò, Officii eſt, (ait,) Epiſcopalis, proſpicere, ut hæreſes & hæretici extirpentur; & contra Judæos & paganos curam adhibere in eis ſervandis, quæ & Chriſtianis erga illos, & illis erga Chriſtianos jubent Sacri Canones. Et Principum Edicta addidiſſet magnus ille Canoniſta, ſi in hiſce partibus ſcripſiſſet.

Cum enim ea Edicta evulgata ſint in ſubſidium Canonum, & ut orthodoxæ Fidei puritas conſervetur, & omnis erga Deum & Sanctos ejus impietas præpediatur, ut à Dei cultu ad alienos non dilabantur, aut vi aut dolo abſtrahantur ſubditi Catholici, & demum eorum Antiſtites Regali Auctoritate & gladio fulciantur, & defendantur in executione officii ſui, merito ipſa reclamari poſſunt & debent, & in praxim redigi, cum ejus adeſt occaſio.

Unde quoque effectum eſt, quod præfatus Antverpienſis Epiſcopus ſuper iiſdem Edictis fundet Supplicationem ſuam, uti videre eſt ex dicto Scripto rationum, per ipſum exhibito Excellentiſſimo Domino Gubernatori generali.

Qui cum deſuper exquiſiverit judicium Illuſtriſſimæ Dominationis veſtræ, & ipſa meum; cenſeo, quod ipſa ſe excuſare nullo modo poſſit à Suffraganeo ſuo Epiſcopo apud dictum Dominum Gubernatorem validè juvando iis quibus apud hunc valet gratiâ & Auctoritate; & quod teneatur junctim conniti ad omnimodam Judæorum excluſionem conformiter ad Edicta ſupradicta. Circa quæ nulla infractio aut diſſimulatio admitti poterit, niſi cum manifeſtiſſimo periculo Chriſti fidelium Antverpiæ, Bruxellæ, & alibi in his partibus (ut eſt dictum) commorantium, ubi prætatus Princeps Albertus ne vel unum ſolum Judæum admittere voluit. Movebat Principem æternâ memoriâ dignum, Gentis illius amarus animus averſans Religionem Catholicam, eidemque continuo inſidias ſtruens. Nec de cæteto ignorabat (uti & eos deſcribit dictus Antverpienſis Epiſcopus) Judæos eſſe vaferrimos hypocritas, & quod nulla ſufficiens cautela, ne noceant, iis apponi poſſit, quodque in pertractandis hujuſmodi negotiis ea ſumma ſemper ratio apud Reges Catholicos fuerit, quæ pro fidei Catholicæ conſervatione faciebat.

Hanc opinionem meam ſubjicio cenſuræ Illuſtriſſimæ Dominationis veſtræ. Mechliniæ XXV. Decembris M. D. C. LXXII.

Erat ſignatum: *A. Coriache* Presbyter. Is fuit Archidiac. Mechlin.

CAPUT CXLV.

Conventus Monialium Capucinarum Gandavi, fundatus per D. Ludovicam à Lotharingia *olim Principem de Ligne, dein dictam Sororem* Claram de Nanceio, *Litteris* Caroli II. *Hiſpaniarum Regis anno* 1674. *confirmatur.*

SUr la Remonſtrance faite à Sa Majeſté de la part de la Princeſſe de Ligne, contenante que Dame Louiſe de Lorraine, Princeſſe de Ligne ſa belle Mere, auroit diſpoſé, par ſon Teſtament, que Sœur Claire de Mons *Religieuſe Capucine fondaſſe un Couvent de ceſt Ordre, en la Ville de Gand; au regard de quoy elle auroit laiſſé les moyens ſuffiſans, pour l'effectuer, avec très humble ſupplication, que ſa Majeſté ſoit ſervie, d'accorder à la dite Religieuſe, permiſſion de l'établiſſement à la Requeſte de la dite Dame Princeſſe, a Octroyé, & permis, Octroye & permet par cette, à la dicte Sœur Claire de Mons, de fonder en la ville de Gand ledict Couvent de Religieuſes Capucines; pourveu que la Ville y conſente. & qu'il ne ſoit à la charge d'icelle; precedant auſſy tout ce qu'en ce regard diſpoſe le Concile de Trente; non obſtant quelconques Ordonnances à ce contraires, aux quelles ſa Majeſté at derogé & deroge par cette; Ordonnant à ſon Lieutenant Gouverneur & Capitaine General des Pays-Bas & Bourgogne, & à tous aultres, qu'il appartiendra, de ſe regler ſelon ce.*

Fait à Madrid, ſoubs le nom de la Reyne Regente, & le Cachet ſecret du Roy. Le vingteſeptieſme jour du mois de May, ſeize cent, ſeptante quatre.

Paraphé Caſtel Jo. &c. & ſigné Maria Anna.

Plus bas: par Ordonnance de ſa Majeſté, eſtoit contreſigné: Baltazar Molinet.

Extat apud Capucinas Moniales Montibus Hannoniæ, hoc Epitaphium ſupra-dictæ Fundatricis.

Ici giſt très-noble & très puiſſante Dame, Madame LOUISE DE LORRAINE, Princeſſe de Ligne, niepce de la Reine de France épouſe d'Henry IV. Roi de France, Religieuſe Capucine en ce Monaſtere, ſous le nom de Sœur Claire Françoiſe de Nancy; *laquelle a vecu ſaintement, & laiſſé un très grand exemple de toutes les vertus qu'elle a pratiquées ſous la Regle de ſon Ordre, à laquelle elle étoit vraie Mere, & Fondatrice de ce Couvent de Mons & de celuy de Douay. où elle laiſſa des bonnes rentes. Elle eſt decedée le premier de Decembre l'an* 1667. *agée de* 73. *ans, profeſſe de* 30. *ans.*

R. I. P.

CAPUT CXLVI.

3ᵐ Proſpectus erigendi Epiſcopatûs Luxemburgenſis, *novique Capituli Cathedralis, per mutationem Abbatiarum* Epternacenſis *ac* Munſterienſis *Ordinis S. Benedicti, aliaque media opportuna, Regiæ Majeſtati anno* 1701. *exhibitus.*

1ᵐᵈ fol 125
2 pag 646.

MONSEIGNEUR.

Avec notre Conſulte du 24. Octobre dernier Nous avons remis à V. E. la Repreſentation, faite par ceux du Conſeil de Luxembourg, à l'occaſion de la vacance de l'Abbaye de notre Dame de Munſter Ordre de S. Benoit, pour l'Erection d'un Evechè dans cette Province; avertiſſant V. E. que nous leur avons ordonné de nous remettre les papiers & Documens y reclamés.

Depuis ils ont ici envoyè le Conſeiller Geiſen, qui de leur part a exhibé une longue Deduction avec quelques lettres dont il y eſt fait mention.

Ils y repreſentent les deſordres & inconveniens qui reſultent, de ce que les Paſteurs & paroiſſiens de la Province de Luxembourg ſont abandonnés à ſept Eveques étrangers, ſçavoir : de Treves, Cologne, Rheims, Liege, Namur, Verdun, & Metz.

Ces inconveniens & ces deſordres qui y ſont ſimplement deduits, ſe peuvent reduire en ces points principaux.

I. Que le Conſeil doit être continuellement aux priſes avec ces Juges Eccleſiaſtiques étrangers pour la conſervation des Droits & hauteurs de Sa Majeſté. Car ces Eveques, dont quelques-uns ſont auſſi Souverains de leurs Etats, ont toujours formé des pretentions ſur la Province, ſignament celuy de Treves, qui s'y extend le plus, & tache de ſe prevaloir de leur Juriſdiction ſpirituelle pour acquerir des titres à pouvoir à la ſuite s'attribuer le temporel, & d'ailleurs ces Juges Eccleſiaſtiques pretendent ſouvent de regler le temporel & les obligations des Paroiſſiens. Et ſi ceux ci ne ſatisfont a leurs Reglements, ils interdiſent aux Curés de leur dire la Meſſe, d'enterrer les morts & choſes ſemblables. Et quand le Conſeil fait deffenſes aux Paroiſſiens d'y deferer, il eſt menacé de Cenſures; en ſorte que la crainte de ces pauvres gens, & l'Autorité dont le Conſeil pourroit uſer, ſeroit capable de porter les choſes a des gros inconveniens.

II. Que les deſordres & ſcandales ſont continuels tant es Paroiſſes que Monaſteres & Cloitres d'hommes & filles; qu'on trouve des Curés par toutes Foires & Marchés faire commerce des bêtes, comme des bouchers, s'enyvrer & ſe quereller, dont ſuit l'incontinence, que depuis d'un ſiecle à fait grand bruit dans la Province, & pour le crime & pour ſon impunité. Car ces Juges Eccleſiaſtiques, particulierement ceux de Treves ne veuillent demander la permiſſion ou Placet requis par les Ordonnances, pour faire leurs viſites, expoſer aucuns frais pour informer à charge des Curés, ni reconnoitre les Informations tenues par le Conſeil, qui leur ont été envoyées, & ſe contentent de les citer pardevant eux & de les amender pecuniairement, ce que les delinquens conſiderent, comme une taxe de leur crime, & ont ſouvent moins de retenue qu'auparavant; & qu'enfin on ne peut douter qu'il n'y ait bien du deſordre dans une ſi vaſte Province, puiſque naturellement un ſi grand troupeau ſans Paſteur ne peut être ſans s'egarer.

III. Qu'en l'admiſſion des Curés, on n'obſerve point l'Examen par Concours ordonné par le Concile de Trente, & que la pluſpart des Cures ſe donnent à des Gens ſans education ni doctrine. Et les Juges etrangers en donnant les Inſtitutions ſe contentent d'en tirer des droits ſouvent exorbitans, ſans ſe donner aucune peine à les bien examiner. Ainſi les Paſteurs vivans dans l'ignorance & corruption des mœurs, il ne ſe peut que les Paroiſſiens ne faſſent de même.

IV. Qu'il n'y vient point d'Evêque dans le Pays, pour adminiſtrer le Sacrement de Confirmation; ſauf que celui de Treves y eſt venu quelques fois en paſſant & en faiſant ſa Viſite, en laquelle il a fait tant des fraix que l'on n'a pas beaucoup ſouhaité ſon retour.

V. Que l'Etat ſouffre beaucoup à l'occaſion de ces Juriſdictions ſpirituelles étrangeres : puiſque les gens ſont obligés de ſortir de la Province pour pourſuivre ou deffendre leurs interets, & que par la l'argent ſe tranſporte hors de la Province par les Ordres ſacrés, Inveſtitures & Inſtitutions des Benefices, par les amendes, diſpenſes des bancs & droits pareils. Et qu'en ce regard les Evêques ou leurs Archidiacres ſont devenus ſi exorbitans qu'il y a des Benefices particuliers au Dioceſe de Liege, dont ils font payer pour Inveſtitures ou Inſtitutions cent écus & au dela. Ce qui va à des groſſes ſommes, à cauſe du grand nombre des Paroiſſes & Benefices de la Provinces, dont une grande partie devenant litigieuſe, ces étrangers en reçoivent double profit en ce que chaque Partie prend les mêmes Inſtitutions pour avoir un titre à ſoutenir ſes droits.

Le Conſeil de Luxembourg montre enſuite, que Philippe ſecond de glorieuſe Memoire avoit bien reconnu ces deſordres & inconveniens, & ſerieuſement propoſé d'y remedier, lors qu'il fit eriger des nouveaux Evechés en ces Pays, ayant auſſi propoſé d'en établir un à Luxembourg; & qu'à cet effet après la mort de l'Abbé d'Orval Don Dominic de Sathanay decedé en l'an M. D. LXX. que cette Abbaye demeura vacante l'eſ-

Digitized by Google

pace de ſept ans, defenſes ayant été faites aux Religieux d'en choiſir d'autre, puiſque le Roi en avoit deſtiné les Rentes à la dote cet Eveque, ainſi qu'il eſt exprimé dans l'Hiſtoire de Bertels Abbé d'Echternach & de Munſter.

La Lettre de l'Archiduc Albert du huit Mai M. D. XCVIII. dit en termes, qu'étant averti que le Roy emeu d'un zele Chreſtien & pour l'honneur de Dieu & meilleure Inſtruction du peuple de ſon Pays de Luxembourg, reparti ſous ſept Dioceſes & Sieges ſpirituels des Archevechés & Evechés étrangers, avoit deliberé de reduire tout ledit peuple ſous un Eveché à établir en la ville de Luxembourg. Et que pour ce avoient été faits pluſieurs devoirs & offices tant vers le S. Siege Apoſtolique qu'autrement: mais que la choſe n'avoit ſorti ſon effet, ou par faute de bonne & diligente pourſuite ou autrement. Et enſuite S. A. ordonne au Preſident du Conſeil de faire devoir, pour reprendre en mains un œuvre ſi ſaint & ſi chrétien.

Ledit Conſeil produit de plus pluſieurs Preuves du deſſein qu'on a eu en même temps pour l'Erection d'une Egliſe & Seminaire qui pourroient ſervir à l'Eveché.

Par Lettres du dix de Novembre M. D. LX. la Ducheſſe de Parme Gouvernante generale de ces Pays approuve, que ceux du Conſeil de Luxembourg avoient fait inventarier & ſequeſtrer ſous le Greffier, l'argent, bagues & autres meubles de l'Abbé de notre Dame de Munſter qui étoit venu à mourir, enſemble la propoſition qu'ils firent, ce Monaſtere étant lors ſans Prelat ni Religieux, pour employer plus ſalutairement les Rentes & Revenus y appartenans, & les biens delaiſſés par ledit Abbé à l'Erection d'une Egliſe Collegiale & d'une Ecole publique, demeurant en ſon entier la bonne intention des Fondateurs, Predeceſſeurs de Sa Majeſté, & enſuite ordonne au Conſeil d'aviſer par enſemble ſur les moyens, comme cela ſe pourroit le plus convenablement mettre à fin.

Abbatia Munſter.

Par autre Lettre du vingt-ſix Octobre M. D. C. que le même Seigneur Archiduc écrit au Comte de Mansfelt Gouverneur de Luxembourg, l'on reconnoit que le Roy Philippe ſecond avoit été d'intention, de comuer & transferer le Monaſtere de notre Dame de Munſter en celui des Cordeliers, & ſucceſſivement transferer le College des Chanoines d'Ivoix; & S. A. requiert, que ſa ditte bonne intention puiſſe au plutot ſortir effet.

Capitulum Ivodienſe.

Mais l'eloignement de ces Chanoines & la modicité de leurs biens, qui étoient même en partie ſitués en France, ayant fait connoitre que cet établiſſement ne ſeroit pas ſolide, la choſe ſe demeura en ces termes juſqu'au decez de l'Abbé de Munſter arrivé deux ans après.

Minoritæ Luxemburg.

Lors les Archiducs ayant pourveu l'Abbaye d'un nouveau Prelat, écrivirent au Gouverneur & Conſeil de Luxembourg, que leur intention étoit que ledit nouveau Abbé avec les Religieux euſſent à ſe tranſporter au Cloitre des Cordeliers pour y reſider & faire le Service divin, & que leſdits Cordeliers fuſſent changés & mis audit Couvent de Munſter, leur ordonnant de procurer ſans remiſe ces Tranſlations.

Le Conſeil de Luxembourg dit, que les continuelles guerres mortalités & autres accidens ſurvenus ont ſurcis l'effet de tant de bonnes Reſolutions, & eſt d'avis, qu'on pourroit les executer dans les circonſtances d'apreſent; ſuggerant quelques moyens dont on pourroit ſe ſervir, pour eriger tant un nouvel Eveché qu'un College de Chanoines & un Seminaire.

Pour l'entretien d'un Eveque l'on propoſe la Table de l'Abbé d'Echternach, que ledit Conſeil eſtime ſur pied du tiers des Revenus à trois mille écus par an, & qu'on le faſſe Abbé perpetuel dudit Echternach comme l'Archeveque de Malines eſt Abbé d'Affligem; & le Refuge de la même Abbaye qui eſt fort ample & tenant à l'Egliſe des Peres Recolets, ſeroit propre à ſa demeure. Abbatia Epternacenſis.

Ceux dudit Conſeil tiennent que l'établiſſement d'un College des Chanoines enſemble d'un Seminaire Eccleſiaſtique ſeroit facile, en faiſant ſelon les Inſtructions du Roi Philippe ſecond & des Archiducs de glorieuſe memoire, paſſer les Religieux de notre Dame de Munſter au Cloître des Cordeliers, & ceux-ci en l'Abbaye de Munſter.

Sur quoi ils font remarquer; I. que cette Abbaye ſituée en la ville baſſe de Luxembourg fut reduite en cendres pendant le ſiege de laditte ville en M. D. C. LXXXIV, & les Religieux obligés à ſe retirer en leur Refuge en la ville haute & d'y demeurer juſquà paſſé environ trois mois, qu'ils ſont retournés dans le nouveau Monaſtere qu'ils ont bati. Pendant lequel temps pluſieurs étant decedés il n'en reſte que cinq, leſquels en dixſept ans qu'ils ont été hors du Monaſtere n'ont tenu Chœur ni Communauté, vivant une vie particuliere, & ſont à preſent incapables de redreſſer cette Abbaye. Et quand ils recevroient des Novices, il n'y auroit perſonne pour les inſtruire; & le relachement de ces vieux Moines qui ne ſont plus en age à ſe mettre ſous la diſcipline, leur ſeroit de mauvais exemple, qu'on eſt toujours incliné de ſuivre.

Ainſi il ſemble audit Conſeil, qu'il convient de ſupprimer cette Abbaye, pour en appliquer les Revenus à un meilleur uſage pour le plus grand bien de l'Egliſe: comme il a été differentes fois arreté par les Predeceſſeurs de Sa Majeſté, & qu'on pourra accommoder ailleurs le peu des Religieux qui reſtent.

A l'égard de la Commutation des Recolets en ladite Abbaye, le Conſeil de Luxembourg dit, qu'il n'y peut avoir grande difficulté, & poſent que ces Religieux Mandiants qui font leurs quetes par tout, n'auroient aucun droit de reſter dans un Convent plûtôt que dans un autre, qu'ils ne pourroient pas faire voir qu'ils y auroient été admis par Autorité Souveraine, qu'on trouve que les anciens qui y ont demeuré avant eux étoient des Conventuels ou Cordeliers de laxiore Regulâ, *que ceux-ci ont expulſé du*

temps du Duc d'Alve ſans aucun droit.

Ce qui ſemble ſe confirmer par la ſuſdite Lettre de l'Archiduc Albert du vingt-ſix Octobre M. D. C. X. où eſt dit, que les Freres de Saint François reſidens au Cloiſtre des Cordeliers ayant demandé permiſſion pour vendre les biens meubles d'icellui, afin d'employer les deniers en procedans en reparations neceſſaires, S. A. leur avoit fait declarer qu'elle ne vouloit empecher ladite vente, les adviſans neantmoins, que l'emploi deſdits deniers ès refections ne leur viendroit à propos pour la permutation pretouchée, qu'il entendoit ſe devoir faire.

Le ſuſdit Conſeil fait remarquer encore, que l'Abbaye ou ces Religieux ſeroient tranſportés, eſt un fort beau Batiment tout neuf & parfait, ſauf la Nef de l'Egliſe, qui n'eſt pas encore couverte. Pour à quoi pourvoir, ils trouveroient facilement des aſſiſtans par tout; ils ont leurs ouvriers chez eux, il y a des materiaux prets, & le bois pourra être fourni des bois voiſins de l'Abbaye.

De plus, que ce ſeroit fort convenable que ces Recollets fuſſent audit Munſter, pour ſervir les deux baſſes villes preſentement ſans ſecours ſpirituel; qu'ils rendroient le ſervice neceſſaire aux deux Hôpitaux, celui du Roy, qui eſt dans la baſſe ville de Paffendal, & celui des Bourgeois qui eſt dans la baſſe ville de Gronde, leſquels ces Religieux pourroient au beſoin ſervir de nuit, pendant que les portes de la ville haute ſont fermées.

Qu'ils ſont les Directeurs ſpirituels des Religieuſes du S. Eſprit, qui demeurent entre les deux baſſes villes, & deſquelles ils ne devroient pas être ſi éloignés, pour être peu decent de les voir en tout temps parmi les chemins allans & venans de leur Cloître vers ces Religieuſes.

Seminarium Epiſcopale.

Pour ce qui eſt du Seminaire Eccleſiaſtique a établir en la nouvelle Egliſe, ceux dudit Conſeil diſent, que ce ſeroit le moyen le plus utile pour faire un bon Clergé dans la Province, & que c'a auſſi été un des premiers ſoins qu'on a eu ci-devant, comme ſe voit par la lettre de la Ducheſſe de Parme du X. Novembre M. D. LX. ci-deſſus citée. Et il paroit par autre Lettre écrite par le Prince de Parme au Comte de Manſfelt en M. D. XCI. ainſi que d'une Reſolution donnée ſur la Repreſentation des Etats du Pays, du dernier Aouſt M. D. LXXXIX. que certains Priorés ont été donnés aux Peres Jeſuites à charge d'un Seminaire Eccleſiaſtique, lequel toutes fois n'y eſt pas.

Capitulum Cathedrale.

Pour l'entretien de ces établiſſemens l'on ſuggere un fond de 3570. écus, qui dans ce commencement ſemble pouvoir ſuffire pour un Doyen, huit à neuf Chanoines & douze Chapellains, ſelon le detail qui en eſt fait, dans la Deduction dudit Conſeil. Et ce fond ſe prendroit;

Primò. ſur les Revenus de l'Abbaye de Munſter, qui étant donné en ferme rapporteroient par an deux mille cenq cens écus.

Secundò. Il y a une Chapelle de notre Dame devant la Ville, établie par la devotion du peuple, dont les Peres Jeſuites ont la direction, la faiſant deſſervir par un Prêtre ſeculier. Sur quoi le Conſeil de Luxembourg dit, que ces Peres n'auroient aucun droit à cette Chapelle, & qu'on pourroit l'unir à la nouvelle Egliſe & Seminaire. On eſtime le Revenu de cette Chapelle pour le moins à quatre cens écus.

Burſæ Luxemburgi.

Tertiò. Des perſonnes zelées pour l'éducation des enfans de leur famille ont fondé diverſes Bourſes, dont les Peres Jeſuites pardeſſus les ſuſdits Priorez ont eu la direction, ſans y avoir voulu être aſtrains par obligation, ni à aucun Compte. Au contraire dans certain Procès, auquel les Fondateurs d'une de ces Bourſes auroient pretendu les obliger à l'accepter en l'an 1587. ces Peres exhiberent un état des biens de toutes ces Bourſes, & declarerent judicielement qu'ils s'en deportoient, & que par ordre de leur Provincial ils ſe remettoient à la diſpoſition du Conſeil. Lequel deport ſemble donner lieu à mettre ces Bourſes au College & Seminaire du Clergé, en convertiſſant l'uſage de l'education des Ecoliers à celle des Clercs. L'on eſtime, que ces Bourſes peuvent porter à trois cens écus par an.

Quartò. Qu'on pourroit encore joindre au College des Chanoines & Chapellains les Revenus de quelques Altariſtes, une Fondation qu'il y a pour la premiere Meſſe, & quelques autres Fondations qui ſont aux Recolets, qu'on dit monter enſemble du moins à trois cens ſeptante écus.

Poſtquam enim per aliàs noſtras in ſimili forma Brevis Litteras, die XXVI. menſis Junii proximè elapſi currentis anni M. D. C. C. LV. ad vos datas, typis etiam impreſſas & publici juris factas, Electionem *Joannis Van Stiphout*, Amſtelodami Pſeudo-Paſtoris, in Harlemenſem (*Hieronymo de Boch* è vivis ſublato) Pſeudo-Epiſcopum, à *Petro Johanne Meyndaerts* Pſeudo-Archiepiſcopo Ultrajectenſi, & ab ejus fictis Canonicis factam, aſſertique Epiſcopatus Harlemenſis Erectionem nullam, inanem, netariam, illegitimam ac ſacrilegam declaravimus, reſcidimus, delevimus, & abrogavimus; nec ad ipſius *Petri Johannis* de ſua deteſtabili Pſeudo-Epiſcopi Harlemenſis deſignatione, ſcriptam Epiſtolam reſpondimus;

Binas nuper nobis inſcriptas & clanculùm redditas accepimus Epiſtolas, alteram quidem ipſius *Petri Johannis Meindarts* die XXX. menſis Julii, alteram vero ejuſdem *Joannis van Stiphout* die XXIX. dicti menſis Julii proximè præteriti hujus anni datas.

Hic autem de ſua inani deſignatione & ſacrilega Conſecratione perſcribit; ille vero de nulla à Nobis data reſponſione primùm conqueritur, deinde de eadem abs ſe facta Conſecratione ſignificat; tum cauſam obtendit, quâ adductus ad tantum ſcelus paulo citius, dempto ternario Epiſcoporum numero perficiendum devenit, diuturnum ſcilicet morbum, in quem inciderat; ex quo liberatus, inſtantiſſimis plurimorum ſuorum Symmyſtarum querimoniis ſatisfacere coactus fuit, ne Epiſcopalis ſucceſſionis ordo iſtic jam dudum interruptus, & ab Apoſtolica hac Sancta Sede numquam poſt primam interruptionem agnitus, (imo ſemper exploſus) in præſentiarum morte ſua abrumperetur.

Quam-plurimis demum fucatiſque verbis uterque ſuam erga Apoſtolicam hanc ſanctam Sedem Noſque ipſos obſervantiam obedientiamque proteſtantes, incautis illudere videntur.

Nos itaque Litteras hujuſmodi (quæ callidâ arte conſcriptæ, præclaram quidem obſequii reverentiæque ſpeciem præ ſe ferunt, re ipſâ vero latentes ſuffuſi veneni dolos continent) poſt habentes, ac penitus rejicientes; pro debito noſtræ ſervitutis ſupremæque poteſtatis officio, primùm deſignationem Electionemque ipſius *Joannis Van Stiphout* in Pſeudo-Epiſcopum Harlemenſem, cum extinctique Epiſcopatûs Erectione, iterum irritam inanem ac nullam fuiſſe eſſe ac fore, tenore præſentium Litterarum noſtrarum, Apoſtolicâ Auctoritate decernimus & declaramus.

Quemadmodum tenore & Auctoritate paribus, Conſecrationem dicti *Joannis Van Stiphout*, minimè aſſiſtentibus ex præſcripto ſacrorum Canonum duobus aliis Epiſcopis, nullâque Apoſtolica diſpenſatione obtentâ, à memorato Pſeudo-Archiepiſcopo Ultrajectino, toties omnium Eccleſiaſticarum Cenſurarum fulminibus perculſo, ab omni exercitio Epiſcopalis Juriſdictionis & Ordinis ſuſpenſo, contra ſuprema Apoſtolicæ hujus Sanctæ Sedis mandata facta fuiſſe, eſſe ac fore illicitam, nefariam, ſacrilegam & execrandam, itidem decernimus & declaramus;

Ac proinde ipſum temerè nulloque jure Electum *Joannem Van Stiphout* omni Eccleſiaſticâ & ſpirituali juriſdictione pro animarum regimine carere; atque illicitè conſecratum ab omni exercitio Epiſcopalis Ordinis eſſe ſuſpenſum.

Mandamus propterea, diſtrictèque interdicimus memorato *Johanni Van Stiphout*, ſub pœna Excommunicationis ipſo-facto, ſine alia declaratione incurrendæ, ne audeat Paſtores, Miſſionarios, Miniſtros, aut alios, quocumque nomine nuncupentur, ad animarum Curam & Sacramentorum adminiſtrationem, quovis etiam neceſſitatis prætextu conſtituere & deputare.

Simul etiam palam edicimus & declaramus omnes & ſingulas prædictorum Officiorum deputationes, pro animarum regimine quocumque nomine factas aut fortaſſe faciendas, cum omnibus inde ſecutis, prorſus irritas eſſe ac nullius roboris & momenti.

Rurſus eidem *Joannem Van Stiphout* præcipimus & inhibemus, ne ſub ſimili Excommunicationis pœna audeat illicite Sacramentum Confirmationis, aut Ordines conferre, aut quoquo pacto Ordinem Epiſcopalem, à quo ſuſpenſus eſt, exercere.

Vobis autem, dilecti filii, graviter injungimus ac vetamus, ne antedictum Johannem Van Stiphout pro vero Epiſcopo Harlemenſi habeatis & agnoſcatis, neve cum eodem ullo pacto, præſertim in divinis communicetis; aut ab ipſo vel ab aliis per ipſum perperam & inaniter deputatis, Sacramenta aut Ordines accipiatis. Noverit enim, qui Ordinibus initiatus ab ipſo fuerit, ſuſpenſionis ſe vinculo conſtrictum, atque irregularitati præterea obnoxium, ſi ſuſceptos Ordines exercuerit.

Reliquum eſt ut paternis Curis noſtris filialis obedientiæ fideique veſtræ officia reſpondeant.

Nullum enim jucundius dolori noſtro ſolatium afferri poteſt, quam ut intelligamus, Vos cautè ambulantes non vocem alienorum audire, ſed Paſtorem ſequi, & domum ædificare ſupra firmam Petram. Ac vobis, dilecti filii, Apoſtolicam Benedictionem, quam cœleſtis præſidii pignus atque adverſus poteſtates tenebrarum arma & ſcutum eſſe optamus, peramanter impertimur.

Datum Romæ, apud ſanctam Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die XX VIII. Auguſti M. D. C. C. XLV. Pontificatûs noſtri Anno ſexto.

De Erectione Epiſcopatûs Harlemenſis Anno 1560. deque veris hujus Sedis Epiſcopis *Nicolao à Nova-terra*, & *Godefrido a Mierlo*, agitur *Tomo I. horum Diplom. pag.* 797. & ſeqtb.

Acta Conſecrationis primi Epiſcopi à *Nova-terra*, Hiſtoricis Batavis incognita, protulit Hoynckius Archipresbyter Mechl. Tom. III. Analectorum Belgic. pag 294.

Epiſcopi Schiſmatici, qui diebus noſtris ſubintroierunt, fuere hi.

I. Theodorus Donckers, Gaudanus Pſeudo-Paſtor Amſtelodami *à Barchmanno* Archiepiſcopo Schiſmatico Ultrajectino deſignatus A. 1727: necdum conſecratus obiit Amſtelod. 15. Julii 1731.

II. Hieronymus de Böck, Amſtelod. Pſeudo-Paſtor in Patria, conſecratus à Pſeudo-Antiſtite *Meindartio* 2. Sept. 1742. Deceſſit 21. Decembris 1744.

III. Joannes Stiphout, Amſt. Janſeniani gregis in patria Paſtor; cui idem *Meindartius* ſacrilegas manus impoſuit Ultrajecti 10. Julii 1745;

Digitized by Google

CAPUT CLII.

Add. ad libr. II. cap. 57 ſive ſupra pag. 320.

HENRICUS, *Brabantiæ ac Lotharingiæ Dux, poſſeſſiones Abbatiæ* Villarienſis, *Ciſtercienſis Ordinis in Gallo-Brabantia, enumerat, atque in ſuam ſuſcipit Protectionem, anno* 1197.

Ex Camera Comput. Bruxell.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen.

Ego HENRICUS Dux Lotharingiæ, notum facio tam præſentibus quam futuris, quod ſub preſentis Privilegii ſignaculo, poſſeſſiones Beatæ Mariæ de Villari in meam Protectionem ſuſcipio. In quibus hæc propriis exprimuntur vocabulis. Monaſterium ipſum cum omnibus appenditiis ſuis. Grangia quę Corrues dicitur, cum terris, quas incultas Eccleſia Nivellenſis Villarienſi olim contulit in territorio Baſienſi, terris etiam cultis legitimè acquiſitis à manſionariis in eodem territorio. Terris quoque de Feodo Godefridi de Baiſiu, collatis aſſenſu præfatæ Eccleſiæ, laudante uxore ſua Ivetta cum filiis ſuis. Uſuaria ſilvæ de Heies, abjudicatâ Franconi Villico & ſucceſſoribus ejus omni calumpniâ Octo bonaria ejuſdem ſilvæ, inter Porciſontem & Canellatum pontem cum uno bonario in Liberti-Sarto.

Pratum quod dedit Arnulfus de Gembleus aſſenſu Weirici Militis & Walteri Sartel & filii ſui. Terra & ſilva quam dedit Henricus de Cokerul aſſenſu Willelmi & Henrici de Holtain. Decimę de prædicta terra, cum Decimis de Pontelges, quas dedit ipſe & filius ſuus Henricus. Prata de allodio Gertrudis, aſſenſu filiorum & filiarum ſuarum.

Terra cum ſilva quas Willelmus de Glabais, & Gallenus & Cæſarius donarunt. Terra de Tilhir de dono Willelmi de Arſcot. Nemus Balduini de Lupung . . . . Odæ uxoris ſuæ & filiorum ſuorum, aſſenſu fratrum ſuorum, Johannis & Arnulfi per manum meam oblatum, cum nemore Adæ de Morialmez Nemus quod dedit Rigandus de Ravia aſſenſu filiorum & filiarum ſuarum, coram Gerardo de Ravia & Gerardo de Bordel.

Terra Lamberti de Thil, aſſenſu Balduini & Johannis de Luxembourg coöpatione uxoris ſuæ antequam liberos ex ea ſuſcepiſſet. Nemus quod Beatrix de Limale contulit per manum Alardi de Vil... Godefridi de Tilhier.

Terra de Gentines, cum cenſu & omni alio jure, de dono diverſorum. Grangia de Scoyſe, de dono Servatii & uxoris ſuæ, per manus meas collata.

Allodium de Roharſart. Allodium de Ramelgeis. Grangia de Orſelemont & Weriſtel, quod ego-met dedi per Alardum Rap, & Walterum de Muro. Viller. Thorenbais, cum omni jure cenſus & decimationis.

Terra Philippi de Malavia, aſſenſu filiorum ſuorum.

Terra Evrardi de Harbais quam donavit per manum patris mei Ducis Godefridi, aſſenſu ſororis ſuæ, & in mea præſentia coram Hominibus meis ipſe & filii & filiæ ſuæ werpiverunt. Terra Claritiæ de Sarto, quam cum viro ſuo Waltero, & Alardo filio ſuo donavit, aſſenſu Odæ de Donglebert & Eliſabet filiæ ſuæ, de allodio quod dedit Gerardus de Hugardis & uxor ejus & filii.

Grangia quæ dicitur Lompreit, vel Sartum Rei barbe cum omnibus appenditiis ſuis.

Terra quam dedit Henricus de Les coöperatione Odæ uxoris ſuæ & filiorum ſuorum Sigeri Walteri Thomæ Engelrami, in præſentia Godfridi de Calmont, & Boſonis nepotis ſui, & Arnulfi de Walein.

Grangia quæ dicitur Belfay, de beneficio Willelmi de Birbais, quam per manum meam donavit, aſſenſu fratrum & ſororum ſuarum. Terra Allodii, quam aſſenſu fratrum ſuorum contulit per manum prædicti Willelmi ...

Terra Henrici Villici de Willenbringe, quæ eſt ſub cenſu trium denariorum. Grangia de Scotes, cum omnibus pertinentiis ſuis.

Hæc igitur, & quæcumque bona Eccleſia de Villari in præſentiarum poſſidere cernitur vel deinceps adipiſci legitimè poterit, ſalva & illibata conſervari, omnibus juri parentibus præcipio.

* Conſer. Diploma ex Tomo II. Pag. 971.

Porrò Fratres præfatas poſſeſſiones excolentes ſint immunes & liberi in omni loco Poteſtatis meæ ab omni ſeculari exactione, vectigali & theloneo, cum jumentis armentis & pecoribus ſuis.

Sed & hoc diſtrictè volo obſervari, ne Apoſtolicæ Sedis Indulgentias, & ſui Ordinis Inſtituta cogantur tranſgredi vel infringere.

Præſcripta proinde quatenus perpetuâ ſtabilitate fulciantur, præſentem Paginam Sigilli mei impreſſione & Teſtium ſubſcriptione communivi. Quorum hæc vocabula ſunt,

Guido Abbas Claræ Vallis.
Godſcalcus Abbas Valcellenſis,
Gualterus Abbas Bullionenſ.
Simon Abbas de Los.
Henricus Decanus Eccleſiæ Sti. Petri in Lovanio.

Digitized by Google

Renerus de Limale.
Arnulfus de Walehain, & Renerus frater ejus.
Godefridus de Monte.
Alardus Rapa.
Walterus de Muro & alii quam plures.

Actum Villari anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo nonageſimo ſeptimo, nono Kalendas Junii, in vigilia Penteceſtes ejuſdem anni, preſente & annuente Machtilde Duciſſa.

CAPUT CLIII.

Add. ante Cap. 63. libr. II. ſive ad pag. 224.

HENRICUS I. *Lotharingiæ ac Brabantiæ Dux, benefacit Majori Hoſpitali S. Joannis Baptiſtæ* Bruxellis, *anno* 1204.

Ex Archivis Hoſpital.

IN nomine Sanctę & individuæ Trinitatis. Ego HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingiæ omnibus in perpetuum. Cum labilis eſt hominum memoria, & de facili labuntur quæ temporaliter fiunt, niſi Litterarum indiciis perpetuentur: eâ propter notum ſit tam futuris quam præſentibus, quod in animarum ſalutem, meæ meorumque Prædeceſſorum & Succeſſorum, liberè contuli ac ſalubriter in elemoſina teloneum de omnibus lignis quod ad me pertinet in Bruxella, ad opus pauperum Hoſpitalis Beati Johannis, quod antea Sancti Spiritûs dicebatur. Et ut hæc Elcëmoſina ac ejus Donatio ſtabiliter imperpetuum tam à me quem à meis Succeſſoribus teneatur, præſentem Paginam Sigillo meo róboratam in Teſtimonium feliciter contuli, Teſtibus hiis qui ſubſcripti ſunt, tam Laycis quem Clericis. Clerici interfuerunt.

Guillermus Præpoſitus.
Magiſter Michael, & totum Beatæ Gudilæ Capitulum.
Franco Capellanus.
Reynerus, & Reynerus, Notarii.
Layci vero interfuerunt.
Franco de Gemblues.
Robertus de Thenis.
Arnoldus de Hudinchem.
Waltherus Cleutinck.
Meiſo & Franco de Hoelaer: fratres.
Jacobus Wamble; hii Milites fuerunt.
Scabini vero Bruxellenſes interfuerunt:
Primus, Martilius.
Secundus, Georgius.
Tercius, Eſcelinus.
Quartus Henricus de Sancto Gaugerico.
Sigerius vero quintus.
Henricus de Spigla & alii multi Meliores prænominatæ Urbis.

Præterea Bannum à prænominato Capellano meo Francone publicè fieri precepi, ne quis huic facto noſtro temere præſumeret contraire. Facta ſunt ſolempniter anno Dominicæ Incarnationis M. C. C. quarto; & hoc in Vigilia Aſſumptionis Sanctæ & intemeratæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ.

CAPUT CLIV.

Addit. ante Cap. 64. lib. II. ſive ſupra pag. 225.

JOANNES I. *Brabantiæ Dux, bona Abbatiæ* Heilisſemienſis *Ordinis Præmonſtratenſis in Gallo-Brabantia ſuſcipit in Protectionem Anno* 1207.

Ex Camera Rationum Bruxell.

JOHANNES Dei gracia Dux Lotharingiæ, Brabantiæ ac Luxembourgiæ, univerſis Seneſcallis, Baliviis, Ammannis, Sculletis, Villicis, Foreſtariis ac omnibus Officialibus & Miniſtralibus, nec non & omnibus Hominibus Allodialibus & Feodalibus, Scabinis, Manſionariis, & omnibus aliis quibuſcumque Ducatûs Brabantiæ, tam modernis quam futuris, ad quos præſentes Litteræ pervenerint, ſalutem & dilectionem cum noticia veritatis.

Noverit univerſitas veſtra, quod Nos Viris Religioſis & in Chriſto dilectis Abbati & Conventui Eccleſiæ Helencinenſis Præmonſtratenſis Ordinis, omnia bona ſua Allodialia Feodalia cenſualia, cum eorumdem Hominibus Allodialibus Feodalibus & Manſionariis, cum fructibus etiam cenſibus redditibus atque Juribus & omnia alia bona univerſa & ſingula, quæ ipſi Abbas & Conventûs Donacionis titulo in Elemoſinam, empcionis vel alio quocumque titulo à Nobis vel noſtris Prædeceſſoribus vel ab aliis quibuſcumque perſonis acquiſierunt vel conſecuti ſunt tempore noſtro, & etiam tempore Cariſſimi Patris noſtri commendandæ memoriæ Domini Johannis quondam illuſtris Ducis Brabanciæ aut aliorum Prædeceſſorum noſtrorum Ducum Brabanciæ. Ex quibus hæc inferiùs annotata propriis duximus exprimenda vocabulis.

Do-

Domum eorumdem Religioſorum in Elenshem, ſitam in longa platea, cum ſuis appendiciis. Bona etiam quæ Dominus Balduinus quondam de Elenshem Miles cum cenſu caponibus & manſionariis apud ipſam Villam de Elenshem eiſdem Religioſis contulit. Rivum etiam nuncupatum Harbeka, qui per Abbaciam ipſam & Conventum curſum facit. Piſcariam de Jacea retro Abbaciam prædictam, à ponte de Linſmael uſque ad pontem de Kuimont.

Triſæum etiam in exitu Villæ de Helencmael quæ vocatur Steinbergh. Bona etiam eorumdem in Campinia apud Villam de Veghele. Bona eorumdem apud Villam de Dungelbert, quæ fuerunt quondam Magiſtri Lamberti Curiç Leodienſis Advocati. Item bona ipiorum ibidem apud Dungelbert ab aliis acquiſita. Bona etiam eorum apud Vileir-le-poplir, ab eiſdem Religioſis erga Dominum Oſtonem de Waelhain Militem acquiſita; & omnia alia bona poſſeſſiones & libertates à quibuſcumque perſonis & in quibuſcumque locis à quibuſcumque Curiis ſeu Dominis deſcendant; licet in præcedenti Pagina non ſint annotata, in terris pratis paſcuis, ſilvis, aquis, aquarum decurſibus, molendinis, Triſeis, Werſcapiis, cenſibus, redditibus, Manſionibus, Villis, Hominibus Allodialibus Feodalibus Manſionariis, Scabinis, Dominis, & aliis quibuſcumque rebus à Nobis vel à noſtris Prædeceſſoribus Ducibus Brabanciç, vel noſtris & Prędeceſſorum noſtrorum Seneſcallis, Balivis & aliis Officialibus ex parte noſtra & noſtrorum Prædeceſſorum eiſdem Religioſis conceſſa, ſeu acquiſitas ſive ab aliis quibuſcumque;

Omnes Cartas & Literas in quibus dicta bona eorumdem continentur, Sigillis noſtris & noſtrorum Prædeceſſorum, aut noſtrorum Seneſcallorum, Balivorum, & aliorum Officialium, aut aliorum Militum vel Scabinorum, & aliorum quorumcumque Sigillis ſigillatas, in omni jure uſu & conſuetudine, quibus ea hactenus tempore noſtro & Prędeceſſorum noſtrorum tenuerunt & poſſederunt, ſub noſtra Protectione & Defenſione ſuſcipimus, eadem approbamus, confirmamus, & ipſis Religioſis præſentis Scripti Patrocinio communimus.

Vobis univerſis & ſingulis firmiter precipiendo mandantes, quatenus dictos Abbatem & Conventum in omnibus præmiſſis & ſingulis ſuo jure uſu & conſuetudine, prout hactenus tenuerunt & ſecundum Legem Patriæ in poſſeſſione fuerunt, quiete & pacificè gaudere permittatis.

Nec ſuper eiſdem aliam quam antea conſueverunt novam Legem aut Conſuetudinem eiſdem inducatis vel induci ſuſtineatis, aut moleſtari, vel perturbari permittatis.

Et ſi aliqui vel aliquis contra Cartas vel Litteras eorumdem prædictas aliqua dicere voluerint, vel contra Bona eorum, in quibus in poſſeſſione fuerunt ſecundum uſum & Legem Patriæ, non per vos hujuſmodi cauſa terminetur nec tractetur: ſed Nobis perſonaliter dicta Cauſa, ſeu Cauſæ terminandæ & tractandæ relinquantur. Quæ omnia præmiſſa & ſingula promittimus bonâ fide dictis Religioſis fideliter & firmiter obſervare, & eiſdem ſuper præmiſſis contra quoſcumque præſtare Warandiam & Tutelam. Et ad hoc Nos & noſtros Succeſſores firmiter obligamus, præſentium teſtimonio Litterarum, noſtro Sigillo ſigillatarum.

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptimo, menſe Marcio.

CAPUT CLV.

Add. ante Cap 64. Lib. II. ſive ſupra ad pag. 225.

Fundatio Abbatiæ Parci Dominarum, *Monialium Ciſtercienſium, in vico de Wezemael juxta Lovanium, authore* REYNERO DE DINA, *anno* 1215. *per* HENRICUM I. *Brabantiæ Ducem confirmatur. Accedunt Donationes DD. Rotzelariæ, Graviæ, &c.*

HENRICUS, Dei gratiâ Dux Lotharingiæ: univerſis ad quos Scriptum præſens pervenerit, in Domino ſalutem. Univerſitatem veſtram ſcire volumus, quod REYNERUS DE DINA univerſa bona ſua, quæ apud *Rochelar* & apud *Dina* quocumque titulo poſſidebat, tum in culturis terræ, tum in pratis, in viridi & in arido, in manus noſtras liberè reſignavit: ſupplicans Nobis, quod eadem bona pleno jure ſicut ea poſſidebat, Abbatiſſæ & Conventui de *Parco Dominarum* conferremus.

Nos autem in hac parte petitioni ſuæ aſſenſum præbentes, prædicta bona, juxta formam prænotatam, dictis Abbatiſſæ & Conventui pleno jure im-perpetuum poſſidenda, pro conſequenda delictorum noſtrorum apud Jheſum-Chriſtum indulgentiâ, contulimus.

Ut autem hoc ratum permaneat, præſens Scriptum Sigilli noſtri munimine roboramus. Teſtes qui interfuerunt,

Arnoldus Dapifer,
Arnoldus de Wale,
& Goſuinus de Gozencurt, & alii quamplures.

Digitized by Google

Actum anno Domini milleſimo-ducenteſimo quinto-decimo.

II. Diploma HENRICI *Ducis A.* 1241.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Sciat univerſitas tam poſterorum quam præſentium, quod Ego HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, in ſpe divinæ clementiæ cultum Domus Domini ampliari deſiderans, Abbatiam Sanctimonialium Ciſtercienſis Ordinis, qui *Parcus Dominarum* vocatur, in Terra noſtra prope Lovanium temporibus meis conſtitutam ampliavi, eamque cum ſuis perſonis & poſſeſſionibus, nec non & omnibus bonis à me vel ab aliis eis collatis, vel in poſterum conferendis, ſub mea & Filii mei & omnium Succeſſorum Protectione ſuſcepimus.

Et ut ampliori noſtro gauderet beneficio, aliquibus bonis à noſtris Feodalibus ad opus ejuſdem Abbatiæ in manus noſtras reſignatis eam dotavimus: quæ ſunt hæc. Pars Parci de Rochelaer & Curia quam prius habitabant. Pars Decimæ de Merbeke, quam H. uxor Dapiferi eis contulit. Omnes poſſeſſiones Reineri ejuſdem Abbatiæ Proviſoris. Pars Decimæ de Erpſe. Pars Decimæ de Cortbeke. Pars Decimæ de Tildunc. Pars Decimæ de Hamma.

Hæc autem, & omnia quæ prædicta Abbatia nunc poſſidet, vel poſſeſſura eſt, eidem confirmamus; & ne aliquis ſuper hiis violentiam eis inferre præſumpſerit, Sigilli noſtri munimine roboramus. Quod ſi quis temerario auſu præſumpſerit, noſtræ indignationis iram ſe ſcierit incurriſſe.

Huic Collationi noſtræ multi, tam Nobilium quam Miniſtralium noſtrorum cum Clericis interfuerunt.

Henricus Præpoſitus Lovanienſis.
R. Capellanus noſter.
R. Notarius.
Waltherus Berthaut.
Godefridus de Schoten.
A. de Weſemale.
Goſwinus de Gochencourt.
A. de Wale.

& Scabini Lovanienſes, W. Ceſar, W. Corſebout, S. de Atrio, Meiſo, & alii quam-plures, tam Militum quam Burgenſium.

Actum Lovanii, anno ab Incarnatione Domini M. C. C. XLI.

III. Diploma HENRICI *Ducis A.* 1224.

HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, omnibus hoc Scriptum videntibus, ſalutem. Sciatis, quod *Gerardus* Miles de Greis, Homo noſter, quamdam Decimam de Nobis ibidem tenuit in Feodum, & illam Decimam ad opus Monialium de Parco in manus noſtras reportavit; Et Nos eandem Decimam ad preces ſuas, & ob amorem Jheſu Chriſti, nec non ob favorem, quem habuimus adverſus prædictas Moniales, in elemoſynam liberè contulimus & abſolutè ſupradictis Monialibus. Volentes etiam, quod ipſam in bona pace de cætero teneant & poſſideant.

Et ut hoc ipſis in poſterum ſit firmum & ſtabile, præſens Scriptum Sigillo noſtro ſigillatum eis dedimus in teſtimonium. Teſtes hujus rei ſunt,

Ludovicus Advocatus de Levedala.
Goſwinus de Gozencurt.
Arnoldus de Wezemale.
Waltherus Clutinc.
Deizo de Helrode,
Joannes de Frodeval, Scabini de Greis, & alii plures. Reinerus & Balduinus hujus Cartulæ confectores.

Datum apud Greis, anno Domini M. C. C. XXIV. menſe Aprili.

IV. Diploma ejuſdem Ducis, A. 1230.

HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, omnibus preſentem Paginam inſpecturis, ſalutem in Domino noſtro Jheſu-Chriſto. Tenore præſentium univerſitati veſtræ notum facimus, quod Donationem quam Arnoldus bonæ memoriæ Dapifer de Rothſelaer fecit anno Domini M. C. C. XVIII. Abbatiſſæ & Conventui de Parco Dominarum, Ciſtercienſis Ordinis, Leodienſis Dioceſis, de omnibus Decimis ſuis, ubicumque eas poſſidebat, eiſdem in elemoſynam collatis, quam etiam Dilectus noſter Arnoldus filius ejuſdem in præſentia noſtra conſtitutus recognovit, & ratam habuit anno Domini M. C. C. XXX tertio, approbamus & ratam habemus, & eaſdem Decimas vocabulis appropriatis duximus exprimendas.

Dictus autem Arnoldus Dapifer de Rothſelaer piæ recordationis, dictis Abbatiſſæ & Conventui contulit Decimam de Rothſelaer, Decimam de Haght, Decimam etiam quam habuit apud Vuren, Decimam de Vorſelare, & alias omnes quas de conſenſu Dominorum à quibus eas in Feodum tenebat, poterat conferre. Et ſciendum eſt, quod iſti Collationi interfuerunt,

Fr. Walterus Abbas Villarienſis,
Walterus Bertholt,
Egidius Bertholt,
Arnoldus de Dieſt,
Willelmus de Grimberge,
Arnoldus de Weſemale,
Arnoldus de Walem,
Goſuinus de Gocheove,
Walterus Clutinc,
Henricus dictus Brunus,
Daniel Perſona de Rotſſelaer, & alii quam-plures.

Digitized by Google

Et ut iſta Ratihabitio ſtabilis maneat in perpetuum & inconcuſſa, preſentem Cartulam ſæpe-dictis Abbatiſſæ & Conventui contulimus, Sigilli noſtri munimine roboratam.

Datum anno Domini M. C. C. XXX. tertio, menſe Aprili.

V. Diploma Aleydis *Duciſſæ, A* 1261.

Add. ante Cap. 92. libr. II. ſeu pag. 246. ſuperius.

Aleidis Duciſſa Lotharingiæ & Brabantiæ, Tutrix legitima Terræ prædictæ ac ſuorum liberorum, univerſis præſentes Litteras inſpecturis ſalutem in vero Salvatore.

Ad univerſorum noticiam volumus pervenire, quod Vir Nobilis Arnoldus Dominus de Rotſlaer dictus Dapifer Brabantiæ, in noſtra propter hoc præſencia conſtitutus, divinæ pietatis intuitu, ob remedium animæ ſuæ ſuorumque Predeceſſorum, de conſenſu etiam & voluntate Nobilis Mulioris Beatricis uxoris ejuſdem ibidem preſentis, Decimam majorem & minutam, quam in territorio Villæ & Prochiæ de Rotſelaer cum aliis ſuis bonis à Nobis & noſtris liberis in Feodum tenebat & habebat, Monaſterio Dominarum de Parcho Ciſtercienſis Ordinis per Donacionem inter vivos in Elemoſynam contulit, & eam in manus noſtras reportavit, ad opus Monaſterii ſupradicti; Reſervato tamen ſibi Jure Patronatus Eccleſiæ prædictæ de Rotſlaer, quod ad eum & ſuos Prædeceſſores, ratione Feodi prædicti pertinebat; in quo Abbatiſſa & Conventus Monaſterii prædicti virtute Donationis hujuſmodi nichil Juris ſibi poterunt vendicare.

Jus Patronat. de Rotſelaer.

Nos vero ob remedium animæ Kariſſimi Domini & Mariti noſtri, Domini Henrici Ducis Brabantię piæ memoriæ, Donacionem ſupradictam nomine noſtro ac nomine liberorum noſtrorum laudavimus & approbavimus; Decimam prædictam Monaſterio prædicto in Elemoſinam conferentes, & ipſam in manus Abbatiſſę dicti Monaſterii reportavimus, ab ipſa & ſuo Conventu in perpetuum ſuum Allodium poſſidendam.

Jus tamen & dominium quod Nos & liberi noſtri in Villa & bonis de Rotſlaer habebamus, Nobis & ipſis liberis reſervavimus & expreſſe, de conſenſu & expreſſa voluntate Nobilis ſupradicti.

Acta ſunt hæc in Caſtro Lovanienſi anno Domini M. C. C. LX. primo, feriâ quartâ poſt Feſtum Beati Dionifii.

Viro nobili Domino Th. de Birbeke,
Arnoldo Domino de Walheem,
Gerardo de Yſche,
Willelmo de Berghen,
Henrico de Oppendorp,
Henrico Sutpart de Herent, Militibus,
Magiſtro Waltero de Valebeke,
Magiſtro Sygero Phyſico noſtro,
Magiſtro Symone de Geldenake,
Et Magiſtro Petro, Clericis, Scabinis Lovanienſibus & pluribus aliis præſentibus.

In quarum rerum teſtimonium & munimen Litteras noſtras patentes contulimus Abbatiſſæ & Conventui ſupradictis, Sigillo noſtro roboratas.

Datum anno & die ſupra-dictis.

CAPUT CLVI.

Add. ante Cap. 41. Libr. IV. ſive ſupra ad pag. 533.

Osto de Traizegnies, *benefacit Domui (vulgariter Commendariæ) de* Vaillenpont, *Ordinis* S. Joannis Jeroſolym. *in Gallo-Brabantia, Anno* 1220.

In nomine Stæ. & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs Sancti.

Ego Osto (1) Miles, Dominus de Trasenies univerſis Sanctæ Matris Eccleſiæ filiis ac fidelibus tam præſentibus quam futuris, præſentem Paginam inſpecturis, in perpetuum.

Cum labilis ſit & variabilis mortalium memoria, & proceſſu temporis mater erroris oblivio ſubrepere ſoleat, in factis hominum rixas & diſcordias ſuſcitando, & relinquens poſteris occaſionem & materiam malignandi; neceſſarium eſt & pertutile, Actiones Pactiones, Conventiones & Proviſiones que fiunt inter homines, fundamentum habere ſtabilitatis, & vivacis Scripti memoriâ, quod oblivionem non patitur, perhennari.

Inde eſt, quod innoteſcere volumus univerſis & ſingulis, quod cum Fratres Domus Miliciæ Templi de Valionpont prope Rameliam ſitæ, quaſdam Terras acquiſiviſſent pertinentes ad Feodum de Roignon (cujus Villæ Feodi medietas attinebat ad bonæ memoriæ patrem meum Egidium Dominum de Traſenies, quæ nunc eſt ad Nos poſt ejus deceſſum devoluta) dictus Pater meus ratione terrarum in Feodo ſuo à Fratribus de Valionpont acquiſitarum requiſivit ab eis Herbergagia, exactiones alias, & querelas.

Poſtmodum vero dictus Pater meus, divinitus inſpiratus, volens animæ ſuæ ſaluti ſalubriter providere, pro ſpe & fructu retribucionis æternæ prædicta Herbergagia, omnes exactiones & querelas, quas habebat adverſus Fratres præfatæ Domus ipſis liberaliter ex toto remiſit, & eos exinde quitos

Digitized by Google

clamavit : salvâ solucione censûs ejusdem Terræ.

Ego autem volens hoc factum Patris mei circa Domum de Valionpont irrevocatum permanere, & pedem habere firmitatis, gratum ipsi facto assensum & favorabilem in omnibus præbeo voluntatem.

Præterea recognosco, quod Domus de Valionpont habet in nemore Nivellensi usum-fructum de mortuo bosco, & pasturagium, pro pane uno & gallina.

Ut autem prædicta rata permaneant & inconvulsa, & ut præsenti Paginæ fides forcior adhibeatur, ipsam in testimonium veritatis Sigilli nostri appensione fecimus roborari.

Actum anno gratiæ M. C. C. XX. mense Aprili.

(1) OSTO DE TTAZEGNIES Illustris est Gallo-Brabantiæ Familia, multorum olim Monasteriorum benefactrix. Stemma illius exhibitum legitur Tomo I. horum Diplom. pag. 576. & 765.

(2) VAILIENPONT. Ejusdem Terræ Donatio prostat supra Tom. II. pag. 1209. Communius tamen præclaræ & opulentæ Commendariæ hujus nomen est, *Chantraines:* jacet in Gallo-Brabantia.

De statu Melitensis Ordinis in Belgio, legi mereretur Gallo-Brabantia Baronis *Le Roy* p. 20.

CAPUT CLVII.

Origo prima Vineæ seu Begginagii Bruxellensis, *Fundatore* Reynero à Breedteycken, *Pastore Molembecæ, Persona Meerbecæ &c. pro quinque Begginis, anno* 1250.

Ex Archivis Bruxell.

IN Dei gratiâ Cameracensis Episcopus, universis præsens Scriptum visuris, cognoscere veritatem.

Noverint tam præsentes quam futuri, quod Ordinationem quam fecit Magister REYNERUS Persona de Merbeka Provisor Beginarum in Vinea, cum quatuor filiabus Beginis Michaëlis dicti Cani de Goyca, scilicet Beatrice, Heilewide, Ade, Katherine & Katherine filia sororis earumdem, de quadam Curti supra quam edificaverunt Domum, & de mansione in eadem Domo ratam habemus pariter & acceptam.

Ut autem hæc Ordinatio firma permaneat & inconcussa, præsentem Paginam Sigilli nostri appensione dignum duximue roborandam.

Actum anno Domini M. C. C. L. sexto Martio.

A quinque Begginis, è vico de Goycke prope Leeuwam S. Petri oriundis, jacta sunt initia celeberrimi Begginagii Bruxellensis, in quo numerabantur ineunte hoc sæculo Begginæ nongentæ: hodie vix 300.

Fundator earum *Reinerus Breedteycken*, fuit Persona loci Bort-meerbeeck, Pastor in Molembeka juxta Bruxellam, cujus Appendix tunc erat Ecclesia Stæ. Catherinæ; priusquam hæc & hoc Begginagium intra muros urbis concluderentur. In vetere hujus Vineæ templo lectum aliquando Fundatoris ejus Epitaphium.

Hic cyppus renovatus est 14. Junii 1619. ad perpetuum recordamentum ac Monimentum æternum M. REINERI VAN BREEDTEYCKEN Fundatoris hujus Vineæ. Qui vivere desiit An. Dom. M. C. C. LVI.

CAPUT CLVIII.

Add. ad Cap. 68. Libr. IV. supra.

Concordia inter Abbatem Mediolacensem *Ordinis S. Benedicti, Diœcesis Trevirensis, &* Godefridum de Asperomonte, *super Oppido* Damvillerienſi *in Provincia Luxemburgensi, variisque Juribus ejusdem, Anno* 1282; *probante* HENRICO *Marchione Luxemburgensi.*

Ex Codice MS. Consilii Luxemburg.

UNiversis præsentes Litteras inspecturis. Nos Abbas, totusque Conventus Monasterii (1) Mediolacensis Ordinis S. Benedicti Trevirensis Diœcesis, nec non JOFFRIDUS Dominus de ASPEROMONTE Virdunensis Diœcesis & de Duno, Remensis Diœcesis, notum esse volumus, quod Nos attendentes inviolabilem devotionis & fidei puritatem, quam universitas Banni nostri de Damvillers erga nostros Prædecessores & Nos habuisse noscitur;

Considerantes etiam pericula quæ nobis & nostris Successoribus evenire poterant, nec non alia satis grata servicia quæ Homines Universitatis ejusdem Banni nobis hactenus exhibuerunt, ut Bannum ipsum in posterum libertate gaudere valeat, & bonis

nis habitatoribus de bono ſemper in melius amplietur;

Præſenti Privilegio indulgemus eiſdem, ut qui de cœteris partibus & villis elegerunt incolatum Banni ejuſdem, illuc ſalubriter veniant, & ſecurè morentur ibidem: cum aliis prædicti Banni Burgenſibus, communi Privilegio gaviſuri, ab inde per Nos & Succeſſores noſtros nullo unquam tempore revocandi. Eximentes univerſos & ſingulos homines ex nunc dictum Bannum inhabitantes, & eorum Succeſſores, ab omnibus Daciis, Collectis, & exactionibus aliis, juxta Legem Belli-montis; ac omnes bonos uſus & Conſuetudines approbatos, quibus Belli-montis gaudere ſunt ſoliti, ſecundùm Legem eorumdem, confirmamus eiſdem.

Et ne materia quæſtionis aliqua ſeu diſſentionis inter Nos in futurum oriatur, & ad removendam omnem dubietatem de bonis Banni prædicti & redditibus, providâ deliberatione taliter duximus ordinandum & ſtatuendum.

Quod Eccleſia ſeu Monaſterium Mediolacenſe domum ſuam, cum orto pomerio & grangia ante domum ac pratum, pro duodecim quartariis fœni annuatim percipiendis ibidem habeat, & poſſideat deinceps pacificè & quiete, ſine aliqua exactione aut ſervitute.

Et quod Dominus Aſperomontis ſeu ejus officiatus de cœtero non hoſpitabuntur in dicta domo, nec aliquid capient, præter conſenſum eorum qui dictam domum tenebunt in futurum.

Ipſaque Eccleſia ſeu Monaſterium Mediolacenſe Decimas omnes groſſas & minutas ejuſdem Banni percipiet, & legatis & Jure Patronatûs Eccleſiarum ejuſdem Banni plenariè gaudebit Dominus de Aſperomontis, & idem habebit in dicta Villa de Damvillers aream pro domo conſimili conſtruenda, orto & pomerio & grangia, & pratum, juxta quantitatem dictæ domus Eccleſiæ Mediolacenſis & prati ejuſdem, quod quidem pratum ipſa Eccleſia primitus recipere debet.

De nemoribus vero dicti Banni quantum nobis viſum fuerit expediens & pro utilitate cujuſlibet nobis retinemus, communitate à nobis conſervanda.

De aliis autem & redditibus & proventibus ejuſdem Banni taliter ordinamus. Eorum terragia furna molendina, ſtagna piſcariæ emendæ & cenſus, ac etiam omnes alii redditus & proventus quicumque fuerint, inter Nos communiter & æqualiter annis ſingulis, dolo & fraude quolibet amoto, dividentur.

Statuimus etiam, quod aliquis noſtrûm abſque alio aliquid à Burgenſibus exigere non poſſit nec etiam recipere, aut in dicto Banno aut ejus confinio, in redditibus & poſſeſſionibus acquirere in futurum; niſi ea quæ dicto Monaſterio in Eleëmoſynam collata fuerint, ſeu legata.

Et ſi hæreditas aut aliquid quod ſpectat ad hæreditatem Chriſti, Monaſterio legetur, dictum Monaſterium ſeu ejuſdem Miniſtri, illud infra annum à tempore Legati computandum vendere tenetur, ſeu tenentur Burgenſibus in dicto Banno commorantibus, aliis autem nequaquam.

Et ſi venditionem hujuſmodi Legati contigerit intra tempus prædictum non eſſe factam, totum id in manibus Villici & Scabinorum loci remanere, novis Burgenſibus diſtribuendum, volumus.

Inſuperque in Villa de Deuvillers, Banna pro foro, & aliæ augmentationes quæ ad commodum & utilitatem noſtram ſunt & erunt, communibus ſumptibus fiant. Remanebit autem pars ipſius Monaſterii in protectione ſeu tuitione ipſius Domini de Aſpero-Monte, ſicut prius, in perpetuum conſervanda.

Hanc igitur Libertatem & Ordinationem promittimus ſub debito Juramenti à Nobis & noſtrûm altero prætato Nos inviolabiliter obſervaturos, & ſub pœnis excommunicationis, quam ab Ordinariis locorum in Nos & noſtrûm quemlibet ferri volumus, ſi contra præmiſſa vel aliquid præmiſſorum veniremus in futurum.

Nos vero Dominus Aſperomontis volentes & conſentientes, quod ſi contra-venerimus in toto vel in parte, vel dictum Monaſterium in parte ſua & in jure ſuo moleſtaverimus, & ſi ſententiam excommunicationis per annum ob hoc ſuſtinuerimus, quod Terra noſtra ubicumque fuerit Eccleſiaſtico ſupponatur Interdicto, & etiam ubi nos pernoctare contigerit, per triduum ſequens ceſſetur à Divinis, quouſque ad condignam venerimus ſatisfactionem.

Volumus etiam, quod Illuſtris Vir Comes Luzelburgi & Marchio Arlunenſis Dominus loci Feodalis, ad obſervantiam prædictorum ſi opus fuerit, Nos & Succeſſores noſtros compellat; & ad hoc nos firmiter obligamus, renuntiantes exceptioni doli mali & in factum, omnibus auxiliis & defenſionibus Canonum & Legum, Privilegiorum, Statuti, uſus & conſuetudinis, circumventionis & fraudis, quibus poſſemus contra prædicta, vel aliquod de prædictis facere vel venire.

In cujus rei perpetuam memoriam & firmitatem, Nos Abbas & Conventus Sigilla noſtra, & Nos Joffridus Dominus Aſperomontis & Duni, Sigillum illuſtris Viri Domini Comitis Lutzelburgi, de cujus conſenſu & voluntate præmiſſa facta ſunt, unà cum ſigillo noſtro præſentibus ſunt appenſa.

Et Nos Henricus Comes Lutzelburgenſis & Marchio Arlunenſis omnia prædicta approbantes, conſenſum noſtrum dictæ Libertati & Ordinationi adhibemus, & ad re-

quiſitionem dicti Domini Godefridi, qui Advocationem ipſius Banni à nobis in Feodum tenet, & quem ad obſervandum præmiſſa quantum in nobis eſt compellere promittimus, Sigillum noſtrum præſentibus Litteris duximus apponendum.

Actum & datum in craſtino Beati Joannis Baptiſtæ, anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo-ſecundo.

Add ante Cap 104. Lib II. ſive pag. 257. ſuperius.

CAPUT CLIX.

JOANNES I. *Lotharingiæ ac Brabantiæ Dux, poſſeſſiones quaſcumque Abbatiæ* Grimbergenſis, *Ordinis Præmonſtratenſis juxta Bruxellas, in tutelam ſuſcepit Anno* 1284.

Ex Archivis Cameræ Rationum Bruxellis.

JOHANNES, Dei gratiâ Dux Lotharingiæ & Brabanciæ, univerſis tam præſentibus quam futuris, præſentes Litteras viſuris & audituris, noticiam veritatis cum ſalute.

Animadvertentes & diligenter conſiderantes, qualiter Anteceſſores noſtri Duces Brabanciæ proſecuti fuerint & benignè pertractaverint Religioſos Viros Abbatem & Conventum Grimbergenſem, ſuſcipiendo eoſdem cum perſonis eorum, bonis etiam mobilibus & immobilibus, in tutela & protectione, tanquam Domini & eorum Advocati ſummi: velut patet per Inſtrumenta publica ſuper hoc confecta, quæ nos inſpeximus, & intelleximus tuendos à quibuſlibet violenciis, injuriis & inſultibus quorumcumque malevolorum vel malignè contra eoſdem Abbatem & Conventum agere volentium.

Nos ad petitionem & diligentem inſtanciam Domini Waltheri, nunc Abbatis ejuſdem Monaſterii, quem diligimus & cujus promocionem libenter videmus; ob favorem etiam quem ad eundem gerimus Conventum, nec non ob ſalutem animæ noſtræ Anteceſſorum & Succeſſorum noſtrorum, ipſum Dominum Waltherum nunc Abbatem ibidem, & Conventum cum Monaſterio & ambitu ejuſdem, & omnibus bonis ejuſdem Monaſterii intus & extra, ac pertinenciis infra Ducatum noſtrum exiſtentibus, prout nunc ſunt, ac in futurum eſſe poterunt, ſub noſtra ſuſcipimus tutela noſtraque defenſione ac tuicione, tanquam Dominus & ſummus eorum Advocatus.

Prædia quoque eorundem, quæ propriis duximus exprimenda vocabulis; ſilvas videlicet, cum fundo, empras erga Dominum *Godefridum* Comitem *Vianenſem*, ſuper quibus ipſius Domini Godefridi & Dominæ Mariæ ſuæ matris Litteræ Patentes ſunt, & prædicto Abbati & ſuo Conventui traditæ & collatæ.

Et reliquas ſilvas, à Prædeceſſoribus ipſius Godefridi univerſis prædicto Monaſterio benignè collatas & liberaliter acquiſitas, tum Donacione tum legatione, tum emptione; nec non ſilvam quam Dominus *Leonius de Aa* in puram eleëmoſinam contulit Monaſterio prænotato; ſilvas etiam alias, empras & acquiſitas erga quoſcumque alios, & datas Monaſterio prædicto à quibuſcumque.

Terras cultas & incultas, prata, paludes, paſcua, vivaria, rivos, aquas, molendina, vineas, decimas novalium, redditus in denariis, in caponibus, cum omnibus libertatibus domiſtadiis & inſtrumentis, & cum omnibus immunitatibus juſticiis homagiis & univerſis juribus annexis, quocumque nomine cenſeantur vel exprimantur.

Curtes etiam eorum, de Woelmont, novum Sartum, Amelregem, Byſt, Poddeghem, Evertehem, cum omnibus pertinenciis ſuis. Culturas etiam eorum de Boechout, Lovenghem, Borneken, Widenvelde, nec non univerſa & ſingula bona eorumdem, quæ poſſidentes ſunt & tenentes in Prochiis ſequentibus.

In Prochia videlicet Grembergenſi, in Stroembeke, Wamlinis, in Wolverthem, in Filfordis, in Maghle, in Haren, in Sterebeke, in Lovanio, in Antverpia, in Bruxella, in Anderlecht, in Peda, in Ruſcebroec, in Didenghem, in Heembeke ſuperiori & inferiori, in Elewite, in Eppenghem, in Ramſdonc, in Beighem, in Hevebeke, in Hombeke, in Hinghen & Haveſdonc.

Molendina quoque, de Tangha, cum fundo, vivario paludibus & paſcuis; etiam triginta quatuor libras Lovanienſes annuorum reddituum, quos Abbas & Conventus de *Jeth* ſolvere tenentur; velut declarat Littera ſuper hoc confecta. Quindecim etiam modios ſiliginis, & tres libras Lovanienſes annualium reddituum. Item adhuc quindecim libras ejuſdem monetæ, deputatas & collatas à Dominis quondam Grembergenſibus ſupra dicto Monaſterio, ad Capellanias in Eccleſia Grembergenſi conſtructas; velut clarum eſt per Inſtrumentum publicum ſuper hoc conſcriptum.

Quæ quidem bona omnia & ſingula, prout ſunt expreſſa jam, ſeu non expreſſa, limitata vel non limitata, nec non univerſa & ſingula reliqua, ubicumque locorum ſita ſint vel conſiſtant, quæ tum à Nobis tum ab Anteceſſoribus noſtris, tum à Dominis Grembergenſibus, tum à Comite Vianenſi, tam ab Hominibus noſtris & aliis quibuſ-

Digitized by Google

cumque, prædicti Abbates & Conventus Donatione, emptione, legatione, eleëmoſinis, mutacione ſeu cambicione, jam nacti ſunt & acquiſiverunt, aut impoſterum acquirent, prout ea, ut ſepius tactum eſt, ſuſcepimus, & adhuc ſuſcipimus in noſtra & noſtrorum Succeſſorum Ducum Brabantiæ defenſione & tutela, ratificamus, laudamus, & approbamus, eidemque Monaſterio Grembergenſi ac Fratribus ſeu Canonicis ibidem profeſſis, ac eorum Succeſſoribus univerſis liberaliter confirmamus, tamquam Dominus, & ſummus eorum Advocatus.

In quarum rerum omnium & ſingularum evidentiam, firmitudinem, robur & munimen, Nos præſentes Litteras contulimus prædicto Domino Waltero Abbati & Conventui Monaſterii Grembergenſis prædicti, ac eorum Succeſſoribus univerſis, Sigillo noſtro patenter ſignatas munitas & roboratas, perpetuò ſibi valituras.

Actum & datum apud Bruxellam anno Dominicæ Incarnationis milleſimo-ducenteſimo-octageſimo-quarto, pridie Nonas menſis Marcii.

CAPUT CLX.

Add. ante Cap. 107. lib. II. ſive pag. 259. ſuperiùs.

JOANNIS I. *Brabantiæ Ducis Decretum, de Silvis communibus in Over-Alphen juxta Nivellas, mediatim ad Ducem Brabantiæ, & ad Capitulum utriuſque ſexus ibidem pertinentibus, Anno* 1290.

NOus JEHAN par la grace de Dieu, Duc de Lothier, de Brabant & de Lemborch, faiſons ſavoir à tous cheaulx qui ces Lettres vieront ou ouront, que l'Abbeſſe, li Prevoſt, li Doyen, & tout li Chapittre delle Egliſe Madame Sainte Gertrude de Nivelles, en l'Eveſqué de Liege, pour leur profit & pour le utilité de leur Egliſe, nous ont accompagniet az fruis & az preus de lour Bois, con diſt de Nivelle, Sarteis & niet Sarties, ſi avant que Loyaul Chierquemanaige l'aporterat; en teil point & en teil maniere, que Noz & Nos Hoires qui après nous venront, auerons le moetiet des fruis & des preus dou devantdit Bos yſeront, & l'autre moetiet aura la devantdite Egliſe, ſalueit le proprieteit de tous les devantdits bois qui demourat al dite Egliſe;

C'eſt à ſavoir, que li compagnie que le devantdite Egliſe Noz a fait dou devantdit Bois, de Nous nous retenir en notre main Noz & tous noz Hoires qui après nous venront. Ne ne povons ne devons Nous ne noſdites Hoires point du devant dit Bos, ni de choſe qui a devantdit Bos amonté, mettre hors de nos mains, ne autruy enfiever, ne donner heritablement, ne mettre en aucune main, autre ken le notre, ou de nos Hoires.

Et bien connoiſſans que Noz, ne noſdit Hoires ne devons, ne ne povons, pour les raiſons delle Compaignée qui fait noz eſt, az fruis & az preus qui du devant dit Bos yſeront, rien prendre ſans l'Egliſe, ne l'Egliſe ſans nous.

Et s'il étoit ainſi, que on tournaiſt le devant dit Bos à culture, ou en edifiſſez des Villes pour gens habiter, où on en feſiſt aywes ou preis ou aultres uſaiges, li moetest des fruis qui de ces choſes y ſeront, fieront noſtre, & li aultre moeteit fieroit l'Egliſe devantdite.

Et ſe bon ſembloit à nous & à l'Egliſe devantdite, de fere ledit Bos Sartier tous ou en partie, nous & ledit Egliſe le feriens à communs diſpens, ſi comme bons compaignons; ſi auerions le moetiet des fruis qui de chou y ſeroient, & le devantdite Egliſe l'autre.

Et s'il plaiſoit à nous & à ladite Egliſe de donner le devantdit Bois à aban ou autre Cens, fere le devons par commun conſeil en Capittre à Nivelles & le donrat-on au plus chier con poura.

En aprés quand li devantdit Bos venra à eaige, c'eſt à ſavoir de l'eaige de XII ans, ou de moins ou de plus, telon chou que boin ſemblera à Nos & à laditte Egliſe, vendrons ou Capittre à Nivelles leſdits Bos par commun conſeil & par commun aſſent, en point & en maniere que on vent les Bos de Heys & de Boſſut. Et ſe aucuns Canoines ou Canoneſſes de ladite Egliſe veullont ou devant dit Bos cachier ou oyſeller, fere le poeut.

Et ſi avenoit que aucunes gens clamaſſent droit ens ou devant dit Bos, & il le poiſſent montrer par devant nous & par devant ladite Egliſe ou Capittre à Nivelles ſouffiſanment, Nous & ledite Egliſe par commun accord lei devons appayſenter ou dit Capittre des communs fruis dou devant dit Bos. Et tous chiaux qui vouroient tourmenter ou penner les devant dite Abbeſſe Prevoſt, Doyen, & les perſonnes de le devant dite Egliſe ou aucuns d'elles en l'okiſon de le Compagnie qu'il fait nous ont dou devant dit Bos, nos aions tels les devantdis Calengeurs ou tormanteurs, quels les devantdis Abbeſſe, Provoſt, Doyen & toutes les perſonnes de le devant dite Egliſe layront en pays yaulx & le leur, & ſe delairont d'yaux à tourmenter & yaux à penner, & tout chou leur avons nous en Convent à faire, ſans rien couſtant dou leur.

Si mettrons Noz & noz Hoirs Foreſtiers en ou devant dit Bos pour le Warder juſques à trois & nient plus. Et ſe moins en voulons mettre, faire le povons, & autant que nos en y mettrons, en y poura mettre ladite Egliſe, & mettre s'elle voelt pour garder le devant dit Bos avec les notres; ſi ſeront de telle franchiſe & de telle condition les Foreſtiers de ledite Egliſe qui li notres ſieront.

Et payerons les notres Foreſtiers & à notre

voulonté & dou notre, & li Egliſe ainſi les ſiens du chien propre; ne ne pourrons nous, nos Hoirs ne le devantdite Egliſe nuls des Foreſtiers donner en heritage ne en Fiefs, par quoy nulz en ſoit fievez ne heritez, ne nuls ne pourra Foreſtiers mettre en devant dit Bos fors nous & ledite Egliſe, ne panner ſe ly Foreſtiers non, qui mis y ſeront de par nous & par ledite Egliſe. Ne ne pourront leſdits Foreſtiers nuls autres Foreſtiers mettre deſſous yaulx, ſe ce n'eſt par le greit de notre meſſaige & de ladite Egliſe. Et ſe aucuns des devantdis Foreſtiers meffaiſoit, parquoy on le dewiſt ôter de ſon office, oſter le pourra cil qui mis li aura, & remettre un autre.

Et de tous les pans que on prendera en ou devant dit Bos, ſoit par notre Foreſtier, ſoit par le Foreſtier de ledite Egliſe, venront li Foreſtiers devant dis compter à certain jour à Nivelles que on leur mettera par devant nos Meſſaiges & perſonnes certaines, qui à chou ſieront miſes de par l'Egliſe, ſi raporteront tous les pans pardevant yaulx & en conteront bien & leaiment. Si aurons le moetiet de tout chou que leſdis Foreſtiers auront raportest à ce conte, & le devant dite Egliſe l'autre, & delivreront leſdis Foreſtiers tous les pans à Nivelles au lieu où notre Meſſaige & leſdis perſonnes de l'Egliſe commanderont les amendes.

Et li Meffait des pans dudit Bos ſieront tels & tels: d'une cherée de chayne paierat-on LX ſols, d'une cherée de fau XL. ſols, d'une cherée de commun Bos XXX ſols. Qui coupera un planchon il payera XVIII. den, qui cherira fors voye il payera XII den., qui pan eſtreuvra à Foreſtier il ſera à LX ſols, qui main mettra à Foreſtier par mal effiant en l'ockiſon de le Warde du Bos il ſera à C. ſols. Des bieſtes qu'on trouvera payerat-on: du cheval XII den. delle vache XII den., delle ayne VI den. de le brebis I d. du pourchiaul I den. & le chievre ſera en notre voulonté & del dite Egliſe.

Telle Compagnie que par de ſeur deviſte eſt en telle Ordonnance, & toutes les autres coſes avons nous en Convent à tenir & warder bien & leaiment par notre foy: ſans jamais venir en contre. Si le ferons loër & greët notre tres chier fils JEHAN, & confirmer par ſon Sayel que noz ly ferons pendre à ces preſentes Lettres, leſquelles Nous avons ſayellées de notre Sayel, avec le ſayel dudit Jehan, en temoignage de verité.

Et pour que ces coſes ſoient fermes & eſtaubles à toujours, & Nous Jehan devant dit loöns & gréons telle Ordonnance que de ſeur eſt deviſée; ſi l'avons en convent à tenir bon & leaiment, & notre Sayel peudu à ces preſentes Letres avec le Sayel notre chier Pere devant nommé.

Ces coſes furent feites & ordonnées en l'an delle Incarnation Jeſus Chriſt mil II. cens nonante, en mois de May. Plus bas étoit ſigné: Willielmus Olyee de Glyme.

